



IOANNIS GERSONII, DOCTORIS ET CANCELLARII PARISIENSIS,

Quarta pars Operum,

CONCIONES AD POPVLVM præsertim complectitur.



PARISIIS,

M. DC. VI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

IOANNIS


GERSONII,

DOCTORIS ET

CANCELLARII PARISIENSIS,

Quarta pars Operum,

CONCIONES *AD POPVLVM præsertim complectitur.*



PARISIIS,

M. DC. VI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

CATALOGVS EORVM, QVÆ IN QVARTA PARTE OPERVM GERSONII CONTINENTVR.

Sermo

CHRISTIANISSIMI



CHRISTIANISSIMI DOCTORIS IOANNIS DE GERSON,

SERMO DE ANGELIS.



ACTVM *est prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli eius præliabătur cum dracone.* Apocalip.12. De Angelis locuturi, cognatā Angelis virginitatem, & ab eiſdem officioſiſſimè ſalutatam fiducialiter adeamus, & vt per gratiæ infuſionem ſedetur in nobis vitiorum draconíſque prælium. Illam ſalutemus oratione Angelica, dicentes: Aue Maria gratia plena, &c.

Factum eſt, &c. Quemadmodum duplex eſt cœlum, gloriæ videlicet & Eccleſiæ, illud ſurſum, hoc verò deorſum, ſicut per gloſſam ſuper thema, & Matth.13 notatum eſt. Sic in duplici cęlo Michaël & Angeli eius præliati ſunt cum dracone. Et primitus in empyreo cęlo, de quo præſens ſermo loquetur. Poſtmodum in inferiori quod eſt Eccleſia, de quo videbitur in collatione. Et in primis reuerendi patres, Michaël, cuius hodie feſta colimus, quanta dignitate, quantáq; virtutis eminentia prędítus fuerit, prophetica hæc Ioannis verba ſecundum beati Gregorij expoſitionem patenter inſinuant. Factum eſt inquit pręliū &c. Oportet profectò vt magnus magníſque & inſignibus titulis illuſtratus extiterit, quem in prælio magno cœleſti ducem ac ſigniferum ſui exercitus pręcipuum vniuerſalis imperator ac regum ſupremus inſtituit. Cuius inſuper dominationi ſiue ducatui videtur omnes beatorum ſpirituum acies quodammodo ſubieciſſe. Michaël inquit & Angeli eius. Si enim beati omnes Angeli, queadmodum veriſimile eſt, contra draconem luciferum videlicet alióſq; peruerſos Angelos præliabantur, conſequens eſt illos omnes ſub Michaële Archangelo militaſſe. Alioquin quomodo dixiſſet propheta: Michaël & Angeli eius? Sed hoc interim omiſſo non irrationabiliter quæritur quomodo Michaëlis cum dracone magnum in cœlo factum ſit prælium, & vnde tam ſubitum inter eos malum ſchiſmatis eruperit, vt mox in ſuæ creationis exordio tam hoſtiliter diſſenſerint atq; decertarint, quaſi ad poëtarum figmenta relabamur, ſic enim poëtica fingit licentia, ex ſerpentinis dentibus à Cadmo humi iactis militiam armatam ſurrexiſſe, & cōfeſtim alternis concidiſſe vulneribus. Metamorph.3. Ad cuius rei (quæ in abdito latet) diſſolutionem, repetenda

A eſt altius narratio. Poſtquam omnipotentiſſimæ ac liberaliſſimæ Dei bonitati placuit ſeipſum in creaturas diffundere, mundum hunc tanquam regnum aliquod pulcherrimum ac maximum, non naturali quadam & æterna neceſſitate (vt philoſophi ſomniant) ſed ſpontanea libertate fabricauit, in quo condidit palatium præclariſſimum ac permagnificum, quale decebat habere vniuerſalem ac ſummum imperatorem. Illic quoque exercitum ſuum & inclytam magnatum ac militum ſuorum familiam mox creauit, condens videlicet Angelorum naturam, & ſimul largiens gratiam vel gratum facientem, vt Præpoſitiuus, B ſanctus Thomas, Durandus, Holkot tenent, vel tantummodo gratis datam, vt magiſtri & domini Antiſ. multorúmque eſt opinio. In qua contrarietate id quod certum eſt teneamus, eos in magno lumine cognitionis tam ſupernaturalis de Deo, quam naturalis de cæteris entibus creatos extitiſſe. Iuxta quod exponit egregius doctor Auguſtinus, illud Geneſ.1. fiat lux, ad irradiationem huius mundi ſubſtantiarum nobiliſſimarum à verbo patris luminoſiſſimo, radioſiſſimo & ſentétioſiſſimo. Ab iſtis autem ſpiritibus palatium illud ſummi regis quod cœlum eſt empyreum nomen habet, non mediocrem ornatum ſuſcepiſſe C probabile eſt. Nam ſi corpus humanum ex animę præſentia mira decoris ſuauitate reſpergitur nitet & pulchritudine, nimirum ſi cœlum illud à tot & tantis ſpiritibus habitatum iocundiſſima ſerenitate diffunditur & refulget. Fuerunt autem primitus Angeli quos loquimur ante glorię conſummatæ largitionem viatores conſtituti ſcilicet in ſtatu & vię & meriti, vt beatitudinem per ſtrenuos actus infra certam temporis morulam mererētur, vel non merentes illa perpetuò priuarentur. Sed ô nunquam ſecurum penitus viæ ſtatum. O nun- D quam ſatis per ſe ſtabilem creaturam, non à Deo ſpecialiter ſtabilitam, quin potius ſibi relicta tanto variabilior & vanitati ſubiectior videri poteſt, quanto in naturalibus extiterit perfectior. Ecce enim ſi beati Gregorij & non Damaſceni ſententiæ credimus. Lucifer ſupremus fuit Angelorum, & hic tamen primus à perfectione ſua decidit, primus morbo peccati vulneratus interijt. Nam dum pulchritudine, ſapientia, fortitudine, cæteríſque dotibus ſuis, non ad humilitatem & Dei gloriam, ſed ad ſuperbam vanitatē vtitur, dúmq; in ſui con-

sideratione cupidus permanet improbissimam A dominandi libidinem amplexus est, schismaque grauissimũ concitauit. Ascendam inquit in cęlum super astra cœli exaltabo solium meum ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo. Hoc vt vidit Michaël zelo Dei accensus, nec ferre valens vt alius honorem Dei vsurparet. Primò disputatiuum & quasi scholasticum siue gymnasticum prælium cum eodem aggreditur, quatenus ipsum antea rationibus quam viribus confutaret. Hic est enim correctionis ordo rectissimus, errantem B prius monere quam punire. Habuit igitur Michaël orationem huiusmodi. Attende tibi ô lucifer, & quid agas vide noli super temetipsum inaniter erigi, nec dixeris, super astra cœli exaltabo solium meum, & similis ero altissimo. Neq; enim quicquam habes quod non acceperis. Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Aspicis vt te nobiscum gratuita voluntate condiderit altissimus, rationem dedit & intelligentiam, liberum contulit arbitrium, donis insuper gratuitis armauit, ornauit, illustrauit. Quæ omnia non ad C nostram, sed illius laudem & gloriam grata sedulitate referenda sunt, vt cognitus cogitetur, cogitatus diligatur, dilectus iugiter & inseparabilis tanquam sponsus amplexetur. Sic enim leges suas indidit, vt eidem soli velut sponso adhæreamus secundum vim apprehẽsiuam, in eo quod est veritas luminosissima, secundum concupiscibilem, in eo quod voluptas suauissima ac pulcherrima, secundum irascibilẽ, in eo quod gloria suprema & bonum summè arduum quod possit adipisci. Quo D pacto igitur ab illo per incõsideratione diuerteris.

Quamobrem amore libidinoso tibijpsi adhærens inniteris prudẽtię & vanæ pulchritudini tuę? Cur insuper fornicarijs amplexibus inanem & vani gloriosum dominandi titulum complecteris? Ascendam inquis, in cœlum, super astra cœli ponam solium meum, ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo. Similis altissimo lucifer, ita videlicet quasi nõ infinitè distet à creatoris sublimitate creaturæ cuiuslibet finitas & decliuitas, quasi præterea non vnum principem, sed E duos habiturus sit mundus, Deum & teipsum. Erras itaque vehementer & intolerabili vanitate extolleris, si Deo factori nostro subesse & dominatissimam eius maiestatem cognoscere refugis, aut dominium super nos quale habet, aut sine meritis, aut sine seruitutis vicissitudine vsurpare contendis. Et omitte quæso titulos tuos enumerando iactare, sed memineris à quo illos suscepisti. Ille quidem est cui plenissimam & absque vllius proprietatis retentione subiectissimã debes obedien-F dientiam. Et si sapientia placet, si pulchritudo, si voluptas, quanto hæc omnia in Deo quam in te præclara & præcelsiora reperies. Si dominandi gloriam tantopere concupiscis, nunquid ille est gloria sublimissima, postquam non est imaginanabilis excellentior, & illam poteris obtinere, si debita subiectione teipsum eidem submiseris. Ille enim est gloria nostra & honor summè arduus, qui non superbia, sed humilitate possidetur. Cuius subintus supremum est dominiũ creaturæ iocundissimum atque naturalissimum. Propterea diuinis te legibus subijce abdicata in omnibus voluntate propria. Nam stolida temeritate imperium ab illo qui solus dare potest impetrare quæris, si te eidem aut prætuleris aut non submiseris, nec minus temerè ab alio expectabis obediẽtiam, si illam prius domino tuo præstare renueris.

Hæc autem ab eis non absona vt credibile est reuerendi patres Michaëlem Archangelum pro compescenda luciferi superbia monuisse iuuabit. Tanta est equidem superbiæ pestis, & adeò in se rapiens, ac incredibili caligine cæcitatis obuoluẽs, vt & cæcos & surdos efficiat quos possidet. Nec miraberis hoc in substantijs sublimioribus contigisse, cum ab hominibus considerationem descenderis. Hominem videbis ambitiosum, quem superbiæ passio taliter occupatum tenet, vt nec labore, nec monitis, nec terroribus, nec vexatione, nec irrisionibus, nec ipso demum mortis periculo absterreri potest, quin modicam & vanam sui gloriaculam modis omnibus per fas pérque nefas conetur prosequi. Et quin velut fera indomitissima in tela etiam & in enses ruat. Hoc in torneamentis & exercitijs militum pœnosissimis, hoc in dominijs tyrannorum euersissimis & labore curísque immortalibus plenissimis. Hoc rursus in hypocritarum spontaneis cruciationibus & cæteris quam plurimis liquidò perpenditur. Hinc apud Tragicum Atræus de Edippo ait: Regna nunc sperat mea, hac spe minanti fulmine occurret Ioui, hac spe subibit gurgitis tumidi minas, dubiúque lybici syrtis intrabit, &c. Ambitio quippe est quæ bellorum omnium in terra maríque genitrix fuit, quæ singularum regionum populos suis cum regibus in miserandas præcipitauit mortes. Et vt cætera omittam quibus hystoriæ plenæ sunt. Quis facinorissimum schisma per quod animæ tot periclitantur genuit? Quis gentium hucusque pertinacissimo spiritu fouit? vtique superbia & ambitio dominandi. Et hæc adeò dira est, crudelis, atrox & horrenda, vt eam nec miseranda Ecclesiæ dissipatio moueat, nec emolliat præcedentium superborum tam multiplex punitio, nec denique iudicij diuini & propriæ damnationis certitudo perterreat, quin etiam doctrina domini ac Saluatoris nostri in contemptum vertitur, quæ tota de humilitatis laude ac præcepto contexta est. Vnde & in euangelio præsentis dominicæ decimoseptimo, cum sub exemplo nuptias præmisisset Christus: Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco, in fine sic conclusit. Qui se humiliat, exaltabitur, & qui exaltat, humiliabitur. Et in euangelio quod de Angelis canitur: Qui humiliauerit se inquit, vt paruulus iste hic maior erit in regno cœlorum. Spernuntur tamen ista ab hominibus nostri temporis, nec ab elatione nocentissima & fœtidissima possunt retroflecti. Quod si inter tot humilitatis præsidia & superbiæ prorsus aduersantia, qualia sunt mortes, ægritudines insanabiles, ipse ad extremum gehennæ metus & similia mortalium incommoda, tremenda insuper monita Dei, si inquam inter hæc omnia nihilominus superbia nascitur, mirandũ non est tam horrendum mõstrum tamque portentuosum apud substantias illas spirituales aditum reperisse, vbi deerat omnis aduersitas superbiæ aduersatrix. At dicet fortasse quispiam, spiritus Angelicos ad resistendum sapientiores hominibus & prudentiores extitisse, fateor quidem.

quidem. Sed nescire videtur qui sic dicit perniciosissimam esse superbiæ originem, quæ ex sapientia vel prudentia nascitur, ex quo monstro similius est ex humilitate eius contraria. Nam & sapientia inflat secundum Apostolum, & multi de sua humilitate gloriati sunt, quod si ita est, potuit absque dubio superbiam in Angelis causare propriæ excellentiæ consideratio, quia prudentes, pulchri, fortes creati sunt. Porrò constat tantam adulationis efficaciam esse, vt homines in dementiam quandam & insaniam vertat, & incredibilia de se credere compellat, quod & experientiæ & Iuuenalis testimonium perspicuum est. Nihil est inquit, quod credere de se non possit cum laudatur. Dijs æqua potestas. Et apud Terentium in Eunucho de adulatore Gnatone. Hic profectò homines ex stultis insanos facit. Quod si tantum potest blanda alienæ vocis adulatio, incomparabiliter pluris efficaciæ erit adulatio propria, vbi idem & persuasor est & iudex. Cessare propterea debet admiratio si in substantijs spiritualibus in excellentiæ suæ consideratione manentibus, & sibijpsis (vt ita loquar) adulantibus superbia irrepsit, vel si introgressa pertinaciter inhæserit, præsertim cum dotes suas non in luce veritatis sed in nocte vanitatis & quasi dorso verso contemplarentur. Cum insuper oculos mentis iam haberent obtortos & auersos à vera consideratione, & ob malitiam veritatis statim obscuratos. Obnitebatur ergo & obsurdescebat Lucifer Michaëlis monitionibus, & ob præconceptam superbiæ vehementiam succumbere nesciens, ex aduerso pertinaci disputatione erigebatur, affirmans seipsum iure naturalis conditionis debere præesse, quia sapientior & fortior & pulchrior & in omnibus præstantior cæteris eminebat, ac proinde factum est prælium magnum in cœlo, quod scholasticum siue gymnasticum possumus appellare, & in illo Michaël Angeli eius, &c.

Antequam de prælio agonistico quod statim subsecutum est locutionem aggrediar, duplex circa ea quæ dicta sunt occurrit dubitatio. Prima, quibus verbis disputatiuum hoc prælium exercebant Angeli. Secunda, quomodo lucifer appetiuit æqualitatem Dei vel similitudinem, &c. De prima dubitatione fuerunt qui omnem negarent inter Angelos locutionem, quos & sacri Canones & Sanctorum auctoritates redarguunt. 1. Cor. 13. Si linguis hominū loquar & Angelorum &c. Esa. 6. Clamabunt alter ad alterum, &c. Immo & animas separatas loqui adinuicem, testis est Gregorius exponens illud: Tu es qui venturus es. Vbi dicit animam Ioannis Baptistæ cæteris in lymbo existentibus Christi aduentum nunciasse. Alij locutionem huiusmodi concedentes, eam dixerunt fieri per signa intellectualia ad placitum significantia, vt Gregorius in 2. dist. 14. q. 2. Alij per inscriptiones quasdam exteriores, vt Ægidius, quas similiter ad placitum significare interfuit. Et has opiniones satis efficaciter impugnare mihi visus est Durandus in 2. distinct. 11. q. 2. Neque enim facile est huiusmodi signorū impositores assignare, præsertim apud dæmones & animas nouiter damnatas & saluatas. Nec rursus apparet ratio cur signa hæc intellectualia in Angelis videantur, & non conceptus naturaliter repræsentantes. Nam & æquè

A intima sunt & æquè inhærentia, concedendum porrò esset grammaticam verè positiuam esse in Angelis, & consequenter interrogaretur an doctiores essent inter eos qui solœcismos & barbarismos, aliáque incongruitatis vitia declinare docerent. Alij qui similiter negant conceptus angelicos mutuo videri posse, vel saltem visos non intelligi, sicut Adam ponit internuncium, sic quod dum vnus alteri suam manifestare vult cognitionem, Deus quasi nuncius vel interpres eidem reuelat. Et hoc magis apparenter dicerem de

B saluatis quam de damnatis, quibus non ita videtur esse reuelator vel nuncius, quanquam ad hoc adduci posset illud Esaiæ 43. Seruire me fecisti in peccatis tuis. Alij concedentes angelicos conceptus, sicut & alia etiam ab Angelis intuitiuè videri & cognosci diuersificantur. Scotus tenet Angelum posse in alio similem cognitionem illi quam in se producit causare, ex quo agens idem est & passum simile. Et hic modus ab Adam in primo, & Ockam & Gregorio in secundo fortiter impugnatur. Intellectio enim & volitio actus

C sunt immanentes, nec in alieno causari subiecto habent. Vel dicere oportet Angelum posse in dæmonibus similem notitiam Dei intuitiuam illi quam habet producere, & similia. Ockam & eius imitator Holkot dicunt Angelos tantummodo obiectiuè naturalier mouere per suas notitias ad similes in alijs producendum & saluandum quomodo vnus audit Angelum sibi loquētem & non alius, & quomodo inferiores non omnia sciunt quæ superiores ad Deum refugiunt. Guilielmus

D Parisiensis, quem pro nunc magis insequor, & cui sanctus Thomas satis consonat parte 1. quæst. 107. dicit quod Angeli quoad suos conceptus manifestandos liberi sunt, & ad extra mouent obiectiuè, non quidem obiectiuè naturaliter vt præcedentes dicunt, sed secundum voluntatis arbitrium, quemadmodum si quis librum teneat inscriptum, aperiendo potest ostendere quid & qualiter sibi placet de contentis in eodem. Dicitur igitur iste doctor, Angelos esse velut specula vel libros lucidissimarum imaginum atque inscriptionis di-

E stinctissimæ, & potentes sunt se obijcere vel aperire si & quantum & qualiter libuerit, & rei huius similitudinem habemus in verbo diuino, quod se & alia liberrimè ad exempla repræsentat. Similitudo etiam aliqualis est in memoria nostra: ad quam sicut ad arcam librum vel thesaurum literarum recurrentes, accipimus de ibidem reconditis quæ volumus, immo & sine productione noui velle, sed per liberam & potestatiuam voluntatis applicationem vt sententia Augustini de-

F clarat, & tenet Gregorius dist. 11. secundi quæst. vnica artic. vlt. Nec mireris si agens aliquod naturale subsit in agendo voluntati. Sic enim tenent plurimi de corpore glorificato, quod secundum voluntatis arbitrium & non aliter colores eius radiabunt siue videbuntur, sicut in Christo post Resurrectionem dicunt patuisse. Sic etiam tenet Ockam in secundo, in materia de cognitione Angelorum, quod Angelus præsente obiecto naturaliter mouēte potest non formare cognitionem ad quam id mouet. Et sic ponit Angelos in audiendo liberos esse, quare non similiter in loquendo. Simile præterea est tum in habitibus

tum in cognitione respectu voluntatis. Simile postremò alias tenui in principijs super sententias de dominio voluntatis super vires sensitiuas pro statu innocentiæ. Secundum hoc igitur dicendum locutionem atque disputatiuum prælium Michaëlis cum lucifero, sic factas esse per obiectalem & liberam conceptuum suorum ostensionem. Et hæc disputatiua locutio alta fuit clara & sonora, non quidem sonoritate vocalis strepitus sed intelligibilitate manifestationis. Hoc enim operatur intelligibilitas in huiusmodi locutione spirituali, quod clamor, altitudo & sonoritas in vocali. Iuxta quod dicitur vbi prius: Clamabant alter ad alterum, &c. Et hoc modo altissimis vocibus beati magnificant Deum, laudant, benedicunt, glorificant, pro nobis oratores peritissimi interpellant. Sed & superiores perficiunt inferiores & illuminant atque purgant non mundando à sordibus sed ab eis doctrinaliter elongando. Præfatæ verò altercationis & repugnantiæ bonorum contra malos & tractatus malorum ad inuicem duratio atque mora videtur à Guilielmo Parisiensi quinque horarum spacio mensurari, secundum cuius intentionem fuit vesper primæ diei, aut pars eius. De qua dictum est Genes. 1. Et factum est &c. Neque enim fuit lucifer eo momento damnatus, quo peccare incepit, immo doctorum quorumdam sententia est, eos ante terminum casus sui pœnitere potuisse, quia extra viæ statum nondum positi erant. Et incœpit forsan peccatum suum à veniali, & tandem per incrementa vsque ad consummationem deductum est.

De secunda dubitatione quomodo lucifer appetiuit æqualitatem Dei, dicens: Et similis ero altissimo. Teneo in proposito probabiliter cum Scoto, eum potuisse veram & essentialem Dei æqualitatem appetere, non quod illud sibi possibile dictauisset, sed quia ex apprehensionibus quibusdam simplicibus non iudiciorum vel ex dictaminibus iudicijsque complexis veris, vt quod Deus erat summè pulcher & potens, & similibus voluntas exire & prorumpere poterat in affectionem boni tanti, quamquam sibi impossibilis. Sic enim homo apprehendens delectationē viuendi, optare potest vitam habere perpetuam, & si hoc sibi possibile non iudicet: Quia tamen de facto hunc in lucifero fuisse appetitum, doctores negant, aliunde dicunt similitudinem voluisse, non verè, sed interpretatiuè altero tantum modorum. Primus, quia se conuertit à Deo, nec eius mandato paruit, siue id fuerit disciplinæ, sicut Adæ datum est, siue iuris naturalis: Omnis quippe inobediens se dominum & regem propriæ voluntatis constituit, sic perinde dominium vsurpat soli Deo debitum, propterea superbit. Neq; enim aliud est creaturam rationalem superbire, quam super illud ire quod non debet. Obligatur verò de iure naturali ipse Angelus Deo obsequio se subijci secundum vires suas singulas, in quibus nihil à libertate vacabat, vt in dubio priori tangebam. Et huius oppositum faciens, nec se subijciens iam superbiuit, & quasi duos reges & duo capita ex æquo super se posuit seipsum & Deum, & in hoc se Deo pacificauit. Hoc autem manifestum fuit. Primò in apprehensiua, non enim illa vsus est ad Dei considerandam gratiam & beneuolentiam erga se, sed in libidinosa & vana sui ipsius consideratione persistens, per ingratam acediā bona sua nequaquam vt oportebat ad Deum conditorem suum referre curauit, in quo fuit & ingratitudo & acedia. Deinceps in affectiua multiplex exorbitatio suborta est. Tum quia per eam seipso fruebatur, se propter se diligens, & de se suum idolum deumq; faciens. Tum etiam quia in beatitudinem cæteráque bona delectabilia in ratione commodi & non iusti cupidè nimis ferebatur, in quo erat luxuria & abusio innaturalis fœdissima, quamuis enim vt Scotus ait, supremo ac toto impetu in beatitudinem concupiscēdam naturaliter traheretur tanquam in summum sibi conueniens, obligabatur tamen per voluntatis arbitrium huiusmodi tractum naturalem moderatè ac debitè prosequi, ne vel sine meritis vel præpropere, vel non in ratione iusti in illam liberè duceretur. Et ita manifestum est secundum hunc doctorem luciferum peccasse conformādo voluntatem suam inclinationi naturali, non corruptæ, quod esse possibile alias tenui in scholis cōtra doctorem solennem. Amplius non dubium est ipsum luciferum perfectioni cæterorum inuidisse, & quod sibi gloriam & honorem vt superbus singulariter affectauit. In cuius singularitatis appetitu auaritia non esse non potuit, quæ de iure naturali indito ab omni ente relegata est. Hoc in sole & largiflua suijpsius diffusione, similiter & in alijs entibus naturalibus clarè perpenditur. Vnde quemadmodum visio corporalis oculo non præstante pro se solo, sed pro totius corporis directione, & ita de virtute gressibili pedis & auditiua auris, non aliter visio spiritualis quæ est sapientia & prudētia alios gubernandi. Aliæ insuper virtutes non impartiuntur substantijs intellectualibus liberis pro se tantummodo, sed pro totius corporis mystici iuuamento. Neque enim nobis nati sumus, vt ex sententia Platonis refert Cicero in de officijs. Ob hoc Cato laudatur, cuius mores esse Lucanus ait, Toti genitum se credere mūdo. Lucifer igitur nefanda plenus superbia, qui se suis virtutibus alijs elargiri non solum non voluit, sed in illis esse singularis affectabat. Iuxta quod probabiliter deducibile est contra Holkot Angelos bonos obligari ad salutem vtilitatemque hominum procurādam, quantum diuinæ misericordiæ & pietati eosdem esse iuuandos placuerit. Amplius manifestum est quemlibet Christianum de necessitate salutis obligari ad laborandum secundum vires sibi à Deo præstitas pro salute totius Ecclesiæ, & ex consequenti pro sedatione schismatis, simplices orādo, clerici cum hoc monēdo, prædicando, arguendo, increpando, potentes incitando, principes autem viribus si necesse est compellendo.

Secundus modus appetendo æqualitatem Dei esse potuit in modo dominationis quam habere voluit super alios, siue quia dominationem obtinere voluerit de iure naturalis conditionis, & absque meritis, tanquam virtuosior, sapientior, pulchrior atque præstantior, hanc tamen potius ex meritis & gratia quærere debuisset, siue noluerit quomodolibet alijs subijci, cum tamen omnis creatura rationalis in dominio constituta subditorum cōmodis seruire teneatur, & pro obsequijs susceptis vicissitudinem rependere. Quemadmodum expressit Christus Matth. 20. dum schisma

oriretur

oriretur inter apostolos, eis disceptantibus quis eorum videretur esse maior, sic respondit: Quicúque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Et verè sic est, neque enim stipendia, honores, seruitia dominis impensa aliud sunt quam præmia debitæ seruitutis in subditorũ protectione. Aut ergo hominem non præesse cõuenit, aut subditorum commodis & obsequijs seruire necesse est. Vides autem quam multorum seruituti cõiuncta sit hæc dominatio. Iuxta quod Papa seruus seruorum verissima nuncupatione dicitur. Qui verò aliter dominari vult, non iam Dominus, sed tyrannus vocandus est. Quid est enim tyrannis secundum Aristotelem, nisi spreto subditorum commodo vel auxilio dominationem propter se aut propter quæstum inuadere. Hoc nempè inter regem & tyrannicum discrimen est, quia tyrannus commodum proprium tantummodo quærit, rex alienum. Væ igitur principibus inquit Guillelmus Parisiensis, & væ terræ quorum tribunalia quæstui deseruiunt, vbi fora non iudicialia, sed venalia sunt. Væ curiæ ad quam tanquam ad forum rerum venaliũ, tanquam ad lupanar, tanquam ad tabernam, tanquã ad mensam nummulariam solũmodo fit ingressus.

Denique tertius additur modus, quo possibile est luciferum æqualitatem Dei affectasse, in eo quod se ab inferioribus latriæ cultu vt Deum voluit adorari. Nam si hoc postmodum tanto studio ab hominibus extorsit, & extorquere nõ cessat vt adoretur sicut Deus, immò vt extollatur super omne quod dicitur Deus, potuit & hoc ab initio concupiscere ex vehementia insanissimæ elationis suæ, cum etiam homines vtique mortales, id est ærumnis subditos, hæc portentuosa rabies inuaserit. Patuit in Nabuchodonosor, in Cosdroe, & communiter in Persarum principibus. Et verendum est prohdolor ne in prælatos quosdam se huiusmodi insaniæ virus infuderit, qui æquo animo tolerant se creatores & eorum subditos suas creaturas ab eisdem appellari. Etenim quo nomine adorabitur potius Deus, quã si creator nuncuparetur, aut quæ differentia erit ad hominem & ad Deum si homo alterius creatura nominetur, & quo amplius indigneris, hoc illi de se patiuntur facto, qui omnium se seruos fatentur verbo. Sed hos iam linquamus qui bonis monitionibus obsurduerunt. Et quæramus quomodo Michaël & Angeli eius vtique fortes pulchri & sapientes non similiter cum lucifero in superbiam erecti sunt, cum similis esset occasio. Responsio palam est, non aliam fuisse stabilitatis suæ causam quam liberum arbitrium adeò adiutum quod necessitatis expers erat, nec obiecti passibilis monitionem insequi cogebatur. Idcirco glorificandi sunt, & præcelsis laudibus attollendi Michaël & Angeli eius qui potuerunt transgredi & non sunt transgressi, facere mala & non fecerunt. Qui etiam alijs errantibus & ad inanem sui præsumptionem inducere suadentibus tentationibus nequaquam assenserunt, verum exurrexerũt ex aduerso, & viã veritatis ostendentes disceptauerunt contra eos doctissima oratione. Sic enim factum est prælium primum magnum in cœlo.

Nunc de prælio gymnastico veniam ad agonisticum.

POSTQVAM ab insani & pertinaci proposito nulla possunt luciferum Michaëlis monita reuocare, sed de peccato in peccatum vasto pódere trahitur, iámque tempus viæ ac meriti ferè dilapsum est, Deus eundem ab æthereo palatio & cœlestibus nuptijs deijcere statuit. Stabilibus verò digna pro meritis præmia largitus est, eos per Hierarchicas dignitates & officia pulcherrimè condistinguens. Deinde ad eos conuersus, quãdiu inquit, patientia & bonitate nostra ô ciues abuti apostatam hunc patiemur? Quousque tumidam eius tolerabimus elationem? Accingimini ô ciues inclyti, & exurgite velociter ad vindictam. Estote fortes in bello, & in infernum chaos miserum hunc cum suis participibus detrudite, dent pœnas suæ ingratitudinis & læsæ maiestatis nostræ. Nec amplius inueniatur eorum locus in cœlo, in ima deiecti recludantur, qui nisu temerariò in summa prouehi nequiter voluerunt.

His dictis illico parent omnes, & duce ac signifero Michaële, Archangeli, Angeli stabiles, beati & fideles contra luciferum & complices suos potenti virtute decertant. Non quidem armatura materiali, sed suæ potentiæ libera applicatione per volitionem efficacem. Tum demum luciferi superbiam videre erat, quæ in iram furorémque & insaniam conuersa est, & in odiũ Dei vehementissimum, sibi quippe iure naturalis conditionis debitam existimabat dominationem & gloriam, quam intuebatur non solum sibi eripi, verumetiam contumeliosissimè & vilissimè per Angelos quibus se prætulerat impugnari, irremediabiliter deijci. Propterea Deum & sibi inuidere & acceptatorem personarum esse, crudeliter & iniquissimè secum agere furibundus & insaniens acclamabat, aliisque ita persuadere conabatur, quorum plurimos habuit in suam euntes sententiam, & in Deum simili iracundia debacchantes & exardescentes, qui prius in parem cum eo superbiam prolapsi sunt. Ob hoc dictus est tertiam stellarum traxisse partem cauda sua, Michaël verò & Angeli eius eos sic furentes ac sæuientes & insanos rapiunt, deturpant, concutiunt & breui momento per immensos ætheris tractus in aërem hunc caliginosum præcipitant & obruunt, irreuersibiliter equidẽ, quia à statu viæ, meriti & pœnitentiæ eiecti sunt. Hoc enim fuit in eis casus secundum Damascenũ, quod in hominibus mors est. De quo casu dicitur vbi prius, quomodo cecidisti lucifer, qui mane oriebaris? Et veritas in Euangelio Lucæ decimo. Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Hoc modo in finem tractum est bellum, quod monitionibus inceptum, viribus consummatum est. De quo in themate. Factum est prælium magnum, &c.

Prætergressa thematis diuisione, quæstionibus insuper plurimis ex his quæ dicta sunt ortum habentibus, quarum aliquas ex toto supprimã, alias pro collatione reseruabo. Libet hoc de Ecclesiastico schismate per modum declarationis inferre quæstionem. Itaque dictum est Angelos schismaticos postquam monitionibus Archãgeli Michaëlis acquiescere noluerunt, viribus fuisse deio-

ctos & spiritualiter enecatos. Quæstio est. An similiter in præsenti schismate agendum sit, vt schismatici & vero Papæ non adhærentes, viribus & bellis compescendi sint, & quia non corriguntur, mortibus exterminandi? Proponit hominū pars vna quod sic, ab altera contradicitur. Vtriusque verò argumenta subnectam non assertiua, sed tantummodo declaratoria recitatiuè. Igitur pars affirmans bellum, contra schismaticos fore nunc suscipiendum sic argumentatur. Frustra leges sanxerunt de hæreticorum & schismaticorum debellatione & oppugnatione si dum casus intercedit ille nequaquam exequuntur, sed dormiunt & impunitatem malefactoribus linquunt. Malefactores inquit, lex non patieris viuere, & quod est maleficium schismaticæ prauitati comparandū? quæ vnitatem optimum in rebus humanis bonum lacerat, rumpit & destruit. Etenim grauitati huius criminis attestatur seueritas suæ punitionis in Dathan & Abiron, quos absorbuit terra viuentes in infernum. Cætera quippe vitia vni vel paucis de politia tantum obsunt, schisma totam exturbat cōmunitatem siue exterius corporaliter per vulnera, per mortes, per incendia, per ciuitatum vastationes, siue interius spiritualiter per hæreses & infanda innumeráque animarum discrimina, fœcundissimum siquidem est Ecclesiastici schismatis malum, & vel hæresis extitit dicente Hieronymo, vel non sine noua hæresum conflatione & adinuentione perseuerat. Caueamus igitur quæso, ne indulgētia hæc nimia quam misericordiam appellauimus nos blando nomine decipiat, ne impunitas hæc & schismaticos in malo firmet, & non schismaticos in errorem traducat, & etiam in capitum pluralitate perpetuò monstruosam derelinquat. Hæc autem agere & hominibus parcere in Ecclesiæ religionis ac fidei detrimentum, non misericordiam credite, sed misericors quædā crudelitas & pietas est inpijssima. Satius itaque est aliquos fideles & Catholicos perire temporaliter, quam fide Ecclesiamve subuerti, si tamen Ecclesiastici & fideles dicendi sunt, qui ab Ecclesiastico capite se iunguntur, nec ab vllo vitæ spiritualis influentiam quomodolibet suscipiunt, non vera sacerdotia, non absolutiones sacramentorum, non reliquos actus Hierarchicos, quin potius tanquā ramus aridus, membrum putridum, ouis morbida & tanquam ethnici & publicani insectandi, repudiandi, fugiendíque sunt.

Cur ita? palam est ratio, quia Ecclesiam audire contemnunt, quia contumaci spiritu Ecclesiastici capitis vnitatem diuidunt, quia ad extremum veritatem sufficienter edoctam non agnoscunt, ita vt non plus excusari valeant à culpa suæ dubietatis vel incredulitatis erga verum Papam & canonicum, quam Iudæi erga verum Messiam Christum. Quare sic? successor enim Christi est eius auctoritate constitutus, quem qui spernit non cū, sed Christum spernit. Sed excusat eos vel ignorantia vel errans conscientia? minimè equidem. Quæ est ratio. Quoniam affectio peruersa errorē illum peperit, atque partum nutrit, cuius iudiciū apertum est, quia veritati totiens edoctæ & diligenter propalatæ durissimis animis pertinaciter contradicunt. Insurgendum est igitur viriliter ex aduerso contra hos pacis violatores, & bello forti dimicare conuenit vt veritas præualeat. A Felix erit mors quæ pro fide & Ecclesia suscipietur. Felix prælium quod pacem affert, felix demum vexatio & omni voluptate beatior quam imponit zelus domus Domini. Itaque si Michaël & Angeli eius non pepercerunt lucifero cæterisque sublimibus substantijs schisma concitantibus, quo minus in præcipitium mortis æternæ traherētur, si in schismatibus Ecclesiæ prioribus illi qui bellū suscepere famosissimi & Christianissimi celebrātur, si postremò apud omnes populos etiam in- B credulos, illi gloriosi nominantur qui seditiosos ciues bellis exterminauerunt. Non misericordia est, sed iners impietas & algidus irregularitatis torpor, par facinus seditionis, non similibus bellorum remedijs extirpare. Ac verò miserentur illis misereamur potius Ecclesiæ religionis & fidei. Compatiamur citius membris sanis quam perniciem contrahant, & ne virus alieni anathematis effundatur in ipsa, catenisque suæ maledictionis pariter alligentur tandem, fortè exhorrescimus remedij bellorúmque austeritatem, pensetur ingens C plagæ spiritualis periculum, & sanationem illius quamuis duram, quamuis asperam & acerbā fortiter æquanimitérque tolerabimus. Oculus enim qui scandalizat Christo imperante eruendus est, manus proijcienda, & Naso ait, immedicabile vulnus ense rescindendum est, ne pars syncera trahatur.

Sequitur partis alterius argumentatio schismaticos punire leges præcipiunt ad schisma tollendum, non ad augendum, vt præterea boni salui D fiant, non vt in communi peste iusti cum reprobis obuoluantur. Hæc autem sententia de bello assumendo, quid aliud ait nisi in vnum mortiferæ seditionis discrimē omnes Ecclesiæ partes impellere, nisi fontes cū insontibus, simplices cū doctis communi interitu, immo Italiā, Alemaniam, Angliā, innumerasq; prouincias ad Galliā subuertendā & è contra concitare. Nā pars vtraque de capite ecclesiastico rectam habere credulitatē putat, quod si in hanc eos adunaueris schismaticos fore bello submouendos, omnes illicò mutuis occur- E sare certaminibus aspicies, & iam non sub quo capite viuendū sit, sed an omnino viuendū sit dubitatur. Sanè experienda prius sunt omnia quā bellū cuius euentus varij sunt, & frequenter non tā iustitiæ ascribuntur quā potentiæ. Esto pars iusta vincat, in corporibus nihilominus error fixus hęrebit in cordibus. Præterea qui sentit aliter non satis videtur bellorū calamitates & incōmoda cogitasse, vilissimúque habet sanguinē licet qui Senecæ testimonio nunquā prodigè spargendus est. In bel- F lo hæc omnia insunt, euersio ciuitatū, prophanatio sacrorū, virginum stupratio, paruulorū in materno sinu strages, deuictorum aut miseranda seruitus, aut tractatio ignominiosissima, aut crudelissima interfectio, in victoribus autē superbiæ & sæuitiæ execrabilis impietas, & cætera plurima quæ cogitatu horrida, dictúq; incōprehensibilia sunt. Cēsendum ne igitur pro vnius hominis dignitate conseruanda, quæ pro salute cōmuni statuta est in tam certa populorū omniū tanquā multiplicata ruendū esse pericula? Quod enim pro charitate & cōmuni subditorū vtilitate institutū est, cōtra hoc ipsum militare nemo debet. Quis homo est adeò huma-

humanitatis vel hominum parũ habés, adeò durissimorum viscerum, qui non prius statum suum, quisquis ille sit, perdere in exilium ire, & si ita res exigat, æquo animo mortem perpeti mallet, quã ipsa contingere? Finge aliquẽ tanta dominãdi superbia captũ, qui non ita præeligat. Nunquid ille iã nõ solũ dominio, sed vita quoq; indignus, iudicabitur, præsertim vbi scandalis subditorũ animarũque suarũ periculis etiam vsque ad mortis susceptionẽ tenetur obuiare. Christi verbũ est facto firmatũ: Pastor bonus animam suã ponit pro ouibus suis. Alioquin crede sibi non pastor, non Dominus, sed mercennarius est, & tyrannus plerumque iudicandus. Tyrãnus verò ita tyrannus & nefandissimus sacrilegusque tyrannus. Nam cũ nihil aliud sit tyrannum etiã esse secundũ philosophum quàm dominationem propter se vel quæstũ occupare, in politiæ labefactionem perniciẽ quod subditorũ, tyrannis illa tantũ deterior erit quanto spiritualis politia quam alia quæuis extat perfectior. Hoc nempè dominationẽ rectam à tyrannide separat, quia illa inuigilat cõmodis reipublicæ, hæc proprijs. Sed tacita cogitatione quis forsitan interrogabit: Erit ne igitur schismatis huiusmodi perpetua duratio? nunquid de remedio prouidebit? Experta sunt omnia per quæ illud sedare spes erat, attamen crescit in dies in deterius altioresque radices agit, vnicum restat facti & belli remedium, quod si affertur de pacis restauratione actum est. Videndum est reuerendi patres, ne sermo iste falsus sit, vel an sermo iste verus sit quo dicitur, experta esse omnia. Primum sicuti tactũ est in omni schismate ante rationibus elucidari iustitia debet. Et sic pars aduersa cõfutari, antequã bellis cruẽtis & viribus impugnetur. Debuit idcirco ab hominibus famosis non suspectis induci pars contraria per rationes, tum iuris canonici & ciuilis, tũ multo amplius iuris diuini. Habet enim theologia tãquam architectonica, vbi aliæ deficiunt, supplere, vbi errant, corrigere, vbi obscuræ sunt, elucidare, vbi ambiguæ, interpretari. Qua in re manifestè damnabilis est Ecclesiasticorum illorum impudẽtia, qui hoc in negotio & cæteris Ecclesiasticum regimen tangentibus, ad eam recurrere non modo renuunt, sed vt inutilem ac viro honesto & Ecclesiastico indignam conspuunt, calcant, despiciunt. Amplius si hoc factum fuisse, nec tamen profuisse dicis, restabat inire vniuersales, particulares, vel tractatus vel conuentus prælatorum, vel principum sapientium, qui aut determinando, aut suadendo, aut obsecrando, aut inconuenientia enumerando ad pacem animassent, pacisque vias & nodos reperissent, ostendissent inter cætera pium pastorem & verum patrem posse vel debere consultius iuri suo vel clarissimo cedere quam luctuosissimum hoc schisma, & calamitosissimam Ecclesiæ diuisionem ac desolationem perpetuò sustinere. Plerumque enim subditorum infirmitas, ignorantia vel durities prælatũ facere quædam obligat, quæ alias sub præcepto nõ venirent, nec infamiam exinde sibi pareret sic renuncians.

Sed cum Cœlestino gloriam immortalem ac præclarissimam adipisceretur, & certè veriorem, diuiniorem & certiorem, quam huiusmodi dignitatis collatio siue retentio conferre valeret, quia hoc vel casuale vel facile vel alienum est, illud spontaneum, proprium difficile, ratissimum, maximè insuper charitatis, zelique verè paterni & pastoralis ostensiuum, immò & si profundè veritas inspicitur iustitiæ suæ elucidatiuum, nisi fortè dixerimus ineptè Salomonem iudicasse, qui veram matrem illam esse censuit, & ius ei dedit, quæ alteri filium integrum relinquebat, dicens: Date illi infantem viuum, nec diuidatur. Sed occurrunt hoc in loco plurimi cum subsannatione & stomachatione, dicentes: Ita ergo dominium nemo securè, nemo tranquillè, nemo stabiliter obtinebit. Ideo nunquam pro patriæ libertate & regali iure bellum suscipietur, quia videlicet ad primos hostilium præliorum aut violentiarum insultus dignitas sine bello deserenda est, & hæreditas sub alieno relinquenda Domino, quod dicere quid aliud est, quam ad dominia passim inquietantia, turbantia & rapientia homines nequissimos inducere? At verò attendendum est referre plurimum vbi de temporali ac hæreditario regum iure quæritur, & vbi de spirituali ministerio, non hæreditario solàque electione validato disceptatur, vbi etiam materialem gladium potestas exigit vel spiritualem, vbi denique subditi non ex certa malitia, sed ex iuris vel facti ignorantia se diuidunt, & fit magis scandalum pusillorum quam Pharisæorum, datum scilicet magis quã acceptum. Secus esset vbi ex euidenti proteruaque malitia, absque iuris rationisve colore quodlibet dominiũ quisquam vsurpare, vel ab eo se ipsum abducere moliretur, quemadmodum in schismatibus prioribus contingebat. Nunc autem res sic quibusdã in obscuro latere videtur, vt eo quod facti est vtrique concesso, maximè iurisperiti, de eo quod iuris est, quasi ex æquo variantur. Dicit vna pars, non fuit metus cadens in constantem virum, & si fuerit, non mentiri tamen oportebat, sic nec peccare, si mentiri non oportebat, consensus interfuit, si consensus interfuit, valida fuit electio, esto, tunc non valuerit metu impediente, ratificata tamen extitit per consensum sequentem liberum, signis quam plurimis sponte monstratum, & à tota ferè Ecclesia communi voto susceptum ac firmatum. Pars altera vt prius, non fuisse cõsensum affirmat, & si fuerit metus, eundem extorquebat. Ob hoc non plus ad electionem validandam quam ad matrimonium copulandum constat valuisse, quia etiam electionis conditio citra metum, fauorabilior est quam matrimonij, quia nec per sequẽtem consensum ratificari potest, nisi tota solennitas & & electionis series iteretur.

Sic ad vtrumlibet à diuersis variè iactãtur sententiæ: & quis nesciat hanc doctorum ambiguitatem & varietatem in excusationẽ plurimorũ operari, vt neque schismatici, neq; extra salutis statum dicendi sint? Ideo nec prælijs inquietandi, etiã si veritas hæc de necessitate salutis credenda reputaretur, vel nunc credenda reponi, super quo ambigunt nonnulli sufficere, dicentes vt verũ Ecclesiæ caput Christus agnoscatur, confiteatur & colatur, qui est summus pontifex noster & æternus, secundũ Apostolum ad Heb. 7. & si æternus, alij non tam summi pontifices propriè dicendi sunt quã summi pontificis ministratores, secundũ glossam ibidem. Ecclesia porrò acephala esse nõ po-

test, quod fieret sede vacante, nisi Christus esset pontifex noster summus & æternus. Præterea enim constat quod pontifex summus nemo credendus est de salutis necessitate vel fidei si in electione sua defectus vndequaque contigerit, vtrum verò vllum in electionem huiusmodi incidisse defectum fide tenendum sit, viderint qui aliter senserint.

Ordinis enim potestatem in ritè ordinatis sacerdotibus existere, expressius & concordius fide tenendum conceditur, quam de potestate iurisdictionis in pontificibus. Attamen vtrum iste vel ille potestatem ordinis obtinet, qualiter ad fidem spectet, videre perfacile est. Adijciendū est, quod à pertinacia vacant partis aduersæ quamplurimi, parati semper veritatem fateri, & quando per Ecclesiam, aut aliter in lucē posita fuerit, agnoscere, schismaticum autem sicut nec hæreticū absq; pertinacia non dicimus. Quo pacto igitur contra illos qui neque schismatici, neque extra salutis statū existunt, nec ecclesiā audire contemnunt, prælīū suscipietur? Cur effundetur sanguis innoxius illorum quibus fidelium cōmunio nō negatur? Principes enim cū principibus, populi cum populis in matrimonijs cæterisque actibus polliticis vtcunque communicāt, quos omnes si excōmunicatos affirmaueris, in damnationis & anathematis batatrum totā fermè deijcis Ecclesiam. Quod si omnino bellum sumi oportet, illos primos inuadat, illos consumat, illorum viscera transfigat, qui neque schismatis neque pertinaciæ habent excusationem. Et qui sunt inquies? Vis scire, illi profectò qui remediare potentes & debentes, tam miserandæ dissensioni nō occurrunt nec obuiant, qui veritatem ne in apertum omnibus veniat, vijs talib⁹ qualibus impedire conātur, quibus nil tam odiosum est quam pacis nomen ipsis etiam barbaris nationibus venerādum. Qui rursus peruersissimis exemplis à vera credulitate cæteros auertunt, & perplexo scrupulosóque dubietatis vinculo conscientias hominum circumligari damnabiliter patiuntur. Vtinam si per aliquos tempestas exorta est, in profundum vt Ionas demergerentur, ne tota nauis voragine deperiret, & iuxta tritum vulgo prouerbium, exorbeat pulmentum qui confecit.

Sed hæc omittentes, dicamus postremò, quod vbi humanum deest aut defuisset auxilium, diuinum postulandum erat, & per orationes per ieiunia, per processiones generales, per humilem morum emendationem remedium à Deo suppliciter impetrandum. Sic egerunt qui dicebant: Cū ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros ad te dirigamus. Et aduersantia omnia prius examinanda tentanda quærendáque sunt quam prælium, quod Cicero magis beluinum esse dicit quam humanum, per quod non iustitia elucidaretur, sed augeretur firmaretúrque schisma, & gregem innoxium, cum noxijs par crudelitas absumeret contra præceptū Christi, quo iubet dimittendum esse zizaniam, ne triticum similiter euellatur, sed nec plaga ferramentis atrociter secanda est, nisi prius fomenta suauiora prorsus inefficacia esse compertum sit. Hoc non egit Michaël, qui Luciferū vsque post monitiones & viæ terminum non deiecit.

Hoc non egit Carolus magnus, cæterique imperatores Christiani qui non nisi manifestè pertinaces & incorrigibiles debellarunt. Hoc verò A Sillam fecisse non negamus, de quo apud Lucanum.

Excessit medicina modum, nimiúmque secuta est.
Qua morbi duxere manus.

Audistis reuerendi patres ratiocinatiuam super quæstione proposita declaratoriam controuersiam, in qua quid veritatis sit, non meum, sed aliorum sit iudicium. Hoc vnum pro mea sententia affirmo, tam diuturnam infelicissimi infaustissimique schismatis durationem, in maximam redun- B dare Christianorum verecundiam, atque in opprobrium ingens, indelibilémque infamiam eorumdem apud infideles. Et pudeat obsecro, pudeat quod regnum incredulorum, immò & dæmonum indiuisum est, & illud Christianorum nullo remediante, nullo recogitante, nullo opem ferente, scinditur, destruitur, desolatur. Et vtinā ô Michaël, qui specialis datus es Ecclesiæ custos, dux & rector, vtinam tuis aliquando auxilijs, tuisque intercedentibus meritis pacem habeamus, & Ecclesia similis sit non synagogæ sathanæ, sed cœ- C lesti politiæ. Vtinam veritas elucescat & vincat, vtinam conteratur draco ille antiquus & versipellis in cordibus hominum, cum sua dominandi libidine, quatenus in ipsis regnet ille qui vasa sua olim diripuit, & violenta voluntate deiecit, Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Collatio de Angelis.

D FACTVM *est, &c.* Draconi quem propheta factum esse ait ad illudendum ei, tunc illudimus, cum versutias eius, machinamentáque & prælia subdola per virtutem declinamus. Hoc autem vt nunc & olim fiat implorandum est illius auxilium, pro qua ad eum comminatus est Dominus, dicens: Et ipsa conteret caput tuum cōtriuit enim, quia nulli vnquam peccato subiacuit, nec originali quidem, alioquin caput draconis, initium videlicet peccati nequaquam contriuisset, quin potius serpens se virginis caput prius attriuisse & E conculcasse gloriari potuisset. Comminantique Domino quod Maria conteret caput suum, procaci mordacitate respondere valuisset, & ego cōteram prius suū. Quod à vestra credulitate procul absit, quatenus de ea piè sentientes, piā & nostris precibus exorabilem mereamur. Cui pro gratia Spiritus sancti impetranda præsentemus. Aue angelicum, dicentes: Aue Maria gratia plena, &c.

Factum est prælium, &c. Post pugnam angelorum duplicem factam in cœlo empyreo, dicere F pollicitus sum de eorum pugna atque repugnantia in cœlo aëreo vel Ecclesiastico. Et hæc ab angelis bonis contra malos exercetur, ipsis circa homines iugiter in opposita nitentibus, mali impugnant, tum falsis seductionibus incognitiua, tū violentis cruciatibus in executiua. Beati è contra iuuamen præstant in bonorum vel verorum suasione, ne erret cognitiua, & in violentiarum repulsione, ne executiua perturbetur. Et in duplicis huius puncti elucidatione speculatiua, magis quam morali stabit collatio, stilus quoque declarationis mutabitur in temperatum & æquale loquendi genus, vt & materia intelligatur facilius,

cilius, & pronunciationis difficultas euitetur, nec metaphoricis (vt fieri posset) translationibus multum vtar, prælium scilicet spirituale verbis prælio materiali congruentibus explicando, quia & prolixior essem & longè obscurior. Scire igitur primùm conuenit hanc fuisse creatoris nostri piam erga homines sollicitudinem, vt Angelos eorum doctores instructorésque institueret, dans vnicuique ab initio natiuitatis, etiam in vtero, secundum Bonauenturam, angelum sui custodem. Præficiens insuper singulis regnis ac prouincijs certos Angelos, vt Michaëlem olim populo Iudaïco, post hæc populo Christiano deputauit. Sic enim congruebat, vt per superiora & spiritualia ministrarentur inferiora, non solùm rationalia, quin etiam ratione carentia, quod Plato cōcessit, & Gregorius docet 4. moraliū. In hunc mundum visibilem inquit, nihil nisi per creaturam inuisibilem disponi potest. Quod figuraliter prætendebat somniata illa Iacob scala, Genes. 28. Ad homines verò specialior cura est, quos & docent & instruunt, sicut in omni tempore exemplis pluribus apparuit. Tempore legis naturæ, Abraham & Loth, de subuersione Pentapolis peccatricis, reuelationem per eos acceperunt. Lex scripta secundum beatum Stephanum, Actor. 7. in Angelorum dispositione accepta est. Ex quo videri posset, quod Deus à Moyse non intuitiuè tunc visus est, sed Angelus in subiecta creatura, personam Dei repræsentans: hæc tenet Bonauentura in secundo. Demùm tempore legis gratiæ, habemus de instructione beati Ioannis in Apocalyp. multis capitulis. Potest autem huiusmodi eruditio tripliciter fieri: Vno modo ex parte phantasiæ interioris: Secundo modo ex parte sensus exterioris; Tertio, ex parte virtutis intellectiuæ superioris. Quoad primùm modum, commouere interiùs phantasiam possunt Angeli, quatenus acuetur intellectus ad ea debitè & ordinatè cogitanda & rememoranda, per quæ vel deuotio augeatur, vel fides, vel prudentia. Quomodo enim fit in somno multiplex apparentia ad phantasmatum radiationem, & delationem, per fumos à stomacho euaporatos, ascendentes, descendentésque; non minùs Angelis est facultas per fumigationes talis modi, vel aliter per seipsas, phantasiam commouere: Ad quem modum reducibiles sunt omnes propheticæ reuelationes in somnis factæ, illæ præsertim, quæ sub inuolucro imaginum corporalium docebantur. Hoc modo in somnis doceri potuit Ioseph fugere in Ægyptum: Pilati vxor, multa pati per dęmones ad impediendam Christi mortem, secundum Rabanum. Sic Pharaoni per bouum imagines, Sic ipsi Nabuchodonosori per statuæ effigiem futurorum prænunciabatur euentus. Quod si nouerit quis inter hæc somnia & alia discernere, posset vtique secundum ea prophetare, sicut & Ioseph fecisse legimus, & Danielem. Hoc modo, dici potest somnia illa euenisse, de quibus Valerius libro 1. cap. vlti. plurima meminit. Potest verò & de die vigilando, tam vehemens esse & tam fixa talis phantasiatio, vt homo videre realiter ad extra putet, id quod intra præsentatur: & hoc plerumque fieri potest arte dæmonum, & si quantum permiserit omnipotens. Ad quod reducitur radix vna principalis magicæ

A artis, per quam sic hominibus illuditur, vt videre putent aliquando aciem armatam cum equorum multitudine, vt de Hellequinis famosa est apud vulgares opinio: aliquando tubarum clangores, aut mimorum gesticulationes, vt de quodam refert in epistolis Horatius audisse: Nunc aspicere choreas dominarum formosissimarum, quas fatales vocant: nunc regales apparatus cernere, & ita de apparentijs talibus, quas etiam in somno sentire contingit. Hæc causa est, cur imperitæ virgines quas assumunt magici, aspicientes ensem lucidum, vel tersum speculum, vel vngues, putant propter huiusmodi phantasiam interiorem,

B se in ense, vel speculo, vel vngue, videre imagines talis latronis aut rerum ablatarum, alioquin ab omnibus præsentibus similiter viderentur. Sic & de speciebus vocum, odorum, aut tangibilium contingere potest, vt per eas homo vigilans se audire, olfacere; vel tangere credat ea, quæ extra, neque olfacit, neque tangit, neque audit. Et quod tanquam ad veram obiecti præsentiam obinde lætetur vel doleat. Secundum

C hoc, assignari potest radix vna magicæ artis, de cruciatib⁹, qui per inuultuationes aut vota, scilicet per imagines cereas vel aliàs inferri perhibentur. Reducibiles ad hoc sunt vatum pythonicorum & gentilium diuinationes, quas non nisi furentes & mente alienati recipiebant: cuius furiæ causa esse potuit, fortis, vehemens, & inordinata phantasiæ commotio atque turbatio. Hoc patet sexto Æneidos de Sibylla, in Statij Achilleïde de Calchante, in Lucano de prælijs & pluribus libris. In sacris literis de Balaam, Numer. 24.

D Hoc modo saluari possent mutationes sociorum Vlyssis, & similes, de quibus historiographi & auctores famosissimi, sicut deducit Braduard. 1. parte cap. 1. parte 3. ex Boëtio, Plinio, Solino, Varrone, Augustino, Hieronymo, & cæteris. Dicerentur enim talia non secundum veritatem facta fuisse, sed dumtaxat apparenter modo dicto: quanquam non ignorem alios saluandi modos ab Augustino aliisque positos. Potuit subinde per Angelos, siue bonos, siue malos,

E Nabuchodonosori talis illusio contingere, vt se bouem putaret, & instar bouis per campestria errans, herbis vesceretur: quemadmodum inuenti sunt qui se gallos putarent, alij murilegos, alij lupos. Fuit & qui mortuum se crederet, nec ad comedendum potuit induci, quousque alter mortuum se fingens, coram eo cibum sumpsit. Nec contradico hæc aut similia per communem naturalium causarum vim & efficaciam, & cerebri & phantasmatum turbationem, & me-

F lancholicis & maniacis posse contingere, qua super re pleni sunt metaphysicorum libri, & super hoc magister Nicolaus Oresme, plurima disseruit. Sed quin dæmonum malitia plerúmq; se immisceat aut hoc operetur, nullo pacto negari potest, salua fidei integritate, & rationis naturalis probabilitate. Imò hoc negare, non aliter delirare est, quàm si quis ægritudinem neget per venenum aut excessiuum calorem fieri, quæ per ciborum indigestionem potest euenire: possibilis enim vterque modus est. Secundum prædicta, dæmones cognitiuam nostram impedire, turbaréque possunt, & ad turpia, obscœna,

& illecebrosa cogitanda traducere, & sic in illis phantasiam sistere ac figere, vt de alijs aut parum aut nihil recogitet, vt in amore Ero manifestum est. Bonis verò ad opposita peragenda, longè maior inest virtus & efficacior bonitas, quinetiam motus corporeos possunt ad tranquillitatem reducere, vt spirituum commotionem, & ebulitionem circa cor, quæ iræ causa est, sedare, & medullarum, sanguinis, lumborúmque calefactionem, quæ luxuriæ incentiuum & pabulum dat, refrigerare: proderit autem hoc plurimum, quia rectius exinde iudicium de agendis habebitur. Corporalibus enim motibus & dispositionibus diuersificatis, incredibilis (si non experta foret) sequitur iudiciorum circa agenda varietas: neque enim eadem iudicamus ieiuni & saturati, ebrij & sobrij, vigiles & somnolenti, irati & mites, algentes & calidi, quod in rhetorica Aristoteles non siluit: Et in hoc assignari vnus potuisset modus, per quem inducimur ad recta distortáve dictamina. Cognitiua namque potentia, non solùm de vero iudicat, verumetiam de bono, aliud autem esse bonum iudicatur secundum conformitatem ad appetitum, qui si distortus, corruptúsque est, non mirum distorta corruptáque sequi iudicia. Et hæc est ratio, cur à passionibus, practica iudicia vitiantur & corrumpuntur magis quàm speculatiua, quia in illis & veritas & bonitas, in istis de per se sola veritas inquiritur.

Per hoc soluitur quęstio, quomodo dæmonum superiores non insipientiores sunt, cùm sint deteriores in malitia, per quam mens excæcatur? Sunt enim in speculationibus & in prauis operationibus exercendis solertiores, acutiores & ingeniosores, quemadmodum gulosi circa ciborum delicatorum exquisitionem, & auari circa extorsiones pecuniarum, & opum coaceruationem. In iudicijs autem practicis & moralibus exequendis, maximè erronei sunt, insipientissimi, hebetatissimi, obtusissimi, dicentes bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras. Hinc est quod dominatio eorum, verè tyrannica est & corrupta, quia peiores & propriè insipientiores dominantur. Vtinam simile non esset in Ecclesia sancta Dei, vt non prędiderent, qui sapientes sunt vt mala agant, bene autem facere nescierunt, sicut de Gregorio.

Secundus modus nostram iuuandi cognitiuam per bonos, & disturbãdi per malos, est per immutationem sensus exterioris. Et hæc, vel ab intrinseco vel ab extrinseco: ab intrinseco siquidem, vt naturaliter etiã prouenit per humores in oculorum tunicis inclusos, quòd in aëre nigri quidem globuli vel rubei vel lucidi volitantes appareant: fit insuper vt res parua per certam applicationem multum grandis iudicetur: Item quod remissus sonus intensissimus, & res vna duæ videatur, & sic de pluribus. Perturbato enim aut variato sentiendi principio, iudicium sensus communis, plurimum & quasi incredibiliter variari necesse est, quemadmodum modicus in principijs error, in cõclusionibus est maximus. Fit & variatio ab extrinseco, propter diuersam obiectorum exteriorum applicationem, in ordine, in statu, in trãsportandi agilitate, vt histrionum mos est. Naturaliter quippe agunt speculum per certas speculorum situationes, vt in aëre imago videatur, quæcumq; A illis speculis latentibus obiecta est, siue hominis, siue galli, siue dęmonis. Nec negat Guilelmus Parisiensis & Bonauentura, fieri naturaliter, vt festucæ omnes vnius aulæ vel cameræ serpentes appareant: Innumeráque talia sunt, per quæ potest magica naturalis exerceri: adquæ omnia similiter aut mirabilius agenda valet Angelorum virtus, quos naturæ secretas vires cognoscere limpidius, constat, & applicare posse velocius. Nonnũquam verò sic visiua virtus, vel obiectorum exteriorum radiatio suspenditur per Angelos, vt homo præsentata oculis non aspiciat, patuit in illis qui in domum Loth irruere, & in alijs qui Elisæum perimere cupiebant, qui acrisia percussi sunt ab Angelis: sic fortè euenit cùm Iesus transiens per medium Iudæorum ibat. Sed & Angelico ministerio factum fuisse scriptura commemorat, quòd tres in fornace pueros flamma non exureret.

B

Instruunt rursus Angeli ab intrinseco, per sonoras voces sensibiliter in aëre prolatas, & hoc vel in alieno corpore vel in assumpto. In alieno, sicut C Angelus edocuit Balaam per vocem asinæ ab ipso formatam: Sic & per rationalem linguam ipsius Caïphę, videtur Angelus illam edidisse prophetiam: Expedit vobis vt vnus, & cæt. vnde & Balaam angelo cogente, maledictionem in benedictionem cõmutauit. Quocirca morale dogma colligitur, homines quandóque in deliberationibus vel electionibus, moueri specialiter ab angelo, vt dicant non quod volebant, sed quod Angelus Deo iubente dictauerit. Sic pueri vox, Am- D brosium; & lectoris lectio, Martinum in Episcopatum sublimauerunt; & pueri Danielis verbum, Susannam liberauit. Cæterùm probabile est angelico factũ fuisse ministerio, quòd Apostolorum linguæ omniũ genera idiomatum resonarent, vt ad literam verùm sit illud Christi, Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis, Spiritus inquam, diuinus principaliter, angelicus verò ministerialiter.

Ex quo aliud dogma sumitur, valere plurimum prædicatoribus vitæ sanctitatem, vt & efficacius E moueant, & fructuosius edoceant. Aliquando autem voces huiusmodi in assumpto corpore fiunt: patuit in Raphaële Angelo, qui pluries cum multis in hominis effigie loquebatur, nec alios decepisse ob hoc dicendus est, plus quàm figuratiuè aut parabolicè loquens, quia omnia quæ faciebat & monstrabat exteriùs, aliquorum figura erant quæ interius agebantur: sunt quippe in factis sicut in dictis, parabolicæ, metaphoricæ, ac figurales. Et hæc est ratio atque radix, cur F stratagemata in bellis licita sunt, & non mendacia, sicut Lucæ 24. de Christo legimus, quod finxit se longiùs ire, & quod nunc in hortulani, nunc in peregrini specie monstratus est. Hac virtute formatiua vocum vtuntur dæmones ad hominum seductionem. Loquitur itaque per simulacra aurea, argentea, lapidea, vel terrea, vt in illo capite, quod regnante Saturno componi narratur: Loquuntur & per energumenos, ita vt plurimæ voces in eodem simul hodie nonnunquam auditæ sint: Patet in legendis sanctorum, quibus studere Guilelmus Parisiensis vehementer consulit & hortatur. Loquuntur & in assumptis

in assumptis corporibus, siue illa sint ex aëre spissato faciliter collocabili, vt in nubibus ostëditur, sicut dicunt Bonauētura & Durādus, quamquam Guilelmus Parisiēsis, improbet, siue corpora illa cadauera sint recentia, à putrefactione, fœtore & decoloratione per eos custodita. Ad prædicta reducitur illa magicæ pars, quæ augurium proprio nomine dicitur, cuius exercitium est per garritus auium. Reducitur etiam diuinatio de futuris per omina, de quibus in Valerio. c. 4. primi libri exempla multa sunt: etenim omne secundum eum non fortuitè, sed diuina prouidentia constare creditur.

Tertius modus nostram instruendi potentiam cognitiuam est ex parte virtutis intellectiuę superioris, quemadmodum Auicenna. 9. Metaph. Guillelmus Parisiensis, Linconiensis, Oresme & aliorum plurimi posuerunt. Animam itaque secundū eos possibile est ab omnibus corporalibus vel passionibus sic abstrahi, vt videat non per inspectionem phantasmatum, sed per irradiationem & quandam spiritualem locutionem substantiarum separatarum, & hanc dicunt esse causam naturalem sublimium prophetiarum sine obscuritate & inuolucro apparentium. Etenim sicut mane dicebatur cum angelis suis tanquam liber lucidissimæ inscriptionis, si fuerit obiectus animę non impeditæ, nec peccatis absorptæ & depressæ, corporalibus quoq; nexibus non nimis astrictæ, legere poterit illud quod in libro hoc sibi fuerit præsentatum, & hæc in raptibus & extasibus fiunt. Præterea non negant ipsos dæmones hoc posse, sicut in phreneticis quibusdam & mente alienatis patere dicunt, qui secretissima aliorum peccata sic exprobrant & reuelant, quasi in libro ea perlegerint. Vnam quippe mulierem se talem vidisse Guillelmus Parisiensis testis est. Dum hæc accidunt, fit secundum eos quædam intimitas spiritus siue boni siue mali ad animam, qua hominis cor intrare dicitur, vt de Iuda proditore dicit euangelica veritas, quod intrauit diabolus in cor eius. Et quidam sanctorum prophetarum ait: Dixit inquit, angelus qui in me loquebatur &c. Ezech. 1. ca. Hæc quamquam essent, nullatenus tamen ipsi dæmones vel angeli animabus illabi posse conceduntur, quoniam alibi animæ, est substantialiter illic existere, dominanter eam possidendo, & causaliter quoad omnes actus regulando vel regendo, ita vt ex ordine causali & habitudine ad animam, habeat illabens eam vertere ad quemcumque actum voluerit, hoc autem solius Dei proprium est. Amplius verò quidam sic dicentes, differentiam assignant inter assistentiam dæmonis & angeli boni. Dæmones in principio transfigurantes se in angelum lucis, malitiam suam obtegunt, & consolationē & placiditatē quādam animabus ingerūt, sed tādem eas relinquūt desolatas, & præ contrarietate ac inimicitia sua patefactas, ita vt horror quidam & deformis turbatio in facie & oculis perpetuò remaneat. E contrario angeli boni quendam ab initio horrorem ingerunt, non abominationis, sed vehementis admirationis reuerentiæ & stuporis, dum infra limites suæ paruitatis animæ quodammodo resiliunt & contrahūtur, in fine autem consolatas eas linquunt, ac mira suauitate & placiditate refectas, adeò vt eas quadam naturali amicabilitate ad se trahāt, & fiat extasis siue raptus, & quædam corporis derelictio.

A Per hunc tertium modum saluarent isti fortassis nō solum prophetias propriè dictas, verumetiam instinctus quosdā prophetiæ satis vicinos qui per sensum naturæ induntur siue iudicantur, vt quod mulier aliquando amicum suum per duo miliaria distantem præsentiat, & quod in camera nequeat sic occultari, quin cognoscat quod altera mulier ad præsentiam mariti non visi nec auditi, caduco morbo statim decidat, quod cæcus miles à natiuitate in bellis enses aduersariorum & ictus cautè

B euadat, & similia multa, qualia contigisse refert Guilhelmus Parisiēsis in suo de vniuerso, & aliorum plurimi. Quis etiam non videat mirabiles animalium, & quasi sapiētiales industrias, immo & propheticos quosdam instinctus in canibus venaticis, hirundinibus, formicis, araneis, vulpibus, simeis & apibus. De quibusdā apibus quarto georgicorum Virgilius, postquam elegentissimo carmine earum industrias descripsisse, ait:

His equidem signis atque hæc exempla secuti,

C *Esse apibus apertè diuina mentis & haustus,*

Æthereos dixere. Et ad hoc induceretur illud philosophi xij. metaph. quod natura agit tanquam rememorata ab intelligentia vel agente infallibili. Cui consonat illud quod à Gregorio 4. mora. allegatum est. Hunc verò tertium modum cum sua imaginatione tota, si de potentia naturali & non miraculosa intelligatur, negat doctor subtilis 2. & 4. sen. Dicit enim in ista vita præsenti generaliter esse veram illam Aristotelis propositionem. Ne-

D cesse est quemcunq; intelligentem phantasmata speculari, sic quod anima absq; miraculo speciali, non nisi per conuersionem ipsius super phantasmata, & non per conuersionem ad lumina superiora suam formare potest intellectionem. Vnde 4. sen. di. 47. dicit Auicennam hunc modum confinxisse ob reuerentiam Mahometi, qui epilepticus erat, & eo tunc angelos loquentes audire mendaciter confingebat. Si inquit iste modus cognoscendi daretur, tunc quanto somnus profundior, tanto huiusmodi reuelatio crebrior exi-

E steret, in epilepticis etiam omnibus euenire videremus, quæ falsa sunt. Quoniam aut miraculosè prædicta ab angelis bonis fieri possibile sit, neminem qui scripturas legerit ambigere suspicor, præuident enim rerum euentus & naturales, & plerumque miraculosos, tam per naturalem habituū scientialium infusionem, quam per cognitionem in genere proprio à rebus intuitiuè obiectis susceptam, quamquam huic vltimo Guillelmus Parisiensis & aliorum multi non assentiant, dicen-

F tes angelos tantūmodo per cōuersionem ad Deū vel superiora cognitionē accipere, sicut de intelligentijs. 12. Metaph. Aristot. & eius commentator tenere videntur.

Quod & hoc falsum esse deducit Scotus in 2. & 4. quia substantiæ istæ suis naturalibus derelictæ, non minus res naturales eis obiectas cognoscere possent quam bruta vel homines, quinimmo multo limpidius, facilius atque perfectius illas intuentur per intellectum, quam nos facere possumus per sēsum simul & intellectū, vt dedūcit Durād. 2. sen. & Ochā similiter in materia hac de cognitione angelorū & de animabus separatis

Hoc idem sentit Scotus.4.senten.vbi prius. Quomodo autem verum sit illud Augustini quod corpus non agit in spiritum, exponit Ockam similiter in secundo. Hæc cum ita se habeant, possibile & rationabile est Deū statuere, vt ab angelis beatis sancti homines ac prophetæ quandoq; diuinitus interna locutione intellectualiter instruetur, vt Maria & Ioannes euangelista & baptista virgines, & è contra forsan nonnulli hominum nequissimorum sic à dæmonibus possidentur, sicut de antichristo dici potest, quem aliqui dæmonē incarnatum fore probabiliter aut possibiliter existimant, quod apparentissimè trahitur ex itinerario Clementis, ex verbis Petri de Simone mago, & huius possibilitatem tenet Augustinus. Audiuimus igitur reuerendi patres, qualiter circa cognitiuam hominum potentiam præliantur angeli boni cōtra reprobos, similibus armis siue modis, contrarijs tamen finibus, vt instruāt boni, mali vt seducāt, quamuis enim vera quædam aliquando pronunciēt, hoc fit vt fallant licentius. Propterea Christus eos loqui prohibuit, & se per eos nūciari: Luc. 4. & Mar. 1. multa enim miscent vero falsa, ambigua amphibologica & perplexa, quod in oraculis Pythij Apollinis ait contigisse Cicero vt est illud: Credo te Æacida Romanos vincere posse. Hominum idcirco per eos scire secreta volentium, hic euentus est, miserabiliter decipi, iustissimè equidem, quia hosti se fallacissimo, & patri totius mēdacij commiserūt, & ipsi qui anathematizatus est, communicauerūt, eidem per extrinseca signa, vt characteres & verba, sacrificantes, ab hoc enim inducuntur relinquentes omnipotentissimum, misericordissimum & veracissimum Deum, quasi minus iuuare possit & velit quam dęmones, quasi præterea non sapiētiores sint angeli sancti, & ad hominum instructionem proniores, instructionem loquor, non curiosam atque sacrilegam, sed salutarem, & de rebus ad virtutes felicitatémque spectantibus. Offertur circa prædicta quæstio non parum difficilis, & rarò à doctoribus satis explicata, & est: Qualiter diuinationem & doctrinā quæ fit per dæmones, ab illa quæ per angelos sanctos ministratur, distinguere poterimus, hoc est quærere: Qualiter veram per angelos prophetiam à diuinatione per dæmones distinguemus? Nec putare oportet hāc quæstionem nouam esse. Mouetur enim Deut. 18. quod si inquit Moyses, tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum quod locutus est Dominus. Sequitur responsio. Hoc habebis signum, quod in nomine Domini propheta ille prædixerit & non euenerit, hoc Dominus locutus non est, sed per tumorem animi sui propheta confinxit. Istud verò nequaquā videtur satisfacere, nam & futura quædam sicut per diuinationes dęmonum prædicta sunt eueniunt, quod conceditur Deut. 13. Et prophetica denunciatio quandoq; caret euentu, patuit in Iona respectu Niniuitarum, & in Esaia respectu Ezechiæ: Esaiæ 38. Et redderetur quæstio longè difficilior, si consideremus quasdam reuelationes diuinas prima facie dictamini diuino ac naturali contraire, vt quod Abraham proprium filium innocentem immolaret, quod Ozee propheta faceret filios fornicationum, & quædam similia, ad quę dęmones solēt idololatras alicere, & illa ab eis per diuinationes suas fallaces extorquere. Pro cuius dissolutione quatuor assigno verarū prophetiarum conditiones, quæ non ita dæmoniacis pronuntiationibus conueniunt. Prima. Nullus angelorum sanctorum siue prophetarum esse quicquam futurum prænunciant, quin veraciter futurum sit in sensu quem ipsi vel spiritussāctus intendebant, sic non est responsum dæmonum, quia & fallunt & falluntur. Et hæc conditio habetur vbi prius Deute. 18. non tamen sufficit, ideo ponitur, quia ita dicerent alij. Secunda conditio. Si idipsum quod angelus vel propheta prædixit, non eo modo quo vocaliter prętendebatur eueniat, super hoc prius à spiritusancto reuelationem accipiet de prophetia aut reuelatione sic vel sic intelligenda conditionaliter, mysticè vel illiteraliter. Patuit in Iona & Esaia, de quibus fiebat argumentum, ob hoc perimi non debuerunt secundum legem diuinam Deut. 13. Hanc differenrentiam vel conditionem assignat dominus Antissiodorus in primo summæ, in materia de prophetijs & de lyra. Tertia conditio. Nihil bonis moribus aut synceræ fidei contrarium angeli sancti vel prophetæ veri prædicant aut præcipiunt, neque enim immolatio Isaac Deo iubente ac dispensante fuisset illicita. Hæc conditio habetur Deut. 13. Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium præuidisse se dicat, & prędixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, eamus & sequamur deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis, Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester vt palam fiat vtrum vos diligatis eum an non, in toto corde & in tota anima vestra. Quarta conditio est. Reuelatio angelica siue prophetica super aliquo quod bonis moribus obuiaret, nisi diuina interueniret iussio siue dispensatio, aliter circunstantionata est aut esse debet, quod de ea reuelationem accipienti dubitare non liceat, tunc enim maximè locum habet illud. 1. Ioan. 4. Probate spiritus si ex Deo sunt, sicut beatum Martinum & aliorum plurimos fecisse legimus. Et in hoc casu debet homo habere distinctionem spirituum, vt dicit Holkot in 3. vel facere quod in se est orando & se disponendo, & sic non permittet illum veritatis Deus in perniciosum errorem prolabi, sed vel à credulitate eundem absoluet, vel assensum reuelationis causabit in eodem immediatè vel mediatè, quemadmodum fecisse in Abraham Genesis decursus monstrat. Ex quo infero omnia miracula omnes reuelationes habendas esse suspectas, nec credendas facile vbi vel credendis vel bonis moribus obuiare videntur.

Propterea in sancti canonizatione mores & doctrina non minus spectandi sunt, immo magis quod prophetiæ vel miracula. Consequenter ostendi posset ex his necessitas theologorum in sacris litteris eruditorum, prælatorum verò eos spernentium damnatio, error, & vehemens contra eos de infidelitate suspicio. Ex his rursus colligi posset, quod miracula vel reuelationes valere possunt aut non valere, ad declarandum aliquem in papatu ius habere, sed hæc tetigisse suffecerit.

Plurima adhuc de modo & possibilitate nostræ infor-

informationis per angelicum ministerium dicenda erant. At verò ne prolixitati nimis indulgeam, primæ & principali nostræ collationis parti finem statuo, in qua visum vtcunque est de pugna angelorum beatorum contra malos, in hoc quod hi instruere, isti seducere homines enitūtur & fit prælium magnum in cœlo, in quo Michaël & angeli eius &c.

Altera nostræ collationis pars principalis erat ostendere prælium Michaëlis & angelorum eius contra draconem, in hoc quod alij violenter homines torquent, & executiuas corporis vires impediunt, per alios verò iuuantur atque roborantur. Quod enim se ita res habeat, & scripturæ testes sunt & experiētiæ innumerabiles, modi quoque scitu faciles sunt. Potest itaque de modo, si & quantum prohibitus non fuerit, homines in vegetatiua nutritiua, generatiua & motiua, per corporum alterationem sic indisponere, vt vel ægrotet, vel generare nequeat aut moueri. Bonis verò opposito agere tanto facilius est, quanto & prudentiores sunt in diuersimoda rerum naturalium applicatione, & diuino adiutorio pleniores. Iuuant quippe vires nostras corporales & motiuas tripliciter. Aliquando intra corpus, aliquando circa corpus, aliquando extra corpus. Intra corpus opem ferunt cooperando nutritiuæ vel motiuæ in suis operationibus, & vt medicæ artis peritissimi actiua passis ordinatè & congruēter applicando. Eorum insuper prouidentia nonnunquam cibus applicatur, siue per seipsos quasi insensibiliter, sicut fortasse Moysi factum est, qui ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & mulieri illi quę per triennium sine cibo & potu vitam duxit, siue per aues ferasque voracissimas, cuiusmodi sunt lupi & corui. Nam lupa Remum & Romulum, coruus eremitam Antonium nutriuerunt, vbi constat præter naturam horum animalium talia esse ministrata. Arcent insuper dęmones ne corpus opprimant vel suffocent vel torqueant vel quod aliquando facere occulto Dei iudicio permittuntur, vel ad humilitatem, sicut de quodam in Vitis patrum legitur. Et de Paulo habemus, quod ipsum angelus sathanæ collaphizauit &c. Vel hoc fit ad punitionem, quemadmodum illis contingit qui sordidissimis libidinibus carnis & in naturalibus abusionibus eius nimis immersi sunt. Hæc notant glossæ super illud Luc. 7. & Mar. 16. Maria Magdalena de qua eiecerat septem dæmonia. Sic & excommunicati in ecclesia primitiua dæmonis potestati subdebantur, habetur & notatur. 1. Corint. 5. Cæterum prouident angeli, ne dæmones prolem impediāt, vel hominibus sic illudant, & incubi fiant & succubi. Super quo apertissimum est in legenda sancti Bernardi exemplum, & in Britonum historia de Merlino. Vtrum verò patres dicendi sint dæmones puerorum exinde genitorum? Dicit Bonauentura in 2. quod non, sed illorum à quibus semina susceperunt. Moraliter attamen notandum est quod angeli non semper corporis incolumitatem præstant, sed illud in infirmitatem quandoque aut resoluunt, aut resolui patiuntur ad eruditionem, vt aduersitas reddat intelligentiam quam prosperitas furata erat, & illam deijciendo subleuet quam hæc eleuando subiecisset.

A Quē enim diligit Deus, corripit, & quasi pater in filio complacet illi. Et est haud dubium correctio præsens ex dono Dei maximo & miseratione copiosissima. Nam satius est per tēpestatem ad portum reijci, quam tranquilla nauigatione inter medios fluctus tandem absorberi, irato quoque Deo mali prosperantur, qui præsenti prosperitate lætantes, æternis deputantur supplicijs, quasi fures incorrigibiles, qui non verberibus corrigēdi monendiq; sunt, sed mortibus & crucibus exterminandi relinquuntur. Sensit hanc misericordissimam Dei virgam, vt piè æstimo, illustrissimus rex

B noster, ad suam (ita enim spero) & nostram vtilitatem. Sensit & eam egregius & beatus doctor Hieronymus cuius hodie vigilia festiuatur, qui dormiens, raptus seuerè interrogatus est, & verberibus cæsus, quia Ciceronis libros diuinis omissis, attētè nimis lectitabat, sicut scribit in quadam epistola. Nolo tamen exemplum istud ad hoc traducatis, vt abijciendos prorsus æstimetis infidelium libros, velut quidam falsè argumentari satagunt. Alioquin & ipse postmodum Hieronymus

C & Augustinus & Bernardus, & vt altius repetam, Paulus, Cyprianus, Origenes, immo (vt generalius extendā) omnes philosophantes, omnes legistę, omnes artistæ culpabiliter errauerunt, quod dicere intolerabilis est temeritas. Cū enim omne verum à quocunq; dicatur, à spiritu sancto sit asserere, quod neque rhetoricorum, neque philosophorum neq; poëtarum dictis veris studere, neque vbi res exigit, in sermonibus & exhortationibus allegare liceat falsum est, ne dicam temerariū,

D sanctorum insuper laudibus contrarium. Sāctos nomino, qui dicta sua totq; libros suos, cum tanta eloquij venustate & profunditate sententiarum, absq; gentilium litteris componere neq; voluerunt, neq; fortassis potuerunt. Quis prohibet ne Senecæ mores, ne Tullij paradoxa, officia, senectutem, amicitiam, hortensium, ne Boëtij consolationes, ne Aristotelis, Platonisque ethicam legam & similia? Potest vtique & poëtria & rhetorica & philosophia cum theologia & sacris litteris admitti vel misceri, quod & Paulus, Augu-

E stinus, Hieronymus cæterique maximorum fecerunt & adhuc faciunt. Modus attamen habendus est (fateor) vt illæ scientiæ non dominæ, sed ancillæ ministræque sint, sic quod theologiæ præcipuus honor, summa autoritas & frequentius studium à theologis semper impendatur, & hoc non satis sobrie beatus Hieronymus ipso teste tunc cū verberatus est, obseruabat, quia præ affectione Tullium sibi desipiebāt diuinæ legis libri. Secūdò auxiliantur angeli impedimenta abijciendo quæ circa corpus nostrum sunt, sicut à Petro cathenas

F angelus excussit, & ostia carceris non percipientibus ostiarijs aperuit atq; clausit. Sed de applicatione huiusmodi substātiarū spiritualiū ad corporalia, si quis interroget, respondendū est illam fieri per liberū velle suū & potentiā virtuosissimā. Queadmodū enim anima propriū mouęt corpus cui alligata est, nō aliter absque alligatione tali & sine adminiculo organorū atq; neruorū possunt angeli res mouere corporales, & eò facilius quò virtutē ampliorē habent & diuinę virtuti similiorem. Quomodo similiorē? in hoc ꝙ diuina virtus ab omni alligatione ad corporea sūmè aliena est.

Est itaque imperfectionis in animabus nostris vel brutorum, quod absque neruorum vinculis ministerio & certa colligantia membrorum ad inuicem atque harmonia debita corpus agitare non valeant. Quod si anima certè imperfecta corpus suum quod monti par est, motare potest, nimirum si angeli nobilissimæ substantiæ & virtutis montes ingentiáque pondera circunferre sufficiant. Quocirca patet modus quo Abacuck propheta in cincinno capitis à Iudæa breui momento Babilonem transuectus est, nec rumpebatur cincinnus, quia pondus corporis non ipse, sed angelus sustentabat, quomodo supra pinnaculum templi statuit dæmon Christum. Et ibi de eorum motu & locabilitate plurima possent inferri, quæ prætereo. Puto enim quod in angelis sit virtus sui locatiua, sicut & corporis motiua & sui, & illa est ratio existentiæ suæ in loco per liberam voluntatis applicationem, nunc in maiori, nunc in minori. Nouissimè tertiò iuuamē præstant angeli per debitā eorum quæ extra corpus nostrum sunt dispositionem, vt quemadmodum elementa temperant, & per eos salubres auræ fructus, sani pascua armentis non pestifera, & similia ministrantur. Nam & qualiter pueri inter tot infantiæ discrimina nisi eis agentibus conseruantur, ne vel in ignes ruant, vel flumina, vel ne terræ, allisi expirent, vel oppressi suffocentur. Contraria verò per sæuam dæmonum horribilitatem procurantur in fulguribus, epidemijs, tempestatibus, patet Iob.i. cap. Procurarētur frequentius, sed arcent eos angeli boni, abigunt, impugnant, repellunt & religant. Habemus nāque in sacris litteris de Raphaële angelo, quod dæmonem nomine Asmodeum, oppressorem virorum, Saræ religauit in superiora deserti Ægypti. Mirum autem est quæ sit vincula & carceres quibus ipsi qui corpora non habent, alligentur. Responsio, illa esse leges Dei fixas & infrustrabiles quibus statuit vt dæmones quandoque ad velle angelorum vel virorum sanctorum preces certis locis & corporibus sic assistant, vt inde non valeāt abscedere. At verò prætereundum non est hoc in loco Raphaëlis dictū quo perhibet iecur vel cor piscis cuiusdam, si super prunas ponatur & fumigat, valere ad omne genus dæmoniorum extricandum. Quod nunc in sensu hoc dictum probabiliter accipio, quod Deus in punitionem, superbiæ diabolicæ, eos non solum angelis quinetiam corporibus vilissimis subijci voluit, vt vel in illis incarcerentur, vel ad quorumdam præsentiam effugentur, sicut ad sonum cythatizātis Dauid, à Saül oppresso recedebat spiritus. Sicut ad appositionem lapidis cuiusdam in annulo ad nares dæmoniaci, quidam dæmonium expellebat, referente hæc Iosepho in de belló Iudaico. Sic & Origenes expressè ponit in homilia Leuitic, quod lectio vel prædicatio vel oratio scripturarum sacrarū dæmones incantat, sopit & diffugat. Vnde & Christus dixit aliquod esse dęmoniorū genus, quod non nisi per orationem ieiunio sociatam expellitur, vbi & orationis & sacræ lectionis & prædicationis virtus extollitur.

Accepimus igitur reuerendi patres quemquam arido ieiunóque sermone qualiter angeli beati in præsentis stadij præliatione nobis præstent auxilium, tam in cognitiua (vt collationis prima pars docet) quam in executiua corporali, sicut in secūda vtcunque narratum est. Sed ecce quamuis de angelorum conditionibus & beneficijs erga nos plurima, non dico repererim, sed ab alijs magna ex parte dicta, meo ordine, meísque verbis explicauerim, nihilominus multo plus plurima dicenda supersunt, adeò vt certè auida dicēdorum copia magis impedimēto mihi fuerit, quam inopia. Quot restant difficultates, quot speculationes altissimæ atque pulcherrimæ de eorum quidditate necessitate, loco, motu, cognitione, merito, confirmatione, obstinatione, numero distinctione, de multiplici actione in assumptis corporibus, de illusione malorum per beatos, de tentatione multiplici malorum & eorum superatione de collusione eorum & gesticulatione, de custodia & de deputatione bonorum circa diuersos status hominum Christum, Mariam Antichristum, de animarum nostrarum per eos delatione, (nam Lazarus per angelos in cęlum delatus est. Lucæ. xvj.) de assistentia & autoritate politiæ super ecclesiā, & è contra, de assumptione hominum ad eos, de multiplicitate, numero, distinctione, principatu & obedientia tam bonorum ad inuicem quā malorum inter se, cum superbissimi sint de conformitate ecclesiasticæ politiæ ad cælestem, & de ipsorum dæmonum nominibus apud magicos idolatras & poëtas? Sed ad tot elucidè tranctanda (quæ vel tetigisse prolixum est) insufficientes erant lingua, tempus, ingenium, propter sermonem coarctare, & perscrutationem de præmissis, vel inuestigationem ad scholas remittere cōgruebat. His idcirco cum thematis diuisione relictis, in angelica laude & nostri admonitione collatio finiatur. Gloriādus est reuerendi patres, gloriādus profectò & præcipua gratáque sedulitate venerandus Michaël Archangelus cum tota cælestis exercitus politia atque militia eos namque (vt præmissum est) doctores habemus & strenuos protectores contra draconem, qui rugiens circuit quærens quem deuoret, obinde eos castra Dei Iacob appellauit. Genes. xxxij. Oratores præterea habemus artis rethoricæ petitissimos, qui pro nobis apud Deum iugiter interpellant. Propterea obsecro non frustra esse patiamur eorumdem auxilia, neque ita malè agendo improbè reijciamus, pudeat ipsis videntibus turpia obscænáque peragere, à quibus homine inspiciente cessaremus. Si tentatio surgit, si periculum immineat, ad illos conuertamur, illos inuocemus, mihi credite, non deerunt, nec deserent, tantummodo ne nosipsos priores deseramus, & tales esse studeamus qui iuuari mereamur. Placeat nobis ipsorum iocundissima familiaritas qui nos actusque nostros obseruant, & beneactis gratulantur, qui quāuis Deo (qui eorum locus & cētrum est) semper assistant per cōtēplationē, nihilominus omnis administratorij spiritus sunt in ministeriū missi, secūdū apostolum. Dūmq; inferius nobis obsequūtur, obinde artem suam, regulā atque lucem, quę Deus est, non minus, immo profundius intuētur secūdum imaginationē Augustini in hac materia. Diligamꝰ igitur eos & diligentes imitemur, & non superbissimos illos apostatas in quibus est teste Dionysio, phantasia proterua, concupiscentia amens, furor irrationabilis. Proteruiunt enim dum

cognit

cognitæ veritati obuiant, & eam impugnant homines seducendo per phantasticas siue sophisticas apparitiones amenter concupiscunt, dum res maximè sibi nociuas, vt peccata ex quibus pœna augetur, appetunt. Denique irrationabiliter furiunt, dum contra Deum beatosque irascuntur, & præfuria quælibet etiam bona in malum sibi vertunt. Quamobrem enitamur ab eis quam dissimiles existere in actibus, ne pares inueniamur in cruciatibus, quia si Deus eis tam sublimibus perfectisque non pepercit, nec certè nostri miserebitur, si in tremendas eius manus horrendumque inciderimus iudicium. Postremò rogemus vt contra draconem eiusque versuta prælia sic angelorum auxilio vtamur in terris, quod de eorundem consortio gaudere mereamur in cœlis: præstante Domino nostro Iesu Christo. Amen.

SERMO DE CIRCVNCISIONE.

Postquam consummati sunt dies octo vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus. Luc. 2. Vereor ne vt loqui cœpero, vetus illud prouerbium intro vos agitetis: Medice cura teipsum, & audire cum cæco nato merear illud Ioan. 9. Tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos? sicque è templo eijciar, habet itaque laudem suam fortésque ad bonum stimulos, illiterata etiam infacundáque virtus, vox verò quamuis eloquentiæ accuratissima arte blâdiens & sonora, si virtutis desit opinio, inefficax est & derisui contemptuique proxima, quoniam vt satyricus ait:

Quis tulerit Græcos de seditione quærentes?
quin melius:
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

At mihi hanc obsecro tollite sollicitudinem, & quid dicam, non quid viuam inspicite, atque vt circuncisus hodie Iesus ab obdurata induratione nostræ mentis aures circuncidat meas, præsertim ne vt vocalis echon & æs tinniens, sine sensu vel auditu loquax inueniar, matrem misericordię deuotè salutabimus: Aue Maria. *Postquam consummati sunt &c.* Euãgelicam præsentis celebritatis lectionem à capite libri repetere, quoniam pauca eius verba sententiarum multiplicitate grauida sunt, & quemadmodum ex paucis paruisq; granis surgit ampla seges, sic copiosa ex eis si terram bonam inuenerint, accrescet eruditio. Iam itaq; misericordia pro captiuati hominis liberatiõe imploratura è terris in cœlum ascendens, ex opposito auté & effectum ad contrarium è cœlis descendés, veritas sibi obuiauerant. Iamq; iustitia & pax fuerant osculatæ, cum ex earum osculo veritas de terra orta est vnigenit⁹ videlicet Dei filius, quẽ celeberrimo natalis sui die synceriſsima ac integerrima parturijt virginitas, paupertas alieno natum in loco pãniculosis fascijs inuoluit, eundem in præsepio reclinauit profundissima humilitas, quẽ anteà fortis vt mors dilectione è sinu patris in signũ virginis declinare compulerat. Postquam verò consummati sũt dies octo. Prima hic oritur quæstio: Quo die, quove tempore consummatio hæc facta est? Illo quippe die qui apud caput orbis Romam celeberrimus habitus est, & qui anni præteriti finis A sequentis autem statutus est initium, & ne curiosæ vanitati deesset superstitio sacrilega, mõstruosum quendam sibi finxere Deum, cui duas frontes vt inuerecundior ac impudentior esset, totidemque facies ascripsere, de quo die ad literam Fastorum descriptor Naso ait.

Prospera lux oritur, linguis animisque fauete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die,
Lite vacent aures, insanaque protinus absint,
Iurgia, differ opus liuida turba tuum,
Salue festa dies meliorque reuertere semper, B
A populo rerum digna potente coli.

Hæc si ad execrandos gentilium ritus spectes impia prorsus & falsissima sunt. Si verò ad veræ religionis cultum, vtique verissima, quoniam octauus dies celeberrimus atque sanctissimus, Leuit. 23. Optima igitur dies hæc fuit, qua non temporis modò sed totius rei præpotens initium effulgeret, vt suis radijs ab hominum mentibus tantæ dimouerentur insaniarum tenebræ & prophanos C sceleratósque gentilium ritus pia sacráque religio protinus effugaret. Exercebantur enim apud eos ludi si tamen ludi dicendi sunt, horrenda auditu, visu fœda, indignáque relatu spectacula. Præterea decuit vt abiectus ille bifrons Ianus & in risum versus, cederet vero Deo, qui non duas tantummodo partes intuetur, sed vbilibet secũdum prophetam respicit in cœlo & in terra: in mari & in omnibus abyssis. *Postquam consummati sunt dies octo, &c.* Tunc. s. cum inclita consuetudine homines mutuis salutationibus ac imprecationibus & mutuis sese pręueniunt encœnijs. Vnigenitus autem D Dei filius in similitudinem hominum factus, ad Philip. 2. Hodie nos benedictissima carnis suæ incisione encœniauit, donũ profectò maximæ charitatis indicium, & neq; auro, neque gemmis omnibus comparandum. Nec vacat aut frustra est, quod tempore hoc aquarij signum sol permeat, quod quid aliud est quam Christus ex vrna pietatis gratiarum fluenta in homines effundens? Deducam inquit, imbrem gratiæ. s. plenitudinem in tempore suo. Ezech. 34. *Postquam consummati sunt dies octo &c.* Quisquis naturas rerum sedulò per- E pendereț, vt hodie annus cursum, ita nos temporalem dici possumus inchoare vitam, cuius communis periodus vicibus duodenis vt annus totidem mensibus transmutatur. Quemadmodum nempe annus & gelu & pruinis incipiens, paulatim per menses ad feruidum calorem & abinde in torpidam rursus hiemem progreditur. Non aliter infans ab algida & inerti infantia per senarium annorũ sensim vires, acquirẽs ad viuidum ac æstiuũ F virilitatis robur prouehitur, in gelidam subinde senectam sensim & vt Naso ait, sine strepitu relapsurus. Venit igitur hodie Iesus, vt in peregrinatione nostra, per quam in ciuitate ac non manẽti futuram inquirimus, se ducem esse monstraret, & nominis susceptione salutarem omni ætati dans congrua ad terminum adipiscendum monita, & salubres per quas gradiendum est carpere semitas edocens contra insanarũ æstus cupidinum, contra durissima acediæ, auaritiæ, ac infidelitalis hiemem diuerticula & recessus prouidens tutissimos. *Postquam consummati sunt &c.* Consummatum verbum seu consummatio abbreuiata quæ

inundabit iustitiam. Esa. 10. Consummatos circũcisionis dies expectauit. *Postquam consummati sunt* &c. Consonat euangelicum istud ibi quod ad Abraham iussit Deus Genes. 17. Infans octo dierum circuncidetur. Sic legis institutor (vt dici solet) ad vnguem legem pertulit, eiusque obseruationi suus conditor sponte se submisit. *Post.* &c. Temporis hæc præscriptio & teneritudini consulebat infantium & prouectioris ætatis dolori prouidebat, ne insolidorum & penè lacteorum membrorum læsio mortem inferret, aut viuacibus & induratis dolor nimius causaretur. Sed in cœlesti ac prole an obseruanda fuit hæc cautio?

Videntur siquidem Hilarij verba omnem ab ipso Christo passibilitatem exclusisse, vtputa ab eo qui ne dolerent alij pluries effecit, & effecit fatemur, quamobrem non necessitate, sed vltronea voluntate: vt per omnia fratribus assimilaretur, ad Heb. 2. Vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra. Esa. 53. *Postquam* &c. *Octo dies consummati*, octo sunt beatitudines consummatæ atque perfectæ, numerus namque numero, & nomen nomini congruit, quoniam beatifica virtute nullus est dies lucidior, nullusque pulsis etiã nubibus nitidior esse potest. In nullo autem quam in Christo illæ beatitudines consummatius extitere, etiam ante ipsius circuncisionem corporalem. *Postquam* &c. Mysticè octo isti dies octo sunt anni quibus filij Israel tota.s. Adæ posteritas seruierunt Chusama sathaam regi, qui tenebrosa iniquitas vel nigredo impietatis interpretabatur. Qui postquam consummati sunt, clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem.s. Iesum & liberauit eos. Iudicum. 3. Sequitur: *Vt circumcideretur puer.* Verba hæc obligationem quandam insinuare videntur, sed opportunitatem & congruentiam vt circuncideretur Christus reperio, obligationẽ verò nequaquam, nisi fortassis hic aliquis arbitretur quod circuncisio originalis criminis labem expiabat. At hic prorsus ab eadem semper extitit alienus. An quia mater eius suscepto semine conceperat? Ad hoc respondebit, quoniam virum non cognosco. An demum quia circuncisio gratiam conferebat. At qui iste est, cui secundum apostolum ab initio datus est spiritussanctus, non ad mensuram. Cur ergo dictum est, vt circuncideretur? Certè ne Iudæis esset in scandalum, atque legem reprobare videretur, quam venerat consummare. Dico enim, inquit apostolus, Iesum Christum fuisse ministrum circuncisionis propter veritatem, ad confirmandum in nobis veritatem patrum. Ad Rom. 15. Vt præterea se filium Abrahæ qui primus circuncisione inobedientiæ maximè signum atque fœdus sempiternum susceperat. Genes. 17. demõstraret, illudque semen eius esse se doceret, in quo benedicendæ erant omnes gentes, Genes. 22.

Quatenus insuper humanitas eius hominibus nota esset & occulta dæmonibus diuinitas, proinde vt ex eius imitatione obedientiam humilitatemque conciperemus, ex beneficio autem tãto dilectionem, vt denique corpus ecclesiæ mysticũ, cuius Christus caput est, hoc cauterio sanaretur vt circuncideretur, vt.s. gelidissimo in tempore à Iudæis statueretur, & delicatissimæ carnis partem petra durissima duriter comprimeret, compressã crebro eius circunductione violenter laceraret & cum affluenti tandem sanguine ac dolore graui è corpore se moueret, durum opus per omnia. Vt circunciderétur edocere nos volebat Christus circuncidendos esse, non circuncisione manufacta, quæ est in expoliatione carnis, sed circuncisione Christi spirituali. Ad Coloss. 2. De qua ad Philip. 3. idem ait. Non enim sumus circuncisi qui spiritu seruiamus Deo. & Deut. 30. Circuncidet Dominus cor tuum & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum. Cuius circuncisionis figura data est Genes. 17. vbi iussus est Abraham circuncidere se & Ismaelem filium suum cum seruis empticijs & vernaculis suis. Abraham itaque multarum gentium pater, intellectus noster est, varias in se cognitiones parturiens. Ismael Domini exaudibilis, est libera voluntas nostra Deo nata obsequi. Serui verò emptitij & vernaculi, sensus nostri sunt intellectui ac voluntati ad seruiendum adhibiti. Intellectus rectè circũciditur, cum spissa ab eo ignorantiæ pellis lucidos eius obuoluens oculos, per fidei petram rescinditur, ignorãtia quidem est opprobrium Ægypti, quod per circuncisionem à Iosue factam tolli dicitur. Iosue. 5. Liberam voluntatem in nobis circuncisam dicimus, cum passiones amorem scilicet odium, iram & inuidiam quasi totidem pelliculas eam circumligantes per religiosè disciplinæ petram separamus.

Et hæc mysticè est mulier illa pulcherrima, de qua habetur Deute. 21. quæ antequam in coniugium circuncisorum venire possit debent ab ea primitus radi cæsaries vanitatis & superfluæ superstitionis, præscindi insuper vngues carnalis affectionis, & exui vestimentis superfluę cupiditatis. Sensus suos ad extremum circuncidunt, qui à motibus eos inordinatis & illicitis operibus cohibent, nec aliter debent in coloniam siue societatem circuncisorum venire, prout in veteri lege sancitum est. Exod 12. Multiplices autem seruos illos esse nullus ambigit. Sunt aures quæ circuncidendæ sunt ab abductione audiendi verba Dei. Act. 7. Dura ceruice & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper spirituisancto restitistis. Circuncidendi sunt oculi à vago lubrico intuitu. Vnde sanctus Iob: Pepigi fœdus cum oculis meis vt nec de virgine cogitarem. Est & os à vaniloquij consuetudine circuncidendum. Exod 6. Incircuncisus labijs ego sum. Est & tactus nequissimus omnium seruus ab illicita delectatione circuncidendus, de quo mysticè, Exod. 4. Tulit Sephora, quæ specularis interpretatur.i. ratio acutissimam petram, quæ est mortis recordatio, & circuncidit præputium filij sui.i. tactus, qui veluti filius à carnalibus diligitur & amatur. Vt inquam circuncideretur, conueniunt ecce parentes Iesu in tugurium vimineis stipulis cannisve palustribus adopertum, non erat ibi quærere circunstrepentes famulantiũ greges, neq; feruentẽ curiosa ciborum pręparatione popinam, nihil ibi ornatũ, nil insigne, nil splendidum præter Iesum, Ioseph & Mariam. Præstolabatur eos Ioseph in limine & officiosè aduentãtem quemlibet tremulis salutat verbis. Nouis assurgit hospitibus Maria & placido vt erat vultu ac iocunda fronte, eosdem quasi totidem Dei angelos recipit, salutat, veneratur, suam deinde ostentat prolem.

Videns

Videns certatim eos qui aduenerāt Iesum cupidis manibus attrectare, sibi blandiri, & defixis attonitisque oculis cœlestem faciem intueri. Mulieres præsertim videre erat, quarum figit hæc blanda genis oscula, arridet ei altera vt idipsum similiter arrideat, addit altera blanditias plures, blesa, murmura, dulcésque susurros, fuit quæ eum inter vlnas reclinaret, & ad vbera compressio eidem conniueret, oculis nutibusque loqueretur. Cæterum stupent omnes, admirantur. Laudant hi sydereos radiantésque oculos, os imperiosum atque serenum, alij viuidum, alij nitorem rubore permixtū, reliqui venustissimā corporis totius cōpaginem. Erat enim speciosus forma præ filijs hominū in Ps. Et vt de Adonide Naso ait. Formosissimus infans nec videbatur viri mortalis puer esse, sed Dei 7. Ethic. Primò singuli de eo singulas fecerunt sententias, de futuris euentibus augurantur coniecturantque, & bona quisque secundum æstimationem suam, maxima eidem imprecatur. Non defuerunt qui aurum ei diuitiarumque aceruos, ac multos armentorum greges siue diues coniugium postularent, ab alijs omnes magistratus, potentia, incolumitas, vitæ diuturnitas, propiciaque fortuna. Qui verò altius consultiusque sapiebant mores claros, generosum animum, prudentiam, sapientiam atque sanctimoniam, Deum colere & iugiter venerari. Proinde ad parentes versi vt magnum de eo gaudium ipsis obtingat, vno omnes ore vnanimiq; exorant voto. His adhuc per domum volitantibus verbis, Maria paruulæ nutricis instar, ad focum solito grandiorem resedit. Reclinat in gremio collaudatum Iesum, & calidæ manus attactu nudatos refouet artus, virgineis eum vberibus allactat, & tandem pauperculis & neque auro neque serico contextis pannis subrigit. Post hæc suis manibus infantem in cuius intuitu paulisper immorata, eundemque exosculata suauiter, vt ad circuncidendum duceretur exhibuit. Suscepto Iesu domum exeunt quos Maria post in recliuis quoadusque licuit, non gressibus quidem, sed oculis secuta est, & poterat tamen profectò egredi puritas eius, sed humilitate detenta est.

Ita Iesus veluti imbecillis & firmo nondum pede calcare terram valens inter mortales vlnas immortalis effertur, & vt sordidus vt immundus, vt in delictis progenitus expiari perducitur; non pomposa aut longa magnatum circum se turba, sed paupere Iesum pauperes comitātur parentes. Ioseph quę pariter trepido passu recuruus incedens, & fessos præ senio artus baculo sustentans (mira res) illum quē angeli venerātur in cœlis, in terris positum, & angustos paludososque vicos transeuntem, homines sibi obuiam effecti aut dissimulant, aut fortassis via cedere non dignantur.

Cæterum introgressus templum, infans medijs in frigoribus super algidum altare nudus sistitur, hac illac collabuntur membra velut emortua vel languida, & parum roboris habentia, circumplectitur puer ad sacerdotis imperium. Porrò ipse qui vera petra est, per figuratiuam petram conteritur, decerpitur, & ab eo secatione violenta pars pellis extrahitur, tunc elisi trepidant nerui & latera, contrahitur caro, incisæ fibræ copioso sanguine

A defluunt, & læsus frigore pariter & vulnere, infans pias fundit lachrymas, & vagiens præterea clamat, cuius ad vocem languidi olim sanabuntur & resurgent mortui. Durum prorsus si innocentiam consideres spectaculum. Quamobrem ô fidelis anima, neque enim ad infideles & incredulas mihi sermo est, quoniam talibus obsurdescunt vocibus, fidelis inquam anima potes-ne regem tuum, ducem tuum, fratrem tuum, & si parum dico saluatorem tuum nudum, lacerum, cruentatum, lachrymis fusum siccis oculis intue-

B ri? Potes ne auribus obturatis & corde duro eius miserabiles excipere planctus? Pro se siquidem nil perpetitur hæc omnia.

Repende vicem fac saltem quod adulatorem solere Satyricus ait: Flet si lachrymas conspexit amici. Geme igitur & plora, & agnosce in hoc verbo, vt circuncideretur, acerbitatem cogita, charitatem humilitatemque considera. Disce amare disce pati, disce ceruicosam humiliare mentem. Nam quęso quid plus admirationis habet

C aut Deus flens ac gemens, aut respectu tam inæstimabilis humilitatis, patientiæ & charitatis, homuncio pauperculis, cibus & esca vermium, futurique incertus periculi, si asper, si elatus, durus, ingratus, Deo contumaxque perseuerat? Sed aspecta, parum enim erat humilitatem sacris ostendisse, nisi eam insuper nominibus adaugeret. Dicitur, vt circuncideretur non rex, non Dominus, non præpotens aliquis, sed vt circuncideretur puer. O nomen humile, quam precelsam tecum

D fers maiestatem. O immensa sublimitas quam exiguo pusilloque vocabulo contineres, vt circuncideretur puer. Deus optime quam contraria hic hominum insolentiæ modestia reperitur. Res itaque precio infinita extenuatur nomine, nos autem vilissima ac dedecora, & quod deterius est, flagitia nostra præclaris ac speciosis verbis honestare conamur. Quod si rerum veritas, non hominum fulgor inspicitur, compellemur exclamare illud Ecclesi. initium: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Idque Persij: O quantum est in

E rebus inane. Hos nempe quos reuerendissimos patres ac memoratissimos dominos, imperatores, reges, principes vocamus, si verè & propriè loquamur, quid aliud sunt quam spurcus stercorum saccus, fimus & spuma fragilis, & ante impetum ventorum leuis fumus, futurumque ni Deus auertat, gehennæ incendium? Ast illi quos prudentissimos sapientissimosque nominamus, qui etiam vt vanus ille orator Gorgias, nullius rei sibi deesse scientiam arbitrantur, ignorantes proculdubio dicendi sunt, in quibus si profundè in-

F tuearis, ignorantiæ plurimum, sapientiæ autem atque prudentiæ exiguissimum reperies. Non vacat omnia percurrere, omnium siquidem summa hæc est, nos speciositate nominum & falli & fallere. Vt circuncideretur puer, & verè puer purus, quia virgo, paruus, quia humilis, modico satiatus per abstinentiam. Ludens contra acediam, concordans contra inuidiam, & citò dāns contra auariciam, citò pacificatus contra rancorem inueteratum.

Puer, non similis illi de quo Esa. 65. Puer cen-

tum annorum morietur. Et illi de quo Ecclesiast. 10. Vae terrae cuius rex est puer. Quin potius puer erat ingeniosus, & sortitus animam bonam. Sap. 8. *Vt circunciderertur puer*, non poterat ad miserabiliorem exundantiorem erumnis omnibus, & alienae opis egentiorem aetatem Dei filius inclinari, nota est infantiae imbecillitas, cogniti dolores, agnitaque discrimina. Qua de re memorabile extat Augustini verbum: Quis non exhorreat & mori eligat, si ei praeponatur aut mors perpetienda, aut rursus infantia? Vides quam sententiosa breuitate Augustinus infantiae mortem praeposuit. *Vt circunciderertur puer*. Appello te Hieremia, de Christo enim in libri tui capitulo 31. protulisti: Nouum inquit, creauit Dominus super terram, foemina circundabit virum. Et ecce Lucas ait: vt circunciderertur puer. An est euangelista prophetae contrarius? aut vir similis aliquis esse potest atque puer. Sed aetatem sanè per pueri nomen euangelista describit. Hieremias autem in viro plenitudinem insinuat gratiarum. Audiuimus primum celebritatis huius mysterium, Christi videlicet Circuncisionem, nominis impositionem videamus. Dicitur enim: *Vocatum est nomen eius Iesum*. A quo vocatum si fortassis interrogas? Incunctanter respondebit euangelista: *Quod* inquit, *vocatum est ab angelo priusquam in vtero conciperetur*. Nam si Origini credas, non decuit illud prius ab hominibus efferri, sed ex quadam sublimiori excellentiorique natura vocatum, non quidem fortuito, sed ex supremae Trinitatis consilio, nec ex tempore tantùmodo, sed aeternaliter, quoniam ante solem permanet nomen eius, in Psalmo. Vocatum ad futuri euentus indiciũ, non ad exaltandum conformiter nominum generis sui memoriam, quemadmodum illi de quibus Psalmista: Vocauerunt nomina sua in terris suis, quoniam vt de Ioanne dicitur: Non erat in cognatione sua qui vocaretur hoc nomine. Vocatum & rectè vocatum, non vsurpatum, vt tyrannorum mos est atque ambitiosorum, diuina nomina vt penitus indebita temeraria praesumptione vsurpantium, quales in gentium populis quam plurimos legimus, & non tam litteris quam periculis & damnis nostris experimur. Vocatum, ideo est institutum.

Nam sanctificauit sanctos suos. Sophoniae 3. Et quos vocauit hos & iustificauit, ad Romanos 7. *Vocatum est*, nomen vtique nouum quod os Domini nominauit. Esa. 62. Sanctum & terribile, laudabile & excelsum, admirabile in vniuersa terra. Imprimis nomen sanctum summis etiam imperatoribus adorandum, quod nec daemonum obstinata pertinacitas, nec perniciosissimae sectae perniciosissimus autor Mahometus ausi sunt violare nomen angelica praecellens nomina, eos magis seraphin appellans, magis cherubin seu dominationes, thronos, virtutes, potestates, hoc excellentius est atque praeclarius. Mihi non credis? Audi apostolum: Dedit illi Deus nomen, quod est super omne nomen ad Philipp. 2. & ad Hebr. 1. Tanto inquit Apostolus melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditauit. Nomen praeterea quod nulla vnquam persequẽtium & toto malignitatis impetu saeuientium tyrannorum atrox rabies & impijssima crudelitas deijcere potuit, obruere vel delere, quoniam turris fortissima nomen Dei. Prouerb. 18. & bonum nomen permanebit. Ecclesf. 41. At è contra nomen impiorum putrescet. Prouerb. 10. Nomen ad extremum in quo surreximus & in quo erecti sumus in Christo, nomen eius. Placet hoc Origenis percontatio. Cuius eius? placet & eius respõsio illius qui in excelsis sine matre, & in terris secundum corporis susceptionem in sinu est matris, expressa est magna in vocationis modo dignitas, mira in nominis qualitate efficacitas, ineffabilis insuper in re vocata maiestatis sublimitas.

Sed quod est illud nomen tantae dignitatis quo ad primum, tantae efficaciae quo ad secundum, tantaeque sublimitatis quoad tertium, nondum specialiter apertum est, quin etiam me qui vir pollutus labijs sum. Esa. 6. Terret non negligenda apostolicae tubae sententia: Discedat inquit ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. 2. Thimoth. 2. Quamobrem me silente euangelista ipse loquatur, *nomen eius Iesus*. Exultent coeli, contremiscat terra, commoueatur mare, obstupescant abyssi. Et audito nomine Iesu, omne genu flectatur coelestium, terrestrium & infernorum ad Philipp. 2. *Nomen eius Iesus*. Expergiscimini veteres patres & inameni limbi incolę suspensis auribus quod euangelista dicat perpendite. *Nomen eius Iesus*, an auditis, an intelligitis? Intelligimus vtique & audimus, & hoc solum nomen est quod gaudioso pectore & litis frõtibus hucusque audire meruimus. Demissos igitur & moerore confusos & squalidos erigite vultus, exundantes lachrymis extergite oculos, & tanquam ad certum verae liberationis nuncium tripudiate, gratulamini & psallite. Cessent eruta ex imis pectoribus suspiria, sit gemitibus finis & tanquam voti compotes effecti, coelum & terram his amodo non pulsate votis.

Rorate coeli &c. *Nomen eius Iesus*. Exhilaresce tu qui perieras miserande homo neque enim iocundius, gratiusve nomen à seculis audire potuisti cum miseria tua equidem poterant alia de Deo nomina praedicari, nomen autem Iesus nequaquam, nam sine salute saluator esse non potest, nec Iesus sine saluatore. Tu captiuus es compedibus duris astrictus, constitutus inter tot externorum, domesticorumque hostium in te coniuratorum cuneos, fragilis, lassus, inscius & caecus per vias mundi huius peregrinans, vias verè deuias & Dedali labyrintho simillimas, ita est? anfractuosę sunt viae praerumptae, pęrcipites & lubricae, laqueis vbilibet ac latrunculis obsessae? Nomen igitur Iesu auidè audias, loquaris libens, cogites semper, dicque cum Psalm. Deus in nomine tuo saluum me fac. Idque 6. Æneidum.

Eripe me his inuicte malis.

Da dextram misero & tecum me tolle per vndas.

Sedibus vt saltem placidis in morte quiescam.

Nec peccatorum terror quo minus id agas te distrahat. Filius enim hominis non venit vocare iustos, sed peccatores. Lucae 9. *Nomen eius Iesus*, nominis huius dulcedinem gustauerat qui dicebat: Exultabo in Deo Iesu meo. Abacuch. 3. ac si diceret.

Exultent in opibus alij ac fructibus terræ, alij in altis sed præcipitibus & tremulis honorum fastigijs, reliqui in cubilibus & ebrietatibus, ego autem exultabo in Deo Iesu meo. Exultent in rebus pessimis, glorientur cum malefecerint, ducant in bonis dies suos, & sic ad inferna descendant. Ego autem exultabo &c. *Nomen eius Iesus*, ô Ægypte ipsum Ioseph propter frumenti in fame prouisionem lingua tua mundi saluatorem appellasti, sic enim legitur Genes. 41. quarto potius huic saluatoris nomen erit, qui non temporalis vt ille, sed spiritualis adipe frumenti satiat te, in Psalmo Iosue præterea non sine magni sacramenti mysterio Iesum nouimus appellatum, cuius singula penè gesta nostri Iesu figuratiua sunt, qui populum Israël ex horrida deserti solitudine circũcisis prius filijs Israël & triumphantis vsque ad consummatam interfectionem hostibus in promissionis terram fluentem lac & mel, primus introduxit, non poterat autorizatior historia, nec sensibus mysticis fœcundior nostræque materiæ vicinior adduci. Sed ad finem propero, & hac de re Origenis lingua eleganter super Iosue disseruit.

Alium lego Iesum filium Iosedech sacerdotem certè magnum, sordidis tamen vestibus indutum, Zachar. 3. At Iesus noster totus candidus est, & sacerdos est in æternum. Est alius insuper Iesus filius Sirach vir apprime sapiens, sapientiæque laudator magnificus, nostro tamen incomparabilis, qui vera & æterna est Dei patris sapientia, quæ (vt verbis illius vtar) ab initio & ante secula creata est &c. Ecclesi. 24.

Quid multis moror? percurre, circungira siue in cœlo sursum, siue in terra deorsum, neque alterum talem Iesum, neque saluatorem reperies, non si superstitiosa falsitas Iouem incæstuosum afferat, exulem Saturnum, Iunonem iracundam, Venerem petulantem, claudicantem deformemque Vulcanum, aut furentem Herculem, aut omnes denique de quibus prophetico ore dictum est: Omnes dij gentium dæmonia. Reclamabit forsitam inanis vanitas opponétque victoriosos principes & triumphis inclytos. Sed interrogati se nõ saluatores, sed seruos fragiles & salutis indigos, aut humiliter profitebuntur, aut negátes experiétur inuiti. Solius itaque Iesu vox illa est: Saluator non est præter me. Oseæ 13. & alibi. Non est absque me saluator. Esa. 23. *Iesus nomen eius*, iubeo te mentalibus oculis circũspicere vitam Iesu, quanta ad infirmos compassio, quantus salutis nostræ ardor, quanta apud omnes benignitas, aspicies innumeros ab eo incolumitati, & quod stupendum magis est, quosdam vitæ restitutos, virtus enim de illo exibat, & sanabat omnes. Lucæ 6. nec ipse modò, sed hoc suo nomine Iesu sui successores hoc agebant, & quod mireris, peruersi quidam & increduli. Sed tanta tanquam præpotens est nominis huius prolatio, circumflecte te per omnia, apertè videbis quam meritò vocatum est nomen eius Iesus. Nomen victoriosum, alioquin non portasset illud tam infracta ceruice insuperabilique constantia coram regibus & principibus & filijs Israël vas illud electionis Paulus apostolus. Dulcissonum præterea, alioquin crebra adeò repetitione suis illud epistolis nequaquam inseruisset, nec obtruncato capite stupentibus qui aderant, Iesum ter lingua eius palpitans nominasset. Augustinum præterea Bernardumque legimus de se affirmantes, nullas omnino scripturas eis sapere quantacunque eloquentia aut sententiarum grauitate pollerent, nisi vidissent nomen Iesu ibidem scriptum, recogitantes quoniam non est aliud nomen sub cœlo, sub quo oporteat nos saluos fieri. Actuum 4. Quisquis acerbissimas sanctorum passiones fideli mente pertractat, recensétque cruciatus eorum exquisitissimos, quantos & quales ingeniosa ad sæuitiam impietas, læsaq; ac irritata crudelitas excogitare, infligereq; potuerunt, nominis huius Iesu virtutem agnoscere faterique compellitur.

Quid enim dulces facit Stephano lapides? vtique nomen Iesu, nomen id profectò dulcia, immo expetenda eis fecit supplicia quorum vel sola recordatio horrorem nobis incutit & tremorem vehementem. Inde est id Actuũ 5. Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumelias pati. Agnosce igitur & vide quam meritò vocatum est nomen eius Iesus.

Mihi certè ad finem anhælanti acclamant sancti sanctęque omnes, & vt gloriosi nominis Iesu virtutem in eorum victorijs edisseram sollicitãt, ostentant quot hostium acerbos conflictus, quot callidas latentésque insidias, quot fraudes, quot laqueos, quot discrimina subiugauerit eis Iesus, & terga vertere compulerit. Grandis sanè materia, & non modo collatiohi, sed ingentibus libris suffectura. Dubius pluries steti quam potissimum alloquerer, nunc hoc, nunc illo magnis ad se vocibus perurgente, omnibus idcirco valefacere sorte pari cupiebam, sed sub vno quem legi (cuius nomen sit in libro vitæ) nullo pacto absque ipsius memoratione diuellere me potuit, quoniam aperto ille sinu pectus suum rubricitatis punctis distinctum vt viderem admonebat, vbi cum propius accessissem legi hoc nomen Iesus acuto cultro, viua in pelle tenaciter insculptum, hærebam cogitabundus, cum porro in tales laxauit sonos, ego inquit ab initio sortitus animam bonam & fidem præditam ipsam saluatori suo Iesu debere disponeréque statui, sed idipsum vt reliqua solet bona dissuadebat, & malignis conatibus obnitebatur morticinium corpus meum. O quotiens paruulo in thalamo animæ meæ Iesum introducere studui, vt suo eam solaretur fouerétque consortio, & petulans corpus obstitit, quotiens iam introductum, violenta lenonum quos induxerat, irruptione foras abire coëgit, horresco dum memini, bono interea ductus concilio nomen Iesu mea in anima indebili stylo conscripsi. Nec hoc satis erat, quoniam etiam meo illud in pectore (vt cernis) exaraui, consultè id agens vt salutiferum hoc vexillum indomitus asellus meus, quod est corpus meum recalcitrans & inuitus ferret & meis impugnatoribus opponeret, scirentque partes aduersæ à me toto indictum eis bellum, neque amplius in aliqua parte mei vllum habituros commercium. Multa vi insuper pertinacique consuetudine corporeum os meum edidici ad omnem hostis strepitum, ad omnem insuper impuram ac

malesuadam vocem nomen Iesu confestim acclamare vidisses, tunc eos aspecto auditoque nomine Iesu furere, nil præter hoc habentes quod agerent. Porrò circundantes circundederunt me & æstuosis illecebrarum facibus exardescere sicut ignis in spinis conati sunt, sed in nomine domini Iesu quia vltus sum in eos.

E contra verò anima mea quamuis nonnunquam aut tentationis violentia aut sufferendi tædio penè succumberet, dare quoq; vellet tortoribus suis victas manus, ad nomen Iesu viriliter exiliebat, incendebat animi altum ac generosum, nobilitatisque suæ conscium, ingenuus pudor, fidei quoq; ac prioris pacti memoria, necnon præhabitæ victoriæ acutis stimulis incitabatur stringebatur, ac tundebatur pectus nomine Iesu insignitum, & inter effrenes dissonosque ingruentium tentationum sonitus nomen Iesu altius crebriusque audiebatur. Adhuc resurgebam alacrior tanquam vires mihi auditum inspectumque nomen Iesu transfunderet, & transfundebat vtique perinde salubriter experiens quam meritò vocatum est nomen eius Iesus. His peroratis vir ille Dei subticuit, multo plus plurima audire si vacasset locuturus.

Spectabile dixerim huius viri pectus, nec aliud quippiam vllis vnquam gemmis, vllisve monilibus preciosius adornandum. Ast istius & si non vulnera verba saltem studeamus imitari. Consuescamus ad omnes & ad primos præsertim malarum cupidinum introitus, loqui statim ac inuocare triumphale illud nomen Iesu, quo nullum aliud peruersis gentibus æqualiter formidandum. Exclamemus vna cum Bernardo super missus est: Veni domine aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, vt regnes tu qui in ea debes regnare. Veni in auaricia & vendicat sibi sedem in me, iactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex, luxuria dicit eo regnabo, detractio, ira, inuidia, tractant in me ipso, cuius onus potissimum esse videar, resisto, renitor, te esse dominum meum clamo, dico, non habeo regem nisi te dominum Iesum. Veni ergo domine, disperge illos in virtute tua & regnabis in me, quia tu es rex meus & Deus meus. Hæc ille. Verbis ad extremum Hieremiæ collationem absoluamus bona fide ac plena spe cum ecclesia dicentes. In nobis es domine & nomen sanctum tuum atque gloriosum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos. Sed qui te Iesum & re & nomine credimus te saluante in nobis experire mereamur, in præsenti per gratiam & in futuro per gloriam. Amen.

COLLATIO IN FESTO BEATI LVDOVICI.



DOMINVS *regnauit decorem indutus est*. Scriptum est. Psal. 92. quemadmodum à reuerendo magistro nostro hodie allegatum extitit & ab eodē præclarè elegantérq; deductū. In exordio enim collationis ad matrem illius qui habet in femore & in vestimento suo scriptum: Rex regum & dominus dominantium. Apoc. 19. recurremus si placet pro impetranda spiritussancti gratia dicentes: A- A ue Maria.

Dominus regnauit &c. Scribitur vbi supra. Positurus collationis huius fundamenta atq; ordinem, regnum œconomum quod intra vos ponitur. De quo Lu. 17. Regnum Dei intra vos est. Regnum positum quod ab extra geritur, vnde est illud, & similia, regnauit Deus super Israël 2. Reg. 8. Regnum deificum quo Deus excolitur. De quo accipi potest illud Mat. 21. Auferetur à vobis regnū Dei & dabitur genti facienti fructus eius. Primū regnum est hominis in ordine ad seipsum. Secundum in ordine ad proximum. B Tertium in ordine ad Deum. Hęc autem tria regna breuiter admodum notat Ioan. Apocal. 5. Fecisti inquit, nos Deo nostro regnum, quoad primum, & sacerdotes quoad secundum, & regnabimus super terram quoad tertium. Simile habetur 1. Pet. 2. Isti regno triplici trifaria seruitus opposita est atque contraria. Vnde quædam est seruitus culpabilis, cū quis est in peccatorum fœditate. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Ioan. 8. Et sic à quo quis superatus est, seruus eius efficitur 2. Pet. 2. C Seruitus tolerabilis cum quis est sub principium potestate. De qua Gen. 47. Læti seruiamus regi.

Seruitus execrabilis dum quis est in idolorum credulitate, de qua Hiere. 6. Seruietis dijs alienis qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. Tria verò hæc regna in præassumptis verbis nobis aspicienda proponuntur. Primum cum præmittitur *Dominus*. Secundum cum subiungitur, *regnauit*. Tertium cum superadditur, *decorem indutus est*. D Et quomodo dicet aliquis decoris nomine spirituale regnum intelligi posset? conuenienter vtique. Nam decor creaturæ est in debita eius subiectione ad Deum. Pulchritudo enim omnis rei, & suus decor est, vt sit quemadmodum cōuenit eis. Sicut ait Auicen. 8. metha. suæ cap. 7. prout recitat doctor profundus in summa. Nihil autem magis conuenit creaturæ rationali, quam vt in finem suum propter quem facta est inflexibiliter tendat, tendendo inhæreat, inhærendoque eidem seruiat. Seruire autem Deo regnare est, & vt Se- E necæ placet in de beata vita ad Gallionem. Deo parere libertas est.

Et quoniam huius & aliorum dilucidatio inferius fiet post seruitutis diuisionem, tres formare intendo orationis siue considerationes beatissimi regis nostri, quantum mihi ex alto datum fuerit, commendatiuas. Prima erit de ipsius regno sine dominio in ordine. Secūda de ipsius regno in ordine ad proximum. Tertia de eius decore & regno in ordine ad Deum. Auditores interpretesque beneuolos & pios sicubi aberrauero, cor- F rectores vos habere supplex precor. Et hoc exoratum sperans incipio. Quibus iam verbis regiam dignitatem & dignissimam maiestatem tuam eloquar. Gloriosissime rex & regum omnium decor atque stupor. Ludouice, quæ nam facundia pares virtutibus tuis laudes dabit? Sunt equidem eximij & ingentes laudum tituli quibus fulges. Ast inter illos primum & quodammodo præcipuum in hac esse arbitror, quod tuijpsius præstantissimum obtinuisti dominium & mentis tuæ regnū debitis legibus moderasti. Qualis nempe laus est hominem alijs præesse & subiectos habere quam plu-

plurimos, si seipsũ regere & sibi pręesse nescierit, cum illud etiã pessimis conueniat. Istud autem nõ nisi viri boni & bene instituti est propriũ, nec refert quam de multis quispiam triumphet, quam multos sub iugi seruitute præcipitet, si nequissimis durissimisque cupiditatibus seruum & ignominiosissimum mancipium subijciendum se prębuerit. Præclarè siquidem à Claudiano dictũ est:

Si metuis, si plura cupis, si duceris ira,
Seruitij, patiere iugum, tolerabis, iniquas
Interius leges, tunc omnia iure tenebis.
Cum poteris rex esse tui.

Tragicus quoque Seneca: nescitis cupidi regnum quo iacet loco. Et sequitur: Rex est qui posuit metus & diri mala pectoris, quem non ambitio impotens, & nunquam stabilis vulgi fauor mouet, qui est in tuto positus loco, & omnia infra se videt, non absonè ab eo quod Sapiens ait: Melior est qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Prouerb. 16. Quippe (si Senecæ credimus) gentes barbaras impatientésque alieni imperij facilius est regere quam animum suũ continere & sibi tradere, quòd in Alexandro magno verum fuisse idem Seneca ait, epistolarum suarum lib. 2. epistola 7. Alexander inquit omnia potius quam affectus suos in sua habebat potestate. Et subdit, imperare sibi maximum est imperium, quemadmodum non tacuit Lyricus ille Horatius oda tertia. Latius regnes auidum domando spiritum quam si Lidiam remotis Gadibus iungas, & vtérque Pœnus seruiat vni. Vnde & Valentius Imperator adhuc virgo triumphis frequentissimis ait vna se tantum victoria gloriari, quod inimicorum inquit nequissimum domui carnem meam.

Est igitur rex noster celeberrimis attollendus præconijs, qui seipsum sua in potestate habuit qui animo suo & carni fortiter imperauit, quod ostẽdere curabo, si prius de huius regni institutione pauca viderimus. Nam interrogabit forsan aliquis: Quo pacto in homine regnum ponitur, cũ ille sit vnus, regnum verò non nisi in multorum hierarchica coordinatione cõsistit? Huius autem quæstionis aperta est solutio, si magnum doctorẽ August. in de spiritum & anima cap. 32. (vt communiter ei ascribitur) inspexerimus, hic regnum hominis instituens, regem in eo dicit esse voluntatem conformiter illi quo ab Arist. 9. metaph. in translatione antiqua dictum habetur quod volũtas imperat. Pro cõsiliario autem ponitur ipsa intellectualis ratio, quæ semper (vt idẽ Philosophus ait) ad optima deprecatur. Seruos verò & subditos esse dicit ipsos sensus, qui idipsum quod per rationem dictatum fuerit & per voluntatem imperatum exequantur, istud dominium supra sensus positum est à philosopho 1. Pol. esse politicum & regale. Sensualis quippe appetitus si per rationem inductus sit, natus est obtemperare rationi atque voluntati, licet absque assuefactione huiusmodi eidem aduersetur & obuiet, prout idẽ philosophus dicit & experientia docet, & Paulus nõ tacet, dicẽs: Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, ad Rom. 7. Ista est nuditas quam in Eua & Adam inobedientię peccatum intulit & transfudit in posteros. Reformatur autem per virtutes disciplina & dissuetudine conquisitas. Propterea quanto potentia aliqua

A voluntati subiecta, pluribus honestis & laudabilibus informata est habitibus, tanto ipsius volunluntatis dominium maius nobiliusque est. Est enim tunc plurium operationum domina, prout in cantoribus & artificibus & vniuersaliter in omnibus quæ non nisi per assuefactionem adipisci cõtingit perspicimus. Enitendum idcirco est ad regni huius dilatationem faciendam, optimis & quã plurimis habitibus decorari, & maximè virtuosis, quos qui plures & illustriores habet latius regnat. Estque insignior atque nobilior, & plus ha-

B bens pulchritudinis & decoris. Qua in re gloriosissimum regem Ludouicum latissimè ac honestissimè imperasse magis constat quam vt declarationem meam expostulet. Dicam tamen aliqua quæ mihi ex legenda sua ad manum oblata sunt per quę liquidum & perspicuum erit rationem voluntatemque in eo plenissimum super sensualitatem habuisse dominium, ita vt nihil horridum, nihil pœnale, nihil difficile voluntati imperanti sensualitas refutaret.

C Erat in monasterio regalis montis quidam aspectus fœdus atque horribilis, liuidus ei color, confossi & contracti immo penitus absumpti oculi, tenuissima præ raucedine vox, caput, superciliumque non pilis sed squalore & scabie obsitum, truncæ nares, quas lepra iam antiquata (vt solet) depasta erat, adeò vt nil cartilaginis reliquum esset, defluebat ad eis os adusque putridus, obscenusque humor, vbique vlcera, vbique sanies, & (vt breui absoluam verbo) plura suo in corpore quatriduani cadaueris quam hominis signa erant.

D Quid putas egerit rex noster cum primo suis oblatus est aspectibus? Retorsit fortasse oculos, ceruicem retroflexit, humi spuit, faciem rigauit, & signa cætera horroris ac indignationis ostendit, minimè equidem. Sed illico corpus suum ad eum dirigens diutissimè coram eo genibus flexis stetit, ac in mensa hoc modo eidem ministrauit, manu propria carnes quas sciderat, condiens & in os eius mittens, nec grauissimum anhelitus fętorem, nec faciei deformitatem, nec quod viru-

E lentis sanguis per labia fissa distillabat exhorrescens. O profundissimam regis nostri humilitatem, nullis vnquam verbis ad plenum extollendam, ô bene regiam eius voluntatem, cuius edicto quamquam durissimo serua sensualitas non potuit resiliendo cõtraire, putasses eum non tantum imperatori terreno, sed Deo ministrante, & ita sanè eidem in suo paupere ministrabat. Egit ipse non inferioris tolerantiæ & humilitatis opus in bello vltra marino dum cadauera cæsorũ vermibus iam exundantia, & quæ tanta putredine

F labefacta erant, vt nulla vix neruorum compage pars parti cohæreret, regis humeris humanda deportabat. Adde quod ex consuetudine sordidos pauperum pedes abluebat, adiungebatque nonnunquam oscula pijs lachrymis rorantia, edebat absque vllo nauseæ signo cibos manibus eorum contrectatos. Insistebat vigilijs, ieiunia multiplicabat, & culcitra vtebatur, qualem laudare solebat Attalus, vt refert Seneca, quæ scilicet resisteret corpori, & in qua post dormitionem iacentis vestigium apparere non posset.

Plurima sunt his similia quæ à prouido rege

ideo assiduè agebantur, ne quando serua sensualitas extolleretur in consultè, vtique malignos A eius conatus aut effringeret, aut tentaret; nouerat enim quod qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea inuenit eum contumacem Prouerb. 19. Quis autem iste seruus noster est, nisi sensualitas, noster appetitus, ingratissimus equidem & meritò odiosus seruus. Nam quò plus ei indulseris, quò amplius eum sibijpsi derelique-ris, tanto immitior, eòque in perniciem tuam pronior constituitur. Ac perinde fit vt regnum animæ in peruersissimam dilabatur tyrannidem, dum voluntas serua efficitur, & obsequitur mi- B serabiliter sensualitatis imperio, quod heu inquã plurimis plus quam satis experimento cognitum est, & à Seneca commemoratum epistolarum suarum lib. 2. epistola 8. Voluntas itaque cum circa moderandos sensuum impetus lenta negligensque est, vires paulatim assumunt & diuturnitatem temporis adaugent.

Deinde velut indomiti & effrenes tauri contrahunt impetus furentes & nequaquam vltra ipsius voluntatis subire dignantur dominium, sed C eam veluti regem inertem torpentémque & nil virium habentem contumaci ceruice spernunt, nec spernunt modo, sed duris ac fortibus vitiorum catenis circunligant, eam deinceps stringũt malè mulcentium affectuum compedibus, & vastissima tandem ac onustissima consuetudinis mole ne resurgat opprimunt, quod si quandoque voluntas suæ nobilitatis ac generositatis cõscientia exurgere tentet, & vim sibi faciens indignissimum iugum satagat excutere, sæpe frustra est. D Nam confestim ex aduerso insilit serua sensualitas, & vnctis eam manibus apprehendens ad se trahit, & contractam humi sternit, sicque inuita patitur illam quam negligenter subijt seruitutem, quemadmodum fabulosus ille equus cuius Aristoteles in rheto. meminit, qui cum per hominem frænum sibi imponi ad ceruum è pascuis depellendum permisisset, licet postmodum reniteretur, in perpetua tamen seruitute permansit. Contulit sæpe ratio vt voluntas huiusmodi tyrannica dominatione se subducat, vt vitam mutet, vt mo- E res componat, & vt de Mirra 9. methamor. Naso ait. Scit se non falsò moneri, sed difficultate rerum exterrita aut ad hæc agenda minimè enititur, aut in primo conatu debilitata frangitur, tam firmum & tenax est peruersæ consuetudinis vinculum, tam graui fasce quicquid amplexantur obruit.

Plerumque etiam rationis vocibus obsurdescit voluntas ob dissonos, incompositos & malesuados tumultuantium hostium strepitus, quos F serua sensualitas patentibus vndique sensuum ianuis introduxit. Introgreditur nempe per oculos elata inflatáque superbia & insatiata cupiditas per tactum fœda pruriens eneruatáque libido, subeunt vndique vastatrices curæ, quæ & innumera alia improborum hostium genera quam primum oculos rationis aut effodiunt, aut obtenebrant, & in sententiam suam ducunt. Deinceps miseram deturpant animam, transfigunt, cruentant, Deoq; & hominibus abominabilem efficiunt, & non iam vnius domini voluntas serua est, sed (vt Augustinus ait 4. de ciuitate Dei) tot dominorum quot vitiorum. Multis seruit (inquit Seneca) qui corpori seruit, accedit superbia & vult esse rex, auaricia clamat ego regnabo, gula dominari quærit, luxuria imperare satagit. Ira, detractio, inuidia certant, cuius potissimum homo esse videatur, hanc vitiorum altercationem Persius grauiter expressit Satyra 4. verba eius omitto.

Cernitis quam miseranda prorsus mutatio, & quam acri studio, quam assidua meditatione dominatio hæc fugienda est, quemadmodum inclytus rex à se illam declinauit. Cuius regnum nunquam occupauit auaricia, nunquam superbiæ aditus patuit, nunquam molles libidinum inconcessarum affectus quantumcunque sub dolos & blandos vultus prætenderent, locum reperire potuerunt, non iræ, non detractioni, non inuidiæ concessus est aliquando introitus, nec vnquam latrunculorum istorum aliquis de eo triumphasse aut spolia reportasse gloriatus est, quin potius voluntas velut imperiosa domina eosdem abiecit, recogitans cum Seneca se maiorem esse & ad maiorem genitam quam vt mancipium fieret corporis sui, & quod pessima est seruitus voluntaria, quam vbi quis malè viuendo sibi imposuerit, non iam liber, immo nec homo, sed bestia dicendus est, quare illud? quia intellectu, qui antonomaticè homo dictus est non vtitur, sed de grege illorum est, quos philosophus dicit esse bestiales, vitam pecudum eligentes, quisquis se talem exhibuerit, etiam si in amplissima natus fuerit familia seruus est, prout Cicero illa sua inattingibili facundia in paradoxis, paradoxa quarta ostendit. Horatius Flaccus etiam dominij & libertatis materiam grauiter & eleganter executus est, in sermonum siue satyrarum suarum finali sic incipiente: Iam dudum à stulto vbi seruum suum Dauum secum colloquentem introducit, & seruitutem domini sui cum sua comparantem. Boëtius insuper quarto de consolatione idipsum demonstrãs sic ait: Anhelos quos vides celso solij culmine reges, Purpura claros nitente, septos tristibus armis ore toruo comminantes, rabiecordis detrahat si quis superbiæ vani tegmina cultus, iam videbit intus arctas dominos ferre catenas &c. Hos inter seruiles reges non annumerandus est gloriosus rex Ludouicus, qui prout nostro in themate præmissum est & in deductione vtrumque deductũ, verè dominus extitit, verè regnauit, & decorem verè libertatis indutus est. Hæc de principali.

Magnam semper gloriã adepti sunt & illustres habiti qui rempublicam aut armis aut consilio aut officio aliquo protexerunt, & qui publicos hostes exterminare studuerunt ac sub iugum mittere, in illo quippe hominem numero reponuntur quos Plato optimos esse cẽsuit, qui. s. se ad homines iuuãdos natos existimant, in hoc Deũ imitantes qui suam in quam plurimos gaudet diffundere volũtatem, ob hoc in somnio Scipionis (quod à Cicerone cõpositũ Macrobius exposuit) dictũ ita habetur, sic habeto omnibus qui patriã seruauerunt, adiuuerunt, auxerunt, certum esse in cœlo definitum locum, vbi beati sempiterno æuo perfruãtur. Inspiciendum in hoc est quanta esse debet regis nostri gloria, cui semper in animo voluntas & in opere sedulitas fuit, maximam & præclarissimam

regni

regni sui politiam quam optimis legibus gubernare, & infestissimos non sui tantum populi sed totius Christianitatis hostes subiugare, ita vt sibi aptè conueniat illud quod optimæ politiæ leges statués Virgilius 7. Æneidum Romanis approbat:

Parcere subiectis & debellare superbos.

O si illum attigisset prisca ætas magnorum actuũ imitatrix, & illa prior scriptorum elegans industria magno certatim conamine in suis hæsissent actibus describendis, & totum altisonis illustrasset versibus orbem, sibique potius quam suo Æneæ Maro præconium illud adscripsisset, fama super æthera notus. Singulos reges ac imperatores singulis efferunt laudibus. Sed omnes gloriæ ac laudis titulos in singulis oris sparsos in hoc vno rege nostro congestos esse quisquis legendam suam intuebitur reperiet.

Æneam à pietate poëta optimus cõmmendat, quia parentem Anchisen è medijs surripuit flammis. Hinc est illud: Sum pius Æneas. Noster autem rex non ad patrem tantummodo (quod naturæ iussu agere compellimur) sed ad pauperes & ægrotos efficacissima pietatis exhibuit obsequia, ita vt etiã instar Thobiæ ad sepeliẽdum mortuos sua se maiestas inclinaret. Insonuerat enim auribus suis illud Apostoli. 1. Tim. 4. Pietas ad omnia valet. Ideóque cum eo dicebat: Quis infirmatur & ego non infirmor 2. ad Corinth. 11. Cicero frequenter suis in orationibus & Seneca secundo de ira Iulij Cæsaris humanitatem atq; clementiam erga deuotos hostes concelebrauit. Ast regi nostro virtus hæc non defuit. Nã suis in bellis edicto publico vetuit, ne Saracenorum mulieres & paruuli perimerentur, & quotquot alij absque morte subiugari possent, seruarentur ad vitam. Erat enim (vt de Moyse dicitur) vir mitissimus super omnes qui morabantur in terra. Nume. 12. similis in hoc ipsi Dauid, qui in sua misericordia consecutus est sedem regni. 1. Mach. 2. Nam thronus regis clementia roboratur. Prouer. 20. Octauiani Augusti parcimoniam in potu & cibo extollunt. Valerius & Orosius, sed multum ille in hoc rege nostro inferior fuit. Nam (vt multa paucis absoluam) abstinentias suas non regis illas esse, sed viri austeram religionem professi reperies, non magni æstimabat quam delicato cibo stercus conficeretur, nec coquus vermium esse volebat, viderat quippe propter crapulam Holofernem capite obtruncatum, Adam è paradiso eiectum, Ionatham anathemate percussum, Noë denudatum, Loth cum filiabus stuprantem, sibiq; dictum arbitrabatur illud Prouerb. 31. Noli regibus ô Samuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum vbi regnat ebrietas. Refert præterea Macrobius in saturnalibus eundem Augustum tantæ familiaritatis ciuibus extitisse, vt nullum se ad cœnam inuitanti refutaret. Tantæ insuper humilitatis eum dicit Orosius vt edicto publico vetauerit se Dominum appellari. Constat autem in nullo vnquam quã in rege nostro profundioré fuisse humilitaté atque familiaritaté. Quid cum cæteris eum egisse putes? qui cum leprosis & abiectissimis sui regni cibum capiebat? Visus est inde sæpè dicere illã Dauid vocem, ex ima humilitatis officina erutam, vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis

A gloriosior apparebo 2. Reg. 6. Secutus quoque in hoc est sapientis documentum. Eccles. 32. Rectorem te posuerunt, esto in illis quasi vnus ex ipsis. Et illud eiusdem 3. Quanto maior es, humilia te in omnibus. Reguli Attilij fidem integerrimã historici omnes admirantur, qui ne iusiurandum violaret, ad infestissimos hostes remeauit intrepidus. Qualis autem in hoc æstimandus est gloriosissimus rex noster, qui non solum violare nomen Dei noluit, immò nec ad illud iurandum per truculentissimos & atrocissimos hostes quomodolibet potuit induci. Tantum inquit, horreo verbum de neganda fide etiam sub conditione audire, quod non possem illud exprimere sono vocis. Multũ illi in animo & in vsu erat dogma illud Christi: Sit sermo vester est est, non non.

B Nihilominus à veritate aut promissis quin ea custodiret nequaquam poterat abduci, sciẽs quod misericordia & veritas custodiunt regem. Prouer. 20. Duos Decios fauentes populis constat morti spontaneæ se deuouisse, vt & eorum exercitus saluaretur, atque rex noster pro suo exercitu carceri & non multo minus morti formidabili & mortis periculo seipsum obtulit. Dum enim captus est in fugam verti poterat, sed eũ sui amor exercitus detinuit, quem si ipse fugeret, perimẽdum esse formidabat. Scipionis Africani continentissimam castitatem extollit Valerius & Franciscus Petrarcha in de viris illustribus, hic deuicta Carthagine Hispaniam virginem speciosissimam Celtiberorum principi desponsatam, licet captiua esset, intactã restituit. Hæc verò castitatis virtus nostro in rege supereminenter effulsit, vsque adeò vt si non esset habenda proles quæ ex more successura esset in regnum, absque vxore & cum virginitate (vt creditur) permansisset. Tobiæ exempla sectatus tribus primis coniugij noctibus orationi vacauit, nec vllum vnquam suspectum cũ muliere aliena colloquium, nullúmque consortiũ habuisse visus est, nec verbum aliquod petulantiæ aut lubricitatis emisisse. Eos insuper qui talia agerent aut dicerent nunquam perpeti potuit, quin è curia sua cõfestim abscedere cogerentur fuit illa ætate verissimum illud Prouerb. 22. Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum habebit amicũ regem. Hæc castitatis virtus regem nostrum super Dauid, super Salomonem, super omnes penè reges & principes, super etiam famosos gentium deos collocat & extollit. Ipsi namque aliorum victores à libidine deiecti prostratique sunt. Idẽ Scipio Africanus in oratione sedulus à Valerio fuisse perhibetur. Hic surgente semper aurora capitolium scandere & Iouem orare consueuerat, & obinde eum Iouis esse filium exorta est credulitas. Noster autem rex non in auroræ tantum ortu, sed cum propheta media nocte surgebat ad confitendum nomini tuo Domine, non ad Iouem adorandum, nihil crebrius agebat, nilque libentius, inscriptum se habens illud Iacob. 5. Multum valet deprecatio iusti assidua, & nunquid valuit cum nauem in qua transfretabat scopulis illisam & fermè iam obrutam, orationis efficacia ne periclitaretur effecit? Cæterum Philippus Macedonum rex (vt Seneca in secundo de ira ait) iniuriarum siue contumeliarum patientia ad tutelam regni ingens instrumentum fuit,

noster rex & subditorum suorũ & maximè infidelium irrogatas sibi cõtumelias infracto imperturbatóque tolerâuit animo, & cum apostolis ibat gaudens, quoniã dignus erat pro nomine Iesu cõtumeliam pati Actuum 5. Porrò laudari magis quã imitari solent imperatores illi quos Valerius lib. 4. affirmat de imperio rursus ad aratrum confugisse, vt Diocletianus & alij quidam, noster rex non ad aratrum quo ingratæ telluri operam daret, abijt sed longè felicius aratrum suspirabat, & quale inquies? aratrum vtique religionis quo mentis suæ spiritualem agrum liberius regularis disciplinæ sulcis exercere. Nam vt verba ponam Senecæ de Augusto Cæsare dicta, dum de dimittendo regno cogitauit, diem lætissimum reputans quo magnitudinem suam exueret, satisfecisset autem votis, sed vinculum coniugale & vxoris dissuasio nequaquam permiserunt. Hunc ergo inter diuitiarum aceruos manentem, pauperiorem perfectiorémque dixerim quam multos nostri temporis qui summam perfectionem in summa paupertate reponentes, de perfectione statuũ magis disputare quam perfecti esse malunt, qui verbis amant, colunt, extolluntque paupertatem arctissimam, sed factis super aliorum morem diuitijs inhiant, honores ambiunt, mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt, palatia struunt, lautissimè epulantur.

Hos tu deinde pauperes appellas, & sunt fateor non solũ pauperes, immò imperfectissimi pauperes, sed non illi quos attollit veritas, dicens: Beati pauperes spiritu. In hac paupertate spiritus scilicet humilitate perfectionis culmen reponitur: In hac gloriosissimus rex noster assiduè versatus est. Denique à iustitia Traianus, Manlius, Torquatus, Brutus, innumerique alij commendantur, quorum tres nominati nec proprijs quidem filijs pepercerunt, quo minus iustitiam exercerent. Hac in virtute rex noster inflexibiliter stetit, sciens quod propter iniustitiam regnũ de gente in gentem transfertur. Eccl. 10. Postremò Carolum magnum omnis Christiana posteritas celebrabit, quia infideles populos assiduis armis insectatus est, & Christianitatem omnem præcipuè Franciæ regnum miris & insignibus victorijs decorauit. Huius ad exempla rex noster gloriosissimus & ad exemplum patris sui Ludouici qui de Albigesio & comitatu Tolosono hæreticos expulit, bis contra infideles transfretauit vt eorum tyrannidẽ contereret, vbi famem, sitim, frigora, carceres, morbos & cæteráque in bellis plurima reperiuntur constãtissimo spiritu perpessus est, causam Dei Christianorumque omnium suam fecit, & nõ inerti otio deditus est, non fluxa libine marcidus, non intentus ludicris, nõ ad extremum vino somnóque sepultus, vt Maro ait. Multa alia sunt regis nostri præconia, quæ breuitati studens prætereo, nõ silendũ tamen arbitror quod ipsos veri regis & æquissimè regnantis mores habens iniquas à se tyrannorum conditiones penitus abiecit. Insederat quippe suo in animo illud quinti politiæ: Oportet monarcham non videri tyrannum, sed œconomicum & regnatorem. Vis autem scire quid in omni politia inter regem & tyrannum intersit, vide ibidem philosophum, qui duodecim & amplius conditiones tyrannorum posuit, redegitque ad tres quæ in hoc complectuntur metro.

Pauca sciant, de se diffidant, sint & egeni.
Sic rege subiectos dire tyranne tuos.

Dimitto declarationem alibi, &c. Hos tyrannorum mores rex noster nequaquã exercuit, certum habens quoniam regna cum scelere sunt omnibus exilijs grauiora, vt Seneca in tragedijs ait. An aliquando de subditorum egestate lætatus est qui eleemosynis frequentissimis eorum releuabat inopiam, nec pro operibus pietatis aut captiuis redimendis ab eis quicquam petere consueuerat, aut dissidia in eis & discordias oriri cupiebat qui in decidendis eorum causis & eis concordandis bis saltem, in hebdomada suam exhibebat præsentiã. Præterea an ignorantes cupiebat esse ciues suos? nullus virorum doctorum reuerentior extitit, nullus qui eorum magis societate gauderet & consilio vteretur. Nam & fontem illum scientiæ præclarissimum Parisiensem vniuersitatem fouit semper, & magnis priuilegijs vsque nunc manentibus dotauit. Hæc est per quam bene Francorum reges regnant, per quam stabiliuntur in veritate, & per quam de Christianis Christianissimi sunt effecti, quam si quis tam improbus aut perditus esset qui eam desolatam esse aut optaret aut quæreret, ego eum non tyrannum modò, sed damnabilissimum & sceleratissimum tyrannũ iudicarem. Postremò rex noster more veri regis amari magis quam metui cupiebat, & cogitabat nonnunquam intra se (vt opinor) illud Terentij: Errat longè à mea sententia qui imperium credit esse grauius & stabilius quod vi fit quam illud quod amicitia, iungitur. Quis igitur non videat regem nostrum verè regnasse quis non eidem dicat illud. 1. Regum 21. grandis auctoritatis es & bene regis regnum Israël: Illam insuper vocem tibi rectè ascribimus quæ pro themate præassumpta est. *Dominus regnauit*, & æquissimè regnantis *decorem indutus est*. Hæc de secunda parte.

Dici non potest R. P. quantus in rege nostro decor, quanta in eodem mentis pulchritudo effulserit. O si faciem eius intueri & oculos in ea figere licuisset, Deus optimè quam formosum spectaculum, quam ex alto splendidum, quam tranquillum & verenda maiestate plenũ radiare hinc iustitiam, temperantiam, fortitudinem atque prudentiam, illic fidem, spem & charitatem conspexisses, viuidus in hac mentis facie color, in qua nil mortale, sed diuinum & cœleste aliquid rutilabat, nullæ ibi dolositatis rugæ, nullæ fuci fallacitatis syderei, immò super solem lucidiores rationis oculi, os imperiosum, non humi decliue, nec mortalium pondere pressum, sed ad cœlos erectum & in Dei laudes semper apertum. Vnde autem regi nostro decor iste, nisi quia Apostolo obediens indutus erat speciosum præ filijs hominum Dominum nostrum Iesum Christum: Imperatores verò ac reges quantocunque virtutum splendore, pollere videantur, absque hoc indumento deformes sunt, quia virtus vera esse non potest, nisi debitum in finem qui Deus est ordinetur. Omnis autem regum imperatorumque infideliũ turba non ad illum, sed secundũ Augustinũ 5. de ciuitate Dei) ad inanẽ gloriam aut ad deos falsos seducti reducebant, in eis idcirco non

non omnia erant virtutes in specie similes cum virtutibus nostri regis, ac decore illo carebant, qui est debita sui operationúmque suarum in finé vltimum ordinatio. Sed nunquid in regnando iustum dominij titulum obtinebant?

Sunt qui negatiuè responderent de quo aliqua scripseram & dicere proposueram, sed breuitas obstat, opinor tamen eos quamuis iusti non essent, habuisse tamen aliquando iusta super illos imperia, sed verum decorem non induti sunt qui suæ potestatis dominationisque collatorem aut culpabiliter ignorauerunt, aut culpabilius spreuerunt cognitum. In regibus autem Franciæ saluberrimus semper & integerrimus Dei cultus fuit. Ob hoc ait insignis doctor & summus pontifex Gregorius in registro, epistola 5. Non immeritò contingit vt cætera gentium regna præcelleret regnum Franciæ. Quippe quod earundem gentium creatorem & purè colit & veraciter confitetur, & epistola sexta simile scribit. Insuper Remigius noster Remensis Archiepiscopus, dum Clodon. misso celitus chrismate baptizaret prophetico spiritu plenus, dixit ipsum Fráciæ regnum regésque suos fore gloriosos & stabiles quamdiu in hac fidei confessione permanerent sicut permanserunt. Nam vbi par fidei zelus vbi illius defensio paratior, vbi hæreticantiū vehementior confutatio? nulli enim quā in Gallia veriorem synceriorémque fidei confessionem reperies, nec ab alijs regibus totidem contra infideles pro fidei exaltatione bella perpetrata sunt, bella inquam, sacerrima atque iustissima, in quibus mori beatum erat & triumphare gloriosum. Et vtinam in gentibus & maximis regum nostrorum virtutibus pares in eloquentia scriptores accessissent. Gallia sanè quamquam Dei nutu abundè aucta famatáque sit, apud omnes tamé & maximè posteros clarior & quodámodo immortalior effulsisset, viros insuper haberemꝰ quos Græcis ac Italis aut præponere liceret, aut opponere. Haberemus etiam vnde mordax liuidáque æmulorum Gallicorum insultatio posset repelli.

Deinde nequaquam vendicanda semper nobis forent ab externis insignia virtutum exempla, nostra quippe in promptu essent quibus abundaremus, neque enim tot præfulgida virorum illustrissimorúmque nomina extinxisset obliuio, nec memorandorum tot gestorum memoriam vetustas consumpsisset litteris non adiutam, cum ita in gallicis fuit factorum quam verborum cura maior. Cum igitur apud omnes Franciæ reges intemeratus semper fidei amor steterit, inter eos tamen vt Lucifer emicuit gloriosissimus rex noster Ludouicus, hunc ego non tantummodo regem, sed sacerdotem rationabiliter posse videor appellari, non equidem potestates Ecclesię siue ordinem sacerdotalem attribuo, quamuis in affectu sacerdos fuerit, quamuis ex more sacerdotum vnctionem, immò cælicam vnctionem susceperit. Sed circa idipsum dicam quod sentio, itaque si regere aliquem populum est (sicut est) eum in finem suum debitum dirigere, non videtur quin spiritualiter subditum sibi populum rexerit, qui ad finem eum spiritualem iugi ac sedula intentione dirigebat, sicque spiritualis princeps atque rector melius quam nónulli prælatorum Ecclesiæ rex noster dici potuit, quod vt res
A lucidior fiat, pono ante oculos vestros regem hunc beatissimum qui hæresibus si quando pullulare inceperunt, obicem illico se ponebat, cui charissima erat Ecclesiæ pax, pro qua nec ipsam quidem mortem perpeti recusasset, qui peccantes in Deum populos plectebat seuerissima legum censura, & Dei quam propriarum iniuriarum vindex erat acerbior, huius studium erat eos qui fidem sciebant & docebant amare, honorare ac præmiare, & sicut legendæ suæ series habet, illis extirpá-
B das euellendásque hæreses libenter potestatem tribuebat. Negotium quoque fidei quando sibi deferebatur faciebat omnibus postpositis celerius expediri. Pono vobis parte ex altera vnū ex prælatis tales quales aliquando fuisse aliquos negari non potest, an aliquo tales nunc sint, non me sed experientiam interroges. Pono inquit, vnum qui de spiritualibus ad quæ ordinatus est nihil, de temporalibus autem totum cogitat, qui vacat in colligendis temporalium sarciunculis, cumulandisque auri ponderibus qui neque qualem fi-
C dem, neque quales mores subditi habeant, sed quantum ab eis extorqueri possit, & quomodo rixantur diligenter interrogat, & quod maximè proprium est tyrannorū qui clericos odio habér, non qualescúque, illos enim summopere venerantur qui per litium suscitationes coaceruare sibi diuitias possunt, & tyrannidem iniustitiámq; suam nescio, quibus ratiunculis palliare ac defendere, sed illos clericos loquor qui sacris litteris eruditi sunt, quos Ecclesiastica politia quasi mancos &
D inutiles si non verbis tamen factis censent esse remouendos, nec remuneratione quauis dignos nimirum, quia qui fidé religionémque cótemnit, vt eius doctores eiusque defensores despiciat necesse est, exurgāt hęreses pullulent errores, oriātur schismata, infamentur sancti sanctæque omnes, quasi nihil ad eum spectet, dissimulat, & clames, licet, & mare cœlo confundas, sedet, silet, nec moueri amplius potest quam si dura silex vel stat marpesia cautes. Cū verò de status sui & pomparū diminutione ei leue verbum insonuerit, atteritur veloci-
E ter, verè irascitur, & pro eo ipso digladiari paratus est, adeò illi de tota fidei subuersione quā de parua temporaliū diminutione cura minor. Interrogo nunc quis istorum duorum in sanctus rex vel prælatus talis suos subditos potius spiritualiter regere dicendus est?

Nec dubito quin confestim regem respondeas, nisi fortasse ex illorum es numero qui dicunt fieri non posse vt rex de spiritualibus licitè curam gerat, quia temporalium tantummodo administra-
F tionem suscepit. Hoc si verum est, vtiná nec adeò curarent temporalia, qui spiritualium dispensatores esse debent, sed per Dei atque hominum fidem. Ita ergo veritas religióque detrimentū patietur, & rex Christianissimus non resistet? An est ita extremæ infidelitatis nota, nolle fidem defendere, quin etiam ne ab alijs tueatur velle prohibere. Mirus agricola qui agrum sibi commissum regere nescit, nec didicit quidem, & tamen suis vltro infestus est cultoribus. Sed animum fluctuantem contineo & ad te regredior gloriosissime rex, qui & fidé tueri & Deo famulari magnū existimabas imperiū, qui modis omnibus procurasti

tanquam sacerdotalis rex vt populus tuus æternæ carperet felicitatis semitam, qui triplex tibi diadema ex triplicis regni regimine imponi meruisti, rexisti equidem te in ordine ad teipsum tanquam liber & Dominus, rexisti te in ordine ad proximũ tanquam regnator optimus, rexisti te & proximũ in ordine ad Deum tanquã decorem indutus. De te ergo aptissimè concludo thema quod ab exordio præmissum est: *Dominus regnauit decorẽ indutus est, &c.* In quibus verbis intueri licet regis nostri libertatem quam seruitus non fœdauit. Dominus regis nostri dignitatem quam populus honorauit, regnauit, regis nostri claritatem vel sanctitatẽ quam amictus adornauit, decorem indutus est. Si quæstio fiat de regis nostri libertate, responde quia Dominus est. Ioan. 21. Si quæstio fiat de regis nostri dignitate, dic in gentibus, quia Dominus regnauit, in Psal. Si quæstio fiat de regis nostri claritate, responde, quia fortitudo & decor indumentũ eius, Prouerb. 31. Absque deductione vlteriori libet sub hoc metro finem statuere:

Rex & progenies inclyta regum.
Cœlesti nimium plena decore
Et plusquam niuea lilia fulgens
Tu nostris facilem te dato votis
Rex Ludouice.
Dum rexit fragilis spiritus artus,
Francorum populo iura dedisti.
Nunc celsa residens pulcher in aula.
Nos regnumque tuum cernis ab alto
Mente serena.
Paruulósque dies cernere desis.
Sed curam cupias more vetusto.
Nostri sollicitum ferque iuuamen.
Vt tecum placido detur in æuo
Vita beata. Amen.

Facta est hæc collatio per Dominum Cancellarium in festo beati Ludouici in Collegio Nauarræ, dum adhuc esset solum Baccalarius in theologia.

DE SANCTO NICOLAO.



PES *mea ab vberibus matris meæ.* Verba Psal. 21. ad literam scripta sunt de Domino nostro Iesu Christo, & nunc ad beatissimi patris nostri Nicolai (cuius verè ab vberibus matris Deus spes fuit) gloriam & honorem ad aliqualem quoque nostri eruditionem pro themate sunt assumpta. Reuerendi Domini patres ac magistri ex ista collatióne mea hoc primum capio commodi quod præceptum impleo honesto deditus exercitio, grauibus curis vagis & subtilibus aditum præcludo, perinde dum scribo, dúmque idipsum profero quod scripsi, prius illud legens audiénsque memet admoneo, quod si Pythagoras dixit alium animum fieri intrantibus templum, deíque simulachrum cernentibus, multo magis cum intueor felicissimã & ex omni parte beatam præclarissimorum sanctorum vitam, animũ muto. Nam eos mihi quasi totidem aduocatos contra quotidiana pessimorum exempla erroré sque publicos adhibeo non solum mihi, sed & audientibus, audientes loquor qui non gratia tantum otij aut reprehẽsionis aut audiendæ nouitatis, sed vt meliores fiant,
A adueniũt, tales etiam si nihil noui assero in recordatione veritatis, ac memoria inuito, profero quoque verba quæ insignes ad bonum impetus gignant, mysterialiter quidem, Deus autem principaliter, qui secundũ apostolũ operatur omnia in omnibus id est, ad Corinth. 12. Nam (vt allegatũ per me alias à Gregorio memini) nisi Spiritus sãctus cordi adsit audiẽtis, otiosus est sermo loquẽtis. Quamobrem ne frustra sit quod agimus agendúmque est, pro eiusdẽ Spiritus sancti inspiratio-
B ne, illustratione atq; iuuamine facilius impetrandis vt affectum boni generet, genitum nutriat, nutritum in effectum vsque perducat, ad illam quæ magnificis Ecclesiæ vocibus compellatur regina misericordiæ, vita dulcedo & spes nostra virginẽ benedictissimam recurramus humiliato animo & voce pia, dicentes: Aue Maria, &c.

Spes mea, &c. vbi dictum est. Et certissima diuinarum scripturarum attestatione vulgatisque gentilium historijs, nouimus quosdam raris & præter solitum prodeuntibus iudicijs ab ineunte ætate
C de futuro eorum statu fidem fecisse, & talium dignitatem quandam aut in aliquo excellentiam eos qui aderant verisimilibus præsagisse coniecturis.

Hinc viso sterilis partus linguæque solutæ miraculo illa de Ioanne Baptista parentum vox, quis putas puer iste erit? & illud quasi patris respondẽtis vaticinium: Et tu puer propheta altissimi vocaberis, &c. Luc. 1. Sic ille secretorum naturalium conscius Plato de sua eloquentiæ doctrinæque suauitate augurium puer dedit, cum in ipsius dormientis os mellisferæ apes ingressæ sunt.
D Cuius simile nostro euangelicæ veritatis doctore Ambrosio legimus contigisse, sic futura Mydæ regis temporalis affluentia ostensa creditur ex frumento per formicas in os eius, cum puer esset & dormiret introducto. Quid loquar Alexandrum magnum, Alcibiadem, Cyrum, Scipionẽ, nostrosque prophetas Hieremiam, Esaiam cæterosque innumeros, quorũ futuræ vitæ modus ab ipso suæ natiuitatis exordio agente sagacissima Dei prouidentia insolitis prænunciatus est signis
E quos inter gloriosissimum puerũ & bonæ indolis adolescentem Nicolaum conspicio, qui nondum ab vberibus matris auulsus aptissimũ futuræ sanctitatis ac puritatis dedit argumentũ. Magnamq; diuinæ prædestinationis addidit coniecturam. Nam vt canit Ecclesia, dũ penderet ad mammillã, &c. rem sanè admirandam, quod alij flebilibus querelis miserabilibusque expetunt vagitibus, hic quod verbo non poterat, nutibus & facto abijciebat. Hic paruo lactis pastu abstinens sese puer
F ille bonam cum sapiente sortitus animam macerabat, ac si Deo diceret: Deus patrum meorum & Domine mi, verba quib⁹ in tuas assurgã laudes, naturæ mihi negat imbecillitas, sed eo quo possum monte laudo, téque magnifico, tu in me solidissima tuæ gratiæ collocasti fundamenta, super quæ domum in mente mea te dignam extruere concupiscens, tenerum hoc flecti dum potest domo sub iugóque corpusculũ. Detraho quoque illi leues hos sumptus vt ad ipsius tuæ domus fabricationem impendam, quod nequibo supplebit benigna gratuitáque pietas tua cui me deuoueo, me tribuo, me tota mente committo, quoniã tu Domine

Domine singulariter in spe cõstituisti me,& factus es spes mea ab vberib⁹,&c. Et hæc sunt verba,&c.

A Ex quibus verbis lucidissimum cleri iubar beatissimus Christi sacerdos Nicolaus innumeris etiã dum viueret decoratus miraculis, omni castitate atque puritate conspicuus, & eximiæ supra modũ pietatis extitisse cernitur, deitatis præsidio inuiolabilis firmitatis tutò sese fulciens, cum dicit spes mea, qui timebit Deum nihil trepidabit neque pauebit, quoniam spes eius est. Eccl. 33. Secundò fuisse conspicitur in ætatis exordio spectabilis puritatis, citò vitam instituens, & hoc cum dicit ab vberibus matris meæ. Delectabitur infans Nicolaus, scilicet ab vbere Esa. 11. Ratio primi est, quoniam secundum Chrysostomũ libello de cõpunctione, Spes est salutis anchora, vitæ nostræ fundamentũ, dux itineris quo itur ad cœlũ, in qua sal⁹ nostra consistit, & quæ de terris animas velut quibusdam catenis cœlitus à Deo dependentibus innexas euehit ad summam. Ratio secundi est, quoniã secundũ Horatiũ in epistolis, epi. 2. & allegatur pro parte ab Augustino in primo de ciuita. Dei.

Fingit equum tenera docilem ceruice magister.
Ire viam quam monstrat eques venaticus ex quo
Tempore ceruinam pellem latrauerit aula,
Militat in syluis catulus nunc adhibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer,
Quo semel est imbuta recens seruabit odorem.

Testa diu. Hac vnicæ diuisionis declaratione cõtentus iuxta tres considerationes quæ ex ipso themate sine magna consideratione sumi possunt, tres formare intendebam orationes. Prima erat inuehens in homines qui in temporalibus spem habent, iuxta illum terminum: *Spes mea.* Secũda erat admonens iuuenes vt benefacere non expectent, iuxta illum terminum, *ab vberibus,&c.* Tertia erat beati Nicolai, cõtinens laudes vt ad beatam vitam nos incitent iuxta thema in se. Is enim prædicationis modus mihi pro nunc apparet efficacior ad consequendum ea quæ in collationis initio præmisi. Magis enim excitat mentes & ob sui difficultatem ingenium plus exercet. Sed omissa pro nunc secunda oratione duas tantum prosequar, primam scilicet & vltimam. Primã verò beatissimo viro Dei Nicolao attribuam, tum ne parum in me haberet auctoritatis, tum ne mihi obijciatur illud quod (referente Seneca) obiectum est Platoni, Epicuro ac Zenoni, aliter viuis, aliter loqueris. Tum quod viri huius vita ac virtutes semper mihi singulariter placuerũt, eius idcirco verba menti meæ adhærebunt (vt arbitror) profundius. Vos igitur si libet à consideratione mei paulisper secedite, & de multiplici & vana spe mortalium, non me, sed beatum Christi sacerdotem loqui putate, qui sic exorditur. O fragiles, ô fallibiles, ô mendaces improbæ ac temerariæ mortalium spes, quanta in discrimina eos qui vos amplectuntur perducitis, eosdem quã miserabili ac contumeliosa circunducitis vertigine, linquite eas hominum cæcissimi, & vbi de æternæ mortis agitur periculo quam extremæ dementiæ sit debilem debilioribus inniti, perspicite, si quidem mortalia hæc omnia, verè mortalia siue fluxibilia incerta nutãtia, multum promissionis, fidei verò nihil habentia, & (vt aliud propositum Maro ait) volucrique simillima somno, talibus quisquis innititur aut incũbit, vacillet, cadátque necesse est. Ab his confestim captiuas auellite mentes, mihi credite indigna sunt hæc omnia quæ vos in sui spem rapiant, raptos torqueant, deludant, & immortalibus adeò discerpant curis. Sed vestro vitio effectum est vt dignissimi sitis qui talia patiamini. Maiores namque & ad altiora vos genuerat altissimus, quam vt iugo & nequissimo talium iugo libera prius colla subderetis, immortales dedit animos suique capaces ad beatam æternæ felicitatis vitam ni renuitis euocauit, admonuit vos non habere hic ciuitatem

B manentem, sed futuram inquirere quæ nec auris audiuit, nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. Cuius capescendæ immortalitatis cupidine, Platonicus quidam nomine Theobrotus, lecto de immortalitate animæ Platonis libro, se ex alta turri in præceps dedit, non ob aliud quam vt ad vitam migraret quam sperabat meliorem. Huius immortalitatis spe se consolari Seneca dicebat. Soláque eius meditatione plurimum delectari, in hac ex-

C pectatione & Cato ille magnus apud Tullium de senectute permanere gloriatur, & in ea detineri sibi fore dicit grauissimum.

Ad infideles tamen loquuntur viros, vos autẽ quorum gratuita Dei benignitate vera lux effulsit, qui veritatem hanc non vmbratilibus (vt illi) coniecturis, sed ab ore dominico didicistis, nouistisque summæ sanctitatis viros qui se illa in dubia & clara reuelatione perpendisse testati sunt, in quibus nihil erat cur fallere vellent, quippe qui

D promptissimi erant pro hac fide perpeti mortem, cuiusmodi fuit qui dicebat: Infelix ego homo quis me liberabit à corpore mortis huius? Et rursum: Cupio dissolui & esse cum Christo. His accedit quod ipsi animam non in porcino Epicurorum grege cum Mahometo posuerunt, nec vt Pythagoras in noua corpora perpetuò circungirauerũt circulo, nec in fabulosis Elysij campis cum Virgilio dimerserunt, sed eas in syncerissima fruitione & visione deitatis statuerant angelicis spiritibus coæquatas. Vos inquam, taliter edocti seu

E gentes quæ spem non habent, toto pondere mortibus incumbitis, & amplexibus affectibusque arctissimis vitæ huic inhæretis moribundæ, de promisso æternitatis fine spem non capitis, immò spem capitis, sed temerariam sed fragilem, & multum huic quam de temporalibus assumitis imparem, longéque tepidiorem, an quæso temeraria foret & omnino in sensus prouocans mercenarij spes, qui cæteris in vinea patris familias ex conducto sudantibus, ipse otio torpens, libi-

F dine marcidus, ludicris sese interserens & demum vino somnóque sepultus, ex vineæ cultura remunerationem expectaret? profectò sic.

Sed dicitis: Miseratio Domini immensa est, non inficiamur id quidem, sed verax etiam eius promissio & retributio iustissima qua vnicuique iuxta opera sua, bonis vitam malis verò æternum pollicitus est supplicium, nec vnquam Dei misericordia eum mendacem efficiet, qui dixit: Nõ coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Porrò exilẽ & spe mortalium tepidiorẽ de æterna vita vobis fore spem opera notificant, nec peregrinis mihi hic opus est exemplis vobis vos ostendite,

vosipsos interrogate an ita est, ita est prorsus, sed morem suum contumax animus agit, & subterfugia quærens, Deum mauult suis in præceptis durum dicere quam suam humiliter agnoscere aut sagaciter emendare mollitiem quæ ad cætera tamen omnia præter virtutem non tam dura, tam inuita tanquam pertinax reperitur. Itaque modici lucri aut inanis famæ, spes breuis, regni honorumve cupiditas, per inaccessa montium iuga, per abruptos colles per inuios itinerum anfractus, per solitudines horridas, per intolerabiles æstus, per mille pelagi pericula, per mortes, per vulnera, per ferrum, per ignes, vos cæcos & inermes pertrahit, detrudit & impellit, immò pertinacissimo & infracto spiritu æternæ felicitatis spe, aut oblita, aut dissimulata, aut irrisa vosmetipsos pertrahitis, detruditis atque impellitis si (vt Persius ait) dolosi spes refulserit nummi, omnibus vos abdicatis vitæ iocunditatibus, fame, siti, frigore corpus afficitis, & quod mirandum est posse superbos estis hostibus blandi, atque eorum in facie dissimulata figitis oscula si expectatus fuerit assistentium & plerumque stultorum plausus, insomnes ducitis noctes, scribitis legitisque & totos cum grauissima cerebri vertigine libros euoluitis.

Ite nunc & diuinorum præceptorum duritiam accusate, ingemiscite ac murmurate, dicentes: Non possum vt vos res proximi non concupiscere, cum vt vos diligere, parentes honorare, Deo suisque Apostolis ac prophetis fidem indubiam adhibere, sumptuosas vestes, delicatos cibos, somnos suaues, sordidissimas denique non possum non prosequi voluptates. Vos qui aliunde tamē tam horrenda toleratis, comprimite hanc amodo veterem querelam nō possumus, fallimini, immò non vultis. Sed inquit, curiosa præsumptio, cur si mitis dominus est, has leges in nullo sibi profuturas, quibus hominum tam fragiles succumbāt humeri, & debiles opprimantur ceruices imposuit, nobis melius libertatem permisisset? Auditis quā delicatæ nec minus insolentes seruorū voces summi iudicis censuram agunt, & diuinam potius quam suam mutare ac corrigere cupiunt voluntatem. Verum obmutescite tandem inertes serui, & si nondū torpore excussus est, nubem præscindite vestros inuoluētem oculos, aures ab hoc dissono rerum tumultu paulisper auertite, & sic aduenientem à tergo perspicite mortem, an cernitis, an auditis, an aduertitis, ecce vt prosequitur, vt instat, vt iam tenenti similis est, væ vę præuaricatoribus, quam ferox, quam minax, quam atrox quam inexorabilis intractabilisque est vermibus obsita, fœtore grauis, lurida & exosa facie, & ex tuto eam intuentibus etiam formidabilis citatissimo & irreuocabili transilit passu, terrores gehennæ fletus ac gemitus secum trahens. Ista est quæ spes vestras præmiabit, quæ inania terminabit vota, quæ enumeratas, marcidas, effrenésque compescet libidines. Hæc ardentes auro fauces algere compellet, hæc altas atque graues abrumpet somnos. Hæc ad extremum omnia somnia facili, ludificatione subuertet, & quota hæc malorum pars est? Hæc nempè ora vestra tunc primum ad Deum clamare volentia, dolore claudet, stupore & amentia constringet, improperando illud vobis quod in morte sua. Nero conquestus est, tardè est, & hæc est fides. Et putatis

A miserebitur Deus aut compatiantur sancti? non miserebitur vtique Deus, sed irridebit, non compatiētur sancti, sed subsannabunt, vtpote qui in præceptis suis prius irrisistis Deum, & Deum sanctos sanctásque omnes spreueritis. Ad hoc spectaculum seu speculum conuertatur velim oblita mens vestra, & audacter tunc (si libet) his fallacibus inhiate bonis, iugiter vos eorum desiderio cruciate, nisi quod potius atque libentius crediderim

B vestra mutata sit sapientia, persuasúmque sit tot spes de quibus nulli boni spes est deserendas esse vt saniores, saniori vos deinceps tradendos consilio, quod vt ita sit precor supplex ipsi valete. Post hanc beati viri acerbam nimium in spes vanas inuectiuam vt ad iuuenum ex eius persona admonitionem me transferrem, & thematis materia & præclarissima huius adolescentis admonebat exemplum, & me mouebant tum alia plura, tum nominatim iuuenum subuersiuus ille versus:

C *Angelicus iuuenis senibus satanizat in annis.*

Qui si veritatem continet, nō video quid sperādum de illis sit qui in iuuentute satanizant, & quorum pessimis inclinationibus additur impetus & accedit consuetudo. Verum hoc infame prouerbium populus adinuenit erroneè, vt reliqua ferè omnia ad patrociniū de generū filiorum & petulantiū, & quod omnem de eis spē boni adimit inuerecundorū, vt quod generosi adolescentes angelici esse timeant & erubescant, quippe qui effici

D in senectute dæmones nolunt. Ita est tamen & iā à consocijs irridetur qui non inuerecundo ore verecundissima & sordidissima, omni rubore frōtis abiecto, loquitur verba, qui non satis impudēter contumeliosa in Deum profert iuramenta, & apud eos iam contumeliæ ac irrisionis nomen & simplicitas, & sola obstans malis conatibus irridetur verecundia. Parum abfuit quin in hoc totus insisterem, sed breuitas reluctantem traxit vt indilatè in patroni & patris nostri Nicolai prorumperem laudes, quatenus ad beatam vitam & ad

E vestram nos inuitent spem, statim finem facio patienter audite. Tuam benignissimè Deus in sacerdote tuo gratiam, nec admirari satis possum, nec laudare sufficio. Sed totus in hanc sententiam rapior, totus in hac consideratione suspendor, beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, beatus qui cū propheta securo dicere potest animo, spes mea Dn̄e à iuuētute mea. Gloriosissimus nēpè puer hic, immò vir vndique secundum cor tuū, quia & veram à iuuentute sua in te spē habuit,

F hinc vmbratiles cunctas mundi deseruit spes, petulantes carnis illecebras euitauit, hinc dæmonum tensos vbilibet laqueos securo gressus imprehensus euasit, gessitque puer anilia, dum nos iam natu grandes pueriliter ineptimus. Auro multo virginum redemit pudicitiam, quam spurcidi iuuenes nostri, & quidam (quos sancti sanctęque omnes malè perdant) deliri senes irrequietis precibus, muneribus, atque dolis damnabiliter sollicitant, sollicitatē damnabilius violant, & de violata quasi de triumpho nobili damnatissimè gloriantur. Porrò vt ostenderes Deus, quoniam non deseris sperantes in te, quin etiam eis

eis præter spem altos dignitatis gradus nonnunquam elargiris, tua pronunciatione in Episcopalem eum cathedram sublimasti, quam à te cathedram, vt arbitror non cōparauerat adulationibus, non mēdacijs, non muneribus, non quod charius est repetitis vsque ad tædium maximum precibus, non dolis, non fraudibus; non inhonestissimis postremò famulantium officijs. Nec eum electoribus suis inter meretricularum choros, inter venaticorum latratus canum, inter aulicos clamores, inter matutinos somnos, sed inter illa frequentata atque sibi notissima Ecclesiæ limina quærendum reperiendúmque docuisti. Qui verecundo vt erat vultu humili voce, gestibúsque modestis, hoc à se tuum depellebat munus, nec (vt apud Statium Thebaidum habetur) illum ingens confundit honor inopináque turbat gloria, séque homini negat esse parem cogiq; meretur. Curiosior in enarranda per quam te Christum singulariter imitatus est humilitate & mititate, & in explicandis innumeris quibus eū decorasti miraculis essem copiosior nisi quod vulgata sunt omnia & magnis Græcorum ac Latinorum auctoritatibus, & quod supra est, Ecclesiæ auctoritate confirmata, adeò vt iste vnus mihi videatur à te doctus, quia mente bene instituta & ingenio modesto omnem de fide legis tuæ euacuare valeat formidinem.

Sed hæc hactenus, nunc fœlicissimum eius obitum (dixerim melius ortum) specto, consideróq; quanto verius quam suus auctor Epicurus illam dicere potuerit vocem, beatissimum hunc & vltimum diem ago. Namque postquam libera voce non remordente nec contradicente conscientia illud prius exclamauit initium: In te domine speraui, securus iam, nilque trepidans subiunxit: Non confundar in ęternum, nec se fefellit, quia vt Marciani verba ponam:

Mox venit æthereum sine mortis legibus auum.

Et nos peccatores hoc audientes quid agimus? quid dissimulamus? aduertimus ista, nec æternorum tamē spe rapimur, nec ad illam propter quam facti sumus aspiramus ciuitatem. Sed curuas in terris habemus animas & cœlestium inanes, vt Satyricus narrat. Delectat vitæ mortalis prolixitas, & in ea tali mente talíque sumus animo vt ad nudum mortis nomen, omnémque eius strepitum timore pallescamus, quæ tamen mors, iusto huic vera fuit natiuitas, & omnium quibus hæc infœlix vita staret terminus ærumnarum. Ille nūc portum tenet, nos ad omnes mundani huius pelagi contumelias proijcimur, nec nos tamen ad illum beatitudinis portum dirigimus. Ille regnat, sibíque cęli regia magna patet, nos infœlicissimo degimus exilio, & tot tyrannis crudelissimis quot vitijs pessundamur & veram tamen patriam, libertatémque non quærimus. Ille iocūdissimo pollet consortio, nos inter bellātium sæuissimos versamur insultus. Et inter feras in humana effigie (vt apud Senecam est) latitantes, nec hoc attendimus. Ille superum modulaminum carmina percipit, nos verò nunc parentum mortes, nunc amicorum graues & inopinatos euentus subitos nunc hostium probra, nunc subsannationes proximorū, nunc fluitantis reipublicæ casus, nunc strangulatas timore suspirijsque populorum voces, rumores acerbos, pa-

A triam laborantem bonos iniquo pede calcatos, & (quod impatientiæ materia maxima est) remuneratam iniquitatem, non omnia loquor, nam sunt plus quam verbis auditúque notissima, quo si quis cum Heraclito deflenda potius quam toleranda censeat, nunquam eum puto siccos oculos, nec sufficientes ad tot mala lachrymas habiturum, & inter hæc tamen constituti, diu viuere concupiscimus. Ille facie ad faciem cœlestia perspicit, nos de terrestribus vix incertas capimus sentētias, & cæca fragilitate id quod pia mente credi debet,
B nonnunquam aut negamus, aut ingeniolo nostro penetrare conamur, & sapientiam Dei, cuius (secundum prophetā) non est numerus quibusdam subtilibus ratiunculis quasi totidem calculis satagimus numerare, & in hac tamen tanta scientiæ inopia, nequaquam vbi scientiæ sunt thesauri animum retorqueremus. Illius præterea mens otio & tranquillitate conquiescit, nostra æstuat, fluctuat, vacillátque, & conscientiæ peccatorum amarissimis inquietatur aculeis, vult, non vult, nunc odit, nunc diligit rursúmque odit, hinc blanditur,
C hinc irascitur, simúlque tanta est varietas & sperat & desperat, nec iam (vt Persius ait) velle suum cuique est, sed plurima cuique & pene totidem quot temporis sunt momenta, nec ad tranquillitatem tamen beatam, illúdq; otium suspiramus. Ille tandem (vt breui verbo singula perstringam) statum habet omnium bonorū aggregatione perfectum nos non statum modo, sed casum omnium bonorum negatione defectuosissimum. Et inter hæc nobis adhuc complacemus de beata æternitate
D non feruenter aut crebrò quantum deceret cogitantes, aut de ea dubij & trepidantes, bone Deus quo relabimur, auerte hanc à fidelibus tuis infidelitatem, túmque præcibus tuis beatissime pater Nicolae, & si gratia Dei in te vacua non fuit, si te nobis similem à similibus vitijs gratuitè præseruauit, si tibi nobis patronum singularem vnde gloriamur dedit, si tot languidis corporibus per te tuúmque etiam mortuum corpus profuit. Si eras vt de te canimus valde compatiens & super afflictos pia gestans viscera cum gratior tibi sit quam
E corporis animæ salus, & verè afflicti mente simus succurre, accelera, fer opem & spes illas seductorias quæ potius desperationes appellandæ sunt, quæ in desperationis nouissimæ præceps trahunt, in quas inuehens tam acriter litigasti, & nostris mentibus nisi quantum licet funditus euelle, & spem illam quæ sola nos saluare, nostrósque leuare labores potest, confestim insere, insertam viuifica, viuificatam corrobora, & vsque ad extremum singultum conserua corroboratam, vt quicquid
F transitorium obtigerit feramus, si incommodum est constanter, si commodum humiliter perennis spe coronæ, cuius nos participes efficiat tuis auxiliantibus meritis protector in te sperantium Deus sine quo nihil est validum, nihil sanctum, hic in præsenti per veram spem & gratiam, & in futuro per gloriam.

COLLATIO PRO LICENTIANDIS IN FACVLTATE DECRETORVM.

CONVERSI *estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* Hoc Apostoli Petri verbum quod pro fidelium omnium salubri cõmotione depromit Ecclesia in epistola dominicæ imminentis. Ego pro enunciandis laudibus vestris (vt mos habet & ius expostulat) ad vos transferendum decreui, O venerabiles licentiandi patres & fratres in Christi charitate simul versi, simul iuncti. Estis namque & vosipsi de numero fidelium qui à peccatis in quibus concepit vos mater vestra conuersi estis per veram susceptionem in regenerationis lauacro, ad pastorem & pontificem animarum vestrarum dominum nostrum Iesum Christum. Sicut annunciabant Paulus & Barnabas Listrensibus conuerti à vanis ad Deum viuũ qui fecit cœlum & terram. Sed est aliqua specialis in vobis conuersio ad eundem pastorem, qui speciales vobis titulos aggregauerit honoris dum per viã canonum sacrorum quasi viam quandam mandatorum Dei sequi studuistis vestigia eiusdẽ pastoris qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, vt ex Esaia, sumit in eadem epistola Petrus Apostolus, de quo alter ait: Non sum confusus te pastorem sequens. Placet igitur rem ex alto repetere & dicere, quod fœlicitas animarum vestrarum finis vtiq, quo tendimus & ad quem cõdidit nos pastor & pontifex omnium summus & optimus, consistit in conuersione animæ ad Deum, tanquã mulieris ad virum suum, hoc est, imperfecti ad perfectibile suum. Quod enim Deus sit vir animæ rationalis, sermo propheticus nõ semel insinuat. Vnde Hieremias: Conuertimini filij reuertẽtes dicit dominus, quia ego vir vester & assumam vos. Quamobrem fieri debet animi conuersio ad Deum viuum suum per memoriam fœcundam & tenacem, per intelligentiam claram & viuacem, per affectionem depuratam & efficacem, & Deus cõnuertetur ad eam, vt dicant illud Epithalamicum: Ego dilecto meo & ad me conuersio eius. Viderunt hanc veritatem in naturali etiam lumine (quanquam non satis ad integrum & nudum) oculatissimi philosophorum Plato & Aristoteles qui fœlicitatem animarum vestrarum posuerũt, Plato in adeptione puri vniuersalis separati, Aristoteles in eodem, sub alijs tamen verbis, in contemplatione videlicet primæ causæ, quę profectò non alia est à bono puro vniuersali separato. Porrò nihil aliud dici potest adeptio talis boni per animas nostras, quam earum ad ipsum conuersio, per contemplationẽ & amorem. Quamuis autem omnis hominũ cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, ad hunc finem niti debeat peruenire. Ad hoc enim condita est & Dei capax effecta, ad hoc variæ sibi traditæ sunt leges artes atque scientiæ. Ad hoc ostensa habuit diuinorum operum vestigia quæ sequeretur. Nihilominus quidam è viciniori, quidam è lõginquiori conuertuntur ad Deum pastorem & pontificem animarum vestrarum sequentes eius vestigia. Hi tardius isti velocius. Hi longius, isti proximius. Vos autem viri patres & fratres nunc licentiandi, tales exhibiti estis inter eos qui de propinquo Deum sequuntur, Deum imitantur, ad eum conuertũtur, qui est pastor & pontifex animarum vestrarum. Canonum itaq; sacrorum scientia quam studuistis & didicistis, nonne via quædam est expedita, vt attingatur Deus per cognitionem & amorem, qualiter attingere Deum nihil aliud est quam ad ipsum esse conuersum? Quamobrem animaduertitis quã iusto, quam inclyto & insigni laudum titulo vos decorat & honorat verbum Apostolicum, dum ad vos illud traducimus & dicimus: Conuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum

O præclara, O fœlix, O prędilige̜da { cõuersio. Hęc enim est fęlicitatis initialis adeptio.

Conuertuntur alij qui peruertuntur, nunc ad carnis illecebrosas voluptates, vt sũs in volutabrũ luti per viam lutosam & lubricam, per viam spinosam & laqueis plenissimam, per viam tenebrosam & pręcipitem, nunc in Ixionis rota volubili, & anxias diuitiarum accumulandarum curas, nunc ad vanitates & insanias falsas. Et hi omnes sunt peccatores qui conuertuntur in infernum cum illo qui sepultus est in infernum, pro tali parochiano talis sepultura, mala planè miseráque conuersio qua fiunt homines sicut oues errantes, nec inueniẽtes pascua. Et qui faciunt de parochia, dioceſi vel prouincia Episcopi nostri prostibulũ carnis peccati, aut rabidum forum mundi vel phanum prophanum diaboli. At verò cõuersi estis ad pastorem & pontificem animarum vestrarum, obedientes sibiipsi, qui ait: Conuertimini ad me in toto corde vestro. Dicentes insuper ex sententia illud propheticum. Cõuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. Et qualiter benefecit subditur: Quia eripuit animã meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Nonne dominus est requies animarum vestrarum? Quod si quis hæsitauerit, confirmat eum Augustinus testificans: Domine fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec quiescat in te. Cur igitur non fieret ad ipsum vestra conuersio viri patres & fratres licentiandi venerabiles, quoniam & ipse requies vestra est, pastor quoque & pontifex qui à peccatis liberat, viuificat, qui oculos purgans illuminat, qui deniq; pedes affectuũ stabiliens firmat. Eripuit inquit, propheta animam meam à morte, quoad primum, oculos meos à lachrymis, quoad secundum, pedes meos à lapsu quoad tertium. Et hic est triplex fructus conuersionis animæ ad Deũ conformiter ad triplicem animę operationem naturalem in nobis vitalem, animalem & motiuam, nec minus pertinenter ad triplex pastoris atque pontificis officium, cuius est nutrire, dirigere, stabilire. Nutrire quoad viuificationem. Dirigere quoad illuminationem. Stabilire contra præcipitationem. Primũ approbatur magis ad pastorem, reliqua duo ad pontificem, tria simul ad Deum, creatorem. In quo secundum Apostolum allegantem poëtæ verbum viuimus, mouemur & sumus, id est, stabilimur. Hos autem affectus consequentes animæ cõuersionem ad Deum pastorem & pontificem nostrum operatur Deus in singulis prout vult. Attamen quia nũc de omnibus dicere nequaquã suscepimus, placet ostendere quo pacto per scientiam decretorum & iurium mysterialiter conuersi

conuersi estis ad pastorē & Episcopum animarum vestrarum, vt sequamini vestigia eiusdem, qui peccatum non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius, A vt pręterea sit in eo requies vestra, & liberetur anima modis pręexpositis à morte, oculi à lachrymis, pedes à lapsu. Primum per nutritionem. Secundum per illuminationem. Tertium per stabilitionem. Ecce videamus decretorum scientiam. Sic enim inuenimus sub mysterio velut alterā Iacobi scalam, quæ multis studiosis parat gradus vt conuertantur ad Deum desuper innixum scalæ. Hanc autem diuersorum graduum scalam intelligimus B multiplicem virtutum tam intellectualium quam moralium combinationem, per quarum notitiam conuertitur & euehitur anima ad Deum, ab ignorantia ad cognitionem & fidei veritatem, à desperatione vel desolatione in spem, à vanitate ad charitatem, ab iniquitate ad iustitiam, à pusilanimitate ad fortitudinem, ab incontinentia ad temperantiam, à stultitia ad prudentiam, offerebat se concordantiarum multitudo tam ex sacra scriptura quam ex corpore canonum virtutes istas docentium & detestātiū oppositas iniquitates. Sed quid C expedit coram scientibus legem, leges inculcare? præsertim dum in promptu, id est, ad manum (vt dicitur) quilibet habere valeat concordantias & distinctiones huiusmodi, & vt ita loquamur fabricatas in tabulis varijs ex scriptura sacra collectas, sicut Martiniana quędam super decretis confecta est, habeant sibi tabulas huiusmodi qui solis allegationibus innituntur & gaudent, ostentantes se quasi passus omnes scripturarum cognoscerent. Nos his ad præsens omissis concludamus quod D iusto & insigni laudum titulo vos decorat verbum præassumptum: Conuersi estis, &c.

Denique rei huius inuestigare libet originem. Postquam enim peccatum peccauerunt parentes nostri auertentes se à Deo pastore suo & ad creaturam conuersi, facti sunt ipsi cum posteris suis velut oues errantes & exules à prouincia paradisi, qualiter se agnoscebat & deflebat qui dixit: Erraui sicut ouis quæ perijt. Sicut etiam præmisit Petrus ad verbum nostrum. Eratis, inquit, aliquando sicut oues errantes. Errorem istum miseratus ex alto Christus dominus, qui se pastorem E bonum nominauit, vocem dedit qua cognosceretur vt sequerentur eum oues propriæ, & in pascuis vberrimis pascerentur. Vox ista quid aliud quæso est quam lex sua? quam qui audierit, viuet, qui secutus eum fuerit neque ambulabit in tenebris, neque corruet, sed pascua inueniet, dicens cum propheta: Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Quamquam verò vox ista legis Christi pastoris & pontificis nostri sit appropriatè & eminēter lex euan- F gelica quę ex ore altissimi prodijt, & cuius est oues errantes regere, dirigere & firmare. Sicut legislator suus est via, veritas & vita, & sicut testimonijs absque numero doceremus, nihilominus lex canonica per analogiam quandam & attributionem nominari non irrationabiliter potest vox Christi, pro quanto ipsa est vox sui vicarij, insuper Ecclesiæ, vox denique illorum ad quos dixit: Qui vos audit, me audit. Ita vt olim pro vna voce lex euangelica & canonica haberentur neque in duas secernebantur facultates theologia & decretorum scientia. Nam decreta quales alij nisi theologi pręcipui condiderunt, tradiderunt, promulgarūt? Quemadmodum præterea lex vetus, quæ & Mosayca dicitur, complectebatur cum diuinis præceptis ordinantibus immediatè ad Deum iudicialia, quæ proximos in temporalibus regulabāt, nec ob hoc plures leges, sed vna putabatur. Non aliter Ecclesia primitiua legem euangelicam cum canonica coniungebat, quamuis euangelica ad Deum, & canonica magis ad proximum ordinaret.

Sed vnde vel quando suborta est distinctionis origo superest vt hæc ostendamus. Dilatatis nimium per omnes terminos orbis terrarum Ecclesiasticis pascuis, aggregatis quoque sub vno ouili & vno pastore quaquauersum ouibus rationabilibus prius errantibus oportuit plurificationem decretalium & decretorum pro suo regimine iudiciario constitui, & maxima postquam dotata est Ecclesia, postquam in multitudine temporalium bonorum, & iurisdictionum secularium ipsa secularibus potestatibus par facta est. Vulgato quippe prouerbio dicitur, terram habens guerram habet, quia multiplicatis diuitijs, egenis & angustijs & dicētibus hominibus, hoc meum est, & hoc tuum, lites vt plurimum consequi necesse est. Sic insecutus experientiam Seneca dixit: Quietè viuerent homines in terris, si hęc duo pronomina meum & tuum de medio tollerentur, quod & exemplum duorum patrum litigare nescientium palam fecit, porrò crebrescentibus iurgijs iudicia frequentia quæruntur quę ea dirimant, quę pacem restituant. Hinc leges legibus, hinc constitutiones constitutionibus, hinc decretales decretalibus additę sunt. Idcirco quod ea quæ de nouo emergunt nouo egent auxilio. Quamobrem & si lex euangelica sufficiens sit & perfecta pro vita animæ & conuersione eius ad Deum, congruebat vt particulares decretorum & decretalium traditiones adderentur. Primum ex hoc perspicuum fit, quia Dei perfecta sunt opera, & legislatoris perfectissimi, vt lex perfecta sit necesse est. Secundum persuademus ex verbis Aristotelis, qui paucissima tradit esse committenda iudicibus. Nam quia rationi humanæ coniuncta est sensualitas, quæ aduersatur & obuiat sibi, & cuius iudicium subuertit plerumque per alteram harum passionum quas sub compendio notauit Virgilius, dicens:

Hinc metuunt, cupiunt, gaudéntque dolentque,

debuerant leges fieri per homines non excæcatos aut seductos præmissis passionibus, vt secundum leges regularetur & ferretur iudicium, non prout sensualitas extorqueret, quod si quis interrogauerit cur has leges non explicauit legislator noster Christus? Respondemus illas in vniuersalibus principijs satis datas esse, sciente eo quia pro varietate temporum & locorum traditiones istas variare necesse est. Insuper quod tempore primitiuo Ecclesia non esset occupanda in temporalibus vel seruandis vel augendis, quando mittebantur sine sacculo & pera prædicare, quando dicebant non esse æquum relinquere verbum Dei & ministrare mensis, propterea sufficit auctoritatem condendi canones, & decreta vicarijs suis relinquere, de quibus dixit: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Arguent fortassis alij quod vel Christus insufficiēter primitus instituit Ecclesiam,

dum eam temporalibus indotatam reliquit, vel alij superfluè ditationes & dotationes huiusmodi susceperũt,& frustra consequẽter leges regulantes addiderunt. Negamus vtrumque, neq; enim vno modo semper agit Spiritus sanctus pro euocatione & conuersione fidelium ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum,sed nunc aduersitate,nunc prosperitate, nũc paupertate,nunc abundantia trahit vocat & allicit quos esse suos agnouerit. Audi comminantem? Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit & parauit illum. Est igitur efficax argumentum si generaliter assumatur, prælati in Ecclesia primitiua conuersi ad Deum nullis decretalibus aut decretis vtebantur. Igitur nec moderno tempore congruit eis vti. Ecce prostrati sumus & inuenisse credimus, tum necessitatem, tum vtilitatem scientiæ canonicæ. Cæterum quid vltra secutum est? vt ab euangelica lege secerneretur,siquidem neque breuis hominum ętas,neque limitata ingeniorum capacitas sufficere visa est,neque rerum conditio patiebatur, vt idem homo perfectus simul haberetur theologus meditans in lege diuina die ac nocte, & tot se traditionibus plenè cognoscendis totum daret. Hæc est (nisi fallor) ratio,hæc origo legem euangelicam à canonica & theologiæ facultatem ab illa decretorum secernendi,veruntamen vtraq; est vox Christi pastoris & Episcopi animarum nostrarum, quamuis illa immediatè, ista mediator, hæc velut Sara vxor libera, hæc tanquam Agar in obsequium & prolem concessa, hæc ad contemplationem, ista ad actionem magis accommoda. Propterea hæc Rachel formosæ,ista Lyæ lippæ & fœcundę magis comparatur,vtraque nihilominus laude digna, quia per vtramque fit conuersio ad pastorem & Episcopum animarũ nostrarum, qua in re propositum erat dilatare & amplificare laudes vestras multis & præclaris atque salubribus effectibus, quos affert ista vox legis canonicæ per quam conuersio fit ad pastorem & Episcopum animarum nostrarum. Voluimus præsertim terræ fructus magis in apertum deducere, quos nominatione sola detexi,qui sunt spiritualis viuificatio, intellectualis illustratio, virtualis corroboratio, nec deessent originalia sanctorũ posita super numerum in ipsa eadẽ decretorum doctrina res istas loquentium suppeterent insuper testimonia operum vestrorum & studiorum,O viri patres ac fratres licentiandi venerabiles, perque probati & in his omnibus manifesti facti estis.

Sed patimini precor,vt suppressis interim laudibus vestris(quę per se satis patent & illustres sunt) quædam pro elucidatione præmissorum, pro obloquentium confusione, pro iuniorum quorumdam institutione proponantur patimini vt in doctrina cõmendationem conuertamus inuestigantes naturam huius sciẽtiæ postquam originem docuimus,modos insuper quibus per eam fieri debet conuersio ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum. Distinguamus notantes in primis ex scripturarum diuinarũ serie tribus modis aliquid conuerti. Nam est conuersio retrorsum,cõuersio introrsum & conuersio deorsum. Vis audire conuersionem retrorsum. Quid est tibi mare quod fugisti,&c. hæc est sursum ad originale principiũ & fontale,sicut Maria Magdalena cõuersa retrorsum agnouit Iesum. Accipe conuersionem introrsum,

A ibi: Loquetur pacem in plebem suam & super sanctos suos & in eos qui cõuertuntur ad cor,hoc est introrsum. Demum conuersio deorsum docetur ad naturale scrutinium: Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli &c. Ecce conuersionẽ in bassum & deorsum ad humile de se iudiciũ. Mirabitur fortasse aliquis quid sibi velit,quid proficit ista de cõuersione distinctio, multum per omnem modum & si superaddita fuerit alia distinctio proportionalis, quia vel ignorata vel neglecta totam

B conuersionis errore scientiam canonicam turbari necesse est. Est autem hęc cõmunis distinctio quod doctrina canonica tres in se iuris species aggregatas complectitur,ius diuinum,ius naturale,ius positiuum. Recipit itaq; ipsa corporis sui magnitudo sicut mare magnũ & spaciosum, plurima propriè de iure diuino & euangelico, vt sunt articuli fidei & sacramentorum traditio, & originalia quædam doctorum sacram scripturam exponentium. Recipit alia quæ sunt propriè de iure naturali, vt præcepta purè moralia,& traditiones philosophorum

C moralium in solo rationis dictamine stabilitas. Recipit alia quę sunt tantũmodo de iure positiuo vel humano, vt statuta quædam prouincialia vel synodalia, iudicialia quoque & cerimonialia aliqua,& ea quæ taxationes pœnarũ vel præmiorum respiciunt. Primum ius deriuatur à Deo tanquam immediatè ab Episcopo animarum nostrarum. Secundum ius inspiratum est ab eo tanquam à pastore nostro, cuius lumen signatum est super nos oues pascuæ suæ. Tertium fluit ab eodẽ tanquam

D nunc Episcopo, nunc pastore nostro, tamen mediante & interueniente humana voluntate, consensu vel auctoritate. Hæc autẽ ideo pręmiserimus vt triplex inde consideratio moralis & salubris inferatur. Pro intellectu iuris diuini comprehensi in decretalibus & decretis necessaria est cõuersio retrorsum ad Deum fontale principium,& ad suum euangelicæ legis reuelatæ vestigium. Pro intelligentia iuris naturalis ibidem positi requiritur conuersio retrorsum ad naturale scrutiniũ,& ad diuinum naturalis legis inditæ vestigium. Pro intelli-

E gentia iuris humani positiui vtilis est cõuersio deorsum ad conditionis humanæ multiplicis statum varium, vbi relucet aliquo remotum valdè & imperfectũ vestigium. Et ad hoc vt epikeya vel ęquitas conseruetur, conuertamus oculos mentis per has tres cõsiderationes & videbimus. Primò quod pro intellectu &c. vt prius. Perspicua est ex terminis prima cõsideratio, quoniã tales canones sunt, aut cõclusiones purè theologicę, aut articuli principales quos pro principijs theologia præsuppo-

F nens,ex his consequẽter alia & alia deducere consueuit. Propterea qui gloriatur se partem istam perfectè cognoscere, vt se theologum glorietur, consequens est, nisi fortè quis dixerit, & ad talium cognitionem sufficit textualis eorum quæ traduntur in huiusmodi decretalibus & decretis memoria. Sed quis nesciat quod similiter rurales plurimi præcipuos in symbolo & maximos fidei nostræ perceperunt articulos, eos autem quis vel theologos nominauerit, vel canonistas? Subinde deducimus quod dubijs emergentibus circa partem hanc iuris diuini in corpore canonum repositam & immixtam, finalis & certa decisio spectat ad originale

originale principium, vnde hæc sumpta cognouimus, hoc est ad theologicam disciplinam ad quam debet retrorsum fieri conuersio. Alioquin casuale esset vel impossibile naturaliter vt inoffenso pede sequerêtur vestigia pastoris & Episcopi Christi, & liberaretur anima à morte, tũ erroris, tum delicti, non absq; re dixit ipsa de se sapiẽtia, quod per eam legum conditores iusta decernunt. Quod si quis dederit aliquos ex canonistis, quales inueniri posse non negamus, qui partem hãc iurium diuinorum deducere ex principijs suis proprijs, declarare insuper atq; defendere cognouerint, eos non tam canonistas in hac parte quam theologos censebimus appellandos. Difficile tamen est (quemadmodum tetigimus & si nõ impossibile) vt vnicum hominis ingenium ad tot attendat, ad tot sufficiat. Nam vbi intenderis ingeniũ, ibi valet, ait Iulius Cæsar apud Salustiũ. Propterea dum ad particulares actus hominum & traditiones positiuas lenes ad cõcipiendum, sed ad retinẽdum & practicandum difficiles memoria alicuius tota cũ intelligentia se dederit, testatur Albertus Magnus cũ experiẽtia, quod vix postmodũ sufficit idem homo retrorsum cõuerti ad principia prima & vniuersalia, alta & abstracta perspicaciter, lucidè & tenuiter intuendũ. quippe grossescit quodãmodo ingenium dum sola grossa & palpabilia studio continuo cõsiderare sueuerit, docent hoc illi qui tempus in grammaticalibus rudimẽtis & similibus diu contriuerunt; eos enim rarissimè postmodum vidimus ad liberales artes idoneos. At qui versa vice subtiliatur plurimum & habilitatur animus dum ad principia prima subtilia, pura & abstracta primitus semetipsum sedulò conuerterit. Hinc fit vt studiosi scientię superioris longè clarius & acutius (& si non promptius) traditiones inferiorum sciẽtiarum subalternatarum, examinare, discutere, cognoscere interpretari & resoluere valeant, si ad illas suam dederint considerationem & non aliũde deprauatum habuerint iudicium, quam illi qui tales subalternatas scientias primo didicerint, ita vt facilius sit (exempli gratia) ex theologo puro fieri canonistam perfectum, quam in theologum probatum canonum studiosus euadat. Nec ista dicuntur (testis est veritas) vt honorabili canonum scientiæ (quam laudandam suscepimus, sicut verè laudabilis est) detrahamus, seorsum sit hæc à nobis stultitia, ad quid ergo? vt sciat vnusquisq; mensuram suæ vocationis & donationis Christi. Nempe quis honor est quæ laus quæ gloria, si quis vel se vel professionẽ suam vltra concessos limites extenderit, & extendendo confundere præsumpserit: Nam in falsitate qualis laus est? qui falsò prædicantur inquit Boëtius, necesse est vt proprijs laudibus erubescant. Erat autem consideratione dignissimum inuestigare qualiter anima per conuersionem retrorsum ad leges æternas, fit fortior atq; virilior, cum è contra proueniat dum deorsum conuertitur. Hinc duæ portiones rationis assignantur, superior scilicet, quæ vocatur vir, & inferior quæ fœmina nuncupatur. Quædam dictaueram hic scitu digna quæ proferre decreuerã, sed nolui propter eos qui prauè intelligunt, qui non libenter audiunt, quia nõ laudãtur, & peruersius referunt, & pessimè calumniantur, omnia ea sinistræ interpretationis dente lacerãtes, & cõuersi pedibus conculcãtes. Sed de se viderint tales & qualiter de fraternæ charitatis debito, & A sincero veritatis zelo reddituri sunt corã tremendo iudice Deo rationẽ, nos interea stupã ignibus apponere noluimus. Pro intelligẽtia iuris naturalis cõmemorati in decretalibus & decretis exigitur conuersio introrsum ad cor, hoc est ad naturale scrutinium & ad diuinũ naturalis legis inditæ vestigium. Hoc naturale scrutiniũ, hanc ad cor conuersionem appellam⁹ consideratiõe dictaminis naturalis & legis scriptæ in cordibus nostris, sic apertè loquitur Apostolus dicens, quod qui legem B non habent, intellige scriptã, ipsi sibi sunt lex. Docuerũt hoc Aristoteles & alij philosophi morales, qui solo ductu ratiocinationis naturalis virtutes docere vitia detestari potuerunt. Porrò super hac canonum portione in ordine ad moralem philosophiam, similiter dicere fas est, sicut in priori consideratione partem canonũ ad theologiã comparauimus. Addito quod lex hæc naturalis plurimũ obliterata est & obfuscata propter peccatum, ita vt ad perfectiorem eius lecturam lucem diuinæ legis radiare, & ad eam oculum rationis conuertere de- C beamus.

Pro intelligentia iuris humani positiui vtilis est conuersio deorsum ad conditionis humanæ multiplicitatem statumque varium, epikeyam quam Latinè æquitatem iuris interpretatricem nominare possumus, commendat hæc cõsideratio, & hoc in illis & circa illa quæ solo iure positiuo vel humano subsistunt, qualia variari & mutari pro varietate & qualitate temporum locorum personarum necesse est, non ita de iure vel diuino vel na- D turali, quorum vtrumque immutabili veritate subsistit. Hoc moralis Cato sic ait:

Ipse etiam leges cupiunt vt iure regantur,

alioquin iuxta Terẽtianum verbum, summum ius summa est malitia. Et propter traditiones hõminũ irritum fit mandatum diuinæ charitatis. Hanc epikeyam posuit Aristoteles in Ethicis legũ omnium directricem, quam abijciẽtes & soli cortici literali penitus adhærẽtes, non solum non proficiunt reipublicæ ex legibus suis vel canonibus, sed obsunt vehementer, ad quod est narratio Valerij de Sci- E pione Nasica dicentis, quod dum consul legis ordinem sequitur, id agit vt cum suis legibus Romanum corruat imperium. Hinc præclarè dictum est sub hac sententia; quod leges sequi non est legis verba, sed legislatoris intentionem imitari.

Ex his omnibus lucidè deducitur id quod præmisimus, quod ad perfectam canonicæ sciẽtiæ cognitionem triplex exigitur conuersio: Conuersio retrorsum ad Deum, Conuersio introrsum ad cor suum, Conuersio deorsum ad proximũ & statum eius varium. Hoc autem sub alijs terminis vulgato- F ribus est dicere, quod oportet in decretis & decretalibus distinctè videre quid in eis est de iure purè diuino, quid de iure purè naturali, quid de iure positiuo vel humano. Istis siquidem ignoratis confusionis sequi errorem necesse est, dum non separatur preciosum à vili, indispensabile ab dispensabili, incommutabile à commutabili, obligans lex à non obligante, necessarium à non necessario, & ita de similibus, ex quibus oritur deceptio, quemadmodum si non separaretur plumbum ab argento vel aurichalcum ab auro. Concludimus deinceps quod theologiã à canonibus

excludere, nihil aliud est quam suos sibi oculos euellere. Similiter canones velle destruere, est corpus proprium ecclesiasticæ politię deformiter habituare. Quærere præterea qualis scientia plus expediat ecclesiasticæ politiæ, vel euangelica vel canonica, est quærere quod in corpore membrum ad directionē suam plus exponitur, vel oculus vel aliquod aliorum. Denique sequitur quod in teminatione pręsētis schismatis tam perplexi tanque difficilis, sicut & in alijs arduis vbi traditiones humanæ nequaquā sufficiunt necessaria est præcipuè cōuersio retrorsum ad ius diuinū, quod est iurium omnium originale & fontale principium, forma regula & exemplum, fiat hæc animæ conuersio ad Iesum, tunc videbitur & tandem agnoscetur Iesus pastor & Episcopus animarum nostrarum, sicut à Magdalena cognitus est, dum conuersa retrorsum ait, Raboni. Materia postulabat & forsan hæc ingeniositas quoruumdam expectabat vt describere tentaremus, quid ius purè diuinum, quid purè naturale, quid positiuum vel humanum, quatinus inspici per conuersionē hanc triplicē lucidius posset cuiuslibet conditio. Hoc itaque difficillimum est quæsitu, hoc inuentu saluberrimum. Hoc enim est velut triplex clauis aurea ad reserationē omnium in iuribus contentorum. Sed neque locus, neque præsens actus, neque desiderata breuitas hæc patitur, rem potius ad scholasticum examen referre congruit, quemadmodum pridem in lectionibus paucis elucidare describendo tentaui, quod qualiter impleuerim, aliorū sit iudicium. Erat insuper quæsitu dignissimum quando sit anima prudentior vel per conuersionem retrorsum vel introrsum vel dorsum. Dicit enim veritas, quod filij huius seculi (qui vtiq; deorsum conuertuntur) prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua. Sed hanc iterum rationem qua super speculatione præmittimus & terminum dictis statuētes dicimus, quod quia triplex est conuersio ista, retrorsum introrsum & deorsum præsupponitur à vobis haberi, O licentiandi venerabiles. Quoniam præterea docuimus iam ab initio hos esse conuersos ad pastorem & Episcopum animarū vestrarum. Satis hoc fuerit nunc pro collatione vestra sumpta ex generalibus locis atque principijs. Supplicamus tandem vt conuertat ad se magis & magis omnes in commune pastor & Episcopus animarum vestrarum, hic per gratiam & virtutes vt beatæ societatis amplexu coniungamur eidem in gloria, cuius nos efficiet participes qui est Deus benedictus in secula. Amen.

ALIA COLLATIO PRO FACVLTATE DECRETORVM.

PAX *vobis, sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Missurus atq; licentiaturus post resurrectionē suam Apostolos dominus sicut ex testimonio Ioannis accepimus originaliter Ioan. 20. Recitatiuè autem in euangelio dominicæ currentis hoc pertulit ad eos. *Pax vobis, &c.* At verò cur ante licentiæ missionē prius obtulerit salutarem pacem, dum apud me etiam atque etiā recogito, magnum inuenio missionis Apostolicæ mysterium, congruum insuper pro re quam acturi sumus fundamentum. Voluit nimirum supremus cancellarius noster Christus dare palam intelligi, eos qui mittuntur pro Ecclesiastico regimine debere primitus

A obseruare pacem, nō qualemcūque. Est enim pax quæ zelabat super iniquos propheta, scilicet pacē quam mundus dare nō potest, propterea dicturus Apostolis: Sicut misit me pater, & ego mitto vos, præmisit: Pax vobis, &c. Quid autem sibi vult quod non semel, immo ter pacem dedit, nisi quia multiplex pax inuenitur præsertim triplex, conuenienter nisi fallor ad assignata secūdum tres respectus vel ordines quos habet homo, Ad Deū super se. Ad seipsum infra se. Ad proximum iuxta se. Pax

B quippe cum nihil aliud sit secundum Augustinum quam ordinis tranquillitas, perturbato ordine pacem quoq; dilabi consequens est. Porrò quisquis mitti quæritur, si careat tranquillitate ordinis vel ad Deum, ad se, vel ad proximū, ipse nequaquam idoneus erit qui licētietur, quo pacto sic? quia profectò finis in missione qualibet est pulchra pax corporis mystici, quod inhabitat & viuificat ille qui est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, de quo propheticus sermo scribit: In pace factus est locus eius. Hæc verò pax si defuerit, desit ordo necesse

C est ordine verò non existent, dum non redditur vnicuique quod suum est, regnat confusio, viget horror, furit discordia, qua res maximè dilabuntur, si tamen non mentitur Salustius, immo maior eo Christus dicens: Omne regnum in se diuisum desolabitur. Denique missus aliquis qua fronte pacem annunciabit? si totus versetur in turbatione, contrarius Deo, varius in seipso, iniurius proximo. Contrarius Deo qualiter? per inobedientiam. Nam quis restitit ei & pacem habuit? Varius

D in seipso qualiter? per legem carnis repugnantem legi mentis, qua fit vt homo secum litiget seclusus ab illa beatitudine. Beati pacifici. Scitum est autem illud:

Conuenit nulli qui secum dißidet ipse.

Iniurius proximo qualiter? per iniustitiā & varios dolos quos exterminare nititur rex pacificus, sicut hortatur Apostolus dicens: Solliciti seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et oro videte si non ad pacem hanc populis annunciandam licentiati sunt Apostoli, testimonium ab Ecclesia suscipite.

E Ciues inquit, Apostolorum & domestici Dei aduenerunt hodie portantes facem, & illuminantes patriam, ad quid? dare pacem gentibus & liberare populum domini. Propterea missurus Apostolos supremus cancellarius Christus & licentia magistrali decoraturus pace primitus communiuit eos dicens: Pax vobis, &c. Deinde subiungit: Sicut misit me pater, & ego mitto vos.

His itaque fundamentaliter prolocutis traducamus ad vos ô pręclari & venerabiles licentiandi

F sermonem & dicamus quod pater patrum in terris vicarius patris illius supremi cœlestis misit me (licet indignum) tantæ rei colligere, vacare, licentiare pro denuncianda & ferenda pace per totum corpus Ecclesiæ viros ad hāc rē idoneos & probatos. Et quia tales vos esse comperio, per depositionem illorum qui iureiurando cōstricti sunt fidele testimonium perhibere, super hoc iure mihi vsurpare visus sum (quāquā absq; vlla cōparatione minor) verbū supremi cācellarij pręmissū ad Apostolos: Pax vobis. Sicut misit me pater & ego mitto aut protinus missurus sum vos. Poterat fortè breuius hæc collatio pro similitudine cognoscenda sufficere,

sufficere, in eius tamen elucidatione non pigeat paulo diutius immorari. Sic enim odor vestrę laudis tali protractione redolebit effusius. Conuertamus igitur oculos nostrę considerationis ad generalem totius ecclesiæ vniuersitatem, ad vineam domini Sabaoth, ad vnum ouile pascuæ domini aspiciemus, ecclesiā iugiter indigere pro suo cultu & saluifica pace viris apostolicis in sacris canonibus eruditis, quos non propria temeritas euocet, sed superioris autoritas mittat. Nemo sibi assumit honorem, inquit apostolus, sed qui mittitur vt Aaron. Cæterum missionis huius qualis erit fructus, multus per omnem modum, tamen de triplici loquatur sermo noster vt infra terminos iam positos, ne nimis effluat, coarctetur. Missionem itaq; vestram ô Baccalaurij insignes triplex ecclesię necessitas petit, contra triplicem aciem tranquillitatis suæ & pacis aduersam & infestam, necessitas vna est hæreticos extirpare, altera mores componere, tertia iniurias propulsare. Hæreticos mittit velut apostolos suos pater mendacij extollens se aduersus scientiam Dei tollere pacem ad Deum.

Mores illecebrosos velut apostolos suos mittit caro militans aduersus spiritum tollere pacem hominibus ad seipsum. Iniurias & dolos velut apostolos suos mittit mundus qui totus in maligno positus est, tollere pacem ad proximum, ita verum fit illud: mundus, caro, dæmonia, diuersa mouent prælia: certantq; pari fœdere, pacem de terra tollere, pacem supernam, internam, fraternam. Aduersus hęc pro victoria promouet rex pacificus & supremus cancellarius mittens apostolicos viro in sacris canonibus & legibus eruditos, suadens Deū colere pro pace ad eum. Correspondent his tria quæ de apostolis dicta sunt honestè viuere pro pace ad seipsum, neminem lædere, & ius suum vnicuique tribuere pro pace ad proximum. Portantes facem & illuminantes patriam, contra cæcos errores hæreticorum. Dare pacem gentibus, contra tumultus carnalium desideriorum. Et liberare populum domini à fraudulentis insultibus peruersorum. Perscrutemur amplius, forsitan ostendet se nobis triplex ius quod in sacris canonibus respersum est. Ius euangelicum seu diuinum seruans pacem cum Deo. Ius naturale seruans pacem hominibus cum seipso. Ius politicum seu positiuum seruans pacem cum proximo.

His tandem armis triplex acquiritur victoria, pax triplex adipiscitur, & perinde triplex missionis vestræ ô venerabiles licentiandi colligitur causa. Quamobrem optabundus pronuncio: Pax vobis. Sicut misit me pater & ego vos mitto. Bene habet (ait Lactantius ex verbis Tullij) Iacta sunt fundamenta, collocati loci oratorij pro superædificatione perfecta commendationis inchoare quam mos exigi postulat iusticia quę suū virtutibus dat honorem. Abundant allegationes sine numero de scripturis nedum diuinis, sed etiam canonicis ea quæ præmisimus ostendentes. Etenim quis nesciat, pręsertim ex scientibus legem qualibus abundat cætus hic celebertimus, quis inquam ex his non cognoscat totam sacrorum canonum seriem, vel pro fidei determinationibus, vel pro bonis moribus, vel pro iusticia militare? Petit aliquis concordantias, A præsto sunt omnes canones, omnes decretales accipiat. Sed ecce dum ad extollendas laudes vestras super his fundamentis satageret meditatio mea, quid obtigerit dicam: Astitit insidiator mihi ponens offendicula, neque hoc prorsus insolutum reuocet memoria priores actus consimiles pro theologis, pro medicis, pro artistis, recordari poterimus, quid egerit liuor edax, pestis improba laudis alienæ cuiuslibet impatiens, sathan apostata, zizania seminans inter fratres, quid simile modo non agitaret sathan? Cur liuorem non B immitteret? sed cognitionem eius assiduitas effecerat potuissem mox eijci nec audiri. Accipite igitur commenta fraudulentiora nequitię. Missus est pro liuore zelus Dei, bonus planè nuncius si habuisset scientiam. Sed operante maligno repudiauerat eam velut obsistetem suis conatibus, itaque oderat eam, nec poterat ei quicquam pacificè loqui; væ tamen soli zelo tali, quia dum derelicta cum sorte & directrice sua discretione raptatur hac illac sine lumine, ipse currens princeps C incurrit.

Heu bene ambulantibus ab hac peste, vix nimirum altera est hostilior, vix fallacior, quæ sub specie boni & magni boni mentes extimulans ruere cogit, & in omne periculum trudit, proinde maledictus furor eius quia pertinax, & æmulatio quia dura, nemini cedens, credens nemini, fas insuper omne nefasque confundens, ad eius aspectum intendite, totus infremuit, gelidusque cucurrit ossa tremor. Cæterum zelus iste qui absque D scientia erat, ipse protinus horrifica voce rabiosa silentia rumpens satyrico tragicóque boatu, quid meditaris ait ô bone vir? immo ô stultissime hominum, quid tecum, nescio quid graue cornicaris inepte? tibi quo pacto venit in mentem traditiones hominum leges & mandata pręconijs extollere? quas satis improbare lingua non sufficit. Auferunt pacem omnem, lites afferunt, quia diuinæ legi contrariæ infestęq; sunt, quid me respicis? ita est. Si mihi non credis? prophetis crede, Christo crede, experientijs crede. Dic nobis E Esaia, quid de traditionibus hominum: quid de suis legibus ore Dei conscripseris: Timuerunt me mandato hominum & doctrinis, ideo ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.

Vide si non in præsenti scismate idipsum contigerit, vbi amputata difficultate vna redeunt tres (vt in fabulosa hydra) ægrescitque medendo. Cur hoc nisi quia petijt sapientia à sapientibus, & F intellectus prudentium absconditus est. Accedat & testis Matthæus, doceat nos quid Christus dixerit pharisæis: Irritum inquit fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Sine causam nunc colunt me, docentes doctrinas & mandata hominū. Hęc irritatio legis nōne manifesta est in eis qui nullam viā pro sedatione schismatis dicunt iuridicā, nisi quam libri sui scriptam habent, quasi ius diuinum non esset ius, neque via sibi consona dici iuridica mereretur. Referrem hic quam plurima super determinationibus

& nouis irritantibus legem Domini, vt de potestate papæ sui, quem volunt eximi à quauis humana subiectione, cum ius diuinum subijciat eũ omni humanæ creaturæ propter Deum, sicut seruum suum & correctioni fraternæ vt Petrũ Paulo subijciat & vniuersali ecclesiæ tanquam infallibili regulæ credendorum simul & agendorum. Subijciat tandem ex dabili casu culpæ incorrigibilis, cuique volenti nedũ ab eo appellare, sed eũdem incarcerare vel occidere. Quid præterea (Deus æquissime) sunt tot traditiones nisi totidem laquei vincula & restes pro retinendis implicandisque pedibus humilium ambulare violentium secundum legem perfectæ libertatis quam Christus in paucissimis voluit sacramentis contineri? quid quod telas aranearum humiles retinent, transmittunt fortes? Ecclesia rursus quę tota spiritualis esse debuerat, tota cœlestis, nõne per traditiones huiusmodi fere tota, immo penitus in brutalem sensualitatem miseranda vicissitudine dilapsa est? Arguar mendacij si non præponuntur temporalia spiritualibus, humana diuinis, terrestria cœlestibus quæstus pecuniarum saluti animarum. Hinc tot excommunicationum fulminationes, tot excogitationes cautelarum. Bene de his prophetauit Esaias: Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniusticias scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent! Hinc contemptus tam indignus virorum spiritualium, contemplatiuorum irrisio, exaltatio discolorũ inter quos superior euadit, qui litigiosior, astutior malignior, peruersior. Hinc demum effucata charitate regnat cupiditas, quæ impatiẽs est, maligna est, æmulatur, agit perperam, inflatur, est ambitiosa, quærit quæ sua sunt, irritatur, cogitat malum, gaudet super iniquitate, condolet veritati, nihil suffert, nihil credit, nihil sperat, nihil sustinet. Hoc vnum commune habere videtur cum charitate, quia nunquam excidit, quod nisi ita esset, qualiter exitiale schisma præsens atque pestiferum tam execranda cupidine dominandi lacerasset ecclesia? Sed & clerus qui cum Salomone sapientiam (quæ de sursum est) habere sponsam debuerat, assumpsit sibi meretricem illam magnam Babilonis, sapientiam terrenam, animalem, diabolicam. Væ væ væ habitantibus in terra ab hoc triplici monstro, quia nõ est pax coram eo. Vis audire quomodo? Ecce sapientia diabolica mittit tollere pacem primam ad Deum volens phantasticè cum lucifero extolli super omne quod dicitur Deus, ob hoc excogitans instar tyrannorum traditiones suę ambitionis defensatrices remunerãs abundè promulgatores suos, cæteros inhonorans. Quid animalis sapientia? mittit hæc tollere pacem hominis cum seipso, nutriens carnem contumacem aduersus spiritum & suis eum illecebris obsequi iubens. Mittit denique, Sapientia terrena, tollere pacem erga proximum, dicendo hoc est meum, hoc non est tuum, quæ duo auariciæ pronomina si remouerentur è medio, quietissimè viuerent homines. Sed vnde precor hæc omnia nisi quia demerguntur homines ad nimiam considerationem terrenarum administrationum? vnde grossescit ingenium, grauatur memoria, contenebratur & languet affectus. Vide si vis aliud nouerit quidam eorum cogitare quam super his allegationes allegationibus addere, mittere remittere, nec credere cuiquam veritati vel notissimę, nisi per expressum scriptum ostenderit. Audisti pridem dicta faceta dicacitate improperabat cardinalis Ambianensis Ebrudunensi: Si hunc inquit demersum in luto moneret aliquis surgere hoc ipse non faceret sine lege vel canone, diceret erubescimus sine lege loqui quanto minus illud vel illud operari, ad quod traditiones istæ temporalia pro fundamento iaciunt, magno plausu conclamantes, spiritualia sine temporalibus diu esse non possunt, cum ex aduerso monuerit veritas: Primum quærite regnum Dei & iusticiam eius, & omnia adijciẽtur vobis. O mores, ô tempora surdescunt homines ad tonitruum Christi, & audiunt susurros similes verbis Horatij:

O ciues ciues quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos.

Christus postremò suam ecclesiam nonne perfecta stabilitate fundauit legem statuens euangelicam quæ si ad regimen ecclesiæ sufficit (vt sufficit) quia Dei perfecta sunt opera, quid nisi confusionem superfluam, lites, discordiam tanta tanquam multiplicata iurium, legum & canonũ discordantium varietas operatur? Quocirca desere missionem studiosorum suorum, linque licentiã, si litibus, si iurgijs, si talibus volueris ecclesiæ discriminibus obuiare. Properabat hoc modo loqui zelus Dei, & malè properabat, quia non secundũ sciẽtiam, propterea luce relicta versus in furorem oblatrabat contra sanctissimas saluberrimásq; canonum sanctiones, deceptus imagine quadã spiritualitatis, falsęq; libertatis velamine cæcus peruersè res agebatur si consors zeli Dei suiq; directrix diutius absfuisset, quam nominamus sciẽtiã seu discretionem. Arist. epikeyam appellabat, voluntas Dei fuit vt veniret quæ vix tandem multo conatu renitentem zelum compescuit, imperans videret quid diceret, quid ageret, quid contra sacros canones aggarriret, meminisset veteris illius prouerbij: Ne quid nimis, discretio deinceps vertens ad me faciẽ sobriè (vt erat) medestoq; sermone sua fit vt zelũ Dei, nisi se pręsẽte nullatenus insequerer. Causam addidit, quia zelus Dei sine sciẽtia pręcipitat, sicut scientia sine zelo languida iacet. Neutrum bonum, perniciosius tum est obrui quam iacere. Adiecit plurima cognitione dignissima, quæ referre per singula breuitas vetat.

Eliciam duntaxat ex dictis scientiæ triplicem considerationem, vnde palam fiet, quia nihil ex obiectis prohibet missionem vestram laudabilem, O præclari & venerabiles licentiandi, obstat quoque nihil vti verbo Christi proposito traducto ad rem quã agimus. Pax vobis. Sicut misit me pater, mitto vos: aut ilico sum missurus. Est igitur consideratio prima generalis. Pręcelsa decretorũ facultas cum suis professoribus, nequaquã debet ex abutentium suis traditionibus prauitate culpari. Etenim quid tam sanctum dabitur, tam vtile, tam honestum, quo non contingat abuti? Detur theologia, detur eloquẽtia, detur medicina aut aliarum scientiarum salubriũ, detur ipsa ratio, quia nihil præstantius à natura collatum est. Nunquid non

non experimento cognoscimus talia crebrius assumi in instrumentum facinoris, quæ debebāt esse adiumenta virtutis fitq; verissima Aristot. propositio: Sæuissima est in iustitia ferens arma, sed in armatis culpa est, non in armis. Hanc cōsiderationem si zelus deserit, sæuit in virtutes, res optimas persequitur dum ab eis abusum non fecerint. Fefellit hoc zelus Vualdenses hæreticos, qui cognoscentes vitia prælatorum atque sacerdotum, inducti sunt ecclesiasticas dignitates officia, dignitates ordinatas à Deo, vel negare, vel solis iustis asscribere. Sic quosdam videntes mala fieri per ecclesiam ratione administrationis temporaliū rapuit zelus iste vel prædicando, vel docendo, vel legendo detestari statum omnem hierarchicum ecclesiæ, subneruare potestatem omnem & iurisdictionem ab eius prælatis, principes insuper & potentes seculi animare, vel ad rapinam iam collatorum bonorum vel à conferendis auertere, abominari deniq; curam omnē seu sollicitudinem temporalium, quia dum credunt dicere cum apostolo: Nostra conuersatio in cœlis est, volunt omnia sua basi metiri. Patuit hoc nuper in doctore quodam Angelicano, patuit in Marsilio de Padua & similibus tractatoribus, immo obtrectatoribus super ecclesiastica potestate, in quorum persona superius inducebatur loqui zelus Dei non secundum scientiam. Addamus quia nihil est aliud in humanis ex omni parte beatum seu perfectū, neq; germinat granum virtutis sine palea, fœno vel stipula vanitatis. Nihilominus sæuit zelus dū solus est beluina rabie contra defectum quantumlibet mediocrem, & ita sæuit vt zizanijs paucis totam sementem eradicet. Par illi qui pro defensione denarij centum marcas audet exponere, aut illi similis qui effugaturus muscam volitantem caput excerebrat, aut qui reparaturus domū ruinosam, eam ictu vehementi funditus exterminat. Sic dum satagit iter rectum incedere vectus equo feroci sine freno calcibus ob mos omnes deijcit, deturbat, suffocat, occidit, neque puero parcens neque seni, grauidis vel infirmis, sed conterit in spiritu vehementi, quicquid viæ suæ visum fuerit obsistere, vult hic omnia puniri citò & velociter, nihil futuro reseruās Dei iudicio. Quod si audierit apud curiam aliquam iusticiæ ecclesiasticā vel secularem quicquam non rectum fieri, sicut humanitus aliquando non fieri non potest, proclamat in spiritu oris sui. Tollatur curia talis, mutetur, disperdatur, quia totum dissipat & subuertit. Denique quia apud zelum hunc suspecta sunt omnia, odiosa omnia, desperata omnia officium arripit diabolicum, officium aduersandi. Nāquicquid ab alijs pręcogitatū, consultū attentatūve fuerit impugnans, destruit, nihil tamen ędificās, nihil promouens actor contradictorū non consiliator. Nihilominus aliquanto satius est agere bona cū paucis defectibus, quam obseruando ventum nunquam seminare. Hæc ideo dicta sint ne zelus Dei sine scientia culpet, ita deinceps vel persequatur abusus aliquorum quin inuiolata remaneat. Hinc honorandæ decretorum scientiæ, eiusque cultoribus sua fama, sua laus, sua gloria, nec obstiterit quin liberè denunciem licentiaturus eos: Pax vobis, sicut misit me pater, & ego mitto vos.

Sequitur altera consideratio. Præclara decreto-
A rum facultas, neque legi diuinæ, neque naturali quomodolibet aduersatur. Tollatur zelus iste qui non pacem inter has facultates theologiæ & decretorum, sed gladium mittere conaretur. Nimirum hoc agere quid aliud esset quam corpus vnū membratim discerpere, secādo caput à membris, cor à venis, animam à corpore? Lex itaque canonica nunquid non ab euangelica manat, deriuatur & viuit, sicut membra à capite, venæ à corde, corpus ab anima? Alioquin non diceret Sapientia de seipsa: Per me reges regnant, legum condi-
B tores iusta decernunt. Quis à philosophia medicinam, quis scientias aliàs à metaphysica vel logica separaret? Sic nec canones à theologia, quare? quia traditæ sunt apud eam leges primæ inuariabiles & æternæ, à quibus originantur sicut à fonte fluuij conclusionum particularium in sacris canonibus, in concilijs generalibus, in pontificum decretalibus contentatum. Has conclusiones quisquis doctrinaliter elicere atque educere cognouerit, vel à principijs descendendo ad con-
C clusiones, vel à conclusionibus ascendendo ad primas leges, ille iam neque theologus, neque iurista solummodo, sed in vtroque perfectus habebitur. Memini me iubileo altero super hac re latius in actu consimili & consequenter in multis lectionibus disseruisse definiendo quid ius propriè diuinum, quid naturale, quid canonicū, quid pertinens vel impertinens, quid ex vtroq; mixtū. Differentias quoque & conuenientias ad inuicem quantum dedit Deus aperientes res planè
D difficilis, sed saluberrima, cuius ignorantia perniciosiorem quam dici potest confusionem inducit. Poterant alia ex huius considerationis radice documenta trahi, quatenus obiectis zeli nimis audacibus fieret apertior responsio, vt præterea dilucesceret amplius qualiter & quousque regulas canonum & iurium positiuorum obseruare conuenit, dum tractatur expulsio præsentis execrandi schismatis, quoniam lex euangelica sufficientes ad hoc regulas habet, si pio seduloque (vt debuerat) studio quærerentur, & inuentæ complerent-
E tur, subiungendo variabiles traditiones inuariabilibus, temporales æternis, & diuinis humanas epykeya mediante, quam latinè possumus æquitatem nominare, cuius est iura scripta non ad verborum corticem, sed ad intentionis medullam inspicere, etiam vbi opportunitas vel necessitas exegerit addere nouas contra morborum nouos modos. Medulla verò intentionis qualis altera est quam pax, quam charitas, nam finis legis charitas, secundum apostolum. Properabam absoluere considerationem hanc secundam migra-
F turus ad tertiam, dum studiositas speculatrix familiari quadam fiducia properantem detinuit, multa rogitans, quærens plurima sumpta ex dictis occasionem dubitandi & cognitionis ardore succensa. Dic inquit quomodo spectat ad decretorum facultatem hæreticos extirpare, cum hoc esse proprium theologiæ videatur officium? Dicat theologus de falsitate, iurista de punitione, hoc vtiq; me dicturum respondi. Dic cui fidei plus dandum est in expositione textus decreti vel decretalis, an theologo vel iuristæ?

Adhibito vtrinq; pari studio. Nam theologia si architectonica sit respectu decretorum eorum interpretationem, nonne sibi vendicat iure suo? Ita sibi vendicare respondi dum ostendit quod in vnoquoq; canone est de lege diuina, quid de positiua constitutione & consequenter quid necessariò tenendum, quid pro tempore & loco variandum, si & vbi lex euangelica in aliquo sui læsionem pateretur. Hoc theologorum præcipuũ, hoc assiduum studium esse debet si professionẽ suam integrè voluerint adimplere, separare sc. praeciosam à vili, & regulas generales in moralibus & theologicis veluti quasdam claues inuenire, solet zelus meus pro domino Deo faciliter torqueri, solet indignari velit Deus quod vtiliter & secundum superiores. Dic quid facilius est, vel theologum descendere ad cognitionem decretorum, vel decretistam ascendere ad theologię notitiam? vtrunque enim fieri posse notasti. Respondi facilius esse primum, quam alterum, declarationẽ omisi. Dic quid eligibilius est canonistæ pro sui cõplemento, vel leges ciuiles, vel theologiam cognoscere imo hanc tenentur scire, aut scientibus credere, nisi perniciem magis operari velint, quã pacem, præsertim in interpretationibus doctrinalibus occurrentium dubiorum in sacris & similibus quę vobis interpretatio nunc conferetur &c. Dic cur & quando separatio facta est inter theologiæ & decretorum facultates, cum tempore magni Greg. & antea soli viderentur ecclesiam regere theologi? Huic quæsito consideratio tertia respondebit. Dic an separatio talis profuerit, & si sic, quæ facultas remanserit vtilior, aut pro ecclesiastico regimine præferri dignior? causam auget dubitationis scriptum Aristotelis quod in agibilibus particulares sermones quales sunt in iuribus, magis prosunt. Sicut procurandis morbis medicina, quam philosophia cognoscitur vtilior. Item quia Deo propicio temporibus istis atq; locis desunt hæreses per theologiam extirpandæ. Quid deniq; faciunt ad regimen populorum speculationes istę quibus occupantur theologi, si suprema species esse possit? Si distinctio sit talis aut talis inter attributa diuina? si creatura sit eleuabilis ad creandum? si ideæ vel essentiæ creaturarum fuerint ab æterno distinctæ à Deo & similes? quales sola schola theologica videtur amplecti. Respondi quæstionem hanc non esse dubiam, nisi apud illos qui in dubium reuocarent, an debeat ordinatio salubris morum constructioni murorum, & saluatio veritatis præferri procurationi ciuilitatis iuridicæ. Bene ergo dic rursus quomodo verum est quod dixisti, sufficienter traditam esse in euangelio doctrinam extirpandi schisma, cum ibi neque de schismate, neque de summi pontificis electione, neque de electoribus dominis cardinalibus, neque de circunstantijs electionis & similibus multis fiat verbum. Dic postremò quid intelligis notans iura scripta ad terminos euangelicæ legis esse resoluenda pro sedando schismate? Vis ne quæratur, pars malè tenens sit tota in se & suis partibus extra statum salutis? An censeri debeat schismatica hæretica? An expediuit tales omnes anathematizari & de necessitate vitandos nunciat, immo viribus extirpari, an quilibet de parte sit prorsus ineligibilis ad papatum, cardinalatum, episcopatum, sacerdotium? An processus iam fulminati sic ligent reos vt non possint ab eis sine expressa scismatis abiuratione & absoluta culpæ confessione tolli vel suspendi? An possit papa viuens eligere successorem? An contendentes instituere possent se mutuo legatos à latere dum viuerent, & superstes esset papa? An ista sit hæresis, demonstrato ius habente in papatu? A non est papa, ab A fieri potest appellatio. A subijcitur consilio, ab A inuito potest extorqueri cessio. A tenetur cedere pro euitando scandalo. Multiplicare magis & magis huiusmodi quæstiones videbatur studiositas speculatrix sciendi auida. Cui ego: Noli precor mihi molesta esse, differ interim vel desere grauem hanc quæstionum importunitatem, vide quia non satis ad rem quam agendam suscepimus spectat hęc disgressio, vel si spectat tempus aliud expectat. Obticuit studiositas. At ego considerationem tertiam & finalẽ accepi à scientia qua perspicuum fieret de vobis, O licentiandi venerabiles, quia iure mittendi estis, & ad libertatem licentiæ doctoralis sublimandi. Illuminare populum, daturi pacem gentibus, & liberaturi populum domini.

Est igitur consideratio tertia: Præclara decretorum facultas cuius vos studium erudiuit, collatiua pacis est in ecclesia Dei, non solum quoad Deũ per extirpationem hæreticorum illuminando patriam, iure diuino dirigente, neq; tantummodo hominis ad seipsum per compositionem morum dando pacem gentibus iure naturali dominante. Sed etiam ad proximum liberando populum domini ab oppressionibus improborum, iure politico iudicante. Fuerant hæc ab initio proposita, quorum illucidationem interturbauit zelus Dei, non secundum scientiam cui iam pro maxima parte respondebimus. Supersunt aliqua super necessitate constituendi iuris canonici, & quidem multiplicatis dotationibus ecclesiarum & ecclesiasticorum, oportuit consequenter pro administratione talium pacifica sanctiones vltra legem euangelicam multipliciores institui. Dicat nobis Aristoteles rationes. Paucissima inquit committenda sunt iudicibus. Quare? quia qui ponit hominem iudicem, ponit Deum & bestiam. Lex verò tanquam Deus dominatur. Animaduertite hic quam eleuatè senserit Aristoteles. Vidit itaque quod recta ratio quam diuinam vel Deum sicut Cato nominat sit in homine, & sensualitas quæ brutis bestijsque similis inuenitur, dicente propheta: Comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Non autem bene conueniunt, nec in eadem stant sede iudicij brutalitas atque diuinitas. Lex idcirco fuit instituenda secundum dictamen solius rationis, vt brutalitatis expers sola iudicaret cum auctoritate, cum vtilitate, cum tranquillitate, in missione auctoritas, in pace tranquillitas, in vtroque veritas.

¶ Satagam si potero rem hanc ad apertiora deducere, quod vt fiat, voluamus aciem nostræ considerationis ad conditiones sensualitatis, videbimus quia trahit eam sua voluptas, non honesta cupido, commodi, non decor iusti, propterea rapitur assiduè quadruplici passionum.

Nunc gaudio gestit, nunc dolore mœret, illum nunc spes extollit, nunc deijcit metus,

ita

ita confusa sunt hic omnia, spes metus, mœror, gaudium. Hoc vidit egregius poëta scribens de animis in corpora mersis.

Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque dolentque.

Væ rationi à pestibus his hostilibus quibus vtitur sensualitas vt deturbet eam à sede iudicij, à cathedra veritatis & quieto lecto iustitiæ. Quo contra, quid aget ratio, quid aget, nisi tollere penitus à se penitus abijcere cum suis passionibus hanc bestiam. Verũ id quo pacto fiet? quo gladio vtiq; legis rectè diuidentis rationem ab omni vitiosa passione, vt nec muneribus inclinetur nec alliciatur blandicijs, nec terrore frangatur, nec seducatur spe quin reddat vnicuique quod suum est, Deo obedientiam, sibi continentiam, proximo æquitatem, sic erit perfecta pax triplici funiculo conuexa, triplici iuris titulo statuta; sic obtemperatio fiet Boëtio dicenti: Gaudia pelle, pelle timorem, spemque fugato, nec dolor adsit nubila mens est, vinctáque frenis hęc vbi regnant.

Potuerant hæc in longius trahi, si ex scriptura sacra per concordantias & distinctiones, tam de pace quam de missione placuisset orationem contexere, sed hæc interim suffecerint. Exorandum, vt depulsis his passionum quatuor obstaculis, pacem veram habeatis, sicut vos habere & habituros esse mihi sentire æquum est, O præclari viri patres mei & fratres, & Deus pacis erit vobiscum ad dirigendos pedes vestros in viam pacis, sicut pro commendatione simul & exhortatione & licentiæ doctoralis collatione traduxi verbum eius ad vos: Pax vobis, sicut misit me pater, & ego mitto vos. Ad quid mitto? vt fructum afferatis, & fructus vester maneat. Qualis fructus? fructus iustitiæ, qui est pax. Pax supernalis, internalis, fraternalis, & tandem pax æternalis. Cuius nos participes efficiat princeps pacis Iesus Christus supremus Cancellarius noster, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

SERMO DE COENA DOMINI.

AD *Deum vadit*. Originaliter Ioan. 13. & in euangelio recitato præsentialiter in hac lugubri hora, in ista nocte anxia, in recessu tuo mœstissimo bone Iesu, vbi est quæso pijssima & dilectissima mater tua? Quid agit? quid meditatur? nunquid tu nobis per miserationes tuas? nunquid insalutata discedes? Liceat sibi prius te videre, te alloqui, tibi cum plangore & singultibus ingeminare, ad Deum fili mi, fili mi ad Deum, ad Deum dilecte vteri mei, ad Deum spes mea, salus mea, decor meus & gaudium, & quid non sequor te quocunque ieris, parata quidem sum tecum in carcerem ire. Ecce viri patres & fratres pium miserandumque spectaculum. O Deus, ô pietas, separatur ecce filius & talis filius vnigenitus à matre viceroſissima, mors atrocissima vinculum corporeæ societatis abrumpit, vnus Mariæ matris cum Christo filio spiritus scinditur, auellitur, & sauciatus quodammodo dimidiatus vitam agit morte amariorem. Nam Maria (vbicunque locorum sit) in hac luctuosissima & suprema nocte nequaquam existimanda est ignara omnium quę ventura sunt super filium. Væ tibi Iudæorum infelix inuidia, væ tibi auaricia Iudæ nequissima, quãdo tibi magistri pulchræ dilectionis & honestatis. Hæ pe-
A stes improbę talem in filio crucem crudelissimam & gladium transuerberantem tuam ipsius animã parauerunt. Et nos si qua nobis viscera pietatis, si cor etiam lapideum fuerit, nam & lapides scissi sunt, & terra commota est, commoueatur corde, conuertamur spiritu compatiamur carne, à facie domini, non modo quia venit, sed quia vadit. Et quamuis feliciter ad Deum vadit, non tamen pro sensualitate suauiter, sed acerbissima prorsus passione, quæ pręmediata, nunc post aspecta mater
B nostra non potuit non compati, non lugere, non commori, quem compassionis spiritum in nobis suscitet amor filij & eiusdem matris. Amor insuper propriæ salutis, & quod omnis istius doloris & recessus amarissimi nos peccatores causa sumus, pro se enim quid innocẽtissimus agnus meruerat: Conuertamus oculos ad matrem dolorosam, contristatam & dolentem alloquentes eam, quilibet in secreto cordis sui, prout deuotio concesserit. Nam salutatio angelica solita videretur in hoc luctu importuna narratio, quoniam Iesus
C filius tuus ô benedicta in mulieribus vadit ad Deum, & iam mox non erit corporaliter. O gratia plena dominus tecum, ad Deum vadit.

Tria olim dicebamus esse huius horæ vespertinæ mysteria specialia, pedum lotionem, Christi humiliationem, sacramentalem refectionem. Et hinc triplicem titulum consurgere posuimus, quo anima christiana fit domina omnium, & omnia dat ei pater in manus. Pridem vnũ ex his mysterijs explicuimus, dum de pedum lotione per gra-
D tiam collatio confecta est, in eaq; ostensum quod lotus hoc modo omnia habet in manus titulo filiationis, quia si filius, & hæres. Deinde hac eadem hora reuolutis diebus collatio habita monstrauit quod humilitas vera ius habet ad omnia, quoniam qui voluerit esse dominus omniũ, erit omniũ seruus, & qui se humiliauerit, exaltabitur. Reliquum est in nostro proposito vt hęc collatio deseruiat sacramentali refectioni, quæ memoriale est ardentissimæ & insuperabilis dilectionis. Hoc
E inquit, facite in meam cõmemorationem, in cõmemorationem. s. illius, quo nullus maiorem habuit charitatẽ de qua verè enunciauit. Si amabilis tunc domini Salomõ, fortis vt mors dilectio. Hæc nempe est quæ mori eum qui mortis habet imperium compulit, per hanc Iesus magister & dominus noster ad Deum vadit. Et nos si verè christiani dicimur & sumus, transeamus oportet ex hoc mundo ad patrem cum Christo vt det nobis omnia in manus. Pro cuius ostensione duas adaptabimus collationi particulas, vt quasi totidẽ pedi-
F bus oratio nostra transcurrat. Prima pars edocebit quibus gradibus anima christiana vadit ad Deũ, quia per cognitionem & amorem, & magis per amorem. Secunda ad pergendum suadebit, animabitque. Itaque viri patres & fratres Iesus Christus ad Deum vadit, ipse pascha vel phase celebrat. Nam pascha transitus ascendit iter pandens ante nos, exaltatur à terra vt omnia trahat ad seipsum, si quęruntur pedes, alæ si vehicula, amor sibi præcipuè viam facit. Nam quod est pes vel ala in corpore, id agit amor in mente, nobis similiter necessarius amor est

si viam excellentiorem (ita enim apostolus eam nominat) pergere, si Christum sequi voluerimus, A pondus meum amor meus inquit Augustinus. Illo trahor quocunque trahor, nimirum cum & ipsum ingẽs cœlum amore rapiatur in circulos suos & amore regatur. Hinc est illud gemebundum Boëtij votum, quod ex alto circunspiciens Boëtius suspirabundus ait: O felix hominum genus si vestros animos amor quo cœlum regitur regat. Hæc quamuis ita se habeant præcedit nihilominus in creatura rationali, præsupponitur pes alius, spes sinister cognitionis. Nam ad incognita quis dextrum amoris pedem extenderit? Hi pedes vbi statui debeant notauit propheticus sermo: Statuit inquit, supra petram pedes meos, & totum gratiæ suæ ductrici donaretur addidit, & direxit gressus meos. Quod si de petra supra quã statuit dominus pedes istos, aliquis ambigat, tollit omne dubium apostolus, dicens: Petra autem erat Christus. Et ipse Christus de se: Ego sum via, veritas & vita. At verò iturus ad Deũ Christianus & verus Hebræus phase celebraturus egebat viatico, ne deficeret in via, & ne pedes sui ambulando languescerent, destituerenturque viribus, sicut indigent assidua lotione, ne contractis sordibus horrescant. Neque dicatur: Sordes eius in pedibus eius, viaticum verò quale aliud diuinius? quale facilius & efficacius excogitari vel tradi potuerat, quam sacrosanctum edulium corporis & sanguinis dominici hodierna cœna instituti in hoc æterno testamento? quando memoriam fecit mirabilium suorum miserator & misericors dominus, escam dedit timentibus se. Hic est panis de cœlo verus, hoc manna absconditum, hic cibus angelorum, hic panis viuus, ex quo si quis gustauerit, non morietur in æternum, hic porrò panis confirmans cor hominis, hoc vinum lætificans & germinans virgines id est virginales purissimasque affectiones. Hic deniq; subcinericius panis, in eius fortitudine ambulamus vsq; ad mõtem Dei, qui euertit castra Madian, qui paratur in cõspectu nostro in mensa altaris aduersus omnes qui nos tribulant, quisquis ad Deum vadit vtatur viatico hoc, non deficiet, non oberrabit, non peribit, sed pertinget. Omnia quippe seruiunt ei qui fruitur hoc alimento, angeli etiam obsequuntur, ne forte offendat ad lapidem pedem suum. Nam cum ex vetere prouerbio amicorum omnia sunt communia, & omnis vtens hoc viatico vtens inquam, non abutens sit amicus Dei, immo vna cum ipso caro & spiritus. Nam in eo manet, & Deus in eo. Quid consequentius quam omnia esse subdita sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi

Quomodo enim non omnia subiecta essent sub pedibus illis qui in altissimis ambulant, qui in itineribus æternitatis ad æterna pergunt & ad Deum vadunt? Nam si amor verius est vbi amat, quam vbi animat, amat autem eum qui in altissimis habitat. Vt ergo amoris iste pes supergrediatur vniuersa, necesse est. Nam & tali pede omnia famulantur & seruiunt diligentibus Deum (inquit apostolus) omnia cooperantur in bonum. Hoc eodem pede eleuato cętera omnia trahuntur ad seipsum. Sic enim voluit intelligi dominus de imitatoribus suis illud quod de se ait: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Quod si omnia trahuntur per amoris pedem eleuatum à terra, consequens est vt omnia sint in eius potestate constituta, & hic est titulus charitatis & dilectionis, quo animæ dantur omnia in manus. Quo præsupposito veluti perspicuo postquam simul docuimus, quibus pedibus vir Christianus & euangelicus aut verè Hebræus ad Deũ vadit, quia per cognitionem & amorem & audiuimus ex propheta, vbi statui debent pedes isti quia supra petram, petra autem est Christus.

B Attẽdamus pro nostra eruditione qualiter apostolus pedem cognitionis fixerat atque statuerat supra hanc petram. 1. Cor. 2. Non iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hũc crucifixum. Ait verò de amoris pede magnus & egregius martyr Ignatius: Amor meus crucifixus est, amorem suum Christum appellans. Ita meminit Dionysius 4. de diui. nomini. Videtis igitur quod hoc sacramentum via similis est & viaticũ, via deducens, viaticum corroborans. Propterea C figamus primum pedem cognitionis in hoc sacramento, confitentes in eo Iesum Christum & hunc crucifixum, deinde pedem alterum pedem amoris trahamus & extendamus in anteriora amantes Iesum Christum & hunc crucifixũ. Quod si in scholastico exercitio aut apud incredulos habẽda mihi esset oratio, priùs erat (fateor) vt argumentis certissimis nostræ fidei tollere niteremur omne offendiculum, quo minus anima rationalis statuat supra hanc petram pedem suę cognitionis. Hoc itaq; pede deficiente vel titubante, impossibile est progredi vel vtiliter vel constanter, nunc D quia in Deo orationis & in schola deuotionis vos alloquor viri patres & fratres. Vos inquam quibus certum est, & quia in se credentium remunerator est. Quodque in hoc sacrosancto sacramento Iesus Christus est & hic crucifixus. Vnde & sentio compendiosius vobiscum agendum esse, statuistis enim supra petram pedem vestræ cognitionis & fidei. Superest tantummodo vrgere stimulis diuinorum verborum, vt pedem amoris extendamus conformiter ad hunc primum E pedem & passum, quo credimus quod in hoc sacramento est Iesus Christus & hic crucifixus, ne videlicet credentes & non amantes, cognoscentes scilicet Deum, & non sicut Deũ glorificãtes, demum in reprobum sensum pares dæmonibus effecti qui credunt & contremiscunt. Sed quia dilectionis pede orbati sunt, ipsi in æternum conciderunt interitum, & semper in peiora ruunt.

Iuxta quod assumo quadruplicem considerationem. Prima consideratio. Si pes cognitionis F naturalis absque exorbitationis errore apud primum parentem nostrum & philosophos statui supra firmam petram diuinæ prouidentiæ potuisset, & pes dilectionis conformiter extendi, tunc iustificatio huius sacrosancti sacramenti tam necessaria non fuisset. Cognouisset itaque primus parens Deum in suis & ex suis creaturis omnipotentem, sapientissimum, iustissimum, misericordissimum & optimum, cuius potestati nihil difficile, cuius sapientiæ nihil abscondibile, qui ex iusticia nullum malum impunitum, & ex misericordia nullum bonum absque remuneratione præteriret. Supra hanc solidam veritatis

petram pes suæ cognitionis fixus esset, & bene iret pes reliquus dilectionis, amando talem omnipotentem, liberrimum, æquissimum & optimum Dominum, patrem & creatorem conseruatorem vicinum.

Nunc verò post peccatum pes cognitionis positus fuit etiã apud philosophos in inuio errorũ, & non in via veritatis, tantã quippe suscitat cœcitatis caliginem peccatum, nisi fidei lumen opituletur, quod de diuina prouidentia libera vel omnino diffidimus, vel nõ nisi tremula quadam ambiguitate coniecturamus. Alius omnia necessitatis fato subiecit, nec posse alia fieri quam fient dicit, vt Platonici & Stoici. Alius omnia casibus incertis fluctuare cõmentatus est, vt Epicurei. Alius humanas animas de corpore in corpora commigrare somniauit, vt Pythagoras. Alius æquauit pecudibus, vt impius Alexãder & Saducæi. Alius sub vnitate cõfudit, vt Auerrois. Ita hi & alij ferè omnes sine fide omnipotentiã à Deo & sapientiã & iustitiam & misericodiam & saluationem sustulerunt. Errante verò aut ita fluctuante pede cognitionis, quid in pes amoris vel oberrat vel quaquauersum vel titubet aut languescat? Itaque pes amoris mei quo pacto feretur in Deum tanquam in bonum summè gloriosum & honestum, si omnipotentiam eius impiè negauero, si dixero eum non posse alia facere vel fecisse quam quæ video oculis. Ita enim miraculo quælibet & ex consequenti iuuamina supernaturalia abijcio, nec potero in Deum ponere spem meam, qua ratione præterea pedem amoris mei dirigam in Deum tãquam in bonum verissimum & prouidentissimũ, si nihil extra se intelligat, si circa cardines cœli perambulans (vt quidam ait) nostra non consideret. Denique frangitur omnis pes amoris ad Deũ, si neque iustitiam punitiuam exerceat ad malos, neque in se credentes & sperantes & amantes remuneret.

Sed omnia æquè eueniant iusto & impio, immolanti & victimas contemnenti. His siquidem ablatis quis terminus ambulationis erat in homine vltra pecudes, & vltra quam habeant equus & mulus, in quibus non est intellectus. Ad alium terminum, neque Stoici neque Peripatetici, neq; Epicurei, neque Academici, neque omnino aliqua hominis æstimatio vnquam solidè potest amoris pedem perducere, nisi pes cognitionis prius in diuinæ prouidentiæ liberrima & optima confessione firmatus extiterit. Et quoniam ex his quæ facta sunt non attingebamus sufficiẽter post peccatum, sempiternam hanc Dei virtutem & diuinitatem (pes enim cognitionis fractus erat) addita est fides pro reparatione huiusmodi & alligatione firmiori, quæ fides captiuat intellectum in obsequium suum, maximè in hoc sacramento, vt cognoscat Deum alia posse & scire facere quã faciat. Intelligit quoque Deum aliam prouidẽtiam de hominibus gerere quam de iumentis ideo quod hominibus escam eo efficaciorẽ & homine digniorem quo dissimilior est corporalibus edulijs præparauit. Quanto mirabiliora sunt ea quæ traduntur in hoc & de hoc sacramento, illa tanto vehementius sua dignitate alliciunt, vt ad Deum vadat anima christiana, quia enim ea quæ tradũtur in hoc & de hoc sacramẽto talia sũt, quę

A non nisi ab omnipotentissimo & sapientissimo & dignantissimo Domino fieri possunt.

Nonne inducunt hunc Dominum venerari, revereri atque diligi, cui nihil est difficile, qui omnia quæcunque voluit fecit, cuius sapientiæ non est numerus, qui sanctus est & benignus in omnibus vijs suis? Super ista digne figitur pes fidei, transcensis eis qui vel solus sensus vel sola ratio comprehendit. Dehinc pes amoris extenditur, tanto sublimius atque rapacius, quanto constat bonum illud quod diligi proponitur esse bonum per essentiam. Cætera omnia non nisi per participationem quandam analogam. Illud insuper esse
B omnipotentissimum & per se sufficientissimum, aliud quodlibet fragile, insufficiens & caducũ. Illud denique esse tale ad quod nunquam frustra spes nostræ dilectionis aspiret, & ad quod eũdum facti sumus, non ad bibendum, comedendum, ludendum more beluarum, in hoc noster finis, nostra ingenuitas, nostra perfectio, nostra nobilitas, quia enim pes cognitionis nostræ ibat post vanitates & insanias falsas, multa fecit Dominus mirabilia sua in hoc sacramento, & cogitationibus
C suis non est qui similis sit tibi. Quorum tamen mirabilium multitudinem nullus infideliter mirando discredet, si ad omnipotentiam & sapientiam & dignationem tanti opificis attenderit, cuius sapientiæ sicut nec potentiæ non est numerus, quid mirum si ad eam non potest cognitio nostra facta in numero, põdere & mensura, mirabilis facta est scientia tua &c. Quamquã si mirentur homines huius sacramẽti mysteria, sic mirẽtur vt credant, & sic credent vt ament, & sic ament
D vt perseuerent, donec intrẽt in sanctuarium Dei, & intelligant facie reuelata ea quæ sacro nunc velamine conteguntur. Poteram harum mirabilium quæ non videmus rationabilitatem per alia mirabilia quæ videmus sentimus, experimur, deducere tum ad solatium humilium tum ad retundendam ceruicosam superbiam eorum qui se philosophos dici gloriantur. Sed alio loco hoc ipsum fecisse satis existimans & ad talia pergens, hæc desero. Contingit simplices absque literis velocius & citius ad Deum ire quam multos ex literatis.
E Pergenti quippe ad Deum claudicatio noxia est claudicant verò omnes literati habẽtes magnum pedem cognitionis, qui amoris pede vel carent, vel breuiorẽ eum nimis habẽt, quos sub alia metaphora notauit propheta, qui introijt in sanctuarium & scientiam Dei, & intellexit in nouissimis eorum. Posuerunt inquit in cœlum os suum loquẽdo de cœlestibus, & lingua eorum per quam sapor accipitur transiuit in terra, amando scilicet lingendoque terrena, horum pes dexter non su-
F pra petram sed vel citra vel extra vel nusquam extenditur ad diuina. At æquè plerumque vbi minus est cognitionis, vbi plus est affectuum, hoc in feminis, etiam apud bruta videre est. Propterea apud multos ex idiotis dum cognitionem fides solida supplet, curritur via mandatorum Dei, & ambulatur in latitudine illa charitatis, de qua dictum est: Latum mandatum tuum nimis. Nos verò quid agimus quid non agimus? surgunt indocti & cœlum rapiunt, nos autem cum literis nostris sine corde demergimur in infernum, vt Augustinus audita vita Antonij suisque testatis-

mis miraculis ingemuit. Et attendat precor quisquis adest si potest concipiat quam forti ac veloci non modo pede, sed ala dilectionis currebat supra petram Christum in hoc benedictissimo sacramento ille simplex Cisterciensis, qui post eius sumptionem suspendebatur in aëra. Hæc erat via colubri supra petram, quæ Salomon meritò difficilis videbatur. Alter notus Guilhelmo Parisiēsi, qui hoc, sicut præcedens, exemplum recitat in sua rhetorica diuina, solo odore huius sanctissimi sacramenti trahebatur ad locum in quo recondebatur quantumlibet abditur. Pes amoris in via hac Dei sæpe intrat vbi cognitionis pes foris stat, quamuis ita ambulando in via Dei modo prætacto, dum pede fidei præposito subsequitur pes dilectionis, trahi possit consequenter pes cognitionis ad vlteriora, propinquiori luce cognoscenda eundo sic pede post pedem. Attamen pes amoris dexter sublimius semper extendi potest pro hac via quam sinister. Hæc est theologia mystica.i.occulta, hæc scientia propria catholicorum, hoc manna absconditum, hic calculus in quo est nomen nouum, quod nemo nouit nisi qui accipit. Hæc ambulatio ad Deum exemplo Moysi in monte & diuina caligine, quæ ambulatio magis potest suaderi quā doceri. Ita enim monuit propheta. Gustate & videte, ac si pro re nostra diceretur, vadite & videte, nam quorsum & quousq; valeat attingere pes amoris solo eundi experimento cognoscitur. Quamobrem his ita prælocutis de pede cognitionis & fidei, quo præposito anima Christiana vadit ad Deum.

Enitamur pro secunda collationis parte monere potius quam docere vt amoris pes subsequatur, & in interiora magis magisque tendatur. Ad Deum vadit Iesus Christus & hic crucifixus, figamus hic viri patres & fratres, figamus cum apostolo pedem nostræ cognitionis, non indicemus nos aliud scire, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Non nutemus, non labamur, volentes plus sapere quam oportet. Hoc sciamus, immo hoc credamus, hoc de isto sacramento fideliter teneamus vt & sufficit sit in hoc passu solidata anima vadens ad Deū satis erit ad terminū suæ felicitatis pede amoris reliquo contingendum, hoc est itinerarium mentis in Deum super quō & de quo multi multa elegantissimè tradiderunt, & nominatim Bonauentura suo modo, alij suo & alio. Sed consummatio sermonum omnium amor est quem habet anima ad Iesum Christum & hunc crucifixum neq; ob aliud dictum est: Finis legis Christus, & pro eodem: Finis præcepti dilectio. Mirum verò est dum statuitur tanquam in via pes cognitionis Dei in memoriali æterno huius sacramenti, quoniam gelido torpore tenetur pes nostræ cognitionis vt non repente gradiatur, immo euolet immo rapiatur ad terminum suum (qui est Iesus Christus & hic crucifixus) obtinendum? Dic nobis anima precor & obtestor, dic tu, nunquid non per affectiones amorosas moueris, viuis & gradieris, iam hoc ita esse suasum est. Dic proinde nobis vnde oritur amor in te? vnde consurget hoc muliebris affectio? Respondebis ex apprehensione boni conuenientis vnde censes. Sed perge vltra dicere quotuplex est illud bonū? Tu illud vel ad triuariam coextendes sequendo scholam Peripateticorum, ad vtile, delectabile & A honestum, vel Stoicis crepens tu vnicum bonum appellabis, quod honestum est. Nunc vero siue honesta sola quæritur, siue vtilitas ambitur, siue iocunditas affectatur, inuenies in his tribus verbis quasi mel cœlicum in totidem fauis reconditum Iesus Christus & hic crucifixus. Iesus quid iocundius quid delectabilius cogitatur? Iesus quippe saluationem sonat, & nihil est saluatione post captiuitatem iocundius Christus quid honestius, quid sua maiestate magnificentius æstimatur? Nā Christus vnctionem, & vnctio sacerdotalem simul & regalem demonstrat dignitatem. B Et hic crucifixus nihil planè vtilius, nihil quoque salubrius audiri poterit à nobis quam de crucifixo Iesu Christo in quo est salus, vita & resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus. Cur igitur ignaua languescis ô anima christiana, quo pacto inerti segnitie lāguida deprimeris? Tu horum omnium (vt dicis & debes) credula statuisti in loco pedem tuæ cognitionis. Cur pedem alterum dilectionis non protendis? sed de primis, qua ratione non in latitudine ambulas vt equus campo C liber aperto, qui spaciantibus per colla iubis ludit, saltat & lasciuit? ad extremum, quanam degeneri seruitute in arctissimis corporalium rerum amoribus captiuata compeditaque teneris? Audis quod ad Deum, vadit Iesus Christus & hic crucifixus. Eya age rumpe moras omnes ô anima Iesu Christi crucifixi titulo insignita. Ob hoc nempe ad Deum vadis vt sequaris. Sed dices: debilitata sum, damnata sum, illaqueata sum, inuiscata sum, D incuruata sum, infixa sum in limo profundi & non est substantia. Adde quotlibet alia volueris impedimenta, enitere nihilominus & amoris pedem ad Iesum porrige. Ipse est secundum nomen suum saluator. Ipse euellet de laqueo pedes tuos, & perficiet quasi ceruorum. Nam & quid aliud venit Iesus & crucifixus, nisi vt sanet, saluet & liberet. Ama eum & si non propter se qui totus est desiderabilis, propter te tamen qui sanat omnes infirmitates tuas, & redimit de interitu vitam tuā, quale tibi poterat efficacius exhibere, non dico E poculum, sed opus amatorium Iesus quam vt te prior vsque ad mortem & talem mortem amaret. Senecæ, immo naturæ, verbum est, si vis amari, ama. Voluit amari Iesus, ideo sic amauit, si non prorsus ingratissima es ô anima, vicem repende, redama eum saltem in modico, qui in suo infinito absque mensura, etiam vsque ad sobriam quādam insaniam te dilexit. Quid oro stimulare sufficiet ad amorem, si tam acutus dilectionis aculeus inefficax extiterit, in qua flamma calesces, si tam immensum fornacis amatoriæ incendium te algidā, F teque congelatam dimiserit. Propterea perge ad Deum ô anima protenso dilectionis pede, si fixo cognitionis pede confiteris, quia Iesus Christus & hic crucifixus est in gloria Dei patris, qui in hoc sacrosancto sacramento est tibi laus, tibi rex, tibi sacerdos, tibi hostia, tibi omnia facta, iustitia sapientia, redemptio & sanctificatio, tua via & viaticum salutare, quod si lassitudinem viæ conquereris, audi quia ferculum fecit sibi rex iste pacificus de lignis libani de lignis candidatis. Hoc ferculum si nescis quod fert christianos, crux est in quo si confixeris manus operationum tuarum & pedes

pedes affectionum (crede mihi) sustolleris in altum absque offendiculo. Porrò Ioannes & cæteri sanctorum erunt tibi columnæ argenteæ, virgo benedictissima ascensus purpureus, & media charitas contristata est Iesus Christus & hic crucifixus.

Exhortatio protractior erat in proposito, sed breuitatis tum amor tum necessitas finem iubet fieri sub conditione quadruplici. Monstruosa res esse debet apud christianum vtentem hoc benedictissimo sacramento habere pedem suæ cognitionis & fidei in cœlo sursum, & pedem amoris iacentem & languidum in terra deorsum, ita tamen si verus sit pes illa fides quę non per dilectionem operatur, quæ sine operibus mortua est, & de qua Ioannes ait: Qui dicit se nosse Deum & mandata eius non custodit, mendax est, fit nimirum vt pes amoris ingrossatus & inuiscatus in terrenis tandem suo pondere detrahat, & sua contagione inficiat pedem cognitionis, sicut è diuerso ipsos amoris pes sanus & alacris currens viam mandatorum Dei in latitudine charitatis ait, vt subuehatur altius & altius pes cognitionis. Fastidire manna cœlicū huius benedicti sacramenti, & ad ollas carnium allia, & pepones Ægyptiacæ tenebrositatis suspirare, signum est nunquam pertingendi ad terram cœlestis promissionis incolēdam. Talium enim cadauera prostrata sunt in deserto, quales & si corpore videantur esse in via Dei ad cœlum, ipsi in amoris pede lubrico Ægyptiacam vitiorum ferream quam seruitutem reuertuntur. Erubesce ô anima turpitudinem tuam, ingratitudinem tuam, miseriam tuam. Animaduerte quò pergis, & responde quò pergis? Respondebis (si verum dixeris) ego ad infelicitatem vado, ego ad interitum vado, ego non ad Deum, sed ad diabolum vado, ego damnationem meam sequor; immo ab his falsis bonis & iam non bonis, quia falsis, illuc sinistrorsum rapior, præcipitor & detrahor. Erubesce ergo retrorsum conuertere, & ad Deum vade. Quotidianus vsus huius sacramenti (si dignè fiat) miro modo promouet in via Dei pedem vtrumque cognitionis simul & amoris. Si verò indignè, illud trahit in præcipitium inferni. Iudas in exemplum, ita euenit vt sicut nulli proximiores fiant Deo quam dignè celebrantes, ita nulli obstinacius & irreuocabilius elongantur ab eo, quam qui sua indignitate hæc sancta (quantum in eis est) commaculant, quod talis iudicium sibi manducat & bibit. Hinc est prophetica imprecatio: Fiat mensa eorum &c. Intelligitur autem de sumptione non tantum sacramentali, sed etiam spirituali, qualis apud nos ecclesiasticos iugiter esse debet, quod dum non facimus, hoc facimus vt sicut ingratiores, ita elongatiores simus à Deo præ omnibus hominibus. Illi soli pascha verum celebrant, soli Christum euntem ad Deum insequuntur, soli paschalem agnum immolant, qui peregrinos se deputant super terram, dicentes vnusquisque cum propheta: Incola ego sum in terra, & cum apostolo: Non habemus hic manentem ciuitatem sed futuram inquirimus, prout de vno quoque sanctorum cantat nostra mater ecclesia, quod in hac peregrinatione solo corpore constitutus cogitatione & auiditate in illa æterna patria conuersatus est. Et heu si ita est, si sumus aduenæ & peregrini, omnia cur agimus quasi iam

A in portu & ciuitate constituti habemus? Qua temeritate stultos viatores nonne vos benedixerim? tum ex multis, tum nominatim ex quatuor. Prima stultitia quod fasciculos deprimentes & colligationes iniquitatis sedentis super talentum plumbi, graues sicut onus graue quotidie imponimus ceruicibus nostris, circumligantes nos funibus peccatorum, nec ad pœnitentiam confugimus, quæ ab his tandem sola nos liberat. Secunda stultitia, quod lumina diuinæ legis nequaquam quærimus aut circumferimus nobiscum

B pro cogitando vbi & quorsum gradiamur. Sed ad obscuras aut parū lucidas humanarum traditionū nebulas, nos præsertim ecclesiastici oculos totos animi vertimus, si non peius conuertimus. Tertia stultitia, quod litigamus in hac via nostra, rixamur, belligeramus, vindictas expetimus, cursum nostrum propterea deserentes. Hæc stultitia quoque ad vim pertinet irascibilem, sicut præcedens ad vim rationalem, & sequens ad concupiscibilem. Quarta stultitia, quod cum fœdis volupta-

C tum volutabris nos plerumque totos immergimus, nec emergimus per pœnitentiam, procrastinantes & promittentes nobis celerem cursum à terra vsque ad cœlum, & in ipso momento nocturni temporis in morte, sed potius timere debuimus ne tenebræ nos comprehendant, si non operamur dum dies est. Erubescamus viri patres & fratres super his stulticijs nostris, pudeat nos habere faciem euntium non in paradisum, sed in infernum. Iuxta quod quidam impinguatus, incrassatus, dilatatus bene curata cute, vnius Epicu-

D rei de grege porcus, viso altero pœnitentia macilento & ieiunio. Heu miser inquit, quid agis & vnde venis? apparet quod venias de inferno, cui ille non minus mundialiter, & tu inquit, ad infernum pergere videris. Non sic nos sed descendamus in infernum, viuentes per pœnitentiam & inferni timorem & horrorem, ne quando pœnitentia illuc deturbemur morientes, à quo præcipitio & horrendo lapsu liberet nostros pedes Dominus noster Iesus Christus, dirigens eos in

E viam pacis & itinera æternitatis. Amen.

EXCERPTVM QVODDAM
IOANNIS GERSON PER MODVM
prologi, in quo cupit antiquos doctores lectum iri posthabitis suis lucubratiunculis.

Bene actum esset cum humana natura quæ cognitionis auida est, si seposita curiositate vel audiendi vel afferendi

F semper aliquid noui, ipsa iam bene inuentis sobria humanitate prius vteretur. Qua super re quandam vel non paruam epistolam vobis scripsisse memini. Attamen hoc non potest, aut vix potest persuaderi scholasticis præsertim iunioribus. Delectat quippe eos, nescio quomodo citius vel transcribere vel studere recentius compilata quam vetera, more puerorum qui nouos fructus licet acerbiores edunt auidius quam maturos digestos & sanos. Credant qui volunt, ego vè de me loquar aliquid, quia me iam res aspicit,

mallem vel (quod nullus ambigit) malle deberem studiosos viros dare se totos probatissimis præcedentium doctorum libris intelligendis, quã ipsos sterili ruditate opusculorum meorum tempus atterere. Neque enim famam meam more hominum loco prorsus inquietissimo iactare sic debeo: Neq; opuscula mea ita velut proprios filios diligere, quemadmodum de poëtis loquitur Aristoteles quin æquo animo patior, nihilũ gloriæ meæ pro nihilo reijci, vbi gloria Dei vera & solida apertius augeretur. Augeretur aut apertius si postpositis doctrinis salubrioribus meæ inutiliores occuparent aliorum ingenia. Et vbi quæso esset humilitas sapientiæ radix? vbi canticum illud: Soli Deo honor & gloria si magnanimitas, & non iam magnanimitas, sed magna malàque animositas, suam gloriam augeri in diuinæ gloriæ affectaret detrimentum. Illa verò magnanimitas est quæ magna operatur, dicens, nihilominus cum Christo: Si gloriam meam quæro, gloria mea nihil est. Propterea veniat fama propria, veniat infamia, magnanimus nequaquam deflectitur ab opere, vnde Deus honoratur & proximus ædificatur. Cuius oppositum in vane gloriosis euenire necesse est, quoniam fama exhilarati dilatantur infamati contabescunt & desistunt. Quippe ventilogia sunt & arundines quaquauersum vento fauoris popularis agitatæ. Sentio tamen quid mihi hæc dicenti possit opponere zelus, vel fraternus vel liuidus. Cur scilicet ego vel aliquid scribo, vel scripta non protinus lacero? vel si ita scribere & seruare propria vtilitas exposcit (sicut exposcit) cur ea ne foras prodeant, non intus obcludo? hoc ideo planè, quia contra domesticos talium rerum fures, non fuit aliqua mihi satis fortis sera, quin me proprohibente clam fere omnia diriperentur, incorrecta etiam & sparsa per minuties qualia ego ipse vix relegés intelligerem, vel in vnum compingerem, quo magis ignosci peto & obtestor, si talia ab alienis inconditè corruptéque habeantur, qualia vtinam (quia neque copia penes autorem est, nec emendandi licentia) flamma vorax absumpsisset, aut minutatim lacerata irent in obliuionis æternæ sepulchrum. Accedit ad hæc sedulitas tum amicorum, tum quandoque æmulorum flagitans per se & alios vsque ad molestum fastidium, ea quæ liberet amplius inclusa seruari, digeri quoque, tum demum ea sic vel corrigere publicanda, vel abolenda damnare. Rursum quoniam ita se res habet vt quorundam curiositas adeò cupida sit nouorum (quamuis imparium valde veteribus) quod vel ex complacentia sumendi, quemadmodum in cibo corporali euenit vel ex inertia videndi vetera proficiet eis lectio nouellorum. Eligibilior vtique erit profectus vel paucus in istis, quam nullus in illis. Tandem quis nesciat esse sicut in faciebus, sic in animabus differentias innumeras, & gustum spiritalem sicut & carnalem compertum est variari, vt quidem isti ad nauseam, alteri ad salubrem nutritionem proueniat.

Quis scit ad extremum si gustatis riuulis studentes, aut dulcore riuulorum allecti coniecturare de fontibus sapidiora, aut limosiore eorum potione fastiditi, fontes exquirere puriores valent.

A

EPISTOLA IOANNIS CANCELLARII PARISIENSIS
ad Petrum episcopum Cameracensem.

EX litteris binis tuæ dignationis reuerendæ pater ac præceptor optime, palam facta est anxietas animi tui, eò quod zelus domus Domini & reipublicæ salus comedit te. Vere quicquid video inquis, mihi graue est & penè importabile. B Propterea commouet paruitatem meam tuam dominatio vt de suaui iugo Christi scribam aliqua. Sed vnde melius exordiar dimisso alioquolibet excusationis exordio quam à tyrannico diaboli carnis & mundi iugo sæuissimo prorsus & crudelissimo, quamquam insania nostra iudicet aliquando illud suaue ex febrili corruptione palati spiritualis. Attamen salutis initium est cognoscere se ægrotum & dolere. Nam qui malis obturpuit, hic non dolet, bene habet ergo quod molestant te omnia C quæ cernis, vtique temporalia atq; mortalia plena vndique vanitatibus & insanijs falsis. Cur ita? planè vt suspirabundo voto dicas cum propheta: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, vel volabo & requiescam? Tunc quasi iam voti compos exultat subiungens: Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. In qua solutudine nisi fallor mansionem & nidum suum collocauerat, vbi & apostolus cum dixit: Nostra conuersatio in cœlis est, nunquid non magna solitudo cœlum, nun- D quid non est desertum? Hinc pollicetur Dominus per prophetam: Ædificabuntur in te deserta sæculorum. In hoc deserto nonaginta nouem oues relictæ sunt. Sed quomodo collocatur mansio in hac solitudine? Respondet ecclesia canens de confessore aliquo quod in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione & auiditate in alia patria æterna conuersatus est. At verò quis fructus accrescat sic fugienti, sic elongato? explicat propheta cum ait: Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempe- E state. Dicit apostolus: intus timores, ecce pusillanimitatem spiritus, & foris pugnæ, ecce tempestatem, quæ duo militare contra animam tuam ingenuè fateris. Porrò quid agendum superest, nisi orationem fundere cum propheta & dicere quod sequitur: Præcipita Domine & diuide linguas eorum, ne scilicet elata præsumptio fabricet sibi turrim contra cœligenas iustos de ecclesia. Causa subditur: Quia vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate & cætera quæ sequuntur F incõmoda. Age ergo præceptor inclyte, fac quod prophetam audisti. Accipe pennas sicut colũbæ, pẽnas deuotæ meditationis vt mediteris, sicut colũba, cogitans dies antiquos & annos æternos in mente habens, sic enim elongabis ponens altissimum refugium tuum vt non possit accedere ad te malum. Desere per contemptum quicquid in terrenis libere potest, hoc iam facis. Sed egrediẽdum est, non hic sistendum, si ablactatus es ab vbere consolationis terrenæ, quærendus est cibus alius solidior, cibus internæ deuotionis. Desine ab ira & derelinque furorem, noli æmulari, hoc est, indiscreto zelo succendi. Sed iacta cogitatum

tuum

tuum, spem tuam, orationem tuam, auxilium tuum in Domino, & ipse solido cibo enutriet te. Nec ista dixerim docendo, sed meam insipiētiam dum tecum loquor commouendo & segniciem stimulando. Prouideamus ne contingat nobis quod pueris imbecillibus solet, hi dum cadunt in terram irascuntur sibimetipsis, tundunt aliquando ceruicibus terram, cæteráque impatientiæ signa ostendunt, dolent cecidisse, sed non bene dolent, dum sibi suæque imbellicitati quasi per se sufficiens ad standum esse debuerit irascuntur. Sic nos grandiusculi pueri sæpe agimus in in aduersitatibus nostris, vt publicis succensemus, indignamurque nobisipsis vel proximis, & non petimus auxilium, nec confugimus, aspicientes ad eum qui saluare nos debet à pusillanimitate spiritus & tempestate, quemadmodum puero prostrato auxilium quærendum est, non à se, sed à patre, matre, ductore. Audiui multos dirè & dignè tortos & in semet frustra tabescentes, quia peccando ceciderant quos non adduxit ad resurgendum Deus quamdiu versabantur indignantes per considerationes in luto peccati sui & transgressionis, quia hoc magis superba præsumptio quam humiliatiô videbatur. Mox autem vt conuertuntur, oculos suos ad Dominum tendentes manum humiliter vt eos subleuaret, exauditi sunt, sanati sunt, erecti sunt. Hæc ideo cursim & raptu quodam animi dixerim, immo proiecerim, deserens corrigendi spacium & cum litteris mittens, & hoc ne tabescamus in consideratione malorum præsentium vel imminentium. Sed tanto vigilantius dicamus ad Dominum cum Iosaphat: Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros ad te dirigamus, sic consolabimur lugentes, quia humiliabimur (vt debemus) sub potenti manu Dei, & auxilium vnde petere sperareque debemus, requiremus. Hoc modo suaue nobis fiet iugum Christi, dulcescetque ex consideratione & spe salutis suæ. Hoc modo leue nobis fiet, quia totum onus super humeros suæ prouidentiæ & benignitatis & misericordiæ reponemus. Hoc modo sentiemus experti etiam nunc quod promittit Christus dicens: Beati qui lugent, quoniam consolabuntur.

Super quo verbo sermonem alias exposui in præclara vniuersitate Parisiensi, sicut nunc alium mihi incumbentem contexere disposui super hoc verbo, miseræ ætati nostræ satis accommodo & materiæ quam loquimur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, vtinam mererer præsentiam tuam præclare Domine, latior esset allocutio per verba quam esse vacat per scripta. Interim bene vale. Scriptum Parisijs matutino octauarum beati Dionysij, cuius inter cætera suadeo videre octauum capitulum de diuinis nominibus, vbi iustitiam Dei defendit contra insultantes, quod Deus iustis calamitates supra cæteros semper immittit. Tuus discipulus Ioannes cancellarius indignus ecclesiæ Parisiensis.

A EPISTOLA IOANNIS GERSON CANCELLARII PARISIENSIS AD *Petrum episcopum Cameracensem.*



SI de temporali consolatione tecum actum est prout scribis pater reuerende ac præceptor charissime, bene prorsus & diuine tecum actum esse nullus ambiget qui propheticam illam vocem ex intimo cognouerit: Renuit consolari anima mea, B Memor fui Dei & delectatus sum. Ablactatio siquidem à temporali delectatione initium est non dicam idoneum, sed necessarium, vt subintroducatur & crescat solida veráque delectatio, quam sentiebat qui dixit: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine. Et ne carnales ad eam se admitti præsumerent, subiunxit: Quam abscondisti timentibus te, illis scilicet qui dicunt ex sententia: Confige timore tuo carnes meas, vt apostolicum illud in eis fiat: C Christo cōfixus sum cruci. Deniq; si ad illud quod præmissum est à propheta: Memor fui Dei & delectatus sum, & defecit spiritus meus. Qualem arbitraris esse delectationem in tentione Dei, & familiari secum amplexu? quando sola memoria talis est, vt deficiat spiritus, non vtique mala, sed bona defectione. Sic gloriabatur propheta, dicens: Defecit in salutare tuum anima mea.

Quid autem pater hic optauerim, quidve fidenti charitate commonuerim? nisi vt tempo- D rales illas delectationes (de quibus actum est) non requiras absentes, neque rursus persequaris fugientes, aut tristeris amissas, indignæ sunt planè quas tantus & talis vir cum molestijs & anxietate requirat tam fugaces, iam iamque perituras, vtinam nec ad perditionem secum dimersuras, eos suis funibus quos ad cœlestia capessenda, contemplanda, possidenda Deus ipse formauerat.

Potuerat hæc materia in longissimam protrahi E orationem, sed ipsa talis est quæ à sanctis creberrimè tam verbo quam scripto, & vberrimè tradita est. Propterea neque de hac re amplius neque de alijs ad hanc quam postulare dignaris consolationem spiritualem spectantibus, scribere quicquam præsumpsi, tantum suffecerit annotasse loca quædam, quorum frequens vsus & conuersatio, præbent sugere mel illud cœlicum tanquam è fauis scripturarum illarum eliquatum & infusum dum premuntur. Collocemus in F primis Bernardum, super Cantica, alterum quoque subsequentem eum fere pari passu Sigibertum monachum, Dominum venerabilem Richardum de sancto Victore, in opusculis suis omnibus quæ de contemplatione disertissimè composuit. Augustinus in confessionibus & meditationibus & psalterio & sermonibus. Et Gregorius in homilijs. Et vt nouos attingam, Guillelmus Parisiensis & Bonauentura, & alij, quorum opera manent.

Quid aliud quæso patres illi egerunt, nisi vt consolationem spiritualem quam requiris spreta

carnali succenderent in animis auditorum? Sic & lectiones Ioannis Chrysostomi, Cypriani, Cassiani & Climaci, & sanctorum patrum vitæ, & legendæ sanctorum, quales in ecclesiastica historia conscribuntur, non nisi stimuli sunt ardentes ad calefactionem animæ ex gelicidio temporalium cogitationum torpentis & emortuæ. Denique venit nuper ad manus meas opus illud impefectum Hugonis super Ecclesiasten, Deus optime quam paucis verbis totam banc de contemplatione materiam sub tropo fumi, flammæ & carbonis exposuit? Chrysostomus singularem de huius rei acquisitione tractatum compilauit, quam de compunctione cordis censuit appellandum. His interim superficietenus ac in transitu præpositis, assumam hanc multam ex multo amore fiduciam, vt dem consilium non requisitus, immo vt alias iam datum nunc repetam, hoc est vt societatem, aliquam exerceas tecum pater magnifice, quæ vtilis & potens sit tibi tuoque statui in agendis succurrere, quatenus ille vnicus in terris optandus finis commodius assequatur, quæ est pax serena mentis, quia væ homini cuius vtraque consolatio abscondita est ab anima eius, vt nec temporalem habeat, & careat æterna vel interna. Vnus saltem esset in conuictu familiari necessarius, quid assiduè tibi legere qualia prædiximus, & loqui cum sapore sciret, vix enim ab incipiēte quicquam sapidum exprimitur. Eum insipiētem voco, qui de scripturis & earum intimo sensu nihil saporis habet imbibitum. Supersunt duo rursus ex literis vestris à me quæsita. Vnum super victu & pompa prælatorum. Aliud super verbo illo: Iugum enim meum &c. Et de isto quidem vltimo nihil ad præsens scribo, nisi sicut prius egi, remittitendo ad primam partē summæ communis de de virtutibus. Illic pulcherrimæ atque profundissimæ recitantur rationes, quare via virtutis delectabilior est, suauior, quietior, iocundior, & ita de similibus, quod autem fiat de necessitate tribulationis virtus, ille idem tractatus cum illo de de vitijs, pluribus in locis ad hoc vehementissimè trahunt. Similiter libellus ille de duodecim fructibus tribulationis optimè compositus. Illos videre non pigeat. Porrò quantum de primo attinet, nescio me habere lectionem illam, quam non satisfacere dicitis in hac parte. Propterea dicam breuissimè in hac re quod sentio, & quod tunc (vt opinor) dum scripsi sentiebam. Dico autem quod status iste magnificus exterior apud philosophos, reputatus est semper de bonis, quæ dicuntur indifferentia ad bonum vel ad malum moris, quoniam secundum varietatem circunstantiarum contrahunt vel bonitatem vel malitiam. Dico præterea, quod theologia debet illustrare rationē philosophicam, non è contra, quia quædam ideo iudicarentur recta ex dictamine rationis non sic illustrata, quæ mala esse ex hac illuminatione deprehenditur. Dico amplius quod si in prælatis omnia concordarent statui illi paupertatis Christi & suorum apostolorum, perfectior esset eorū imitatio & vtilior, quam sit magnificus status præsentium. Dico consequenter, quod quia respublica vel ecclesia non gubernatur per. S. sicut quidam acutè dixit, fuit expediens præsupposita imbecillitate prælatorū in moribus quod iste decor aduenticius in ecclesia quandoq; seruaretur, sicut

A & nunc apud multos qui nihil habent in moribus magnificū, vtinam nihil diabolicū per quod non dico, attraherent plebem ad reuerentiam spiritualis dignitatis, sed funditus euerterent, nisi quodā exteriori splendore tenerentur. Dico ad postremum quod si prælatus etiam ista ætate esset sufficienter stabilitus in humilitate, & charitate repletus, qualem esse debere prædicatorem. Bernardus scribit sermone 17. super Cantica. Nullum est apud me dubium, quin plus proficeret imitando paupertatem apostolicam, quam fastum istum

B temporalem. Visum est hoc aliqualiter ex coniectura in magistro Ioanne de Vorenuis, qui propter austeritatem vitæ populos innumerabiles aggregabat, nec æstimari potest fructus ille quem protulisset si fuisset comes humilitas & filia eius discretio. Denique præceptor charissime, nisi solus & socretus soli & secreto scriberem, iure inculparet me apud omnes multiloquiū istud meū, quod quasi docere videtur magistrum, quasi prætera tu qui in statu es perfectionis exercendæ,

C statum primò introeas perfectionis acquirendæ. Bene vale pater reuerende & præceptor charissime, mei memor in orationibus tuis Scriptum Parisijs confestim post receptionem litterarum missarum 18. Augusti.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO PETRO DEI *gratia Cameracensi episcopo.*

D REVERENDE pater in Christo & Domine præstantissime non nos fugit quantæ subiaceremus culpæ, si vestra beneficia quibus nostrum corpus nūc lætatur, silentio suppressa transiremus. Beneficio certè suscepto (si creditur Senecæ) is qui suscepit profiteri debet gaudium, & id danti facere manifestum, vt fructum præsentem capiat, quod si dissimulet gratias agere, nonne turpissima labe matris vitiorum omnium ingratitudinis, toti morta-

E lium generi odibilis, depasci interius ac rodi iure existimatur? Vestrum beneficium nobis nuper impensum, apud vos potius prædicandum quam effusius referendum arbitramur, me narratione rei optimæ cognitæ benignas vestræ paternitatis aures inimico fastidio afficiamus. Iam enim (nisi fallimur) præcurrit orationem nostram vester animus omnium prudentia copiosè pollens, & de beneficio nostræ facultati per vos impenso, in annectendo officium lectoriæ sacrarum litterarum vni præbendæ non tantum in metropolitanis ec-

F clesijs, sed & suffraganeis huius regni, aliarumque partium aliquarum, nec est quod nobis dicatis domini nostri Papæ id esse beneficium, non vestræ paternitatis. Siquidem ei iubendi autoritatem ascribimus, & quod vestris precibus omnium benignus exauditor inclinauit, ingentes ei gratias litteris iam egimus & agemus certè frequenter. Nihilominus non nescimus totius beneficij vos caput fuisse, vos principium, vos finis fuistis vester iste labor fuit. Excogitatis modum saluberrimum, quo pestibus in ecclesiæ gremio indignè durantibus obuietur, quo ecclesiæ languoribus medeatur,

medeatur, & excogitatum vigilantissimo studio executioni celerrimè mandari procurastis, quare beneficium hoc vniuersum (quātumcunque est) quod certè maximum est, & vobis attribuendum iudicamus, & potiores gratias deberi fatemur, quas si minus cumulatas referamus, ne quæsumus nobis potius assignetur, quam beneficiorum magnitudini omnium gratias agentium facultatem excedent, & aciem ingenij perstringenti, & certè si bene nouimus vestræ paternitatis solertissimam exactissimamq; sapientiam, non gratias expectetis quæ vires exuperant, sed his contenti estote quas gestienti affectu licet impares, referimus, satisque futurum speramus, si non rei, tamen vobis quam nostras operas vestris commodis ac honoribus non defuturas pollicemur. Nosque vniuersos & singulos vestris voluntatibus morigeraturos spōdemus, altissimi propiciatio vestra gressus feliciter regat iuxta vota. Datum in congregatione nostræ facultatis apud sanctū Maturinū mēsis Nouembris. Humiles vestri decanus cæterique magistri facultatis theologiæ studij Parisiensis.

Annotatio doctorum aliquorum qui de contemplatione locuti sunt.

Magnus Dionysius edoctus à Paulo, primus videtur hanc theologiam speculatiuè tradidisse in suo de mystica theologia, Et in alijs libris suis sæpius interserit.

Venerabilis Richardus quasi primus post eum materiam hanc ab alijs sub collaudatione vel admonitione traditam, reducit ad modum artis & doctrinæ in suo de arca mystica. Cuius insuper scripta omnia nihil ferè nisi contemplationem sapiunt aut resonant.

Cassianus in collationibus patrum nominatim in illa de charitate.

Augustinus in de vera religione & confessionibus & de diligendo Deum, & de trinitate, ac alibi pluries.

Climacus in suo libro de triginta gradibus scalę.

Gregorius in suis moralibus sparsim, specialiter in sexto, & in tertia homilia super Ezechielem.

Bernardus super Cantica, & de diligendo Deū, ad fratres de monte Dei, & alibi.

Hugo de arca Noë & de oratione, & super Ecclesiasten, præsertim in prologo, & super cœlestem hierarchiam, præcipuè 7. capitulo & alibi.

Bonauentura in suo itinerario, totum miro & compendiosissimo artificio complexus est, & suo stimulo amoris.

Sunt alij tractatus compilati à nouellis vt stimulus amoris ad Christi passionem. Et alter liber de triplici via, cuius initiū est: Viæ Sion lugent. Et alius de nouo sæculo, & alter de septem itineribus æternitatis. Et alter de ornatu spiritualium nuptiarum, cuius tertia pars suspecta est. Scripta sunt denique aliqua super hoc in vulgari, & in sermonibus quibusdam ad clerum & paruulis tractatibus, quæ omnia dinumerare non nostrum est.

SEQVITVR ILLVD QVOD PRÆTERMISSVM EST IN IMPRESSIONE *illius sermonis: A Deo exiui, in cuius fine dicitur, se tenuerint, & tunc sequitur, nunc ad religiosos &c. & finitur ibi. Efficiat &c. patet intuenti.*

Sermo iste imperfectus qui incipit: A Deo exiui, inuenietur in secunda parte col. 559.

A

Nunc ad religiosos seu deuotos, quales esse decet christianos omnes, qui sunt professi in baptismo sub vno abbate Christo, quorum status respicit appropriatā spiritussancti bonitatem, scilicet iudicamus quæ diximus, & inferamus in christiana religione, ille sanctior est qui & humilior, & humilior qui sanctior. Huius humilitatis triplex signum est, confessio, compassio, & voluntaria sui deiectio. De reliquis videatur deuotus Bernardus de duodecim gradibus humilitatis & spiritus. Confessionē ideo proposui pro signo humilitatis, quia vix tēporibus nostris fit aliqua confessio purè, & nudè & integrè vt quid ita? Certè propter Papæ largidicam hypocrysim & amorem vanissimæ famæ nostræ, quæ timorem mundanum parturit, & pudorem talem quidem & ita tyrannicum, vt cogitare sit ingens horror, vę præcipitantibus & volutantibus semetipsos in passiones ignominiæ, in flagitia corporis extraordinaria, quia claudunt sæpius eos ad confessionem, & mutos tradunt in infernum. Nam & Sodoma interpretatur muta. Audiui de quibusdam quod maluissent tolerare dolores partus, vel mortis æternę periculo sese exponere in articulo mortis quam aliqua de suis pudendis impudicitijs confiteri, non ob defectum fidei & incredulitatis sacramenti vt dicebant, sed quia tanto pudore vexabantur, ne salubriter loquerentur coram vno secretissimo sacerdote, quę ipsi damnabiliter quasi palam impudenter operabantur cum alijs nihil celare scientibus. Cæterum compassio de peccatis aliorum, certissimum est veræ humilitatis signum, sicut è contra, propriū est superborum alijs indignari. Vera inquit Gregorius, iustitia compassionem habet, falsa indignationem. Si quis audit vel cognoscit alorum peccata multa vel magna & inde precatur vindictam, aut gaudet de inflicta, non securè precatur neq; gaudet, quoniam ad se reuersus, cognoscere debet se multa punitione dignissima commisisse, quibus tamen petit indulgeri, non irasci. Sic egit sanctus pater, qui audiens peccatum fratris fleuit & dixit: ille heri, ego hodie. Idcirco vis apertam meritis vicem rependere, inquit Boëtius, Dilige iure bonos, miserere malis. Nouissimè subiectionem seu deiectionem posuimus tertium humilitatis signum. Nam verus humilis est, qui ex vera sui cognitione sibi vilescit. Hic se diuinis gratijs indignum cōputabit, hic laudes horret proprias veluti insidiatrices, tollere ipsum volentes in altum vt lapsu grauiore ruat, propterea deijcit se iugiter in terram suæ fragilitatis, prout de Antheo gigante fingit fabula, cui ex casu in terram suæ vires augebantur, sed in sublime leuatus ab Hercule strangulatus est. Hæc se in omnem creaturā Dei peccasse fatetur, in cœlum & in terrā & omnia quæ in his sunt, nullam ergo flagellationem ab eis reijcit, nullam læsionem nullam iniuriam. Hæc denique iudicia Dei magna & occulta, velut tumentes super se fluctus expauescit, attendēs quomodo nec fortium bellum nec artificum gratiam, & quod de catenis & carcere trahitur quis ad regnum &c. Et quod nemo scit an amore vel

odio dignus sit. Eccles. 9. Ad hæc omnia & longè diuiniora veræ humilitatis monita capienda, plus proficit vnctio quam lectio, oratio quam peroratio, alta suspiria quam acuta ingenia, & super omnia frequẽs fidelis & pia meditatio passionis Christi qui à Deo exiuit in mundum vt eam in schola sola doceret. Et hodie dum ingredi vult ad patrẽ, verbo simul & facto confirmauit. Exemplum do vobis &c. Huius humilitatis nos participes efficiat &c.

REMEMORATIO QVORVNDAM QVÆ PER PRÆLATVM QVEMLIBET *pro parte sua nunc agenda viderentur, & plus subtractione durante quam post vel antea.*

PRIMÒ conuerti debet ad Dominum tota fidei deuotione, quatenus inspiret quæ recta sunt & inspirata feliciter in actum deducat. Quia nisi Dominus ædificauerit &c. Postmodum conuertatur ad concilium humanum, cum bonis, prudentibus & literatis habendum super modo sui regiminis quo ad se & plebem suam, secundum mores nunc currentes. Nam si causis temporalibus concilium tã sollicitè postulatur, immo carè emitur, quãto amplius diligentia in hoc opere spirituali sumenda est. Item videtur expediens quod inquirant, deliberent & iudicent sic cõgregati super prouisione adhibenda, quantum Deus concedere dignabitur in punctis sequentibus quæ tangentur vt detur sapientioribus occasio. Sciatur in primis si commodè vel de necessitate prælatus ipse debeat residere in sua diocesi, vel si vtilius pro republica vniuersali & sui gregis absens existat. Sciatur dispositio demus propriæ, quatenus secundum exigentiam redditũum numerus habeatur, non excedẽs familiarium, sit honesta in eis in habitibus & gestibus, & per omnia conuersatio, quia per eos dominorum mores iudicantur, sint tales in quibus confidentia dispositionis temporalium talis haberi possit, vt Dominus ab eorum sollicitudine possit liber remanere, & vacet ad ea quæ Dei sũt. Sciatur dispositio curiæ iurisdictionis suæ in iudicibus, aduocatis, procuratoribus, promotoribus, sigilliferis, tabellionibus, clientibus, & cæteris, vt calumnijs innocentum, & actionibus improbis via, quantum erit possibile, præcludatur, ac perinde bonum nomen sibi generet prælatus apud plebem, quia sic libentius & efficacius in spiritualibus monitis audietur, & super omnia vitetur nota omnis auaritiæ vel cupiditatis, alioquin odiosum erit & aspernatum quicquid agere molietur. Sciatur de sententijs excommunicationis in speciali, qua facilitate & leuitate fulminanter, quod inducit damna spiritualia plurima incredebiliter, & tandem contemptum omnium diuinorum. Sciatur ad quos vsus pœnæ pecuniariç ordinantur, & an illç pœnæ sæpe imponantur, vbi aliæ pœnales & vtiliores deberent adhiberi secundum modum & quantitatem & emendationem delictorum. Et ad applicare eas vsibus non pijs sed proprijs, sit occasio murmurãdi in plebibus. Sciatur qualis est modus faciendi iurare in verbo quolibet reos interrogandos, de quibus satis apertè

A præsumitur & scitur quod deierabunt. Nec statur iuramento eorum, sed quæstionantur. Nunquid esset salubrius ab huiusmodi iuramentis in nullo facientibus fidem & peccatum grauissimum inducentibus abstinere? Sciatur quomodo aliqui per iuramenta aliorum purgantur, & an sçpissimè sciantur quod deierant, & hoc solemniter, immo & sic purgati apud aliquos, sicut fama est iterum tanquam rei ad certam pecuniæ summam taxantur exoluendam. Attamen si rei, cur absoluti, absoluti, cur puniti? Sciatur de causis motis inter e-

B piscopum & clerum vel capitulum suum, quo modo celeriter poterũt terminari, & faciat in hoc prælatus debitum suum non curando de vtilitate temporalis vel iurisdictionis amplificatione pro pace habenda. Et hoc quantum secundum conscientiam posset facere consilium suum, non aduocatorum, sed illorum qui præmissi sunt iudicabit. Sciatur de collatione ordinum, vbi summa deberet adhiberi cautio qualiter geritur specialiter, qui & quales assumuntur ad sacerdotium, quemadmodum sine vtilitate, immo cum grandi

C ecclesiæ dedecore multiplicantur. Ex hoc enim præcipuè quod hæc ianua non satis obseruata est, processerunt mala in ecclesia, concubinariorum & fœneratorum, clericorum & mercatorum, & breui verbo hominum dissolutissimam vitam atque perditissimam, plus quam rurales homines ducentium. Ita vt etiam non videatur esse remedij locus, propter multitudinẽ iam radicatam, & hoc absq; scandalo deteriori, neq; per sententias excommunicationis, neque per aliam censuram

D ecclesiasticam, nisi forte potestas secularis in auxilium vocaretur. Sciatur si quæ simonia vel species simoniæ, aut turpis quæstus in hac ordinum collatione committatur & prouideatur. Sciatur post ista condecenter ordinata, quæ de propinquo cõcernunt officium pastorale, quando & qualiter poterit fieri visitatio diocesis, non ad quçstum suscipiendum, sed bono zelo & gratuito ad corrigendum vitia, ad plantandum virtutes, vt sit prælatus cum suis portans facem sanæ doctrinæ & honestæ conuersationis, & illuminans patriam,

E det pacem gentibus, & liberet populum Domini. Sciatur siue prælatus interesse poterit personaliter siue non, quales viri poterunt & debebunt ad hoc deputari, qui non tam pro fructu temporalium quam pro zelo animarum sciant, velint & possint laborare. Rationabile tamen est quod eis honestæ ministrentur expensæ cum grauitate alia præsertim nequæstum aliunde à populis clam vel palam cogerentur vel inducerẽtur accipere, & sic vituperaretur ministerium eorum tanquam ex

F auaritia deturpatum. Et hoc planè rationabilius libentiusque fieri debet pro tali causa spirituali quam pro temporalibus defendendis, pro quibus tamen magno precio defensores emuntur, locantur, atq; sub pensionibus annis retinentur, prçponendi essent (cçteris paribus) illi de patria & clero proprio, nisi quod dicit Christus, quod nemo propheta acceptus est in patria. Et hoc agit familiaris cognitio atque conuictus. Sciatur an aliquis secularis theologus doctor cum vno vel duobus baccalaurijs posset ad hoc agendum haberi quoniam longè maioris autoritatis esset vnus talis apud populum quam sint ad præsens religiosi, præsertim mendi-

mendicantes. Et hoc inter cætera facit raritas, & ablatio suspicionis quęstus. Rursus cum theologo tali necessarius esset vnus iurista practicus cum vno notario, qui omnia quæ corrigenda atq; reseruãda reperirētur (nec possent in via terminari) conscriberet. Attamen vbi putas tales habebũtur? proculdubio talium bene compositorum, actiuorum, & resolutorum hominum ad agendum talia incredibilis est raritas. Sciatur per visitatores (vt præmittitur) constitutos ab ipso etiam initio, modus, tempus, & ordo suæ visitationis, & quatenus nulla suboriatur in processu confusio prædeliberent quas partes prius, quas posterius visitabunt Sciatur ab huiusmodi visitatoribus seu reformatoribus non tam iuridicis quam pacificis; apud quales status plus est de spe proficiēdi, quã forsan aliqui de clero ad ista se impudenter opponerent. Quo casu tutius esset hominibus spretis conuerti ad alios salubriter admonendos, ne proijcerētur Margaritæ ante porcos, & daretur sanctum canibus, & audientes hoc alij similiter contemnerent. Sciatur ab istis quot villæ, quot monasteria, quot curæ in ciuitatibus sunt visitandæ, & præmittant in omnem locum quò erunt ipsi venturi, aliquos qui aduentum, notificent; & ad audiēdũ se præparent per cessationem operũ suorum. Et pronũcient quatenus omnis seu vir seu mulier diligenter se examinet, si quomodocunque indigeat absolutione super casibus reseruatis, vel super excõmunicationibus vel super alijs quibuscunq; ad prælatum spectantibus. Et super his posset haberi forma vna inscriptis quæ prælegeretur eis & publicetur in officio diuino congregatis per omnes ecclesias. Sciatur cõtinuò in principio visitationis, villæ vel curæ, qualis est curatus, cuius status, cuius literaturæ, cuius diligentiæ, si sciat formas sacramentales baptizandi, conficiendi, inungēdi, quia certè multi sunt qui hæc ignorant. Et ex hoc videtis, quantum est periculum atq; scandalum, quia nisi Deus misericordissimè suppleat, neque baptizant neq; absoluunt. Et si sciant, attamen sæpe ita præcipitanter & ineptè pronũtiant, quod totum corrumpitur. Item si habent concubinas, quotiēs celebrant, & similia. Item sciant nominare saltem in generali peccata, articulos fidei, & alia ad quæ ipsi tenētur pro subditorum grossa saltem instructione. Sciatur ab eodem curato de statu parochianorum suorum; de peccatis eorũ in generali solum. Si qui sint excommunicati. Si qui sint peccatores publici, vt adulteri vel vsurarij, vel similes, quia ea quæ publica sunt, possunt exponere. Item in temporalibus, qui & quales patiuntur necessitates magnas, & quibus de causis, quatenus possint misericorditer releuari. Et si in casibus excõmunicationis vel subuētionis temporalis faciēdæ non possit statim totum compleri, notentur in registro quæ agenda super hęc erunt & detur terminus atq; locus indigētibus talibus pro subueniēdo qualiter erit oportunum, postquã ista fuerint diligēter & prudēter ad partē inquisita, debebit theologus secundum exigentiam auditorum formare suum sermonem grossè & palpabiliter sine curiositate, & solum ad correctionem morum & ædificationem virtutum, debebit etiam eos cõmonere in generalibus fidei. Postmodum si aliqui sint qui volunt confiteri vel habere consiliũ siue solamen gratis atque beneuolè suscipiendos, audiendos super consciētia sua, offerat se paratum ad omnes, atque docendos; & maneant hic quousque satisfactum sit omnibus quantum erit possibile fieri; vel ad tēpus assignetur. Sciatur diligenter de statu mendicantium, & de prædicationibus & confessionibus, & fiat prouisio quæ poterit. Sciatur status religionũ tam virorum quam mulierum; vbi non dubium est quin multa & innumera sint reparãda specialiter apud mulieres religiosas plures. Sed fiat prouisio quæ poterit, & hoc magis per amorosas & pias exhortationes quam seueras punitiones, nisi necessitas & vtilitas manifestius appareant. Sciatur status beguinarum & aliarum in conuenticulis viuentium, quia ergo tales reperiuntur aliquando doctrinæ & superstitiones pestiferæ. Similiter apud quosdam qui pro eremitis se gerunt. Sciatur status rectorũ de scholis & puerorũ suorum, quia pro certo magni sæpe defectus & abusus incredibiles fiunt, nisi debita obseruetur disciplina. Et prouerbium est: Adolescentior iuxta viam suam, & cum senuerit, non dimittet eã. A pueris videtur incipiendo ecclesiæ reformatio interim quod sint disciplinæ susceptiles. Sciatur si & qualiter possit assequi decretalis quę instituit, vt in qualibet ecclesia cathedrali sit theologus pro legendo theologiam, sicut Meldis nunc obseruatur vt fama est. Et videatur si talis melior erit secularis atque canonicus quam mendicans. Sciatur similiter de inquisitore habendo; & si non autoritate apostolica propter subtractionem quæ nũc est, saltem autoritate ordinaria, & talis ex officio suo videtur esse episcopi vicarius. Sed plus solito statuatur vigilare super his requirendis & extirpandis. Sciatur si religiones abundantes in redditibus vel alia collegia, poterunt induci ad scholares aliquos in theologia Parisijs mittendos, quia multum videretur expediens, & decreta patrum hoc sonant. Sciatur diligentissimè quæ superstitiones regnant per diocesim, & habeatur modus conueniens eas paulatim si subitò nequeant extirpandi, & specialiter superstitiones quę publicè fiunt in scandalum religionis christianæ.

Sciatur quomodo ritus ille impijssimus & insanus qui regnat per totam Franciam, poterit euelli aut saltem temperari. De hoc scilicet quod ecclesiastici faciunt, vel in die innocentum, vel in die circũcisionis, vel in epiphania Domini vel in carnispriuio per ecclesias suas, vbi fit irrisio detestabilis seruitij Domini & sacramentorum, vbi plura fiunt impudenter & execrabiliter quã fieri deberent, in tabernis vel prostibulis, vel apud Saracenos & Iudęos, sciunt qui viderunt, quod non sufficiat censura ecclesiastica, quęratur auxilium potestatis regię per edicta sua vehementer vrgentia. Sciatur quales solent fieri insolentiæ in tēplis & locis sacris, dum ibi tripudia & comessationes in nuptijs exercentur. Sciatur quales blasphemiæ iuramentorum passim & impunè regnãt vbique, nec tamen desunt leges bonę; si essent viri virtutum qui has exequi procurarent, exequatur ergo. Sciatur non vsurarij vel Iudęi regnent, & an vel qualiter tolerari debeant. Sciatur cum maturo cõsilio, an sacerdotes concubinarij sint tolerandi sicut meretrices publicæ; ne scilicet peius eueniat; si ad deponendum quęrantur compelli, ex quo

sic sunt multiplicati, ex quo etiam tales facti sunt, A qui continentiam seruare nullo modo volunt. Quo supposito, certum est quod remotis concubinis aliter forte deterius libidinem suam explerent. Quod si tolerandi sunt, videatur si populus erit in securo de audiendo missas eorum, an etiam ipsi concubinari tales sint excommunicati & irregulares, sicut magna pars doctorum in decretis tenet. Et si sic videatur an in foro pœnitentiali possunt sacramentaliter absoluere, quia si nō possint, periculum imminet grauissimum omnibus parochianis. Materia ista indigeret magna discussione B propter hæc & similia pericula, & non essent leuiter ferendæ sententiæ excommunicationum contra talia delicta, quando certum est quod non possunt neq; tenebuntur, & tamen incredibiliter ligant, etiam innocentes. Videri posset quod nullus concubinarius sacerdos, nisi iudicialiter sit cōuictus, & pro tali denunciatus, debet vitari à subditis, etiam quantumcunq; notorius, quia si toleratur à prælato, cur non debet tolerari à subditis? Alioquin via aperiretur infinitis scandalis atque C periculis, quod si sancti priores oppositum tenuerunt, non viderant quanta est malitię radicatio, & quam impossibile est rigorem antiquum ecclesiasticæ disciplinæ nunc seruare. Sciatur qualia sunt statuta synodalia, & quæ obseruantur, & quæ non & remoueantur inutilia, similiter sententiæ excommunicationum quæ non prosunt, aboleātur quia non sunt nisi laqueus. Et certū videtur quod multæ tales sentētiæ, ex quo sunt de iure purè positiuo, abolitę sunt per non vsū, nec ligant ad pręsens. Tutius esset tamen vt autoritate prçlatorum D expressè tollerentur, pro scientiarum maiori serenatione. Fiunt insuper (prout dicūt cōfessores experti) quædam reseruationes super aliquibus peccatis (vt super adulterio secreto) quæ multo plus obsunt quā prosunt, quia vix possunt induci homines cōfiteri, etiam apud eos quos eligūt, quāto minus apud episcopum vel pœnitentiariū. Videretur enim sufficere reseruatio casuū enormium publicorum. Sciatur an in qualibet ecclesia parochiali sit aliquod scriptum rememoratiuum eorū quæ generalia sunt nostræ fidei, tam in latino quā E in vulgari. Sunt enim quædam tabulæ super his vtiliter compositæ, quas expediēs esset apud omnes curas ecclesiasticas infigere: Curati saltē illas videre possent, vt de ignorātia sua excusationem non haberent, & paucus esset labor, sumptusque exiguus. Postremò si pręsens esset episcopus, saluberrimum videretur sacramentum cōfirmationis præstandum generaliter. Dicit enim venerabilis Guillelmus episcopus Parisiensis quod propter cessationem huius sacramenti tepiditas grandior F est in fidelibus & fidei defensione. Ista sunt, & (non est dubium) alia multa, quæ tractanda viderentur diligenter per prælatum quemlibet vice sua, non quod possint omnia ad regulam æquitatis dirigi, & omnes à suis prauitatibus penitus arceri. Sed quantulumcunque modicum fiat, valebit ad eos qui prædestinati sunt & præordinati ad vitam seu ad eorum correctionem, seu ad consolationem, & maiorem in bono confirmationem. Denique liberabit prçlatus ex hoc animam suam, & exemplum præclarum virtutis reliquis præsentibus & posteris relinquet.

SEQVVNTVR OCTO CONCLVSIONES PER PLVRES DOCTORES IN *Italiæ partibus approbatæ, quorum dogmatizatio vtilis videtur pro exterminatione moderni schismatis.*

VEri cardinales in electione Papç vices gerunt vniuersalis ecclesiæ christianæ. Patet quia per talem electionem constituitur Papa verus vicarius Christi, & caput corporis eius mystici, quod est ecclesia, sed hoc non potest facere nisi Christus, vel ipsummet corpus mysticum, aut habens in hoc ipsius potestatē seu autoritatem. Veri cardinales huiusmodi vices ecclesię gerunt, non solum in Papæ electione, sed etiam in his quæ circa eam ritè & legitimè fiūt pro ecclesiastica vnione. Patet, quia in electio Papæ finaliter ordinatur ad vnionem ecclesiæ. Nam ideo eligitur vnus Papa, vt in eo tanquam in primo capite sub Christo sit ecclesiæ vnio. Et ideo propter vnionem ecclesiasticam est electio Papç, & non è contra. Veri cardinales adijciētes in electione Papæ iuramentum seu votum de cedendo in casu pręsenti, sci. pro tollendo tam diuturno & obstinato schismate, & pro danda pace & ecclesiastica vnione, hoc ritè & legitimè faciunt, non suo proprio aut priuato nomine, sed vice & nomine totius ecclesiæ. Et ideo qui tali iuramento & voto ligantur, & toti ecclesię obligantur à qua obligatione sine totius consensu vel autoritate non soluuntur. Patet satis ex præmissis, quæ omnia possēt faciliter non solum diuino & humano iure, sed etiam naturali seu morali ratione fundari. Ex his tribus suppositionibus inferūtur aliquę propositiones quæ sequuntur. Quicunq; tenēt Dominū Angelum vocatum Gregoriū esse Papam, & eius prętensum collegium esse veros cardinales, habēt consequenter tenere propositiones antedictas de eis verificari, & ideo habent cōcedere dictū Gregorium per iuramentum & votum ab eo factum toti vniuersali ecclesię obligari, & suos prętensos cardinales pariter teneri, vt (quantum in eis est) ipsum faciant ob iuramentum & votum efficaciter adimplere, aliàs ab vniuersali ecclesia reputādi sunt periuri & fractores voti. Talis præuaricatio voti & iuramenti tam solemniter, & in tam fauorabili materia facti, non solum esse grauissimum & mortale peccatū, quinimmo si essent pertinaces, pręuaricatores huiusmodi reputandi forent, non solum schismatici, sed etiam hęretici, aut de hæresi vehemēter suspecti. Prętensi cardinales ex obligatione dicti iuramēti vel voti, & aliàs ex autoritate iuris diuini & humani, si probabiliter videant dictum Gregorium (prout hactenus fecisse videtur) friuolis excusationibus & periculosis dilatationibus dictis sui iuramenti & voti impletionem subterfugere debent, & tenentur post debitā monitionem, se ab eo & eius obedientia & communicatione subtrahere, & contra ipsum tāquam notoriè schismaticum, & vehementer de hęresi suspectum, ac perturbatorem & illusorem totius politię christianę procedere, & ad idem faciēdum alios fideles, & pręcipuè pręlatos & principes inducere & monere, alioquin non poterunt excusari à fautoria schismatis vel hęreticę prauitatis.

Adhę-

Adhærentes dicto Gregorio tanquam Papæ & præcipuè maiores prælati & principes, post debitam informationem à cardinalibus, vel aliàs sufficienter instructi, de dicta malitia ipsius Gregorij, tenẽtur se ab eius obediẽtia subtrahere, sub pœna fautoriæ prædictæ. Doctores studiorũ generales, & præcipuè theologi & iuristæ ac etiam prædicatores ad populum, debent & tenẽtur de pręmissis fideles instruere. Et in hoc commendandum est studium Bononiense, à quo nuper emanauit determinatio conformis ad præmissa.

SEQVVNTVR ALIÆ PROPOSITIONES VTILES, AD EXTERMINATIONEM *præsentis schismatis, per viam concilij generalis.*

IN vnitate ecclesiæ capitis Christi spõsi ecclesiæ plenè ac perfectè cõsistit vnitas corporis mystici totius ecclesiæ christianæ, iuxta illud: Christus est caput ecclesiæ. Et illud: Omnes vnum corpus sumus in Christo. Licet Papa in quantum Christi vicarius quodammodo dici possit caput ecclesiæ & ipsius sponsus, tamen ecclesię vnitas non necessariò dependet aut originatur ab vnitate Papæ. Patet ex prima. Et etiam, quia nullo modo existente Papa, semper ecclesia remanet vna. Iuxta illud in Cantica: Vna est columba mea. Et illud symboli: Vnam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam. A Christo capite & sponso ecclesiæ corpus mysticum quod est ecclesia, originatur; & immediatè potestatem habet & autoritatem, vt ad suam vnitatem conseruandam, ritè valeat seipsam ad generale concilium ipsum repræsentans congregare. Patet ex illo verbo Christi. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego in medio illorum sum. Vbi aduertendum est, quod non dicit, in nomine Petri vel in nomine Papæ, sed in nomine meo. Dans intelligere, quod vbicunque congregãtur fideles, cum hoc fiat in nomine suo, hoc est in Christi fide, & pro ecclesiæ suæ salute, ipse assistit eis tanquam director & infallibilis rector. Confirmatur, quia aliàs Christus non fuisset sufficiens fundator ecclesiæ sponsæ suæ. Non solum autoritate Christi, sed etiam communi iure naturali præmissam potestatem habet corpus mysticum ecclesiæ Dei. Patet, quia quodlibet corpus naturale naturaliter resistit suæ diuisioni & distractioni, & si sit corpus animatum, naturaliter congregat omnia membra omnésq; vires suas ad conseruandam suam vnitatem, & repellendum suam diuisionem. Simili quoq; modo & quodlibet corpus ciuile, seu ciuilis communitas, vel politia ritè ordinata. Ideóq; corpus spirituale seu mysticum ecclesiæ christianæ, quod ordinatissimè compositum est (Ipsa quidem ecclesiastica politia in Canticis describitur, velut castrorum acies ordinata) simili iure vti poterit ad suam vnitatem conseruandam, & quamlibet schismaticam diuisionem repellendã tanquã suæ ordinationis destructiuã. Præmissa autoritate & autoritatiua potestate vsa fuit ecclesia primitiua. Patet, quia in Actibus apostolorum quatuor legũtur cõcilia generalia cõgregata. A Et non habetur quod sola autoritate Petri fuerunt conuocata, sed communi consensu ecclesiæ. Et in vno concilio Hierosolymis celebrato, non Petrus, sed Iacobus illius loci episcopus legitur præfuisse, & sententiã protulisse. Post incremẽta nascentis ecclesiæ primitiuæ præmissa autoritas & potestas congregandi generalia concilia, rationabiliter limitata fuit & restricta, sic sci. ꝙ sine autoritate Papæ nulli liceret huiusmodi concilia congregare. Patet ex iuribus cõmunibus, quæ habentur in decreto & decretalibus. Et ratio B fuit, vt honoraretur sedes apostolica, & vt obuiaretur hæreticis vel schismaticis, qui quãdoq; ad libitum pro potentia principum secularium concilia vocari & congregari procurabãt, ad suorum errorum fulcimentum. Præmissa limitatio seu restrictio non tollit, quin predicta autoritatiua potestas semper absolutè remaneat in ipsa vniuersali ecclesia. Patet quia iura positiua non possunt ab ecclesia absolutè tollere illam potestatem quæ ei competit diuino & naturali iure. Non obstante C limitatione seu restrictione præmissa, in certis casibus ecclesia sine autoritate Papæ potest concilium generale celebrare. Patet per prædicta. Et etiam, quia illud quod est in fauorem ecclesiæ introductum, non est in eius damnum & graue periculum obseruãdum. Sed prædicta limitatio seu restrictio quæ in fauorem ecclesiæ iure positiuo legitur introducta vt dictum est, posset in certis casibus eidem grauissimè præiudicare. Et specialiter possunt tres casus assignari. Primus est, si va- D cãte sede occurreret hæresis, vel alia ecclesiæ persecutio, cui esset per generale concilium obuiandum. Secundus, si in casu necessitatis aut manifestæ vtilitatis vocandi concilium Papa esset furiosus aut hæreticus, vel aliàs ad hoc inutilis aut insufficiens vel si super hoc requisitus.

Tertius, si plures essent contendentes de papatu, ita quod nulli eorum tota obediret ecclesia, nec ad alicuius eorum aut amborum simul vocationem compareret, sicut esse videtur in præsenti schismate. In his igitur aut similibus casibus clarè E patet ex præmissis, quod absque autoritate Papæ posset & deberet ecclesia generale concilium celebrare. Iura positiua quæ communiter dicunt quod absque Papæ autoritate non est fas generale concilium congregari, debent ciuiliter intelligi, scilicet quando est vnicus Papa concorditer ab ecclesia receptus ad congregandum huiusmodi concilium occurrente euidenti vtilitate idoneus & paratus. Patet ex prædictis & ex doctrina Aristotelis in Ethicis, vbi loquitur de epikeia. Pro sedando præsenti schismate absq; autoritate Papæ F immo ipso contradicente, potest autoritate vniuersalis ecclesiæ generale concilium congregari. Et non solum per dominos cardinales conuocari, sed etiam in casu per quoscunque fideles specialiter maiores & potentiores, qui vel autoritatiua potestate, vel charitatiua admonitione scirent & possent ad executionem cooperari. Patet ex pręmissis.

Finis.

IVSTITIA DIVINA.

Ius cuiuslibet creaturæ.
Leges insitæ omnibus rebus.

Ius creaturæ rationalis.
Lex propriè diuina.
Lex propriè naturalis.

Leges hominum viatorum.
Lex canonica.
Lex ciuilis.

IVSTITIA PARTICIPATA HABET IVRA SVA ET LEGES.

Distributiua. Huic contrariantur promotiones indignæ & intrusiones.

In officijs Reipublicæ.
In beneficijs Ecclesiæ.

Commutatiua. Huic contrariantur contractus illiciti.

Vsura & fraus in temporalibus.
Simonia & Giezia in spiritualibus.

IVSTITIA LEGALIS EST OMNIS VIRTVS REGVLATA, SICVT CHARITAS IN LEGE CHRISTIANA.

IVRISDICTIO.

Non coërciua seu directiua.

Doctrinalis seu directiua, paternalis seu hierarchica.
Spontanea vel arbitraria præsupposito peccato, vt in pœnitentia.

Coërciua.

Diuina secundum ius & leges propriè diuinas.
Ecclesiastica secundum ius & leges canonicas.
Naturalis secũdum ius & leges propriè naturales, præsupposito peccato.
Secularis secundum leges ciuiles.

DOMINIVM.

Gloriæ.
Originalis iustitiæ.

Gratiæ gratificantis.
Euangelicum vel Ecclesiasticum.

Canonicum.
Ciuile.

POLITIA.

Libera.

Ecclesiastica.
Papatus.
Cardinalatus.
Synodus generalis.

Temporalis.
Regnum.
Aristocratia.
Politia vel Democratia.

Despotica & seruilis.

Ecclesiastica.
Similiter ad tyrannidem.
Similiter ad obligartiam.
Similiter ad Democratiam.

Temporalis.
Tyrannis.
Obligartia.
Democratia.

POTESTAS

POTESTAS ECCLESIASTICA.

- Ordinis.
  - Super corpus Chriſti verum quoad conſecrationem.
  - Super corpus Chriſti myſticum quoad miniſtrationē ſacramentorum.
- Iuriſdictionis.
  - Quoad forum interius.
    - Clauium quoad abſolutionem.
    - Arbitraria quoad pene commutationem.
  - Quoad forum exterius.
    - Secundum legem propriè Euangelicam quæ eſt excōmunicatio.
    - Secundum leges canonicas & ciuiles canonizatas, quę ſimilis eſt temporali.

VSVS POTESTATIS ECCLESIASTICÆ.

- Licitus & ratus.
- Licitus & non ratus.
- Illicitus & ratus.
- Illicitus & irritus.

PLENITVDO POTESTATIS ECCLESIASTICÆ.

- Eſt ſubiectiuè & monarchicè in Papa.
- Eſt in Eccleſia ſynodaliter congregata ordinatiuè, regulatiuè & ſuppletiuè.

POTESTAS ECCLESIASTICA HABET TRES ACTVS HIERARCHICOS, AD QVOS CÆTERI REDVcuntur: *ſcilicet purgare, illuminare, & perficere.*

- Poteſtas Eccleſiaſtica, Plena
  - Eſt in Papa ſubiectiuè & executiuè.
  - In Eccleſia regulatiuè & ſuppletiuè per
- Poteſtas Eccleſiaſtica, Limitata ordinaria.
  - In Epiſcopis.
  - In curatis.

- *Purgare.*
  - Per remunerationem, ſicut per indulgentias.
  - Per punitionē ſicut per excōmunicationem & inuocationem brachij ſecularis.
- *Illuminare.*
  - Per prædicationem doctrinalem.
  - Per legum & canonum inſtitutionem.
- *Perficere.*
  - Per ſacramentorum adminiſtrationem. Quæ ſunt
    - Baptiſmus,
    - Confirmatio,
    - Euchariſtia, quoad cōſecrationem.
    - Pœnitentia, quoad miniſtrationem.
    - Ordinum, collatio quæ includit inſtitutionem miniſtrorum Eccleſiæ.
    - Matrimonium.
    - Extrema vnctio.

Solus Epiſcopus confert ſeptem ordines.

A

EPISTOLA PETRI EPISCOPI CAMERACENSI AD DOMINVM *nostrum papam.*

BEATISSIME pater, humillima recordatione præmissa vsque ad pedum oscula beatorum. Expectans expectaui dominum, si forte intenderet mihi. Si tandem mihi tantam concedere gratiam dignaretur, vt cum Symeone dicerem: Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei, salutare tuum. Salutarem videlicet pacem, & ecclesiæ tuæ vnionem. Sed iam prohdolor expectando hæc & spes mea quæ differtur, immo penè tandiu differendo aufertur, affligit animum, videlicet pater beatissime præfatam vnionem. S. v. vna cum sacro collegio, totis viribus laudabiliter prosequatur. Ex his tamen quæ personaliter vidi, & fide dignorum relatione iugiter percipio, vix spero quod aduersarius vester daturus sit pacem ecclesiæ per viam quam quæris. Viam dico cessionis, quam ille tam solemniter promisit, iurauit & vouit. O vtinam sperare liceat meliora, vtinam feliciorem euentum diuina clementia prouideat. In illo tamen casu aduersus hanc nequitiam & ad prouidendum malis, quæ (nisi Deus auertat) parantur ecclesiæ. Tria posse videntur prodesse remedia.

Primum remedium. Certam & solidam ex vtraque parte constitutionem facere super prouisione vnionis in casu mortis &c. Quod citius factum fuisse quam vtile foret quis non videat &c.

Secundum remedium est generale concilium vestræ obedientiæ quam citius commodè poterit conuocare. Quæ ita fieri intelligo, vt circa vnionem ecclesiæ per viam prædictam nihil interim de contingentibus omittatur.

Tertium remedium hic taceo, quia non nisi ex generalibus concilij consensu ac communi auxilio, videtur posse vtiliter practicari, vel prætractari salubriter.

Nec ista scribo quasi præsumam iuxta græcum prouerbium docere Mineruam. Sed vt in tanta re vtcunq; possum debitum fidelitatis exoluam.

Cæterum pater beatissime, cum pro nunc non sperem hic me posse proficere, ideo hac alijsque de causis satis vrgentibus, quas exprimere non est opus compellor ad ecclesiam vestram Cameracẽsem reuerti. In qua multi de grege Christi (cuius regimen mihi indigno, A. S. v. commissum est) meam non æquanimiter ferunt tam diuturnam absentiam. Ibi verò & vbilibet semper paratus ero ad vestræ sanctitatis beneplacita & mandata. Quam conseruare dignetur altissimus feliciter & votiuè ad regimen & vnionem ecclesiæ suæ sanctæ &c.

Hæc epistola missa fuit de Ianua per me Petrum episcopum Cameracensem 26. Ianuarij. Anno. M.cccc viij. secundum vsum Romanæ ecclesiæ, domino Bonifacio Papæ XIII. tunc cum suis Cardinalibus existente in portu Veneris, & aduersario suo cum suis anticardinalibus in ciuitate Lucana.

SERMO ELEGANTISSIMVS HISTORIIS T. LIVII, VALERII *Maximi, sententijs Tullij & Senecæ respersus in festo sancti Ludouici regis Francorum.*



TV *Domine mi rex sicut angelus Dei es.* Verba ista ad literã dicta sunt eximio regi Dauid in Hierusalem redeunti post victoriam nefandæ coniurationis per Absalon & Achitofel aduersus eum conspiratæ. Exeunte nempe in occursum regis vniuersa ciuitate Miphiboseth qui fuit de genere Saülis ad suæ reditionis gratulationem simul & magnificentiam gloriæ suæ sublimius attollendum, eam alloquens ait: Tu domine mi rex sicut angelus Dei es. 2. Regum. 19. Quam gloriosus obsecro hodie enituit beatissimus Christi confessor olim rex Francorum Ludouicus, dum dissipato eorum consilio qui aduersus Christi nomen acrius sæuientes in necem beatissimi regis conspirabant, ad illam æthercam Hierusalem hodie victor appulit, illic secundum animam regnaturus sicut angelus Dei. Quod decus, qui splendor, quæ iocunda solemnitas ciuium supernorum beatissimo regi occurrentium? Scitis itaque quia gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente. Lucæ decimo quinto. Quod hodie ergo existimatis patres reuerendi fuisse gaudium angelis Dei in aduentu huius gloriosissimi regis? Cuius vita aliquo forsan puluere terrenæ conuersationis respersa fuerit, ea tamen extitit integritate & puritate, vt frequenter diceret, & ex animo diceret, citius se electurum priuari velle vita, quam propter vitam mortaliter offendere vitæ autorem. An non igitur ea fuit puritate qua angelus Dei? Angelus quippe Gregorio Isidoro, Dionysio, & plerisque alijs autoribus, nomen est officij à missione dictum. Verè (si non fallor) is ob præcipui amoris priuilegium fuit regno huic adeò specialiter missus & electus, vt eos præsidentia tanti principis honoraret protegeretque, à quibus Christianæ religionis cultus exactissima diligentia celebraretur, ac veneraretur, vt impleretur promissio saluatoris nostri dicentis Ioan. duodecimo. Si quis mihi ministrauerit honorificabit eum pater meus qui in cœlis est. Hanc sanè tam gratuitam supernæ dilectionis dispensationem prosequentes angeli beati (vt sunt omnes administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Ad Hebræos 1.) huic gloriosissimo regi toto (vt arbitror) beneuolentiæ sinu aspirauere. Et quisque quibus maximè pollebat charismata largiens siue influens hic charitatem, ille perseuerantiam, hic sapientiam, ille iudicij æquitatem. Et ita de cæteris, quatenus hoc sacratissimum regnum, quod tanto Deus illustrauerat rege, salubrioribus imperijs resplendesceret ac moderaretur. Ait enim Chrysostomus:

Non

Non insulæ quidem vtiliter regnat qui rex nascitur, & regnum non meretur. Propter quod etiam ipse Seneca summam fuisse quorundam antiquorum felicitatem astruit, inter quos non poterat esse potentior, nisi melior, parentum videlicet non incerta propago, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio ad culmen regni prouehebat. Habet siquidem quisquis ad huiuscemodi dignitatis fastigium est sublatus, triplicem habitudinem seu relationem secundum quam eum decet esse perfectum ac cæteris celsiorem.

Primam ad Deum, vt creatura Dei. Secundam ad regimen subditorum, vt rex. Tertiam ad homines, vt vnus ex hominibus. Hæc tria facile possunt aptari verbis nostri thematis. Sed eiuscemodi curiositates velut nunc aut superfluas aut non necessarias libenter prætergredior. Hanc igitur triplicem habitudinem, iuxta quam etiam nostri sermonis principalis versabitur intensio, notat Augustinus exponens illud quod regibus præcipitur: Seruite domino in timore &c. Quomodo inquit seruiũt reges domino in timore, nisi ea quæ contra iussa domini fiunt religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Et sequitur ad propositum. Aliter enim seruit, quia homo est, aliter etiam quia rex est, quia vt homo est seruit domino viuendo fideliter. Quod fit vt optimè nostis secũdum duplicem habitudinem ad Deũ. s. & ad proximum. Quia verò rex est, seruat leges iusta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti rigore sanciendo. Exemplum ponit de Ezechia, qui lucos & templa idolorum, & illa excelsa quæ contra Dei præcepta fuerunt constructa destruxit. Quantum igitur beatissimus Ludouicus in omni ratione regalis dignitatis extiterit perfectus operæ precium est videre, quatenus & merita ipsius recolentes, dignas nostro creatori gratias referamus & emendationi vitæ nostræ exemplo regis nostri interueniente nonnihil adijciamus. Et primò si libet videbimus. Quam deuotus extiterit in amore Dei & supernorum. Quam fuerit circunspectus circa regimen subditorum. Quam humanus extiterit in habitudine proximorum.

Quantum ad primum ipse profectò tãtum diuini amoris ardore flagrabat, vt nõ solum ipse arderet, sed alios aut sacris monitis, aut bonorum operum exemplis ad amorem Dei vehementer incẽderet. Splendore quippe omnium virtutum refulgebat sicut angelus Dei. Et vt de egregijs ipsius operibus nostro sermoni nonnulla inseramus, de more habebat officium matutinarũ tam diei quam beatæ virginis (quod media semper nocte tractim ac deuotè in capella sua cantabatur) & audire ad lõgum & legere. Itidem de cæteris missis & horis quæ temporibus congruis eo præsente dicebantur. Et vt multa paucis perstringam, tanta fuit orationum eius sedulitas, tanta insuper contemplationis in Deum attentio, vt nondum surgens ab oratione velut attonitus, submissa voce à puero qui ei seruiebat quæreret, quonam loco ipse existeret, quasi foret oblitus sui præ nimia altitudine contemplationis. Cæterum innumera sunt præter hæc argumenta, eáque clarissima, quibus ingens suæ deuotionis feruor deprehenditur, videlicet quod tam multas ecclesias, monasteria, hospitalia, domus pauperum, viduarum, infirmorum passim in regno, & nonnulla in partibus vltramarinis construxit, fundauit, ampliauit, ditauit atque reparauit. Quod multas reliquias sacras vt coronam spineam, lanceam, de sacratissimo sanctæ crucis ligno bonam magnámque partem, quatuor & viginti corpora sociorum beati Mauricij gloriosissimi Christi martyris, & alias complures preciosissimas sanctorum reliquias pro labore huic regno acquisiuit. Quod omnes sortilegos, aruspices, magos, cæterósque dæmonum inuocatores potenter aut extrusit, aut cremauit. Quod bina vice cum immensis sumptibus, sed multo maiore sui capitis clarissimorũque liberorum fratrum suorum periculo aduersus infideles transfretauit, tantorum & tam multorum vitam pro exaltatione christianæ religionis exponere paratus.

Quod tempore aduersitatis ipse erectior atque constantior semper in fide assurgebat. Quod vel blasphemos in Deum & eius sanctos adustione candentis ferri plectebat. Et vt in his faciam finem, vnum cæteris omissis referam, quod inter multa præclarum mihi visum est. Compositio namque tractatu inter se & paganos super liberatione sui & concaptiuorum suorum, paganis ad bellandum inuiolabiliter addere iuramento suo volentibus sese abnegaturos. Mahometum si pactum christianis non seruarent, beatissimus Ludouicus cum vehementi indignatione similem de Christo cautionem repudiauit, neque suggestione fratrum suorum aut aliorum nobilium christianorum, neque diræ mortis periculo, quam tamen pagani recenter adhuc cædis Soldani spirantes sibi & christianis coram intentabant, induci potuit vt illam iuramento suo adijceret, non diffidentia quidem implendæ conditionis suæ partis, sed quia tanta fuit apud eum Christi & christianæ religionis reuerentia. O regem elegantem, ô virum æthereum qui secularium opum affluentia circunseptus omnia velut cænum & lutum platearum deputans, inæstimabiles diuitias in cælo conspersit. Illud præcipui prophetarum regis Dauid sæpe in suis orationibus depromens. Eripe me domine de luto vt non infigar. Et sequitur: Non me dimergat tempestas aquæ. i. abundantia nimia temporalium rerum, quæ more fluentis aquę continuè decurrunt ac labuntur, nemo vero (vt Seneca, ait) cum sarcinis enatat, quo mihi: beatissimus Ludouicus tanto maiori præconio laudandus occurrit, quanto magna diuitiarum opulentia circunfusus omnia spreuit, omnia contempsit, omnia posuit in conculcatione præ amore Dei nostri, quamquam quid attinet fallaces seculi diuitias sectari? sese excruciare? vrere animam? corpus frangere? propter illa acquirenda ad quæ tu inhias, tua enim non sunt testimonio Byantis viri sapientissimi, qui ex publico incendio fugiens cæteris preciosarum rerum pondere onustis, interrogatus quid ita nihil ex bonis suis secum ferret, bona mea inquit, mecum porto, illa tantum sua arbitrans quæ pectore gestabat. Cui alludit egregius ille propheta Abacuc. Væ qui congregant non sua, Abacuc. ij. Cur ergo illum diuitem putas, quem aurea suppellex

in via sequitur, qui in omnibus prouincijs arat, cui multum suburbani agri est? omnia cum dixeris (inquit Seneca) pauper est. Quare? quia debet, quantum inquies, & omnia, nisi fortè interesse iudicas, vtrum ab homine an à fortuna mutuum sumpserit. Nemo enim nascitur diues quisquis exit in lucem, visus est lacte & panno esse contentus. Ab his autem initijs nobis regna non sufficiunt. Quo rectius admirari mihi visus est, Flaccus quamobrem sicut in morbis fit in quibus cum tentata diu remedia non prosunt, ea abijcimus, & alligamus alia, & plerumque contraria. Cur etiam cum experiamur quod diuitiæ quæsitæ cupiditatem non sanant, sed inflammant potius, tamen remedijs non vtamur. Vnde Seneca: Congregetur in te quicquid multi locupletes possederant, vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te proueheat, auro tegat, purpura vestiat, & ad hoc modus deliciarũ & opinio te producat, vt terra marmoribus abscondas non tantum tibi habere liceat, sed calcare diuitias, accedant statuæ & picturæ, & quicquid ars vlla luxuriæ elaborauerit, maiora capere ab his dices. Bene igitur monet apud eum Epicurus: Si vis inquit, Phitoclea diuitem facere, non pecuniç adijciendum, sed cupiditati detrahendum est. Et apud Virgilium Aureo ramo euulso inferi petuntur, quia vt seruius ait, Diuitijs facile mortales intereunt. Neque tamen ex tanto diuitiarum aceruo, nisi forte panniculum sordidum atq; detritum quo ne horrori simus opinor efferimus. Prudenter ergo admodum rex ille nouissima sui recordatus est, qui pannum quo sudarium sibi consuendum statuerat, in signum erigi atque explicatum per ciuitatem deferri iussit per præconem vociferantem. Hoc dicit princeps dũ essem dominus duodecim regnorum, hoc solum de gloria mea, & de diuitijs meis efferam. Ad idẽ redit quod Cicero Tusculanarum quæstionum libro 6. ponit de Sardana Palo, qui sepulchro suo scribi imperauit: Hæc habeo quæ edi, quęque exsaturata libido hausit &c. Quid ergo insaniæ est propter res sic trãsitorias, fugaces, momentaneas, anxiari, consumi, & æternas diuitias quasi faciles relinquere? An non stultitia magna ille laboraret qui alicubi ætatem acturus de domo sibi nõ prouideret. Vbi verò hospitaturus esset vnam noctẽ palatia magna construeret, vita profectò præsens ad futuræ vitæ æternitatem comparata minus in infinitum quam spacium vnius noctis est. Spes impij (inquit sapiens) quasi lanugo vel tanquam memoria hospitis vnius diei prętereuntis. Et Psalmus ad Deum loquens: Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, & tamen sępe clamat saluator noster: Primum quærite regnum Dei, at nos obsurdescimus. Sed admonet, quam difficile qui pecuniam habent intrabunt in illud, & nos non intelligere simulamus. Sæpe pulsat & somno cupiditatum nostrarum pressi aut non expergistimur, aut superati altitudine soporis in pristinum somnum rursus remergimur. Neque habemus quid ei respondemus vocanti atque dicenti: Surge, quare obdormis? Exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Conuincitur scilicet veritate, quia tempus surgendi aduenit, nisi tantum verba lenta & somnolenta, modo, ecce modo, sine quæso paululum, sed modò & modò, vt dicit Augustinus in 7. confes. vbi hanc A soporationem in persona sua pulchrè prosequitur, non habebat modum, sine paululum prodibat in longum. Sic itaque dormiunt somnium suum somniantes se habere thesauros immensos, & nihil inuenient omnes viri diuitiarum in manibus suis, quod videlicet in tremendo iudicio pro redemptione animæ suæ proferant, quia nihil posuerunt in manu Christi dicentis: Esuriui, sitiui, nudus fui &c.

Hactenus satis inuexisse videor aduersus diuites seculi, hora est primum sermonem retexere. B Beatissimus igitur Ludouicus huius florentissimi regni rex eximius, attendens vltra ea quæ dicta sunt, quod eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso. Ecclesiastic. 17. Valde multa pauperibus erogauit, quicquid Iudæa, Arabia, oriens, occidens mittit, huius aliquid habebat, sed nihil horum amabat, & in summa rerum temporalium vbertate pauper æternæ beatitudinis cumulabat diuitias, immensa supernorum charitate flagrans sicut angelus Dei. Illi angelo meritò C comparandus qui in flamma sacrificij ascendit in cœlum. Iudith 12. Et hoc de principali.

Secundò (vt propositum erat) dicendum est de solerti ipsius regimine. Pro quo præmittendum quod tria sunt quæ ad regis catholici maximè pertinent officium, videlicet ecclesiam tueri, ministrare iusticiam, ac subditorum iniurias vindicare, primum ne fiant aut cum illatæ fuerint vlcisci. De primo ait Isidorus lib. ethimo. Cognoscant inquit, principes seculi de se esse rationem reddituros propter ecclesiam quam à D Christo tuendam susceperunt. Sanè si priscis gentilium imperatoribus non solum conseruandæ, verum etiam amplificandæ prophanæ religionis falsorum deorum suorum tanta cura fuit, vt decem principum filij singulis Hetruriæ populis percipiendæ, non sacrorum quidem, sed execrandorum sibrum disciplinæ gratia traderentur. Quanta deuotione & sollicitudine decet principes catholicos sacro-sanctum Dei veri religionem tueri ac defendere? Neque dubita- E uerit inquit Valerius maximus, sacris imperia seruire infra se humanarum rerum futurum regimen existimantia, si diuinæ potentiæ bene ac constanter fuissent famulata. At beatus Ludouicus non pro dilatando imperio, sed religioso fidei Christianæ zelo Dei famulatus, ecclesiam regni sui temporibus suis pacatam tenuit. Neque vt Marcellus ille imperator, cuius memoria ob eam rem tum in honore erat, virtuti & honori templa dicauit. Sed nunc benignissimo virtutum omnium largitori, nunc hono- F randissimæ eius matri, deuota templa, non duo solum, sed (antea dixi) bene innumera construxit atque dotauit. Viros ecclesiasticos in honore habuit, quod Deus magis ab his, vt aiebat, honoraretur & glorificaretur. Et in institutione quam propria manu conscriptam Philippo pulcherrimæ indolis adolescenti filio suo seniori reliquit, eum singulariter admonet, ne si vnquam ad regni gubernacula perueniret, viris ecclesiasticis in personis aut rebus vllam violentiam fieri sineret.

Libenter inculcans in auribus suis egregium illud

illud responsum Philippi aui sui, quod quibusdam consiliarijs suis eum acriter increpantibus quod tam multas iniurias ab ecclesiasticis viris impunè toleraret, dedit. Credo inquit, quod nonullæ ab his iniuriæ in me proficiscuntur, sed cum meditor honores quos maximos mihi Deus tribuit, decreui sanctius mihi fore multa perpeti quam aliquid facere propter quod oriatur scandalum in ecclesia, ac sacer Dei cultus in minimo turbetur. O catholicum responsum, & è magnæ pietatis fonte prosiliens. Vtinam moderni principes, vtinam similem animum ad ecclesiam gererent. Non enim ipsa sub hoc horrendo schismate tandiu prostrata iacuisset, non iura, non eius libertates quotidie violarentur, non denique venerandum olim sacerdotij nomen (quod ab apostolo electum, sanctum, regale nuncupatur) nunc exprobrationis loco & vituperij ab improbis obijceretur. O beatissime pugil Christi Ludouice, respice obsecro hanc quam tantopere amasti, protexisti atque exaltasti ecclesiam sanctam. Apprehende arma & scuta, & exurge in adiutorium ei. Effunde frameam & conclude aduersus eos qui eam persequuntur, quatenus tuis defensa auxilijs canticum Iudith strenuissimæ mulieris psallere queat: Viuit Dominus Deus noster qui custodiuit me, angelus eius. Iudith. 13. Sed quomodo ad regium munus pertineat iustitiam subditis ministrare, quod secundo proposueram, neminem vestrum ambigere puto. Legistis namque Prouerbiorum 16. Abominabiles regi qui agunt impiè, quia iustitia firmatur solium eius. Et Sapientiæ 1. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Vnde Tullius 2. de officijs postquam iusticiam dignissimis laudibus extulit, eiusque tantam vim esse ostendit, vt ne illi quidem, qui, vt verbo eius vtar, maleficio & scelere pascuntur, possunt sine vlla iusticię particula viuere. Cuius rationem ipse subdit, quia archipirata nisi æqualiter prædam dispertiat, aut interficitur à socijs, aut relinquitur, aut propter æquabilem, sicut ipse ait, furti partionem, latronum nonnulli adeò potentes euaserunt, vt imperatores Romanorum eis interdum cederent. Post has dico iusticię laudes, consequenter narrat qualiter non apud Medos solum, sed etiam apud maiores suos iusticiæ fruendæ causam sibi videntur olim bene morati reges constituti. Nam cum premeretur inquit, iners multitudo ab his qui maiores opes habebāt, ad vnum aliquem confugiebant virtute pręstantem. Ita profectò beatissimus Ludouicus tanta virtute præcellebat, vt minores atque humiles offensi à potentioribus, non ad inferiores atq; mediocres, sed ad ipsum regem, tanta nimirum erat eis confidentia iusticiæ ab eo reportandæ, recto tramine currerent. Quia faciem non aspiciebat in iudicio, nullis præcibus flectabatur, contra barones & magnates, contra amicissimos seruitores & familiares suos, quos maximè studebat habere probos, atque adeò quod contra germanum proprium sententias plurimas pro personis humilibus pronunciauit, durè increpans eos, atque sub grauibus pœnis monens, ne abinde grauamina vlla aut suis personis inferrent, aut inferri in suis territorijs sinerent.

Multa iusticiæ suæ mihi concurrunt exempla.
A Bene tamen nunc narrasse abundè erit. Cū enim comes Campaniæ faceret requiri quendam reum militem naturalem suum, qui pro suspitione homicidij coram beatissimo rege accusabatur, proponeretque se paratum esse facere partibus iusticiam, quia beatissimus rex cognouit, quod per potentes regni eius absolutio nimio fauore procurabatur. Respondit ita: Ex quo reus iste tantum fauorem reperit in curia ista, non possum adduci vt credam, quod de eo fieret rectum iudicium in curia inferiori. Quamobrem ne fraus vlla fieret
B iusticiæ aut parti conquerenti, noluit eum dimittere, illi specioso angelorum ordini dignissimè inferendus, qui vt Greg. ait, tanta diuinitatis replentur gratia, vt in eis Deus sedeat, & per eas iudicia sua decernat, Sicut scribitur Matth. 13. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum. Cuius figuram Ioannes vidit, angelum scil. exeuntem de templo, quod est de cœlo, habētem falcem acutam. Apoc. 13. Tertium quod superius dixi ad regis rationem pertinere, scil. subditorum
C iniurias atque grauamina potenter vlcisci: patet 1. Reg. 8. Vbi filij Israël postquam vna voce postulassent dari sibi regem, rationem suæ postulationis aperientes inquiunt: Iudicabit nos rex noster & egredietur ante nos, & pugnabit bella pro nobis. Et capitulo sequenti dominus ad Samuëlem de Saül: Vnge eum ducem super populum meum Israël, & saluabit populum meum de manu Philistinorum. Rursus quia Ionathas putabatur occisus à Triphone, quæsierunt omnes gentes quæ erant in circuitu Iudæorum cōterere eos,
D dicentes: Non habent principem & adiutorem, nunc expugnemus illos 1. Machab. 12. Sic etiam mortuo Iuda Machabeo, immiserunt iniqui, & irruptionem fecerunt in omnibus finibus Israël, eodem libro c. 9. Magna proculdubio moderatione vsus est beatissimus rex noster in bellis quacūq; ratione mouendis, sed multa & maxima cum illis gerendis functus est æquitate & magnitudine, mira circunspectione prouidens, ne humilis plebs, & qui in delicto nō participabant vllo quā-
E tum erat possibile, damno afficerentur, quāobrem omnia summopere vitabat incendia, & per vim obsidionis hostem coarctabat. Transiens esset per monasteria & alia loca virorum religiosorum, claues horreorum & cellariorum recipi iubebat, nę vlla eis iactura suo transitu inferri posset. Longè aliter fit prohdolor his diebus. Si enim ad propulsandum hostes exercitum quandoque cōgregemus, hic primò inuestigabunt quæ sint prædia ecclesiastica, si quid ex eis reperiant quod ex vsu
F sit, mox rapietur auferetурque. Plebs verò innocua quæ in agris & pagis habitat, non tantum plerumque læditur ab hostibus, quantum ab ipsis equitibus & stipendiarijs nostris. Eorum ædes si occupantur, diripiūtur facultates & pecora multa quę pudore commemorare deterreor, in eis committuntur. Itaque pauper vulgus vndiq; tunditur & vexatur, ab hostibus scil. ab exercitu nostro, & tertiò in ipsis exactionibus, & alijs quæ cum eis maiores solito accrescunt. Et sunt homines quorum in reperiendis nouis pugnandi modis tota cura teritur; nunc solus aduersus

solum, nunc numerus aduersos numerum. Hic sine galea, ille sine pectorali, alius sine scuto vel A lorica, quorum sanè alteri cupiditate opum mouentur, alteri quidem ambitione gloriæ viri fortisque strenui splendorem vsurpantes. Illi nonnunquam non falluntur, quia plerique ea ratione locupletes fuere. Isti verò fortitudinis aut strenuitatis vani, gloriam propter huiusce modi præsumptam audaciam nunquam sunt assecuti. Sicut Tullius præclare argumentatur in primo de officijs, ita inquiens. Ea animi elatio quæ cernitur in periculis & laboribus si iusticia vacat, pugnátque non pro salute communi, sed pro suis commodis in B vicio est, non modo enim illud virtutis non est. Allegat dictum Platonis: Animus paratus ad periculum, si sua cupiditate non vtilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habet quã fortitudinis. Ex quo infert Tullius: Itaque fortes viros & magnanimos eosdem, & simplicis veritatis amicos, minimèque fallaces esse volumus, quæ sunt ex media laude iusticiæ. Facillimè autem (vt ipse ait) ad res iniustas impellitur quisquis altissimo animo est gloriȩ cupiditate, virtuti ne quȩ C so tribuendum erit, solo humanæ laudis appetitu in discrimen præsentis mortis vltro irruere, quæ si sequatur, ille verissimè erit homicida sui qui nullo impellente, sine ratione, sine vtilitate intempestam sibi mortem asciuerit, sin alium occidat reus erit iudicio, præsertim cum idem per superbiam committat ex quibus cõflatur quod fortis & magnus animus, non est qui commodi aut gloriæ suæ, sed qui communis vtilitatis causas res magnas & vehementer arduas gerit, plenásque laboris & periculorum. Sicut fecerunt Iosue, Dauid, D Iudas Machabeus, sicut forte fecerunt Horatij & Curij, qui quatenus finis illi diuturno atrocique bello daretur, quod inter Albanos & Romanos miserè gerebatur producti hi scilicet tergimini Horatij à Romanis, Illi videlicet tergemini Curij, ab Albanis inter se conflixerunt, quorum & si singuli fortitudine gloriam sunt adepti, tamen præcipua laude prosequendus est, qui duobus germanis prostratis & extinctis, tres Curios solus confecit & superauit. Innumeri occurrunt alij viri E fortes quos possem commemorare. Attamen satis est mihi ostendisse, quod qui eiusmodi insolita duella agunt, gloriæ aut diuitiarum stimulis acti, non modò non fortes aut strenui censendi sunt, sed audaces, cupidi, prodigi atque insolentes, vtpote blandientes sibi, & intra se dicentes: Ecce magnus factus sum & præcessi omnes gloria, vadam & affluam delicijs, & fruar bonis, qui vtinam hunc versiculum bene saperent: Vanitas &c. Vtinam eum in vestibus suis vt sunt discissæ, F & quas multo nimis longas, ad magnam vsque distantiam post se trahunt, scriptum haberent. Nec solum in vestibus, sed (vt Chrysostomus optat) in parietibus, in domo, in foro, in ianuis, in ingressibus, & ante omnia in cõscientijs suis, vt eum semper oculos cernerent.

Vereor ne si diutius hunc sermonem protenderem, nõ tam istorum correctionem, quam aduersus eos inuidiam concitare velle existimer. Redeo igitur ad beatum regem nostrum Ludouicum. Nusquam enim me conuerto, quin ego vberem illic suæ laudis materiam reperiam. Is enim eiusmodi voluntaria, sed iuuenili quodam furore æstuantia certamina, de quibus paulo acriora disserui, magnopere prohibeat, nisi forte in casibus, si non iure, consuetudine tamen introductis vel permissis, contentiones quæ oriebantur in regno vel inter affines regni, magno æquitatis temperamento vt plurimum pacificabat. Aduersus verò hostes fidei, tanta animi virtute ferebatur sicut angelus Dei, figuratus (quantum arbitror) per angelum salutis, qui apparuit Iudæ Machabeo, cum pergeret in auxilium fratrum suorum, præcedens eum eques in veste candida, cum armis aureis, hastam vibrans 2. Machabæorum 11. Et hæc secundo principali.

Visum est hactenus de comparatione beatissimi Ludouici ad angelicam naturam secundum duplicem eius habitudinem, ad Deum scilicet vt creatura Dei, ad regimen subditorum vt rex. Restat nunc videre (si non grauemini) de ipsius humanitate erga homines. Humanitatis autem (vt hic sumitur) tres sunt partes, scilicet, Humilitas, Mansuetudo, & misericordia, quæ appellatione vulgi pietas nuncupatur, prout tangit Augustinus 4. de ciui. Dei. Ingentis in rege humilitatis manifestum indicium fuit quod istam secularem pompam, fastum superbum, qui regibus in ecclesia, in mensa & vbique parari solet, facile contemnebat. Quod bonos viros ob eorum virtutem obnixè reuerebatur. Quod à reditu primæ transfretationis, nec in sellis, nec freno equorum, nec magis in calcaribus suis vsus est auro, nec serico aut purpura in vestibus, amplitudine regalis fastigij dignitate morum retenta.

Multa sunt vltra hæc argumenta suæ humilitatis, quæ non necesse habeo hic commemorare. Mansuetudini verò regis astipulatur, quod barbati & feri homines illi indomiti crudelésque inter quos tempore captiuitatis fuit conuersatus, eum bonum virum & mitem appellabant, facilé que ab eis amabatur. De commiseratione verò beatissimi regis apud pauperes & afflictos, plura sunt exempla quam vel memoria comprehendere vel voce exprimere possem. De more enim solebat ter in hebdomada, videlicet quarta & sexta feria & in sabbato, tredecim pauperibus, quos in lecto secreto iubebat discumbere personaliter seruire. Sabbato autem tribus eorum pedes lauare, tergere, osculari, aquam manibus abluendis fundere. Cui consuetudini temporibus sacratioribus, vt in quadragesima, in aduentu, ac cæteris solennitatibus maioribus multum adijciebat in tantum quidem, vt ducentis quandoque discumbentibus pauperibus ieiunus ministraret. Domos etiam Dei & pauperum infirmorum crebrò visitabat. Hos pascebat, fomentis liniebat. Vniuersos autem interdum verborum suauitate recreatos ad patientiam erigebat. Vererer ne parum mihi fidei adhiberetis nisi eadem quæ dicturus sum ab alijs vos audiuisse arbitrarer, fuit namque in monasterio regalis montis quidam frater leprosus quem tanta huius contagionis labes corripuerat, vt oculis excisis, foramina tantum viderentur. Rubore quoque atque ardore plena, nasus labiaque fissa erant atq; cruenta. Hunc vt erat solitus visitare conuiuantem semel inuenit, nixusque coram mensa genibus, rex eum salutare,

tare, consolari, inuitare atque pascere cœpit, allatis ferculis quæ pro se fuerant parata. Sanè cum A
per fissuras labiorũ nunc sanguis nunc pus flueret (mirum dictu) recepto linteo molli atque mundissimo, eum leniter mungendo tergebat. O insignem pietate. O regem non Angelis modo comparandum, sed per ipsos Angelos in dextera Dei patris, ingenti cum exultatione collocandum. Corona inquit de lapide precioso, qua coronãtur qui misericordiã agunt, dicẽte propheta: Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Cur ergo nũc expauescimus quæcumque pietatis opera, his qui B
opus habent impẽdere? Aspiciamus quæso regem nostrũ nudos vestientem, egenos reficiẽtem, consolantem languidos, leprosis ministrantẽ. Nullum tandem humilitatis officium subterfugit. At nos transeuntes viam, si quem pauperem videmus aliquo fortè tumore vel vlcere deformẽ, os continuè diuertimus. Heu mihi quam despicabilis est iste? ille quam horridus, eos ferre nõ possum, ita tenero animo sum natus. Tenero te non esse animo patet sed prorsus durissimo atque adamantino, qui neq; egestate neque languore neq; denique vlla fratris C
charitate emolliris. Age microcosme ea quæ sunt exercitatioris pietatis, vt est illud quod de leproso dixi leuissima tibi propositio. Ecce pauper petit à te eleemosynam cur ei negas? Nescis quod qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, clamabit ipse & non exaudietur. Ille te poscit stipem vel denariũ, qui dedit thesaurum, immo verò qui seipsum totum dedit, & vendi voluit in precium tuæ redẽptionis. quamdiu (inquit saluator noster) vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nõ petit D
ad dandum, sed ad remunerandum. Ille te petit obolum, à quo petere habes regnum ęternum, cuius gloria tu eges, quia non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam. Veruntamen si te tantum remordet impartiri tantillũ pecuniæ tuæ, ecce alius venit ad te, iam non aurum, non argentum, non denique vllum operis vel laboris tui officium exigens petit solum vt ignoscas ei qui in te peccauerit. Ad hanc eleemosynam thesaurus tuus in corde tuo est, ibi quærere corã Deo potes. Non tibi dicitur, profer sacculum, aperi arcam, resigna E
horreum, neque tibi dicitur: Veni, ambula, curre, loquere, festina, labora, stans in vno loco proijcere potes de pectore tuo quod tenes contra fratrem tuum, facies misericordiam nullo sumptu, nullo labore, sola voluntate, dimitte & dimittetur tibi. Fortassis inquies, quomodo possum ei dimittere qui tam grauiter me offendit? Audi non tuam sed veritatis vocem. Si non dimiseritis hominibus, neque pater vester dimittet vobis peccata vestra. Postremò si non vis alteri facere misericordiam, F
miserere saltem animæ tuæ. Ægrota est, alioquin diceret propheta: Sana animam meam, quia peccaui tibi. Medere ei igitur vnguento contritionis, quod cõficitur ex recordatione peccatorum tuorum cum lachrymis. Nuda est, scilicet virtutibus, ergo ne eius turpitudo perspiciatur, & nuditate sua erubescat, operi eam vestimento salutis hoc est charitate, quæ operit multitudinem peccatorum. Scriptum est enim: Beatus qui custodit vestimẽta sua, ne nudus ambulet. Apocal. 21. Esurit anima tua, da ei panẽ vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris pota eam, vt de te meritò dici queat: Animam esurientem satiauit bonis. Captiua est, & concupiscentiarum laqueis constricta. Hier. 50. Illaqueaui te Babylon & capta es, & nesciebas. Babylon confusio interpretatur, & significat animam peccatoris, quę in confusione captiuitatis & tenebrarum illaqueata iacet. Si igitur non vis eleemosynis, ieiunijs & orationibus eam redimere, & in quo proderit illius Angeli implorare auxilium qui beatum Petrum ruptis catenis eduxit de carcere & per medias militum custodias ad portas ciuitatis vsque perduxit. Actuũ 12. Per hunc sanè Angelum puto fuisse designatum beatissimum regem nostrum Ludouicum qui nos carcere huius mortalitatis eductos, per medias aëreæ potestatis excubias, solutis carnis vinculis, ad illã supernam Hierusalem, in qua vt dixi coronatus triumphat, inuocatus perducit. Quod ille nobis præstare dignetur, qui cum Patre & Filio & Spiritusancto vnus est Deus, vnus Dominus benedictus in secula seculorum. Amen.

RELIGIOSO ET BONO VIRO AC FRATERNA CHARITATE IN *Christo dilectißimo domino Ioanni Morello, Canonico regulari sancti Dionysij Remensis, Ioannis de Gerson Cancellarius indignus Ecclesiæ Parisiensis veræ religionis portum attingere.*

PRIDEM ac pluries nunc literis, nunc viua voce postulasti, vt librum vnum in multis codicibus de vita, conuersatione & obitu cuiusdam simplicis ac piæ mulieris dictæ Erminæ editum visitarem, præsertim quia liber ille cõtinet mirabiles satis atq; insolitas visiones, quas sibi asserit mulier illa fuisse factas, & vigilanter ostensas nouiter à vigilia omnium Sanctorum anni nonagesimiquinti vsque ad festum sequens beati Ludouici quo die migrauit à seculo. Nouissimè autem magnis obtestationibus & obsecrationibus coniurasti me ita vehementer sanè, vt vltra differre non valuerim, quatenus pro informatione minus eruditorum, & ad obstruendum ora volentium subuertere fidem simplicium & famam bene & piè viuentium lædere, in breui describerem, quid super contentis in ipso libello iudicarem sentiendum. Parui tuo affectui, quem secundum Deum esse non dubito, vidi librum illum & legi, quamdiu & quantum sufficere arbitratus sum. Et absque temeraria assertione, & cum submissione ad iudiciũ sanctæ sedis Apostolicæ, & sedentis in ea summi pontificis, ac omnium melius sentientium. Dico per modum conclusionis triplicis, quæ sequuntur.

Prima conclusio. In prædicto libello nihil continetur quod debeat reputari cõtrarium fidei Catholicæ, nec alicui articulorum credendorum. Cuius ratio est quoniã omnia quæ ibi posita sunt, sunt in se vel suis similibus diuinæ omnipotentiæ possibilia, lege etiam statuta permanente, quoniam similia omnino vel saltem talia, de quibus idem haberi potest iudicium, leguntur in historijs autenticis in de vita sanctorum Patrum, de impugnatione atque illusione dæmonum, multipliciter & similiter eis facta.

Secunda conclusio. Quamuis non sit necessarium ad salutem credere omnia & singula de facto contigisse & taliter qualiter in prædicto libello

narratur, puto nihilominus esse temerarium & inciuile talibus omnino pertinaciter dissentire, aut animositate obstinata eadem impugnare. Ratio primi est, quoniã plurima talium iacent in facto, quod impertinens est ad fidem. Multa insuper ibidem ponuntur pro miraculis quæ naturaliter saluari possent, licet etiam similia miraculosè contingerint, non omnia tamen vt ponuntur possunt à miraculo defendi. Ratio secundi est, quoniam naturalis æquitas hoc habet, vt quilibet vellet credi assertionibus suis, præcipuè iuramento vallatis, aut saltem non impugnari pertinaciter de falsitate seu periurio. Periret itaque omnis politica conuersatio, si fides vnicuique negaretur. Est verò principium iuris naturalis diuina lege firmatum. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide tu ne aliquando alteri facias. Nemo præterea ciuiliter viuens, debet pertinaciter negare fidem dictis alterius, vbi non apparet falsitas vel læsio clarior veritatis. Cũ igitur cõtenta libelli de quo loquimur, sub tam graui & multiplici attestatione & in mortis artic. posita sint, & veritas præcipuè fidei nulla inde violatur, immo poti⁹ corroboratur & honoratur, nec ex illorum pia credulitate videtur in moribus emergere periculum, patet quod dictum est. Addito quod non est abbreuiata manus domini, qui similia & maiora quam olim, nostris temporibus possit operari. Nec præterea sequi oportet, si multa talium possint absque miraculis saluari, quod negentur ex hoc esse miracula. Nam sicut eadem mors diuersis causis, ita idem effectus diuersis modis potest euenire. Et vbi dubium incidit de miraculo, videtur diuina omnipotentia magis honorari, & Christiana religio piè attribuere ad miraculum id quod euenit, quam obstinatè à miraculo defendere, supposito semper quod doctrina veritatis maneat infracta. Nam cum publicatione hæresum mihi esset mortui etiam suscitatio suspecta prorsus & execratione plena. In hoc enim verum est illud Sapientis: Qui citò credit, leuis est corde. Et profectò non vacat hoc vnicum ab admiratione (ne dicam miraculo) si mulier idiota & rusticana tot & talia sciuisset confingere, qualia ibidem recitantur.

Tertia conclusio. Tam ob paruam eruditionem multorum in sacris scripturis & historijs, quam propter obstinatam quorumdam incredulitatem & duram ceruicem, non expedit passim & generaliter modo publicare, sed illis duntaxat quos verisimile erit ex hinc salubriter ædificari. Ratio primi est, ne detur sanctum canibus, & margaritæ projciantur ante porcos, apud quos omnis cogitatio de potibus est & crapula, quibus omnis sermo de religione, de Deo, Angelis & dæmonibus pro fabula est, & tanquam aliquid indignum suo assensu & superbo & crasso ingenio contemnitur, & calcatur. Ratio secundi est quoniam apud bene compositos & solicitos de salute sua, potest colligi per hoc multiplex profectus eorum quæ ibidem enarrantur. Primò, quoniam mulier ista est in speculum pœnitentiæ & austeritatis & luctus. Est autem euangelica veritas, quod pœnitentibus appropinquat regnum cœlorum. Propterea hæc fœmina paupercula anus absque literis & opibus, data mihi videtur in argumentum non mediocre veritatis illius Apostolicæ, quod infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia. Et nũquid dæmones sunt fortes de quorum principe dicit scriptura, quod non est fortitudo super terram quæ huic debeat comparari? Sed quæ confusio maior fortibus illius potuit fieri, vel quæ illusio insignior dari draconi, qui factus est ad illudendum ei, quam à muliercula & tali muliere tam crebrò & turpiter vinceretur? Planè mihi videtur vidisse, insanijsse, fremuisse & frenduisse dentibus atq. tabuisse, cum periret desiderium peccatorum. Qua in re nihil mirandum est, si viris fortioribus similia non contingunt. Diuisiones enim gratiarum sunt, quas operatur vnus & idem spiritus, diuidens singula singulis prout vult. Nam pusillum ac magnum ipse fecit. Sed & multis qui mundum vicerunt, hostes minores (mundum loquor, carnem & sanguinem) parcit Deus vt non permittat tanta eos spiritualium tentationum mole premi & impugnari supra id quod possunt. Istam verò pauperculam spiritu, diuitem in fide, elegit Deus, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Cæterum ex gestis huiusmodi perpendere licet quanta est versuta malignitas dæmonum, quam improba & dira nocendi cupido, quantus furor & astutia ad seducendos homines, nunc terroribus, nunc blanditijs nunc mille fallacium miraculorum artibus. Contra quæ omnia requiritur & sufficit triplex virtutis auxilium, quod in hac muliere legitur abũdasse. Primum est humilitas profunda & vera, qua se indignam omni bono, & meritam omne malum iudicat, non quidem ore solo vt multi, sed corde tuo intrinsecus. Et hoc ex consideratione vehementissima & assidua propriæ fragilitatis & defectus, respectu diuinæ potentiæ atq; bonitatis, talis humilitas est quę euadit laqueos vbilibet protensos, secundum oraculum factum diuinitus Antonio. Secundum est fides firma, viua & certa de Deo quod absque eius nutu, prouidentia & voluntate, nulla potest aduersa potestas nocere homini, ita vt audacter prouocetur inimicorum rabies ad sui nocumentum ex fide certa, quod nihil agent nisi quantum & qualiter licentiauerit altissimus. Hoc modo impletur illud de leone infernali, cui resistite inquit fortes in fide. Tertium est prudens simplicitas & indocta (vt ita dixerim) sapientia, quæ non innititur prudentiæ propriæ, sed omnia agit cum consilio. Et hæc est columbina simul & serpentina discretio, rectrix & auriga virtutum, sine qua virtus prolabitur in vitium. Nam confestim vt aliquis sapiens est in oculis suis, & spernit consilium, de illo actum est, & exponitur omni dæmonum ludibrio, immo & secundum cuiusdam sancti patris sentẽtias sibimet ipsi iam dæmon effectus est. Patet ad extremum ex libello præfato, quanta acerbitas suppliciorum in inferno erit, & quanta in cœlis suauitas gaudiorum. Nec sum nescius frater in Christo dilectissime, quin multo plura vtiliter de admirabili huius deuotæ ac piæ mulieris vita dici possint. Sed ista ad satisfactionem tuæ petitionis æstimaui sufficere. Tempus aderit forsan, quando plus dabitur otij, vt latius de his scribam. Respondens obiectionibus quæ fieri possunt, sicut & in omnibus ferè, etiam verissimis fieri posse non dubium est. Subscripserunt huic literæ manibus proprijs in testimonium paris mecum sententia & consensus illi

illi quos tales esse cognoscis, qui verisimiliter non possint nec velint decipere, quibus nec visum est impunè posse mentiri. Bene vale.

SEQVVNTVR ALIQVÆ DEFINITIONES TERMINORVM, VTILES *valde pro intellectu sacræ Scripturæ positæ ab eodem magistro Ioanne de Gerson.*

DEVS est quo maius excogitari non potest, id est, perfectius, quia magnitudo in spiritualibus est earum perfectio. Mundus est vniuersitas rerum ab arte diuina conditarum, quæ res ab eius dominantissimo & liberrimo regimine suis legibus ordinantur. Vel sic: Mundus est ens vniuersum & perfectum, vel est vniuersitas perfecta. Perfectum est ens habens illud quod ei congruit, aut quod suæ integritati debitum est. Mundus archetypus est Deus vt ab ipso vnico & simplicissimo producibilis est, mundus exterior pro vtraque sui parte, spirituali scilicet & corporali. Mundus idealis, idem. Mundus exemplaris, idem. Mundialis ars & primordialis idem. Macrocosmus est maior iste mundus exẽplatus & productus à mundo archetypo Deo, continẽs in se vniuersam creaturam, corporalem & spiritualem, ad ipsum Deum finaliter ordinatam. Microcosmus, est minor quidem mundus, continens in se duplicem substãtiam, corporalem scilicet & spiritualem Dei capacem, ad finem beatitudinis ordinatas. Minor mundus est nexus quidam duplicis substantiæ, corporalis & spiritualis, ratione cuius nexus ipse capax est omnium tam spiritualium quam corporalium, gerens eorum quandam imaginem & exemplum. Mundus spiritualis in mundo maiori, est vniuersitas creaturarum spiritualium. Vel specialius: Mundus spiritualis est vniuersitas intelligentiarum separatarum cum suis actibus vel habitibus spiritualibus ordinata ad Deum & inter se & ad inferiores creaturas, idem. Hierarchia cœlestis, idem. Speculum æternitatis. Catena æternitatis, idem. Catena aurea, idem. Liber spiritualis, idem. Mundus corporalis, est vniuersitas substantiarum corporalium vel extensarum cum suis accidentibus ordinata per genera, species & indiuidua, & per motus & fines subordinatos ad supremum finem Deum. Catena argentea, idem. Liber naturæ visibilis vel sensibilis, idem. Carmen sensibile mundi, idem. Scala Iacob, idem, vel est macrocosmus. Mundus spiritualis in microcosmo, est anima rationalis vt habens agere suum separatum ab organo corporeo. Potentia rationalis, idem. Anima rationalis est substantia spiritualis, indiuisibilis, libera naturaliter, innitens corpori, vt ex ea informante corpus, fiat vnum compositum quod dicitur homo, hoc est animal rationale mortale. Microcosmus spiritualis, idem Hierarchia spiritualis & subcœlestis, idem. Informare est actuare subiectum in genere causæ formalis, virtute cuius actuationis denominationes, quæ competunt formæ in abstracto, communicantur materiæ vel toti composito in concreto, nisi sint denominationes includentes negationes atque subiecto repugnantes. Mundus corporalis in

A mundo minori est anima, prout ipsa habet agere suum per organum corporeum, aut est compositum ex corpore & anima sic se habente in agere suo corporeo. Potentia corporea, idem. Ars est recta ratio practica seu factiua, secundum quam agens rationale rem aliquam causare potest aut producere. Ars diuina quæ & idea dicitur & mũdus archetypus & exemplar, est diuina essentia vt est imitabilis diuersimodè à creaturis, & vt est earum per intellectum & voluntatem productiua. Dominium Dei in mundo, est ius plenum possidendi mundum ratione creationis ac mediante

B possessione liberè vtendi omnibus contentis in eo. Ius est facultas seu potestas competens alicui secundum dictamen rectæ rationis. Libertas est facultas rationis & voluntatis ad vtrumlibet oppositorum. Actus liber essentialiter, est actus à voluntate elicitus eligibiliter vel ex electione rationis, & ita complectitur vtrumque. Actus liber participatiuè, est actus à voluntatis electione solum mediatè productus. Regere est rem in suum finem deducere. Regere suauiter & fortiter, est

C rem in suum finem absque eius resistentia, sed cum omnimoda obedientia & absque frustrabilitate deducere. Lex est recta ratio practica secundum quam motus & operationes rerum in suos fines ordinatè regulantur. Vel est ipsa talis regulatio in quocumque. Lex prima est beneplacitum seu voluntas suprema domini Dei, præstituentis rebus à se conditis fines suos & motus & operationes ad illos. Vel sic: Lex prima est diuina voluntas, præstituens ordinem rebus à se conditis. Recta

D ratio practica, est vis cognitiua rationalis, dictans & docens ordinem in rebus singulis conseruare, & dare vnicuique quod suum est. Suum in vnaquaque re seu ius seu debitum, est facultas seu potestas quædam communicata eidem rei à voluntate superioris sui. Et hæc est lex de qua legistæ, quod placuit principi legis habet vigorem, quia prius est debitum quam recta ratio dictet illud esse debitum, & illud non potest reduci nisi ad Dei voluntatem. Iustitia est conseruatio iuris, vel est perpetua & constans voluntas, reddens vnicuiq;

E quod suum est. Et capitur hic cõstans & perpetua voluntas (si descriptio conuenire debeat humanæ iustitiæ) pro habitu virtuoso, qui propter stabilitatem dicitur perpetuus & cõstãs, & similiter actus inde procedens, quia à recto deflecti nunquam potest. Ordo est parium dispariumque rerum, sua cuique loca tribuẽs dispositio. Vel ordo est dispositio plurium, tribuens vnicuique quod suum est. Vel ordo est debita collatio rei. Locus rei cuiuslibet est finis suus in quo conseruata quietatur.

F Lex æterna est diuina voluntas ordinatiua rerum à sua arte producibilium vel productarum quoad operationes & motus & fines singularum. Vel est perpetua & constans voluntas ius suum vnicuiq; tribuens. Lex creata seu participata, est participatio vel emanatio vel mutuatio vel similitudo quędam analogia legis æternæ vel effectus eius ordinem in rebus conditis aut seruans aut seruare dictans. Lex naturæ est in rebus creatis regulatio motuum & operationum & tendẽtiarum in suos fines. Peccatum est legis transgressio seu violatio. Lex obligatiua est lex insinuata libero arbitrio creato, signo, verbo aut facto ligans ne ipsa

violetur. Lex præceptiua propriè est lex libero arbitrio insinuata, signo, verbo aut scripto, iubens sub pœna dissolutionis amicitiæ inter Deum & liberum arbitrium, ne pro commodo vel incómodo violetur. Culpa est transgressio voluntaria legis obligantis. Reatus est dignitas qua ordinatur aliquis ad pœnam pro culpa. Vel reatus est dignitas ad pœnam pro culpa. Macula est priuatio alicuius pulchritudinis in anima debitè inesse sibi. Culpa mortalis est transgressio voluntaria legis præceptiuæ. Reatus mortalis, est dignitas ad pœnam mortis pro culpa. Liberum arbitrium, est facultas rationis atque voluntatis, potens imperare cæteris viribus cognitiuis & affectiuis, immo rationi & quandoque voluntati cum cæteris respectibus. Imperium liberi arbitrij, est dominium rationis dictantis aliquem motum & voluntatis exequentis illum in vires inferiores, vel tanquam inferiores in hoc obedientes. Dictamen rationis exprimitur per verbum indicatiui modi, vt quod hoc est faciendum. Executio per verbum imperatiui modi, vt fac hoc. Ratio est potentia animæ cognoscitiua, respectu conclusionum deducibilium ex principijs libera secundum aliquos essentialiter, secundum aliquos solum participatiuè. Voluntas est potentia animę affectiua rationabiliter, hoc est ex cognitione rationis, potens cæteris omnibus æqualiter se habentibus elicere actus suos immanentes. Actus immanentes eliciti sunt velle & nolle deliberatum, & actus quidem medius suspensiuus vel experimentatiuus. Lex consiliatiua vel consilium, est lex libero arbitrio insinuata, cuius obseruatio laudem habet, & violatio culpam non habet. Lex cohibitiua quasi media inter pręceptũ concilium, est ex libero arbitrio insinuata signo, aut verbo, aut scripto, ligans ne violetur. Cuius tamen violatio non est dissolutiua amicitiæ & vnitatis inter Deum & liberum arbitrium, nec inter homines adinuicem. Culpa venialis est transgressio voluntaria legis cohibitiuæ. Culpa est violatio seu priuatio modi, speciei & ordinis, competentium libero arbitrio vt liberum est. Modus in rebus, est limitatio diuinæ potentiæ efficientis. Species est limitatio diuinæ sapientiæ exemplaris. Ordo est limitatio diuinæ bonitatis finientis. Mensura est modus. Numerus est species. Pondus est ordo. Et primis correspondet vnitas, secundis veritas, tertijs bonitas. Modus & mensura & vnitas in libero arbitrio vt tale est, attenditur in efficiendo vel non efficiendo, liberè, conformiter ad diuinam potentiam agentem. Species, numerus & veritas, conformiter ad diuinam sapiẽtiam exemplantem. Ordo pondus & bonitas, conformiter ad diuinam bonitatem finientem. Lex naturalis animalium, & lex quam habet quodlibet animal, non impeditum vel indispositum. Lex naturalis hominum, est dictamen legis practicum, quod natus est habere quilibet homo non impeditus in vsu rationis, nec in dispositione corporis, nec ex deprauatione vitiorum. Lex diuina propriè in hominibus, est lex per diuinam reuelationem accepta ad regimen plurimorum, pro fine beatitudinis principaliter ordinata. Primum ponitur ad differentiam legis priuatæ. Aliud ad differentiam legum iudicialium in antiqua lege. Lex priuata, est lex per diuinam reuelationem accepta, ad regimen personæ singularis vel paucorum. Diuina reuelatio, est illustratio humanæ naturæ rationalis, ad quam habendam vel modum habendi, ipsa de communi cursu sibi indito non attingit. Lex humana seu positiua, est lex per ratiocinationem ex lege naturali deducta in consequentijs probabilibus, ad finem debitum humanæ creaturæ. Probabile dicitur, quod pluribus & maximè sapientibus apparet verum. Lex ciuilis & temporalis est lex humana ad finem naturalem socialis vitæ bene regulandæ, immediatè & principaliter ordinata, & per illum qui curam communitatis gerit sufficienter promulgata. Lex ciuilis & spiritualis, est lex humana ex principijs creditis vel per se notis, probabiliter deducta, ad finem supernaturalem immediatè & principaliter ordinata, per illum vel illos qui curam communitatis habent, sufficienter promulgata. Lex charitatis in via, est ius propinquum fruendi Deo propter se, & cæteris omnibus vtendi propter Deum, quomodocumque iustè placuerit ad meritum vitæ æternæ. Ius est facultas seu potestas quędam propinqua competens alicui ex superioris domini voluntate, participatiuè seu attributiuè. Ius diuinum, est ius competens alicui ex lege diuina. Ius ciuile, est ius competens alicui ex lege ciuili. Ius euangelicum, est ius competens alicui ex lege charitatis. Iurisdictio est potestas dandi ius, hoc est exercendi quod iustum est. Iurisdictio politica, est iurisdictio coerciua alterius vel vt alterius, etiam inuiti. Ratio bonitatis in genere, est ratio perfecti secundum aliquos, vel est ratio appetibilis. Ratio bonitatis moralis de genere, est bonitas obiecti seu materiæ, circa quam est habitus vel actus moralis, verè vel participatiuè liber. Ratio bonitatis moralis simpliciter, est bonitas contracta ex fine & obiecto & cæteris circunstantijs, secundum dictamen rectæ rationis inditæ naturaliter vel humanitus acquisitæ. Ratio bonitatis gratuitæ, est bonitas contracta ex gratia gratum faciente & infusa. Ratio imputabilitatis in actu est manatio eius libera verè vel participatiuè à rationali creatura. Ratio laudabilitatis, est imputatio ad laudem. Ratio vituperabilitatis, est imputabilitas ad vituperium. Potentia libera vel rationalis participatiuè, est potentia nata obedire libero arbitrio sicut est appetitus sensitiuus. Actus liber solum participatiuè, est actus imperatus à libero arbitrio mediante actu illicito, & ita sunt in voluntate & in ratione quidam actus solum participatiuè liberi, & similiter quidam habitus. Virtus in genere, est bona inclinatio creaturæ rationalis ad operationes naturæ suæ congruas laudabiliter exercendum. Vitium in genere proportionabiliter describetur, quod est mala inclinatio creaturæ rationalis, ad operationes naturæ suæ incongruas vituperabiliter exercendum aut à bonis desistendum. Virtus naturalis seu naturaliter insita, est bona inclinatio creaturæ rationalis, non acquisita sed innata ad operationes naturæ suæ congruas laudabiliter exercendum vitium naturale per oppositum. Virtus intellectualis acquisita sumpta generaliter, est habitus cognitiuus verus inclinans animam ad operationes suas vt intellectiua

est

est exercendum. Vitium intellectuale per oppositum, est habitus erroneus impediens animam ab operationibus sibi congruentibus vt intellectiua est exercendis. Virtus moralis in genere, est habitus acquisitus laudabilis, iuuãs & eleuans animam ad operationes suas intellectuales vel effectiuas, elicitas vel imperatas ad laudabiliter exercendum. Vitium morale per oppositum. Virtus intellectualis prout spectat ad moralem, est habitus laudabilis, inclinans & disponẽs immediatè animam ad operationes suas vt intellectiua est laudabiliter exercendum. Vitium intellectuale per oppositum. Virtus moralis prout distinguitur contra intellectualem, est habitus acquisitus laudabilis, iuuans & eleuans immediatè animam ad operationes naturæ suæ congruas, vt effectiua est laudabiliter exercendum. Vitium morale per oppositum. Habitus acquisitus est qualitas animæ genita ex multis actibus, non de facili mobilis, & per hoc differt à dispositione, quę facile est mobilis. Virtus theologica, est habitus à Deo solo infusus, eleuans liberum arbitrium, id est, facultatem rationis aut bonitatis aut vtriusque ad Deum immediatè, obiectaliter & laudabiliter attingendum. Gratia in genere, est virtus qualiscumque fuerit considerata, prout à Deo gratuitè donata est. Vel gratia in genere, appellari potest omne illud qualecumque sit quod Deus immittit creaturæ rationali vt ipsa declinet à malo & faciat bonum. Hoc modo naturalia & fortuita bona, immo & mala fortunæ inter gratias quandoque numerantur. Gratia magis in speciali, est donum aliquod consideratum, prout à Deo gratuitè, hoc est sine meritis collatum est. Hoc modo virtutes omnes gratiæ sunt, immo & naturales ad bonum inclinationes. Gratia specialius est habitus aliquis animæ supernaturaliter infusus ad finem beatitudinis mediatè vel immediatè consequendum. Hoc modo fides & spes & prophetia & dona & beatitudines computantur in gratijs. Gratia propriè prout conuertitur cum charitate, est habitus mentis à Deo solo supernaturaliter infusus, viuificans eam & dignificans formaliter ad actus Deo placitos & meritorios immediatè producendum, cum acceptatione eiusdem animæ, ad propinquam dignitatem habendi vitam æternam. Dicitur immediatè propter alios habitus formatos. Dicitur ad dignitatem propter præscitos in gratia. Gratia præueniens, est gratia generaliter dicta pro quanto præmonet liberum arbitrium, stimulans quodammodo, & trahens ipsum mediatè vel immediatè ad Deum super omnia diligendum, & ad declinandum à vitio, non tollens libertatem, sed eam potius actuans & ad proprios motus agendos iuuans. Tractatus Dei, idem est quod gratia præueniens. Præuentio Dei idem. Inspiratio diuina idem. Instinctus bonus idẽ. Spiritus bonus prout idem est sicut vehemens quidam impulsus, idem est, & sic capitur à Ioanne in canonica: Probate spiritus si ex Deo sint. Gratia concomitans & gratia in speciali appellatur pro quanto coagit libero arbitrio ad opus bonum. Gratia subsequens, est gratia pro quanto manet in libero arbitrio post opus eius bonum inclinand[illegible] quotidie ad profectum. Gratia gratis data est [illegible]onum, sic appellatum, quia sine meritis datur. Gratia gratificans

A & iustificans est charitas, sic appellata, quia peccatum expellit & gratam reddit animam Deo atq; iustam. Resistere gratiæ Dei vel Spiritui sancto, est non velle insequi tractum vel impulsum gratiæ præuenientis. Extinguere Spiritũ sanctum idem. Instinctus generaliter, est fortis ac vehemens inclinatio liberi arbitrij mediatè vel immediatè ad aliqualiter se vel habendum vel non habendum. Spiritus vno modo idem est. Instinctus malus, est instinctus directè vel indirectè ad peccatum, vel retrahens à virtute. Tentatio idem est. Instinctus

B bonus, est instinctus promouens directè vel indirectè ad virtutem, vel à vitio diuertens. Inspiratio idem est vno modo. Omnes apprehensiones quinque sensuum, omnes passiones interiores in anima sensitiua appetente & in anima intellectiua volente, & omnes habitus acquisiti vel infusi, & nouæ mutationes temporum, & ægritudines vel sanationes & constellationes patentes vel occultæ, & naturales motus apprehensiui qui dicuntur sensus naturæ, & omnes motiones Angeli boni vel mali erga liberum arbitrium nostrum

C mediatè vel immediatè, & motiones speciales Spiritus sancti desuper numerantur inter instinctus & spiritus, maximè quando surrepunt vehementer cum repentina quadam impræmeditatáq; motione. Instinctus diuinus, propriè est instinctus factus immediatè & per se à Deo tangente animam & exuscitante & quodammodo actuãte eam ad obediendum sibi cum omni subiectione superbiæ cõtraria. Inspiratio Spiritus sancti idem. Instinctus angelicus, est instinctus factus ab Ange-

D lo bono, principaliter tamen à Deo, inducens animã ad obediẽdum Deo, & hoc vel immediatè per irradiationem quandam eius spiritalem & intelligentia & voluntate, si hoc concedatur posse fieri in via & per quandam internam & placidam locutionem. Vel hoc est mediãte motione sensualitatis & viriũ suarum intus vel extra, quibus motis anima consequẽter seipsam mouet & actuat. Hunc semper comitatur profunda humilitas, sibijpsi vilescens. Instinctus diabolicus describetur per oppositum, quod est instinctus principaliter factus à

E malo angelo inducẽs ad peccatũ, & hoc vel immediatè per quandã immissionem horroris sui in animam intellectiuã, si hoc concedatur posse fieri, vel per quãdam internam blasphemã locutionem aut subdolam. Vel hoc est mediante motione sensualitatis intus & extra, hũc comitatur semper superba quędam de seipso cõplacentia. Immissio per angelum malum, idem. Succendere ad malum idem. Transfiguratio sathanæ in angelũ lucis, est immissio diabolica, vel instinctus diabolicus, siue sit visi-

F sibiliter siue inuisibiliter, inducens ipsam animam ad malum sub specie magni boni. Tentatio subita, est tentatio quæ deliberandi spacium vix admittit. Tentatio perplexa, est tentatio quæ vix exitum inuenire potest sine nouo peccato. Tentatio morosa est tentatio quæ tædium & quasi desperationem vincendi eam ingenerat. Resistere tentationi, est per tentationem non consentire peccato. Vincere tentationem, est positiuè dissentire peccato per tentationem proposito. Datio morosa Spiritus sancti in anima est liberalis & dignatiua condescẽsio Spiritus sancti cum anima ad faciendum de propinquo quidquid ipsa rationabiliter

voluerit ad salutem suam, vel fruendo Deo vel vtendo creatura. Missio Spiritussancti in animam, est eius datio cum aliquo signo sensibili demonstrato. Missio filij in animam, idem est. Missio filij & Spiritussancti per patrem in mundum, est ipsorum productio æternalis manifestata exterius per signum aliquod sensibile, propterea pater nō mittitur, quia non producitur. Incarnatio Filij, idē est quod eius missio in mundum, Spiritum sanctum illabi in animam, est ipsum esse intimum animæ ad regendū omnes motus eius liberos, prout sibi placuerit, hoc modo nihil aliud potest illabi. Datio Dei tot modis dicitur, quot modis creaturam aliquid habere reperimus. Hinc est quod se dat per naturam, per gratiam gratis datā vario modo per gratiam gratificātem, per gratiam confirmantem, & tandem per gratiam consummatam in gloria. Instinctus naturæ proprius & intrinsecus & inclinatio fortis rei competens sibi essentialiter & intrinsecè ex dono Dei ad finem suum mediatè vel immediatè consequendum. Proprietas specifica rei secundum hunc instinctum, non secūdum potentiam purè obiecturalem attenditur. Instinctus naturæ proprius, sed intrinsecus vel accidentalis, est inclinatio quædam superaddita rei à sua institutione pro fine suo mediatè vel immediatè consequendo. Appetitus naturę, idem est quod instinctus naturalis. Instinctus naturæ intrinsecus seu vniuersalis est inclinatio rei ad bonum vniuersi, vel ad obediendum ei qui vniuersalis conditor & rector est. Potentia obedientialis idem est, nisi quod secundum hanc non sumitur distinctio essentialis & specifica rerum. Instinctus naturæ corruptæ in sensualitate est fortis inclinatio sensualitatis ad obiecta sua, non expectando regulam rationis, proueniens nobis ex peccato primorum parentum. Lex naturæ corruptæ, idem. Lex membrorum, idem. Fomes peccati idem. Tyrannus membrorum, idem. Priuatio iustitiæ originalis, idem. Instinctus intrinsecus naturæ intellectualis corruptæ, est inclinatio fortis ad condescendendum sensualitati, ad vtendum Deo & fruendum creatura & spiritualiter fornicandū. Vti Deo, est ipsum propter aliud à se diligere & quærere, & est quandoque mortale, quandoque veniale. Frui cratura, est spreto in commutabili bono, adhærere creaturæ, & si hoc fiat tanquam fini principali, semper est mortale. Fornicatio spiritualis idem est quod vti Deo vel frui creatura. Vel sic: Fornicatio animæ est adhæsio eius bono commutabili, postposito incommutabili secundum aliquā suarum virium. Fornicatio virtutis irascibilis, est fiducia quædā in alio quam in Dei potentia & gloria finaliter, vel diffidētia de eadem. Fornicatio virtutis rationalis est, conquisitio sapientiæ terrenæ, animalis & diabolicæ, spreta Dei sapientia. Fornicatio concupiscipilis, est conquisitio prohibitæ delectationis in creatura, spreta Dei bonitate atque dulcedine, vel quærerere dulcedines spirituales propter seipsas principaliter, non propter Deum. Instinctus naturalis ab extrinseco est tractatus vehemēs & subditus, vel ab aliquo obiectorum quinque sensuum exteriorum, vel ab habitibus acquisitis, aut à cœlesti virtute vel forma vel influentia. Influentia cœlestis vel forma vniuersalis est virtus quædam deriuata inferius ab intelligentijs meditantibus orbibus suis & motu commouens corpora, quibus commotis animæ præsertim rationales

A formant sibi phātasmata proportionabiliter ad tales influentias clarius vel obscurius pro diuersitate corporis hac virtute commoti sicut puer solus in tenebris existens format sibi phantasmata terribilia, & vehemēter amans sibi somnia fingit. Speculum æternitatis nominatur tota spiritualis aggregatio omnium substātiarum separatarum cum suis cognitionibus & illustrationibus quas à Deo suscipiunt. Mundus spiritualis idem. Catena aurea, idem. Hierarchia cœlestis idem secundum theolo-

B gos. Catena argentea est aggregatio ordinata omnium influentiarum corporalium à primo corpore vsque ad infimum. Mundus corporalis, idem. Propheticus instinctus naturalis, est cognitio quędam occultorum, habita & influxu cœlesti mouente animam intellectiuam, corpore tamen mediante, & secundum quod clarius aut obscurius mouet, secundum hoc sex species huiusmodi prophetiæ distinguuntur. Prophetia per somnia fundatur super hac motione formæ vniuersalis cœle-

C stis, & secundū quod variatur per clarius & minus clarum, sex vel septem huiusmodi prophetiarū vel diuinationum differentiæ numerantur. Diuinatio vel prophetia quæ fit per aspectū cuiuscumque rei exterioris in magicis adinuentionibus (si quid habeat soliditatis) fundatur in hac motione cœlestis influentiæ siue sit in garritu vel volatu auium, siue in flammæ inspectione, siue in omnib⁹, aut in quibuslibet auspicijs & obseruationibus talibus. Istic enim similis est coniectura qualē medicus facit de

D qualitatibus animę ex pulsu venæ corporalis, quāuis ista cōiectura neq; ita certa sit, neq; ita stabilis, immo se his dare spreta prudētia curiositas est noxia & damnanda. Bona fortuna est bonus instinctus naturalis & mala malus, &c. Donum pout appropriatè distinguitur in septem dona, est gratia non solum iuuans liberum arbitrium vt virtus, sed efficacius illud expediens ad operationes salubres sibi congruas. Beatitudo prout in euangelio sumitur, est gratia non solum iuuans & expediens liberum arbitrium, sed illud altiori & diuiniori modo

E perficiens ad operationes suas excellentes & quasi diuinas. Virtus heroica conuenit cum beatitudine, & est virtus excellens ad quam communis vita non attingit. Bestialitas per oppositum est vitium excedens communem hominum malitiā, ex consuetudine peruersa & vitio corporalis inclinante. Virtus cardinalis conuenit cum morali, connotando quod principaliter sit regulatiua & ordinatiua vitæ humanæ, & quod sub ea virtutes multæ numerentur. Fructus spiritus sunt quidam vsus vel

F status, quibus replentur animæ iustorum, & consolātur qui ad beatitudines propter sui perfectionem consequuntur. Meritum est actus laudabilis factus ad bonum alterius verè vel interpretatiuè seu reputatiuè pro quo exigitur præmium, dicitur reputatiuè propter Deum, qui bonorum nostrorum non eget. Demeritur per oppositum est actus vituperabilis factus verè vel interpretatiuè seu reputatiuè ad malum alterius pro quo exigitur supplicium. Meritum de congruo, est meritum pro quo exigitur præmium de congruo. Meritum ex cōdigno, est meritum pro quo exigitur præmium ex debito. Ex hoc dupliciter vel ex debito pacti

& legis

& legis & Domini dignificantis actũ ad tale præmium, vel ex rigore iustitiæ, sic quod si non redderetur præmium, iniustè ageretur cum merente, & hoc solum reperitur inter creaturas ad inuicẽ. Meritum vitæ æternæ est actus laudabilis à charitate mediatè vel immediatè proueniens, pro quo dignificat Deus hominem ad vitam æternam, quã habebit si obicem non posuerit. Meritum temporale, est actus laudabilis moraliter bonus, pro quo dignificatur quis ad præmium aliquod temporale.

De quatuor virtutibus Cardinalibus. Et primò de prudentia & partibus eius.

VIRTVS prudẽtiæ moralis in genere est habitus intellectualis, acquisitus laudabilis, eleuans & dirigens liberum arbitrium in agendis vel vitandis. Prudentia monastica, est prudentia regulans personam propriam. Prudentia œconomica, est prudentia regulans multitudinem vnius domus siue domesticam. Prudentia legalis vel regalis, est prudentia regulans ordinatiuè aut præceptiuè multitudinem politicam. Prudentia militaris, est prudentia regulans executiuè politiã propter victoriam. Prudentia politica vel ciuilis, est prudentia regulans politiam ciuilem per se sufficientem in vita sociali. Politia est societas plurium in imperando & obediendo sub certis legibus ordinata. Eubulia est prudentia docens inuenire debito modo medium ad finem per deliberationem vel consilium, & potest appellari consiliatiua. Astutia opponitur eubuliæ quoad finem intentum. Et est vitium intellectuale docens inuenire accommoda media ad finem malũ. Solertia iuuat ad eubuliam, & est vis seu facultas inueniendi medium in tempore non prospecto. Ingenium videtur dicere eidem. Hebetudo vel insolertia eubuliæ quodammodo priuatiuè opponitur. Præcipitatio ei opponitur quoad modum. Et est vitium quo quis præcipitanter inclinatur dare vel capere consilium. Tarditas, est vitium aliud extremum. Fraus ei opponitur quoad inuentum medium. Et est vitium intellectuale inclinans hominem inuenire media sophistica, & magis ad hominem quam ad rem ad inferendum proximo iniustum nocumentum. Dolus est simile vitium ad decipiendum proximum in quauis materia. Et est dolus bonus si homini prosit & nihil obsit secluso mendacio. Synderesis vel synesis est prudentia docens iudicare debitè de medijs inuentis, & potest nominari iudicatiua. Stultitia opponitur contrariè synesi. Et est vitium intellectuale impediens iudicare de remedijs. Fatuitas opponitur ei priuatiuè & est carentia debiti iudicij, & differt à synesia. Gnome est prudẽtia docens iudicare de medijs inuentis ad finem modo heroico, hoc est secundum altiora principia transcendentia modum communem humanum, vel secundum alios secũdum epikiciam, quæ particulares respicit circumstantias. Stultitia & fatuitas opponuntur gnome, si sint circa altiora principia. Prudentia præceptiua (quæ antonomaticè propter sui principalitatem dicitur prudẽtia) est prudentia præcipiens iudicata, & eadem ad opus applicans. Imprudentia executiua quandoq; contrariè quandoque priuatiuè opponitur prudentiæ executiuæ, & sic est priuatio huius prudẽtiæ vel habitus opposito modo se habens. Prudẽtia animalis terrena & diabolica opponũtur prudentiæ vt consideratur secundum materiam suã. Vnde prudentia animalis seu carnalis est vitium intellectuale, retorquens actus prudentiæ, qui sunt cõsiliari, iudicare, imperare &c. ad prosecutionem voluptatum, siue ad agendum curam carnis. Prudentia terrena seu mundi, est vitiũ intellectuale retorquens actus & officia prudentiæ ad curam rerum temporalium modis & fine indebitis. Prudentia diabolica est vitium intellectuale retorquens officia prudentiæ ad vitia spiritualia, vt sunt inuidia superbia, &c. Discretio est prudentia præceptiua segregans vel secernens à commodis omnia incommoda. Indiscretio opponitur ei priuatiuè vel contrariè. Suspicio opponitur ei in plus, & est vitium intellectuale inclinãs ad superfluè & leuiter timendum & iudicandum de incommodis. Vel est timor præsertim ex mala reputatione aliorum, vel est vitium intellectuale faciens trepidare vbi non est timor. Et dicitur simile vitium zelotypia respectu vxoris. Sollicitudo vel diligentia dicitur prudentia, prout adiuuat hominẽ vniuersaliter ad omnes actus principales prudentiæ. Cura superflua opponitur ei in plus, & est vitium quo quis inclinatur ad actus prudentiæ cum anxietate nimia & quadam rationis suffocatione. Curiositas vno modo spectat ad istud vitium. Est enim curiositas vitium quo quis inclinatur apponere studium vehemens ad res superfluas & minus vtiles, vilioribus prætermissis. Alio modo describitur quod est vitium quo quis libidinosè inclinatur vetita vel ignota experiri. Negligentia est vitium oppositum in minus quo quis inclinatur nihil aut parum curare de prudentia. Rationabilitas dicitur prudentia prout adminiculatur specialiter ad actus consilij seu ad medium inueniendum communicando in principijs practicis cum alijs. Irascibilitas est vitiũ oppositum in minus quo quis non communicat cum alijs in principijs practicis, & hoc vel priuatiuè vel positiuè, quia scilicet inhæret principijs oppositis. Allentatio est vitium oppositũ in plus, quo quis inclinatur indifferenter concedere omnia quæ alius proposuerit. Persuasibilitas dicitur prudentia vel adiutrix eius ad consilium, & est inclinatio qua quis obtemperat & obedit consilio quantum & qualiter oportet. Impersuasibilitas vel capitositas & pertinacia, est immẽsio in proprijs opinionibus, & est vitium oppositum quo quis inclinatur nimis inniti propriè prudentiæ & sententiæ. Leuitas est vitium oppositum quo quis nimis citò credit aut recedit à sententia & iudicio. Memorabilitas dicitur prudentia prout adminiculatur ad iudicium per recordationem præteritorum. Obliuio est vitium oppositum quo quis non apponit cordi ea multa quæ vidit ex quibus posset se iuuare. Vsus vel prudentia vsualis dicitur prudentia iuuans ad iudicium ex principijs practicis acceptis per multas memorias. Cæcitas vel inertia quasi sine arte, est vitium oppositum vel contrariè si habet principia practica mala ad oppositum, vel priuatiuè. Intellectiuitas vel consideratio dicitur prudentia prout adminiculatur

ad iudicium ex aduertentia sedula præsentium. Stupiditas vel acrisia est vitium oppositum quo quis de præsentibus nil vel parum aduertit. Prouidentia est prudentia adminiculans ad iudicium ex coniecturatione futurorum. Improuidentia vitium oppositum quo quis non præuidet quæ præuideri possent & deberent. Superstitiosa obseruatio futurorum est vitium oppositum in plus, quo quis inclinatur præuidere aut prænosticare de futuris, qualiter fieri non potest, aut non debet vt est astrologia de interrogationibus, vt augurium, geomantia, & similes superstitiones prophanæ & prohibitæ. Cautio vel cautela vel circunspectio, est prudentia prout adminiculatur ad executionem ex consideratione eorum per quæ posset præcepti executio præpediri. Incautio (vnde dicitur quis incautus vel incircumspectus) est vitium oppositum vel priuatiuè vel contrariè, si quis positiuè inclinetur exponere se gratis periculis. Cautelositas in malo vel calliditas potest nominari vitium oppositũ in nimis, quo quis superfluè & damnosè inclinatur pericula obseruare, & inde impeditur executio. Sapientia prout iuuaret prudentiam vel spectaret ad eam diceretur prudentia sapientialis, & posset describi quod est habitus cognitiuus æternæ legis cum affectu suaui ad eam laudabiliter exequendam, & conuenit ratione primi cum gnome. Insipientia est vitium oppositum vel priuatiuè vel contrariè, si habitus sint erroneè ad oppositum veræ sapientiæ, & si affectus sit corruptus, ne lex Dei laudabiliter impleatur, & hæc insipientia dici potest sapientia terrena, animalis & diabolica, de quibus prius. Abominatio vel fastidium spiritualis bonitatis dici potest hoc vitium insipientiæ ratione saporis corrupti. Scientia prout seruit prudentiæ vel spectat ad eam, nominatur prudentia legalis quæ est habitus cognitiuus particularium conclusionum ex principijs deductarum circa leges humanas, vt sciat homo conuersari in medio nationis prauæ. Vitium oppositum potest dici in speciali ignorantia, prout ignorantia est crassa vel supina, & coniungitur voluntario, vel dicitur insulsia, à qua quis dicitur insulsus vel alio nomine simili, & est dum quis caret scientia hac sibi debita vel quia habet errores oppositos, à quibus posset denominari illegalis vel inciuilis. Et est illegalitas vitium quo quis inclinatur non communicari & conuersari in legibus bonis aliorum. Fraternitas est vitium quo quis inclinatur non conuersari ciuiliter plusquam fera. Canina domesticitas, est vitium oppositum conueniens cum adulatione & assentatione, qua quis nimis reddit se familiarem & domesticum. Ars prout seruit prudentiæ dicitur prudentia artis, quæ est habitus cognitiuus rerum factibilium per suam artem, vt secundum eam laudabiliter operetur. Inertia quasi sine arte, nominari potest vitium oppositum vel priuatiuè si caret notitia artis debita officio suo, & inde malè operetur aut positiuè si errores habet oppositos. Intellectus qui est cognitio principiorum prout seruit prudentiæ, videtur esse idē quod synderesis si capiatur pro habitu eius, qui est cognitiuus principiorum moralium seu practicorũ cum inclinatione naturali ad operationem illorum. Brutalitas seu bestialitas potest dici vitiũ oppositum vel priuatiuè, ex impedimento corporis & carentia iudicij rationis, vt in fatuis & maniacis & similiter læsis. Vel positiuè, si quis ex malitia & consuetudine vitiosa mentiatur circa principia moralia, quamuis inclinatio naturalis aboleri non possit. Fides prout adminiculatur prudentiæ, est habitus assensiuus firmiter eorum quæ Deus reuelauit ad ea fideliter & laudabiliter exequendum, & conuenit in hoc cum sapientia & cum gnome. Infidelitas opponitur ei, vel priuatiuè, quia caret fide debita, vel positiuè, quia habet errores & hæreses ad oppositum veræ fidei impedientes laudabilem agendorum executionem.

De temperantia & partibus eius.

TEMPERANTIA est habitus laudabilis inclinans animam vt affectiones & operationes inde sequentes moderatè sint & ordinatè secundum medium quoad nos prout recta ratio determinabit. Vel temperantia est virtus moralis sedatiua passionum, hoc est affectionum nimis mouētium. Sedatio passionum, est diminutio vel restrictio earum in sensualitate, & fortificatio inclinationum oppositarum in voluntate, & ita virtus est in vtraque. Augmentatio passionum per oppositum. Affectio moderata & ordinata est affectio quæ fit cum circunstantijs omnibus requisitis, quæ sunt septem, scilicet quantum, qualiter, quando, vbi, pro quo, circa quid & ad quid oportet. Affectio inordinata & immoderata per oppositum. Intemperantia est vitium oppositum in plus temperantiæ quo quis inordinatè & immoderatè nimis afficitur. Insensibilitas nomine generali est vitium oppositum in minus. Parcimonia est temperantia circa obiecta, gustum allicientia, præsertim circa cibum modo humano, vitium oppositum in minus non habet nomen oppositum, nisi diceretur insensibilitas cibi. Horæ præuentio est vitium oppositum in plus, quo quis comedit quando non oportet. Castrimargia est vitium oppositum in plus quo quis comedit plusquam oportet. Ingurgitatio, idem. Leccacitas est vitium, quo quis comedit qualia non oportet, vt cibos illiberales vel nimis sumptuosos aut delicatos. Voracitas est vitium quo quis comedit modo quo non oportet. Sobrietas est temperantia circa potum modo humano. Vinolētia seu ebrietas est vitium oppositum in plus quo quis potat quando & qualiter & qualia non oportet & plusquam oportet. Insensibilitas potus, potest dici vitium oppositum in minus: Abstinentia est temperantia modificans passiones cibi & potus secũdum leges altiores, prædicta vitia & præsertim fractio ieiunij sunt vitia opposita, in quantum sunt circa materiam vel legem altiorem. Castitas est temperantia circa sensum tactus, modificans actus eius. Luxuria dicitur generali nomine vitium oppositum in plus. Fornicatio est concubitus illicitus solutæ personæ cum soluta. Adulterium est concubitus illicitus cum persona ligata matrimonio. Stuprum est illicitus concubitus cum persona virgine. Incestus est concubitus illicitus cum persona eiusdem parentelæ. Sacrilegium est illicitus concubitus cum persona Deo dedicata. Vitium contra naturam, est vitium quo non obser-

seruatur partes & modi ad generationem idonei, etiam si sit in matrimonio. Mollicies est pollutio à seipso. Concubitus masculorum fit cum masculis ad inuicem. Similiter concubitus fœminarum est cõcubitus in eodem sexu. Concubitus quarũcunque bestiarũ potest dici bestialitas speciali nomine. Pudicitia est temperantia modificans venerea signa. Impudicitia est vitiũ oppositũ,& habet tot modos, quot modis varian tur signa impudica in osculis, in verbis, in nutibus & similibus. Virginitas est perpetua animi & corporis integritas, vel est temperantia circa tactum pro omni tempore absque experientia voluntaria & completa venereæ delectationis. Viduitas est carentia voluntaria cuiuslibet delectationis cõpletæ, & hoc pro aliqua temporis portione. Vitia de quibus supra opponuntur istis virtutibus, quia nec istæ virtutes addunt nisi supererogationem. Mansuetudo est temperantia moderatiuæ iræ, & alio nomine potest dici tractabilitas. Ira est motus appetitus animalis inordinatus faciẽs ebulire sanguinẽ circa cor ex apprehensione iniuriæ vel damnificationis illatæ verè vel reputatiuè. Iracundia est vitium oppositũ mãsuetudini in plus. Insensibilitas iræ in minus. Ira acuta dicitur facilitas irascendi. Ira difficilis, est tenacitas iræ diuturna. Iracundia amara est quæ non quiescit absque graui pœna & adepta vindicta. Et potest dici zelus amarus aut rigor inflexibilis. Oppositum remissio. Primæ iræ quæ potest dici excandescentia, opponitur extinctio qua quis nullo modo irascitur quando oporteret. Secundæ iræ quæ dici potest durities indomabilis, opponitur fluxa mollities qua quis statim inordinatè desistit ab ira. Continentia est temperantia moderatiua concupiscentiæ interioris. Incontinentia vitium oppositũ vel bestialitas si excedit modum humanũ. Clementia est temperãtia moderatiua compassionis in vindicta expetenda. Remissio vel nimis mitescere est vitium oppositũ in minus, quo quis nõ cupit vindictã quãdo oportet ex muliebri cõpassione. Crudelitas est vitium oppositũ in plus quo quis delectatur in vindicta, nec compatitur sicut inueniuntur crudeles aliqui sine ira. Eutrapelia est temperãtia moderatiua appetitus lusibilis seu gaudij ludicri. Vaniloquium est vitium quo quis omnia conuertit in ludũ. Cõtumelia est vitium quo quis pungit in ludo. Scurrilitas & turpiloquium quo quis dicit illiberalia & obscœna verba. Agresteitas est vitiũ oppositum in minus, quo quis spernit ludere quando & vbi & qualiter oportet. Timoratio (vnde dicitur quis timoratus) est temperantia moderatiua cuiuscunque ausus aut motus vehemẽtis & elati & temerarij circa quodcunque impingentis. Timiditas seu trepidatio opponitur ei in minus, quo quis timet non timenda, vt equus vmbraticus. Vehementia vitium oppositũ in plus. Pudor sanctus est tẽperãtia moderatiua circa erubescibilia circa quæ est in aliquibus impudentia seu inuerecundia seu frõtositas meretricia, quæ de nihilo scit erubescere. Erubescentia vitiosa est oppositum vitiũ in excessu. Studiositas est temperantia circa desiderium sciendi qua desiderat homo scire ea quæ oportet & quomodo oportet. Curiositas sciendi est vitium oppositum per excessum. Discolia est vitium per defectum quo quis non curat addiscere quæ & quomodo oportet. Sufficientia est temperantia circa appetitum habendi, & hoc modo cõmuni. Cupiditas & auaritia est vitiũ oppositum, quo quis appetit acquirere vel retinere contra rectam rationem. Furtum est occulta cõtrectatio rei alienæ Domino nõ consentiente, nec verè, nec interpretatiuè. Interpretatiuè præsumitur consentire quando verisimiliter creditur esse aut fuisse cõsensurus habita cognitione facti. Rapina est violenta contrectatio rei alienę inuito Domino. Paupertas & voluntaria modicitas vel abdicatio dominij in proprio aut in cõmuni spectant ad hanc temperãtiam, modo tamẽ altiori, & supererogationem ex intentione finis supremi. Honestas est temperãtia circa appetitum bonorũ. Vitium oppositũ innominatũ est per excessum, sed quandoque dicitur philogia. Aphilogia est vitiũ oppositum per defectum quo quis minus curat de honoribus quam recta ratio velit. Humilitas est tẽperantia frenans erectionẽ quandam animæ ad honores. Vitiũ oppositum in minus est innominatũ, nisi dicatur stulta humiliatio, aut nequam vel deiectio vel vtilitas. Humilitas modo excellentiori est ex vera Dei & sui cognitione sui ipsius vilificatio. Superbia opponitur humilitati, qua quis libidinosè quærit dominari & præcellere contra dictamen rectę rationis. Seruilitas est vitiũ oppositum in minus, quo quis abiectius sub alijs se habet quam dictet ratio. Vana gloria est vitiũ quo quis solũ aut principaliter quærit in actibus suis vanè laudari. Contumeliositas vitiũ in minus, quo quis est negligẽs propriæ famæ quando & vbi oporteret. Præcellentia est virtus qua quis facere quęrit rem fama dignam, de re principaliter, non de fama curans. Hypocrisis est vitiũ quo quis quærit ex signis exterioribus acquirere laudem sanctitatis, qualem sanctitatẽ in occultò non obseruat. Iactantia est vitiũ quo quis appetit excedere in diuulgatione sufficientiarum suarũ. Singularitas est vitium quo quis quærit distingui ab alijs aliter quam oportet. Pompositas est vitiũ quo quis quærit excellere in familia & cęteris signis extrinsecis. Ostentatio est vitium quo quis quærit ea quæ habet etiam parua pro magnis ostendere & magnificare. Spes est modus temperantiæ inter præsumptionẽ & desperationem. Et est virtus qua quis expectat bonum sibi affuturum secundum dictamen rectæ rationis. Præsumptio opponitur ei in plus qua quis expectat futurum bonum aut euasionem mali plusquam oportet. Desperatio opponitur in minus qua quis expectat futurum malum, aut non adeptionem boni cõtra dictamen rectæ rationis. Pax virtus spectat quodammodo ad temperantiam, dum per eam refrenatur appetitus inordinatus triumphandi. Bellatrix animositas dici potest vitium oppositũ in plus, quo quis quærit bella inordinato appetitu ad vincendum & triumphandũ, vt Cæsar. Pusillanimitas in vna acceptione trahi potest ad vitiũ oppositum in minus qua quis refugit bella qualiter nõ oportet. Otium sanctum vel modestia est virtus qua refrenatur appetitus inordinatus cuiuslibet inquietudinis vitiosæ. Inquietudo opponitur ei in plus, & est vitium quo quis nescit in se nec in eodẽ loco quiescere, quando & qualiter oportet. Desidia est vitiũ oppositum in minus, quo quis omnem refugit motum & exagitationem plusquam opor-

teret. Tranquillitas est virtus qua quis fugit lites & iurgia & disceptationes secundum dictamen rectæ rationis. Contentiositas seu litigiositas, est vitium oppositum in plus. Segnicies vel ignauia est vitium oppositum in minus quo refugitur inordinatè qualiscunque exterior exturbatio. Compositio vel decor generali nomine est virtus moderatiua omnium extrinsecorum. Incompositio vel indecor opposita vitia. Splendor vel serenitas faciei vel hilaritas, est temperantia prout modificat gestum faciei. Turbulentia est vitium oppositum in ostensione, iræ, tristitiæ & similiū. Petulantia seu lubricitas vultus potest dici vitium in excessu ostensionis luxuriæ aut nimiæ lætitiæ. Taciturnitas est temperantia modificatiua verborum. Obmutescere vel silentium obstinatum, est vitium oppositum in minus, quo quis non loquitur quando oportet. Adulatio quoad laudes præsentium intemperatas aliter quam oporteret. Loquacitas opponitur quoad loquendi multitudinem. Garrulitas quoad loquendi acutiem. Stultiloquium quoad transgressionem rationis & prudentiæ. Vaniloquium quoad subtractionem finis, ad quem debet verbum ordinari. Mordacitas quoad reprehensionem amaram. Vestitus ornatus est temperantia moderatiua quoad habitū corporis. Singularitas in vestibus, est vitium oppositum in nimis, qua quis exquisitas munditias & formas quærit in vestibus: Negligentia in vestibus est vitium oppositū, quo quis quærit affectatas sordes & turpitudines. Cōpositio incessus est temperantia moderatiua incessus. Incompositio vitium oppositum in minus, quo nimis celeriter & præcipitanter quis incedit. Compositio superflua vitium oppositū in magis, quo nimis tardè & pomposè aut fractè, aut muliebri mollicie quis incedit.

De fortitudine & eius partibus.

FORTITVDO est virtus moralis, qua inclinatur habens eā tendere in bonum arduum & magnificum sub ratione qua tale est, aut non credere malo sub difficultatis & arduitatis ratione proposito. Magnanimitas est fortitudo qua inclinatur habens eam tendere in bonū aliquod sub ratione arduitatis & excellentis apprehēsum, & hoc secundum dictamen rectæ rationis. Præsumptio est vitium oppositū in plus quo inclinatur, ipsum habens tēdere in bonum arduum vltra quā oportet. Pusilanimitas est vitium oppositum in minus quis diffidit de arduitate actus plusquam oportet, & ipsum refugit. Ambitio est præsumptio impellens in arduum præsertim sub dignitatis ratione apprehensum neglecto aut non habito merito, ratione cuius talis dignitas imponitur. Fiducia est fortitudo figens animā respectu boni ardui, quod sibi proportionatum est, & hoc secundum dictamen rectæ rationis. Diffidentia est vitium oppositum in minus, quo quis in opere arduo sibi proportionato non figitur aut figit vt deberet. Fortitudo appropriatè est virtus inclinans non cedere malis sub ratione maximæ arduitatis propositis, vt est mors, & hoc secundum dictamen rectæ rationis. Audacia est vitium oppositum per excessum, per quam quis exponit se summis periculis contra rectam rationem. Timor est vitium oppositū in minus, quo quis refugit pericula ardua plusquam oportet. Securitas est fortitudo qua
A quis figitur contra mala futura quæcunque, secundum dictamen rectæ rationis. Trepidatio est vitium oppositum, quo quis timet inhumanè & eneruiter ipsa mala futura. Magnificentia est fortitudo qua priuat se aliquis bonis præsentibus magnis per erogationem, aut aliter secundum dictamen rectæ rationis. Paruificentia est vitium oppositum in minus quo quis non erogat magna vt deceret. Consumptio resplendens siue melodia est vitium oppositum in plus,
B quo quis erogat magna aliter quam oportet. Munificentia est magnificentia circa materiam donorum. Conuiuium vel comessatio, est magnificentia circa materiam ciborum. Hospitalitas est magnificentia circa materiam hospitum. Eleemosyna est magnificentia circa materiam donorum ad egenos. Patientia est fortitudo sedatiua commotionis animi, quæ nata est prouenire ex inflictione mali præsentis per alium. Impatientia est vitium quo quis commouetur aliter quam oportet, &
C vocatur quandoque furor, quandoque indignatio & altercatio & excandescentia. Impassibilitas est vitium oppositum in minus, quo quis nō mouetur ad mala per alium inflicta, vt si inde deperire sinat bonum commune quod obseruare tenetur. Constantia est fortitudo qua figitur homo ne resiliat à bono virtutis propter carentiam boni prouenientis ex malo per alium inflicto. Inconstantia est vitium oppositū quo quis cadit leuiter. Longanimitas est fortitudo qua figitur homo nō
D recedere à bono propter temporis diuturnitatem in malis, & aliunde & quasi casualiter inflictis, vitium oppositum, nō expectatio. Æquanimitas est fortitudo qua figitur quis in aduersis, fortiter impellentibus ne cedat eis. Elatio in prosperis deiectio in aduersis, vitia opposita. Stabilitas est fortitudo figens inter malorū varietatem vertibilem, ne propter hoc homo resiliat à bono. Instabilitas vel eiectio vel variabilitas, vitium oppositum, quo quis in eodem statu nescit permanere. Perseuerantia est fortitudo figens in assiduitate ope-
E ris, ne finaliter opus deseratur.

De iustitia & partibus eius.

IVSTITIA est virtus moralis inclinans reddere debitum alteri, vel vt alter est secundū rectam rationem. Latria est iustitia qua inclinatur habens eam reddere Deo debitum. Deuotio est cultus interior Deo exhibitus, præsertim sub ratione principij omnia creantis & supremi domi-
F nij protestatiuus, quod homo debet se totum sibi, ita quod omnis virtus cōsiderata vt per eam reddat anima debitum Deo interius, hoc modo spectat ad latriam, vt fides faciens intellectum subijci Deo, & spes & charitas, & ita de cæteris. Indeuotio vitiū est oppositum quo aliquis actu vel habitu non reddit Deo debitum in animo suo, vel reddit oppositum illius quod deberet. Latria exterior tot habet species vel modos, quot modis variatur cultus exterior Deo exhibitus ratione qua est supremus Dominus & creator. Est ergo latria exterior deuota protestatio, facta signo exteriori, ꝙ Deus est supremus Dominus, cui debet homo totum

tum

tum quicquid est. Laus est ostẽsio deuotionis per labium, vel est latria exterior facta per labiũ. Blasphemia vitium oppositũ contrariè, quo quis ostẽdit in deuotionem per actum oris. Adoratio est latria exterior facta per corporis gestum, vt est genuflexio, &c. prostratio, & similes. Vitiũ oppositum priuatiuè est innominatum nisi quod dicitur generali nomine indeuotio, vel etiam irreligiositas. Sanctitas seu religio est latria exterior facta per sacramentorum ritum aut ornamentum quodcunque exterius in se vel in rebus Deo dicatis. Superstitio est vitium oppositũ adorationi & religioni per excessum, quo quis aliter & quando nõ deberet, & sic de alijs circunstantijs ostendere nititur latriam exteriorẽ. Irreligiositas est vitium vergens in irreuerentiam sacramentorũ. Simonia est vitium quo minus iusto appreciari videntur sacramenta dum precio temporali quæruntur compensari. Oblatio est deuota protestatio facta quocunque signo exteriori, vt in redditione decimarũ & primitiarum & sacrificiorũ & munerum, in recognitionem quod Deus est supremus largitor omniũ bonorũ quæ habemus. Idolatria est vitiũ oppositũ in speciali, tamen generali nomine idolatria opponitur latriæ, inquantum alteri quã Deo exhibetur, & habet tot species & modos, quot latria. Gratiarum actio est latria exhibita Deo sub ratione principij omnia prouidentis, & qui iã prouidit de præterito vel prouidet de præsenti. Ingratitudo vel beneficiorum obliuio est vitiũ oppositũ: Petitio & oratio & deprecatio generali nomine est latria impensa Deo, vt bona prouideat de futuro, vel ratione principij omnia prouidentis de futuro. Votũ vel deuouatio est liberalis & gratuita obligatio in laudem creatoris & in recognitionem suæ prouidẽtiæ facta. Voti transgressio est vitiũ oppositũ. Turpe votũ, est etiam vitiũ oppositũ cõtrariè. Superstitio speciali nomine est vitiũ quo quis inclinatur recurrere ad aliud quam ad Deum pro prouidentia de futuris, vel nõ in ordinem & reuerentiã suæ prouidentissimæ largitatis. Huius species sunt omnes scientiæ quæ appellãtur magicæ, vt diuinatio per stellas, per necromantiã, per geomantiam, per chiromantiam, per auguriũ, per characteres, per artẽ notoriã, per idola, quod appropriatè dicitur idololatria. Dulia generali nomine est virtus iustitiæ, per quam habens eã inclinatur reddere debitum alteri à Deo, in reuerentiam tamen Dei finaliter ordinatè. Idololatria generali nomine & amplo diceretur omne vitiũ oppositũ in quantũ honor aliquis exhiberetur alicui & nõ in Dei reuerẽtiam finaliter ordinatè. Pietas seu ius paternum est dulia parentibus exhibita ratione debiti naturalis, quia esse suum naturale cõtraxit ab eis. Impietas appropriato nomine etiam vitium oppositũ priuatiuè si sit carentia pietatis, vel contrariè, si sit vitiũ quod irreuerentiã operetur. Est ergo vitium quo quis inclinatur nõ reddere debitum parentibus, vel inferre contrariũ. Hyperdulia est dulia exhibita creaturis superioribus in culmine perfectionis & dignitatis existentibus, inquantum inducunt ad perfectionem factis & exemplis. Dulia speciali nomine est exhibitio honoris vel obsequij debiti potestatibus superioribus, quæ iure officij habent præesse & præcipere. Irreuerentia vel inobediẽtia ad superiores dominos diceretur in subditis vitium oppositũ in speciali.

A Legalitas seu legalis iustitia, est iustitia obeditiua, seu qua quis inclinatur obedire legibus bene institutis, respiciendo maximè ad verba legis. Illegalitas vel inobedientia in speciali est vitium oppositum priuatiuè vel contrariè. Epikeia vel æquitas vel iustitia interpretatiua, est iustitia qua quis inclinatur obedire legibus, respiciendo ad intellectum quẽ habebat vel verisimiliter habuisset legislator in particulari hoc casu, circunstãtijs omnibus hinc inde ponderatis. Fraudatio legis seu præuaricatio, potest dici vitium oppositum, quo B aliquis inclinatur custodire verba legis contra intentionem legislatoris, hoc est in perniciem reipublicæ vel personæ iniuriam. Seueritas vel austeritas, vel rigor iudicij spectat ad hoc vitium per excessum. Stulta misericordia vel nimius dulcor spectat ad hoc vitium per remissum. Beneuolẽtia est iustitia qua quis inclinatur reddere debitũ alteri in animo suo ratione qua est animal sociale, collætando de bonis eius, & malis condolendo. Inuidia est vitium oppositum quo quis in animo suo C lætatur de malis, & tristatur de bonis proximorũ. Affabilitas est iustitia qua quis inclinatur reddere debitum alteri in verbo, ratione qua est animal sociale. Dischôlia vnde dicitur quis dischôlus, est vitium oppositum in defectu quo quis contristat in verbo vel non lætificat vt oportet. Adulatio vitiũ est oppositum in delectando, quo quis in verbo lætificat, quando & qualiter & vbi non oporteret. Blanditia (vnde dicitur blanditor) est vitiũ similiter oppositum in delectando cum intentione proprij commodi. Beneficentia (vnde dicitur D beneficus) est iustitia reddens debitum proximo in opere exteriori, ratione qua est animal sociale. Damnositas vel damnificatio, vnde quis dicitur damnosus) est vitium oppositum quo quis inclinatur proximum damnificare qualiter non oportet. Veritas est iustitia qua quis inclinatur reddere debitum proximo, ratione qua est animal rationale, in seruando eidem rectæ rationis integritatem. Mendacium est vitium oppositum, in verbo, quo quis inclinatur loqui falsum cum proxi- E mo suo cum intentione fallendi. Iactantia est vitium oppositum veritatis, quo quis inclinatur explicare bonum habitum non seruatis circunstantijs rectę rationis, vel plusquam oportet. Arrogãtia est vitium, quo quis inclinatur exprimere bonũ de se quod nõ habet. Ironia est vitium oppositum veritati per nimiam extenuationem eorum quæ vera sunt. Simulatio est vitium oppositum veritati quoad factum quo quis fingit de se aliquam perfectionem contra dictamen rectæ rationis. F Hypocrisis in speciali, est vitium quo quis inclinatur fingere aut simulare sanctitatem. Amicitia est iustitia inclinans reddere alteri debitum ea cõsideratione qua homo est animal non sibi sufficiens, nisi velit esse solitarium. Odium vel inimicitia est vitium oppositum. Liberalitas est iustitia inclinans reddere alteri debitum ratione bonorum temporalium in se habitorum. Illiberalitas est vitium oppositum per defectum. Tenacitas est vitium liberalitatis in excessu nimis retinendi. Turpis quæstus vel turpe lucrum, est illiberalitas in excessu acquirendi medijs inhonestis, vt est meretricium, aleatio & gesticulatio, &c. Poeni-

tentia est iustitia qua quis inclinatur punire malum, vel emendare quod in se reperit. Impœnitentia est vitium oppositum tam priuatiuè quam contrariè. Attritio est species pœnitentiæ qua quis dolet interius de peccatis, secundum modum ex naturalibus possibilem, vel cum gratia solum gratis data. Contritio est species pœnitentiæ, qua quis dolet interius de peccatis, secundũ modum & legem gratiæ gratum facientis. Confessio est pœnitentia secundum legem superiorem, qua quis inclinatur dicere omnia peccata sua mortalia exterius suo sacerdoti. Satisfactio est iustitia qua quis inclinatur reddere Deo bonum alias indebitum, in recompensationem alterius debiti, vt ablationem commodi proprij pro ablatione iusti. Ieiunium vno modo est iustitia satisfactiua in maceratione corporis qualicunque, specialiter in gustu & in refrenatione sensuum à delectatione propriorum obiectorum. Eleemosyna vno modo est iustitia satisfactiua in distributione bonorum temporalium pauperibus.

Oratio vno modo est iustitia satisfactiua in afflictione animi, & humiliatione eius & datione ad Deum. Reuerentia est iustitia inclinans debitum reddere alteri maiori se, ratione boni moris in eo reperti. Irreuerentia est vitium oppositum, tam priuatiuè quam contrariè. Obseruantia vel honorificentia est iustitia similis reuerentiæ, & hoc respectu æqualium vel minorum. Inobseruantia vel inhonoratio est vitium oppositum tam priuatiuè quam contrariè. Gratitudo est iustitia qua quis recognoscit bonum ab alio voluntariè impensum vt oportet, & vt potest. Gratiarum actio est gratitudo in verbo. Ingratitudo est vitium oppositum gratitudini quo quis vel obliuiscitur beneficij vel in animo detrahi, vel murmurat verbo, vel facto vicem non rependit. Iustitia punitiua, est iustitia correctiua malorum culpæ, quæ præsupponuntur facta esse. Iniustitia punitionem respiciens posset in multas vitiorum species distingui, secundum quod contigit exorbitare à recta punitione. Correctio fraterna, est iustitia inclinans retrahere alterum ab imminenti casu in culpam, vel promouere ad pœnitentiam post casum & hoc secretè, vel inter paucos, & non auctoritatiuè. Restitutio vel iustitia restitutiua, est iustitia inclinans satisfacere proximo ratione damnificationis illatæ sibi. Cuius tot sunt species quot vitia præsupponit, quorum reductiua est ad quandam æqualitatem, vt est vitium homicidij, quod est ablatio vitæ. Et si fiat per machinationes occultas, dicitur veneficium, vel per vitia auferuntur ea quæ spectant ad per se subsistentiam vitæ, vt mutilatio, quæ est membri ablatio. Vulneratio quæ est nerui vel membri eneruatio, & percussio, quæ est membri inualidatio seu inualitudo. Vel fit subtractio bonorum temporalium, sic est furtum si occultè, vel rapina si violenter aut fraudulenter. Vel fit subtractio famæ, & dicitur denigratio, quantum ad boni minorationem, & detractio, quantum ad irrationabilem ablationem, & criminatio, quantum ad falsi impositionem, & infamatio, quantum ad veram vel falsam infamiæ diuulgationem. Iustitia distributiua est iustitia qua conseruatur æqualitas ad alterum secundum proportionem arithmeticam. Acceptio personarum est vitium oppositum quo non obseruatur æqualitas proportionis ratione conditionis alicuius quæ non facit ad rem, vt est nobilitas vel diuitiæ vel carnalitas parentelæ, vel partialitas ratione priuatæ amicitiæ. Iustitia commutatiua est iustitia, qua conseruatur æqualitas ad alterum secundum proportionem. Fraus opponitur iustitiæ commutatiuæ, inquantum facit rem vendere plusquam valet, quamuis sub alia ratione opponatur eubuliæ. Vsura est vitium oppositum commutatiuæ iustitiæ, quo quis inclinatur vendere vsum rei, quæ nõ habet vsum distinctum à dominio sicut est in pecunia, cuius dominium est vsus eius. Simonia est vitium quo quis inclinatur vendere vsum rei, quæ non subest potestati hominis sed Dei, vel vbi non cadit commutatio.

FINIS.

SEQVVNTVR ALIQVA DE PASSIONIBVS ANIMÆ.



PASSIO est motus factus in appetitu ex apprehensione boni vel mali, vel inclinatio ad talem motum. Passio appetitus intellectiui sequitur apprehensionem immediatam intellectus sine motu corporis. Passio appetitus sensitiui est motus ex apprehensione sensus immediatè in phantasia boni vel mali, cum alteratione corporis. Passionum aliæ naturales, quæ non sequuntur cognitionem. Aliæ animales, quæ sequuntur cognitionem boni vel mali multipliciter. Inclinatiuè ad motum, id est inclinatio exit in motum ex apprehensione motiuè actualiter. Quædam insequuntur solam cognitionem sensitiuam phantasiæ cum immutatione corporis, quædam cognitionem intellectiuam sine mutatione corporis, quædam solam apprehensionem, quædam sequuntur operationes. Et ita passio non est nisi sequela.

Passiones respectu simplicis boni, sunt:

Amor, complacentia vel acceptatio, quæ assimilat appetitum, imprimendo formam connaturalẽ obiecto. Concupiscentia vel desiderium in volũtate mouet trahendo ad se. Delectatio vel gaudiũ in sensu, vnit & quietat in se appetitũ. Sic agẽs naturale primò dat formam. Secundò motum. Tertiò quietem & locũ. Delectationum alia dicitur iocunditas, quæ est delectatio in bono cognito vt anima apta est ad illud. Alia hilaritas quæ est delectatio in bono, dicitur quam serenitas. Alacritas dicitur respectu bonæ dispositionis. Exultatio respectu plenæ sanitatis. Lætitia respectu prosperitatis propriarum rerum. Gratulatio dicitur respectu amicorum.

Passiones respectu simplicis mali, sunt:

Odium, displicentia vel abominatio, dum malũ mouet vt cognitum. Fuga vel recusatio, dum mouet vt futurum. Tristitia vel dolor, dum mouet vt actu incursum. Tristitiæ species sunt. Archos ex apprehensione proprij infortunij, ab à quod est sine, & chos quod est vox. Acedia, ex apprehensione proprij laboris, & est aggrauatio per angariã. Nemesis, ex apprehensione alieni boni quo indignus est possidens. Inuidia, ex apprehensione boni

boni dignè habiti: Zelus, tristicia de malo culpæ alterius, tam illius quem amat & quem odit. Misericordia, tristicia de malo pœnæ alterius.

Passiones respectu boni vt ardui, sunt.

Spes certa, quæ facit appetitum trahi ad se & assurgere. Desperatio certa, quæ facit cadere appetitum à se repellendo. Spes incerta cum formidine. Desperatio incerta cum formidine.

Passiones respectu mali futuri, sunt.

Audacia, qua appetitus consurgit ad repellendum. Timor, qua cadit ratione difficultatis. Timor alius dicitur segnicies, qui est ex futuro labore in operatione, & causat acediam præsentem. Erubescentia est timor in expectatione conuitij ne confundatur. Verecundia timor deprehensionis in turpi actu, & ne glorietur. Stupor est timor est dissueta imaginatione proueniens, ne vincatur. Admiratio est timor ex magnitudine imaginationis proueniens, ne vincatur. Agonia est timor in expectatione infortunij, ne infortunetur.

Passiones respectu mali ardui vt habiti.

Mansuetudo, dum animus confirmatur ne assurgat ad vindictam. Ira, dum animus assurgit ad vindictam. Irarum alia leuis, alia acuta, alia velox, alia amara. Partes sunt offensio appetitus. Indignatio in offendentem. Appetitus pœnæ offendentis. Assurrectio ad vindictam. Causæ amoris sunt, bonitas, cognitio, similitudo.

Aliæ passiones.

Conditiones odij fieri ex amore, mouere fortius quam amor. Non fieri à se nisi per accidens. Fieri contra veritatem per accidens: Fieri in vili, vt contra humanam naturam. Concupiscentiarum alia sensualis, alia naturalis, alia innaturalis, alia finita respectu mediorum, alia infinita respectu finis. Effectus amoris sunt vnio mutua, inhæsio, extasis, zelus, læsio corporis, quælibet alia passio. Causæ delectationis: Operatio motus, spes, memoria, tristicia de per accidens, actio aliena, beneficentia, similitudo, admiratio. Affectus delectationis & conditiones. Dilatatio & desiderium sui. Perficere operationem. Impedire vsum sui de per accidens. Subitam esse & simul totam. Magis sentiri dum abest, & eam prodit indigentia. Regulam esse actuum, considerando eam vt est in finali bono. Causæ doloris, bonum amissum, malum coniunctum, concupiscentia, appetitus vanitatis, potestas insuperabilis. Conditiones tristiciæ, contrariari delectationi & contemplationi de per accidens, magis refugitur quam delectatio quæritur maior est interior quam exterior. Species tristiciæ, anxietas, angustia, acedia, misericordia respectu alieni mali vt propinquum est. Inuidia respectu alieni boni, zelus, nemesis. Effectus tristiciæ & conditiones: Impedit addiscere per se. Iuuat addiscere per accidens. Aggrauat animam, debilitat operationem, nocet plus alijs passionibus. Quædam malicia est malicia naturæ, quædam malicia morum.

Remedium tristiciæ, delectatio, fletus compassio amicorum, contemplatio veritatis, somnus, balneum. Causæ spei: Experientia virium, inexperientia per accidens, iuuentus, ebrietas. Effectus spei causat amorem, auget operationem, dirigit in finem, etiam in brutis similitudinariè.

A Causæ audaciæ: Spes, fortitudo propria experientia periculorum superatorum, inexperientia de per accidens, pecunia amici, cultus Dei, nulli nocuisse, multus sanguis, caliditas, ebrietas, gaudium insuperatum. Effectus audaciæ seu conditio fortior est in principio quam in fine nisi de per accidens. Tremere facit ex ira admixta. reuocatur calor ad cor. Species timoris: segnicies, erubescentia verecundia, admiratio, stupor, agonia. Causæ timoris. Repentinum peccasse, remedium possibile sed difficile, amor sui vel aliorum,

B defectus in hoc vel in illo. Effectus timoris: Contractio reuocatio, caloris ad cor, infirma conciliatio tremor, impedimentum operationis, egestiones. Causæ iræ: Paruipensio, despectio iustitia propria ad alios, excellentia propria respectu despicientis, & beneficentia vel amicitia prior, excellentia lædendi & hoc de per accidens. Impedimentum vindictæ tamen superabile, despectio studiorum nostrorum & eorum quæ agimus, suspitio quod non insit excellentia quam appetimus,

C ignorantia nominis nostri vel conditionis. Effectus iræ & conditiones: Feruor cordis, delectatio ex spe. Tristicia ex timore nunciat mala aliorum. Cessat ex tempore, cessat ex magno malo illato. Aduersatio, tacet aliquando, quádoque loquitur nimis. Immutatio vultus & gestus in oculis & dentibus. Species iræ ex effectu nominatæ. Furor, insania, rancor. Hinc iratorum quidam acuti, amari, difficiles. Prima: amor, complacentia, acceptatio, coaptatio. Dilectio magis dicitur de deliberante

D amore qui sequitur iudicium, liquefactio, quasi deberet intrare rem amatam. Secunda: concupiscentia, desiderium, libido, quæ includit corruptelam carnis. Amor inhians, suspirium, aspiratio, lãguor ex absentia rei amatæ, feruor, intensum desiderium. Tertia: delectatio, Iocunditas, qua adaptatur anima ad illud. Hilaritas, serenitas quæ ostenduntur in vultu pacato. Alacritas respectu bonæ dispositionis. Exultatio, quæ ostenditur gestibus. Lætitia inquantum dilatat. Gratulatio respectu boni amicorum. Iubilus ostẽditur in vocibus

E & suspirijs. Amor quiescens. Applausus per gestus ad amicos, laus, gratiarum actio. Voluptas, quasi volubilitas hinc inde. Gaudium, vnio, intimatio, amplexus, illapsus, quies, pax, suauitas, dulcor, dormitio, spiritus, sapor, fruitio. Quarta: odium, displicentia, abominatio, rancor, odium inueteratũ. Detestatio, quia maledicta. Execratio quia nefanda. Quinta: fuga, recusatio, horror. Sexta: tristicia, dolor, archos quasi sine voce. Acedia, aggrauatio, angaria ex apprehensione proprij laboris.

F Nemesis ex apprehensione alieni boni quo indignus est, indignatio. Inuidia ex apprehensione alieni boni quo dignus est vt supra zelus. Tristicia de malo culpæ alterius, tam illius quem amat, quã istius quem odit. Misericordia: Tristicia de malo pœnæ alterius, compassio, indulgentia, emulatio, aspernatio. Mansuetudo dum non potest assurgere in vindictam. Languor ex absentia rei amatæ, Angustia, anxietas, plangor, gemitus, clamor, eiulatus, rugitus, singultus, cõcussio viscerum, fletus, stridor, tunsio pectoris, torsio manuum, tunsio frontis, prostratio, meror, pœnitentia, displicẽtia, attritio contritio, sollicitudo.

Septima: ſpes, aſſurrectio in arduum. Spes cum formidine. Octaua: deſperatio, audacia, aſſurrectio in vindictam. Strenuitas: magnitudo, cordis fiducia. Nona: Timor, Segnicies ex futuro labore, tædium, faſtidium, languor, erubeſcentia. Timor in expectatione conuitij ne confundatur, vt ſuprà. Spaſmus, extaſis, exclamatio, reuerentia & contractio ſui, & reſilitio ab altero alto. Defectio, ſui vilipenſio & deiectio. Magnificatio, exaltatio, humiliatio ſui. Ira: Leuis, velox, acuta, amara, excandeſcentia, ferocitas, crudelitas, ruſticitas, contraria domeſticitas, adulatio, nobilitas. Pater optimus, Hinc ametur. In cæleſtibus, hinc deſideretur, præſens in affectibus interioribus, hinc amplexetur per delectationem. Iubens non peccare, hinc odiatur peccatum fugiatur, deteſtetur cum dolore, promittens regnum æternum. Sic ſpes in eo, ſit de ſe deſperatio. Altiſſimus iudex, hinc timor, reuerentia, ſtupor. Potentiſſimus adiutor, hinc audacia & fiducia zelotes animarum, hinc ira & zelus contra peccatores inducentes ad peccandum.

ENVMERATIO PECCATORVM AB ALBERTO POSITA IN. *xxiiij. capitulo Compendij ſui ſuper theologiam.*



PECCATA cordis ſunt hæc: Cogitatio, delectatio, cõſenſus, deſiderium mali, volũtas peruerſa, infidelitas, indeuotio pręſũptio, deſperatio, timor malè humilians, amor malè accendens, ſuſpicio, inuidia, ira, odium. Timere ſeruiliter, exultatio in aduerſis proximi, cõtemptus pauperum vel peccatorum, perſonarum acceptio, perfidia, affectus inordinatus parentum cardinalium, inepta lætitia, ſeculi triſticia, impatientia, auaricia, ſuperbia, perplexitas, obſtinatio, malicia, tædium boni, accedia, inconſtantia, pænitentia, pænitentiæ dolor, quia non fecit amplius mali, hypocriſis, amor placendi, timor diſplicendi, verecundia de bono opere, amor priuatus, ſenſus ſingularis, ambitio dignitatum, vana gloria de bonis naturæ, fortunæ & gratiæ, verecũdia de pauperibus amicis, contemptus admonitionis ad pænitentiam.

Peccata oris ſunt hæc.

Crebra iuratio, periurium, blaſphemia. Irreuerenter nomen Dei aſſumere, veritatem impugnare. Deum de aura & alijs inſtruere. Contra Deum murmurare, irreuerenter horas dicere, detractio, adulatio mendacium, vituperium, maledictio, infamatio, contentio, comminatio, coniuratio, impugnatio veritatis agnitæ. Impugnatio charitatis fraternæ, ſeminatio diſcordiæ, proditio, falſum teſtimonium, mala conſilia, deriſio, contradictio obedientiæ, peruertere bona facta, in eccleſijs placitare, reprehendere alium iniuſtè, aut in quo deliquit, vaniloquium, multiloquium, ſtultiloquium, proferre verba otioſa vel ſuperflua vel curioſa, iactantia, verborum politio, peccatorum defenſio, ſeu excuſatio in peccatis, clamor, riſus, cachinnus, turpiloquium, lenocinium, cantare cantilenas ſeculares, in cantu eccleſiæ ſtudere magis vocem fingere vel
A frangere quam deuotè cantare, murmurare, verba ſcurrilia & ad riſum mouentia proferre, in iniuſta cauſa pro alio aduocare, malum commendare.

Peccata operis ſunt hæc & ſimilia.

Gula, luxuria, ebrietas, ſacrilegium, ſimonia, ſortilegium, violatio dierum ſolemnium, indignum communicare, votorum fractio, apoſtaſia, diſſolutio in diuino officio, ſcandalizare exemplo malo proximum ſiue corrumpere, lædere hominem vel in rebus vel in perſona vel in fama,
B furtum, rapina, vſura, deceptio, ludus, venditio iuſtitiæ, exactiones iniuſtæ, auſcultare mala, ioculatoribus ſua dare, neceſſaria ſibi ſubtrahere, ſuperflua ſumere, vltra vires quippiam aggredi, conſuetudo peccandi, recidiuatio, ſimulatio, tueri officium ad quod non ſufficit, vel quod ſine peccato non agitur. Chorizare, nouitates & ſectas adinuenire, maioribus rebellare, minores opprimere, delinquere viſu, auditu, tactu, guſtu, odoratu, luctu, oſculis, itineribus, nutibus, mandatis,
C ſcripturis, circunſtantias agrauantes, admittere quæ ſunt tempus, locus, modus, numerus, perſona, mora, ſcientia, ætas, tentationem præuenire, ſeipſum ad peccandum cogere.

Peccata omiſſionis ſunt hæc & ſimilia.

De Deo non cogitare, ipſum non timere vel amare, gratias ei non agere. Opera ſua ad Deum non referre, de peccatis non dolere, ad gratiam eius ſe non præparare. Gratia accepta non vti,
D nec eam conſeruare. Ad inſpirationem diuinam non ſe conuertere. Voluntatem ſuam voluntati Dei non conformare. Ad orationes diuinas non attendere, orationes debitas omittere, ea ad quæ tenetur negligere. Confeſſionem tempore debito omittere. Parentes non honorare. Bonas occupationes fugere, bonis alterius non gaudere, & malis non triſtari. Iniurias non remittere, fidem proximo non ſeruare. Delinquentes non corripere. Lites cum poteſt non ſedare. Ignorantes nõ inſtruere, admonitionibus non acquieſcere, deſo-
E latos non conſolari.

De ſuperbia.

Superbia ſecundum Auguſtinum eſt peruerſæ celſitudinis appetitus. Gradus ſuperbiæ ſecundum beatum Gregorium ſunt duodecim ſcilicet Curioſitas, mentis leuitas, inepta lætitia, ſingularitas, arrogantia, præſumptio, iactantia, peccatorum defenſio, ſimulata confeſſio, rebellio, libertas peccandi, conſuedo. Inanis gloriæ ſeptem ſunt filiæ ſecundum eundem Gregorium. Prima
F inobedientia, Secunda contentio, Tertia iactantia, Quarta hypocriſis, Quinta pertinacia, Sexta diſcordia, Septima nouitatum præſumptio. Quatuor ſunt ſpecies ſuperbiæ. Prima eſt cum homo à ſeipſo æſtimat habere bonum quod habet, Secunda, ſi deſuper datum credit, tamen meritis proprijs accepiſſe credit, tertia cum iactat habere ſe quod non habet, quarta, quando cæteris deſpectis ſingulariter vult videri.

De inuidia.

Inuidia ſecundum Auguſtinum eſt odium felicitatis alienæ.

Quinque

Quinque filias habet secundum Gregorium. Prima est odium, quod velle malum alteri, & nolle bonum, Secunda exultatio in aduersis proximi, Tertia, afflictio in eius prosperis, Quarta susurratio, quæ est detractio latens, Quinta est detractio quæ fit in aperto, intenditque melior apparere illo cui detrahit.

De ira.

Ira secũdum Augustinum est, vlciscendi libido. Eius filiæ secundum Gregorium sunt sex. Prima est rixa: hæc est audax voluntas vindicandi causa fugiens aduersantem propter æstimatas iniurias. Tertia est contumelia, quæ est voluntas se vindicandi in exaltando vocem per vituperium ad aliorum aures perueniens. Quarta indignatio, quæ est voluntas se vindicans per signum molestiæ exterius ostensum. Quinta blasphemia, quæ est voluntas se vindicans per opprobrium Deo & sanctis illatum. Sexta clamor, quo inordinatè & confusè quis loquens vehementem iram demonstrat.

De acedia.

Acedia, est de virtutum laudabili exercitio vtriusque hominis languida deiectio. Duo sunt nomina huius vitij, scilicet tristitia & acedia. Et habet sex filias. Prima vocatur malicia. Secunda desperatio, quæ est diffidentia meritorum. Tertia pusilanimitas ex consideratione propriæ fragilitatis. Quarta, rancor seu inueteratum odium, ex ira enim est acedia, & ex acedia vetustas iræ. Quinta, torpor circa præcepta, & quædam insensibilitas. Sexta, euagatio exterior & interior.

De auaricia.

Auaricia secundum Tullium, est immoderatus amor habendi. Et habet septem filias. Prima obduratio cordis. Secunda violentia. Tertia inquietudo. Quarta periurium. Quinta fallacia, quæ est in occulto. Sexta fraus in aperto. Septima proditio, quæ fit in absentia decepti.

De gula.

Gula secundum Augustinũ est immoderata cibi vel potus auitas. Habet autem quinque filias. Prima est scurrilitas. Secunda multiloquium. Tertia inepta lætitia. Quarta immundicia corporalis, & vomitus & alia, & luxuria. Quinta est hebetudo mentis. s. subuersio rationis.

De luxuria.

Luxuria, est ex immundis desiderijs proueniens, lubrica carnis & mentis prostitutio. Eius filiæ sunt octo. Prima est cæcitas mentis. Secunda inconsideratio mortis & iudiciorum Dei. Tertia inconstantia. Quarta amor sui. Quinta præcipitatio ad peccandum. Sexta odium Dei. Nam abstrahit se Deus à talibus & punit eos. Septima affectus præsentis seculi. Octaua desperatio seu diffidentiæ gloriæ. Horum omnium supradictorum amplior declaratio quæratur in libro moralium Gregorij super Iob, & tertio libro compendij Alberti super theologiam, vnde ista sumpta sunt, quamquam breuiter.

A AD TRACTATVM DE SCHISMATE QVI SIC INCHOATVR. PRÆSVPPOSITO *quod Papa possit fieri schismaticus, &c. Et terminatur, aliud quam quæri videam, aspicere meruero, addendo est quod sequitur vt prædictus tractatus compleatur, qui inuenietur in prima parte, col. 214.*

ADuertendum est quod & si dicatur papam habere de iure diuino dominium vniuersale in temporalibus & spiritualibus respectu omnium, tamen constat quod pro diuersitate temporum & locorum & statuum nec papa nec ecclesia habuerunt aut habere debent in dispensationibus & administrationibus beneficiorum & temporaliũ iurisdictionum simile exercitium aut executionem aut vsum. Itaque notum est quod ecclesia tempore Christi & apostolorum nullum habuit exercitium aut executionem iuridicam & ciuilem circa huiusmodi temporalia. Immo Christus plus videtur verbo & facto exercitium iurisdictionis ciuilis prohibuisse quam permisisse, licet non dicam quod prohibuerit aut oppositum consuluerit. Ideo, quia talis iurisdictio temporalis & possessiones fuissent eis ad impedimentum, & tales sunt ad hæc congruentiæ multæ. Sed pro tempore Siluestri & Constantini magni, placuit domino ad dilationem ecclesiæ suæ inspirare Constantino, quod tales possessiones daret, & ecclesiæ quam reciperet. Et durauit huiusmodi donatio ecclesię vsque ad tempora nostra per successiones sanctissimorũ patrum Gregorij & Ambrosij & aliorum, quos non est credibile in retentione talium errasse contra Christi iussionem. Sed longè aliter in primitiua dotatione distribuebantur bona talia quam post modum tempore prælatorum, qui cæperunt paulatim refrigescere à sanctitate priori, & tandem abusi sunt taliter collationibus beneficiorum & huiusmodi administratione, quod papæ paulatim & successiuè ad se multa reuocarunt, vsque adeò finaliter, quod datis occasionibus & acceptis (quas non est hic opus recitare) quasi tota collatio & iurisdictio talis penes papam & eius curiam remanebat, ita vt vix esset prælatus, qui posset nimium beneficium cõferre. Concurrebant ex hoc exactiones multiplices pro statu papæ & cardinalium, & si fraudes & abusus & simoniæ committerentur, relinquo iudicandum expertis. Hoc dictum sit pro eo quod aliquibus videtur fore expediens vniuersali ecclesiæ, redire omnia ad pristinum statum ecclesiæ seu illius qui fuit tempore apostolorum, quãtum congruè fieri posset, abiectis talibus iurisdictionibus pro magna parte, quæ reddiderunt ecclesiam totam brutalem, & nihil fere sapientem de his quæ Dei sunt erga salutem animarum, non ex se quidem, sed abutentium vitio. Vel redeundum esset ad statum ecclesiæ tempore Siluestri & Gregorij, quando quilibet prælatus permittebatur in sua iurisdictione & sollicitudinis parte. Et papa tenebat quæ sua erant, absque tot reseruationibus, & continuis magnisque exactionibus pro sustinendo statum curiæ & capitis, nimis forte crescentem super cæteros membrorum status. Patet ex priori deductione, quod papa potest manere papa vniuersalis in magna perfectione, immo maiori quam erat Siluester, & tamẽ nullum habebit exercitium

actuale circa temporalia ecclesiæ vniuersalis per dioceses, quantumcunque habeat dominium vel plenitudinẽ potestatis in habitu, quæ potestas ex causis potest cohiberi & arceri, immo debet aliquãdo ne exeat in actum, sed dimittat singula singulis ministrare. Nonne Christus fuit papa perfectissimus.? Nonne similiter Petrus? Ipsi tamen omne exercitium abdicauerunt à se in talibus, quamuis Christus cum summa facilitate illud obtinere potuisset. Nihil ergo de perfectione status summi pontificis diminuitur, si pro causa rationabili remouetur ad tempus au suspenditur sibi tam anxia sollicitudo tot curarum immortalium & periculosissimarum in anima & corpore pro huiusmodi exercitio circa temporalia distribuenda. Dici potest secũdum catholicam veritatem, quod in dubijs potest fieri confessio sub conditione, & ex tali confessione veniam absolutam peccator consequatur. Addi potest adhuc, quod omnia aut ferè omnia dici possunt dubia, saltem in foro exteriori, quæ nondum sunt iudicialiter definita, propterea nullus erit scrupulus obediẽdo domino Benedicto, etiam vbi fuisset hæreticus aut scismaticus, si resipisceret, vel si hoc non constaret per definitiuam sententiam ecclesiæ. Similiter de subditis rebellantibus, si qui fuissent diceretur. Quis nesciat multa apud antiquos patres & nunc quotidie tolerari, & de simonijs & alijs, quæ si iudicialiter essent ventilata & conuicta, tolerari non possent. Superadditur quod tota res præsens, magnis dubiorum inuolucris contecta est, & vtriusque colorata. Sed nec sunt aliqua quæ propriè & nudè contingant opposita fidei, quoniam in factis diuersis & diuersimodè receptis quam in iure consistunt. Nulli idcirco possunt aut vix possunt de schismate & hæresi pertinaces conuinci in hac parte. Aduertendum quod in delictis tangentibus communitates, aut homines grandis status, cõsultius tolerantur errores communes, quam vindicari seuero rigore quærerentur. Nunquid non tolerantur meretrices? Nam & regulariter verum est, quod prælatus non solum potest, immo debet aliqua agere vel omittere propter generalem inclinationem subditorum, etiam vbi quandóque mala esset, quæ alijs agere vel omittere, in graue delictum sibi verteretur. Iuxta quod inferunt aliqui, quod etiam vbi via cessionis minus bona esset vel fuisset, tamen attentis deliberationibus omnium subditorum super postulatione huius viæ, dominus Benedictus illam acceptare tenebatur, sicut nunc acceptauit, quantumcunque alias ad eam acceptandam non fuisset arctatus vel arctandus.

SEQVITVR EPISTOLA QVÆDAM EIVSDEM GERSONIS DIRECTA AD *abbatem sancti Dionysij super controuersia capitis eiusdem sancti Dionysij, & de tollenda quadam tabula iniuriosa.*

REuerendo in Christo patri ac domino sincerè dilecto, domino abbati sancti Dionysij, in Francia, suus Ioannes Cancellarius Parisiensis per viam christianæ religionis, piè, sobriè atque pacificè conuersari. Stimulauerunt fateor animum meũ frequenter, hinc contentionis odium, hinc honor nostræ matris ecclesiæ, hinc veritatis, A iustitiæ & pacis amor, vt familiari fiducia rogarem, postularem & obsecrarem reuerendam paternitatem vestram, quinetiam obtestare per cõmunem omnium bene viuentium matrem charitatem, quatenus tabellam quandam affixam in ecclesia vestra sancti Dionysij in Francia, quæ Parisiensibus (sicut loquitur) errorem mendosum & intolerabilem dicit inesse super reliquijs de capite eiusdem beatissimi Dionysij, iuberet eadem paternitas vltro tolli, potius quam in iudicium contentiosum res veniret. B Ecce enim coram Deo non mentior, quia fuit anno præterito consultatio diligens habita per multos nobiles vsque ad numerum tricenarium quantum conijcio vel eo circa, tam de parlamento quam de facultate theologiæ & decretorum, qui concordi & examinata deliberatione, absque vllo dubitationis scrupulo asseruerunt prædictam tabellam esse libellum iniuriosum & famosum contra debitam Dei & proximi charitatẽ, & ita mihi hactenus visum est, postquam rationes hoc deducentes in C pondus adduxi. Existimo præterea quod si permanserit, rumperet tandem (quod abominor) ignis magnus & fœdus dissentionum inter duas has ecclesias celeberrimas, vestram & nostram, quas cõfœderare vel sola pastoris & patroni Dionysij consideratio debuerat. Quia nostram sua pastorali sede atque regimine, vestram preciosis sui corporis reliquijs decorauit. Sentio (credite) seminaria dissentionum huiusmodi parata, plura quam dicere vel scribere commodè possim. Scio D præterea quia & si liceret prædictam tabellam manere sic appensam (sicut non licere tot sententijs assertum est) istud tamen neque decens neque expediens esse nullo modo dubitauerim. Hæc itaque tabella si eo quo diximus modo, sponte. sc. & secretè amoueatur, quale præiudicium vobis vel ecclesiæ vestræ quale dedecus? qualis infamia? Nulla prorsus, nisi quis animositate ceruicosa contendat materiam scandalorum sine scandalo de medio tollere probrum esse. Si esca scandalizat fratrem meum, affirmat E apostolus non manducabo carnes in æternum. Quod si forte responderit vestra circunspectio prudens & sapiens, non placere sibi talem huiusmodi affixionem (sicut planè suspicor displicere) sed non habere capita monasterij vestri omnia cum suis sententijs in vestra (vt ita dicamus) manu. Esto vestrum nihilominus erit eniti reuerende pater quatenus hoc fiat nunc potius, interim dum res quodam silentio sopita est, quam si suscitatio noui tumultus, grandiori difficultatem F rem confundat. Meum similiter fuerit laborem impendere pro viribus, ita polliceor, vt vel pax integra reformetur, vel saltem in deteriora non emergat pristina dissentio. Porrò rationes particularius & latius cõdemnãtes hanc tabellam, & obseruationem Parisiensium iustificãtes in sua probabilitate, satis alias inductæ sunt. Denique malè iret ritus venerationis reliquiarũ apud multas ecclesias, etiam apud vestram si quælibet varietas in huiusmodi cultu error vocaretur intolerabilis atque mẽdositas, velamen insuper cordium cũ diuina interpretatione auferendum, dum id reliquiarũ quod habere se dicit vna ecclesia vel religio prætendit

prætendit altera similiter; quemadmodum de capitibus beatorum Ioannis Baptistæ, Benedicti, Magdalenæ, Lazari, & talium huiusmodi reliquiarum sine numero conspicimus. Nihil itaque prohibet vtrumque contradictoriorum stare simul cum altero; & si non in veritate, tamen in tali rationum probabilitate, quæ sufficiat ponentes, & laudabiles reddere, & eos defendere à mendacio vel errore; cum error in materia religionis atque mendacium, culpæ notam denominet. Scriptum Parisijs viij. Octobris; quo tempore meditabar pro sermone faciendo in natali eiusdem preciosi diuini Ariopagitæ Dionysij, qui suo aduentu gloriam in altissimis Deo, & in terra nostra pacem aspirauit hominibus bonæ voluntatis, qualem pacem nos habere precor rursus & obsecro: quod vt fiat tale quale prædiximus, contentionis inutilis, imo perniciosæ fomentum celerius auferatur ad honorem Dei: in quo bene valete, & persuasum habete, nunc æquitatem pietatémque requiri. Anno. M. cccc. viij. circa mensem Octobrem.

SEQVVNTVR ACTA QVÆDAM, DE SCHISMATE TOLLENDO, POST *mortem Innocentij* VII. *Romæ sedentis, & viuente Petro de Luna.*

PEnsata diuturnitate schismatis & extraneitate, cum perplexitate radicata in cordibus hominum, etiam sapientum, consurgente tam ex facto quam ex iure, vbi iam per tot annos labores humani, cum iuribus positiuis, nihil aut modicum profuerunt; expedit reperire modum prouidendi, aliàs non vsitatum vel practicatum, iuridicum tamen, secundum naturale ius & diuinum; vt vel tollatur schisma viuentibus contendentibus, vel saltem non vltra per generationes, & generationes contendentium continuè substitutorum, iugiter protendatur: propterea notentur propositiones infra scriptæ.

Prima propositio.

Nullus præcisè, ex eo quod est istius vel illius partis vel neuter, debet reputari ineligibilis ad papatum de iure diuino; quoniam ex eo solùm ipse vel hæreticus vel schismaticus pertinax, conuinci non potest: quæ duo sola ab electione præpediũt.

Secunda propositio.

Nullus præcisè, ex eo quod de istius vel illius partis, vel neuter, est sic ineligibilis ad papatum de iure positiuo, vel sententijs latis ab homine; quin possit habilitari, sine hoc quod expresè & particulariter confiteatur se errasse, vel schismaticum extitisse.

Tertia propositio.

Possibile est, & fortè expediens pro bono vnionis certis modis procurãdo, quod processus hinc inde facti, vel annullentur vel cessent, ponendo scilicet rem totam in terminis iuris diuini; sicut esset vel fuisset, si nulli tales processus emanassent: ne iura facta pro vtilitate ecclesiæ, militent contra eam. Notetur hic reuocatio sententiæ condemnantis regem Franciæ de hæresi, quia papam in temporalibus non agnoscebat superiorem.

Quarta propositio.

Non repugnat iuri diuino, & ex consequenti nec iuri humano, in casu vtili vel necessario; quin papa possit eligere successorem, etiam vnum de A altera obediẽtia: Potest insuper ordinare modum alterum eligendi successorem ab eo qui nunc institutus est, saltem quoad illa quæ sunt purè positiua, vt quod infra tale vel tale tempus eligant cardinales sub tali vel tali pœna, & similia. Posset denique, & forte expediret, quod modis non repugnantibus iuri diuino, trãsfunderet ius suum (præsertim de consensu suæ obedientiæ) in alterã partem, sicut vera mater dicebat de illa quæ non erat vera mater, *date illi infantem viuum*, & sicut in alijs reperibile est exemplum. B

Quinta propositio.

Non repugnat iuri diuino, & ex consequenti nec iuri positiuo vt prius, quod papa ex nunc cõmittat aliquibus quod, etiam post mortem eius, ipsi habeant potestatẽ relaxandi vel tollendi processus factos contra partem alteram, dum & qualiter visum fuerit expedire ad vnionem consequendam.

Sexta propositio.

C Concilium generale, vtriusque partis non obstante cõtensione de papatu, potest celebrari pro dando ecclesiæ suam vnionem per viam cessionis vel alterius prouisionis: Nec obstare debent iura quæcunque positiua, vt quod spoliatus ante omnia debet restitui, vel quod papa debet præsidere, aut quod debeat esse æqualitas in vocibus & similia.

Septima propositio.

Non repugnat iuri diuino, & ex consequenti nec iuribus humanis debitè interpretatis, quin ex D duobus collegijs amborum contendentium, possit fieri vnum collegium ab vtraq; parte receptũ, pro dando ecclesiæ verum & indubitatum Christi vicarium, aut nũc, aut suo tempore & loco opportunis. Nec repugnat, quod contendentes cõstituant se mutuo vicarios generales ipsis viuentibus, si hoc ad vnionem celeriùs & faciliùs consequendam expediens videretur.

Octaua propositio.

Expedientiùs & diuinius est quærere vnionem ecclesiæ, conformiter ad ius diuinum vel euange- E licum, quàm stabilitatem literalem iurium humanorum, & quam propriè partis honorem temporalem, aut contentiosam victoriam, per reductionem aut debellationem; præsertim vbi ista vltima retardarent primum, & viderentur impossibilia, circunstantijs hinc inde debitè consideratis aut ponderatis.

Nona propositio quæ est corollarium.

Pax multa esset diligentibus legem domini, & non esset illis scandalum schismatis, si non irrita F fieret huiusmodi lex per ambitionem palliatam, per traditiones hominum nimis literaliter, ne dicatur pertinaciter, obseruatas: sicut olim Christus ex verbo Esaiæ conquestus est. Vertat ipse omnia in bonum, qui est pax nostra & Deus benedictus in secula. Amen.

ALIA DISPVTATIO DE SCHISMATE TOLLENDO.

P*Ræsuppositis terminis in quibus est nunc factum Ecclesiæ, post mortem recentem illius de Roma.*

Quæritur, pro videnda meliùs resolutione materiæ, Vtrum expediat aliquem substituere in præ-

tenso iure ipsius defuncti, ad tollendum tandem funditus per cessionem suam schisma præsens? Videtur quod sic, quoniam ad habendum vnionem in ecclesia, oportet serenare conscientias vtriusque partis: sed alij non serenabuntur, nisi fiat noua electio. Probatio, quia semper reputabunt suam obedientiam errasse, & quemlibet in ea esse inhabilem ad electionem actiuam vel passiuam; quæ habilitatio fieri non poterit per solos cardinales suos, sed per verum papam æstimatum: necesse est igitur vt aliquis nouiter eligatur. Item si cardinales de Roma non eligerent infra tempus iuris, ipsi incurrerent sententias, vel pœnas à iuribus institutas, contra differentes nimis electionem: non est autem verisimile, quod velint illas ferre. Item prędicti cardinales non eligendo infirmarent partem suam, imo vt diceretur redderent se minus habiles ad prosequendum vnionem ecclesiæ, dum sine capite remanerent: Nam vnus electus bene affectatus, ad pacem plus posset proficere, offerendo cessionem, & illam prosequendo, quàm possint soli cardinales de Roma sine tali viro.

In oppositum arguitur, quod non expedit stantibus terminis nostris quod fiat adhuc quæcũque electio. Nam quæritur si eligant, de quo fiet electio, an de Papa nostro, aut de aliquo istius obedientiæ, vel de aliquo alterius obedientiæ? Non primum, quoniam alia obediẽtia diceret semper, quod tam Papa noster quam alter istius obedientiæ inhabilis est, vt sit electus; moti ad hoc, quoniã reputant nos, & specialiter papam nostrum schismaticos & hæreticos, aut de hæresi vehementer suspectos: & non est in potestate eorum talem aliquem eligere, sicut nec habilitare. Si fiat secundũ, nos de ista obedientia nihil reputabimus factum sine nostris cardinalibus, & cõsensu veri papæ nostri. Oportet igitur ad minus, quod audiantur cardinales nostri & vocentur, priusque fiat electio noua ad sedandum schisma præsens.

Item, si nouus eligatur, erit semper continuatio schismatis, & error posterior pejor priore, nisi quis dicat voluntariè, quod nouiter electus statim offeret cessionem, & alia pro ecclesiastica pace necessaria: hoc autem quam sit incertum, experientiæ priores manifestant. Item si cardinales de Roma differant electionem, vsquequo sufficienter summauerint partem nostram in capite & in mẽbris, ipsi agent pro vtilitate sua & fortificatione partis suæ. Probatio, nam potuerunt quærere (& rationabiliter vt videtur) quod papa non cedat, sicut obedientia sua petiuit, & sicut ipse promisit, imo sicut tenetur de iure diuino, prout erit declarandum: quod si cedat, remanebit apud eos electio libera ad generalem ecclesiæ vnionẽ. Addito quod habilitet (quantum in se est) illos de Roma ad eligendum, & quod cardinales istius partis conueniant cum eis ad eligendum. Si autem papa requisitus de cedendo, hoc nolit facere, ipse iam faciet obedientiam suam sibi contrariam & aduersam: Et ita cardinales sic differentes electionem suam, facerent partem suam fortiorem.

Propter ista notandum occurrit, quod si quilibet de ecclesia paruus & magnus, quæreret quæ sunt Iesu Christi plus quam sua, facilis haberetur exitus ad schisma terminandum: sed quia oppositum verum est, propterea necesse est venire scandala, & suscitata continuari, nisi prouideat Deus ex alto: & istud est quod affert difficultatem in materia præsenti, etiam apud bene affectatos, de modis inueniẽdis ad practicam vnionis ecclesiæ. Nam quicquid speculatum fuerit & discussum, (quod hoc vel illud medium potest haberi de iure naturali & diuino ad exequendum vnionem ecclesiæ) multa sunt in facto, de quibus vt dicitur, non iudicat legisperitus, vtputa, si tales vel tales ad quos spectat executio, velint vti talibus medijs licitis & meritorijs, aut non. Exemplum ad hoc est grossũ de medico peritissimo, qui circa infirmitatem vnius patientis, sciret optimè dicere & videre, quod talis medicina curatiua est suæ infirmitatis secundum suam artem, sed in practica stabit, quod infirmus abominabitur illam medicinam, & nolit accipere, constat quod apud illum medicum erit consequenter aliter iudicandum, attento isto quod in facto versatur. Puto autem, quod in principio prosequutionis vnitatis ecclesiæ per viam cessionis, consideratio ista fuisset valde vtilis, & valde ponderanda sicut & nunc: non enim semper illud quod absolutè melius est in se, est melius ex circunstantijs omnibus simul positis & attentis. Dimissis attamen pro nunc eis quæ in facto versantur, super voluntatibus hominum varijs, & quandoque deprauatis, nunc per ambitionem radicatam & cæcam, nunc per contentionem & inuidiam, nunc per cupiditatem vel timorem humanum, & ita de similibus passionibus, dicamus aliqua, quæ de iure diuino & naturali fieri possunt in præsenti materia, stãtibus terminis; hoc enim proderit vt non ita faciliter mentiatur iniquitas sibi, faciens de non causa causam in procrastinatione, siue tergiuersatione ad vnionem ecclesiæ, non solùm prosequendam, sed vtiliter & efficaciter prosequendam: est enim idem, nõ quęrere pacem ecclesiæ, & illam vijs non possibilibus, vel non verisimilibus inquirere.

Prima conclusio.

Non repugnat iuri diuino, & per consequens nec humano (quod ei debet cõformari) quin dominus Benedictus possit à vocatis cardinalibus alterius partis, in prætensum ius alterius substitui. Probatur hoc, quoniam si repugnat, hoc est maximè, vel quia reputatur hæreticus, vel schismaticus, aut de talibus criminibus vehementer suspectus, vel quia talis sũbstitutio cederet in dedecus ecclesiæ, & præsertim alterius obedientiæ, quasi malè tenuissent aut sensissent. Sed hæc duo impedimenta possunt tolli, stantibus terminis in quibus sumus, & per consequens poterit conuenienter dominus Benedictus in prætensum ius alterius substitui. Et primò, certum est apud bene considerantes & prudentes, quod secundum impedimentum quod allegatur de decore alterius partis, nullius est momenti: nam per tale factum, nullus posset cõcludere, plus quàm modo, eos hactenus malè tenuisse, quoniam cederent nostro, & ei adhærerent de nouo, non tanquam ex iure quod habuisset prius, sed ex iure nouiter acquisito, secundum æstimationem eorundem; non enim negare habent, quin sui cardinales habeant potestatem eligendi. Quod si aliqui leuiter loquerentur in tali materia, nihil est de talibus curandum apud eos, qui famam suam non in ore fatuorum hominum,

hominum, sed in ore Dei & veritatis habent reponere: sicut Christus volens vnire populum suum, non distulit propter opprobria hominum & scandalum peruersorum. Quod si quis dicat vltra, alteram obedientiam semper ex hoc facto remanere culpabilem & non correctam, vel absolutam & pœnitentem, nec esse per hoc in statu salutis, quoniam non dimittitur peccatum nisi confiteatur erratum: Ista est friuola obiectio, veniens ex ignorantia iuris diuini, vel ex nimia adhæsione ad traditiones hominum positiuas, vel ex sinistra ambitione, aut alia passione oculum rationis excæcante, prout aliàs in alia materia simili latius deductum est. Tenendum est hic pro certissima cõclusione theologiæ, quod sicut potest fieri confessio in multis casibus dubijs vel scrupulosis, sub conditione, tam in eis quæ sunt de iure, quam quæ sunt de facto, sic potest dari absolutio conditionalis, vel tanquam conditionalis. Nunc ad propositum, puto quod nullus est in ecclesia quin paratus sit in corde sẽtire & ore dicere (si opus esset) quod si & vbi errasset in aliquo circa materiam ecclesiæ vel aliam, ipse quæreret veniam à Deo & hominibus, & placerent sibi omnes absolutiones quæ fieri possent, ad super abundantem cautelam: qua præparatione habita, dico quod absolutio generalis in omnes qui aliter sensissent, quã se haberet veritas in facto ecclesiæ, prodest omnibus talibus apud Deum, nisi aliud obstaret peccatum, vel pertinacia certa in aliquo particulari credendo, in quo non esset paratus quomodolibet audire ecclesiam: & hoc maximè habet locum, vbi est error probabilis circa ea, quæ vel iuris sunt humani vel in facto: sicut maxima pars totius materiæ quæ nunc currit, trahit dubietatem ex his quæ facta sunt, in quibus nunc homines non solum hic aut illic falluntur, sed ecclesia in talibus fallere potest & falli: patuit dum fœmina vna per tempus magnum adorata est pro papa, & in similibus innumeris. Defectus autem istius considerationis, turbauit multos plus iusto, & pronos reddidit ad imponẽdum crimina schismatis vel hæresis huic vel illi parti. Denique, expedientiùs esset, vt aliqui relinquerentur conscientijs suis & diuino iudicio, quàm propter eorum seueram punitionem, tota ecclesiæ politia turbaretur: patet in politijs, quæ multa crimina dimittunt, ne per eorum punitionem deteriora contingerent. Ex istis, aperta est via ad tollendum impedimentum primum, quod tangebatur contra possibilitatem eligendi dominum Benedictum: posset enim dominus Benedictus sub generalibus verbis protestari, quod nunquam fuit aut esse intendit errans in aliquo contra fidem, vel contra vnitatem ecclesiæ: & quod submittit se omnibus, quæ contra ipsum possunt allegari, iudicio totius ecclesię, si & vbi reperiretur quod in aliquo defecisset, quamuis non habeat conscientiam quod defecerit. Quæro, nunquid non ista protestatio sufficit liberare eum apud omnes, quod non est pertinax in errore quocunque, ex quo paratus est audire ecclesiam. Vnde, & si probaretur millesies quod fuisset prius hæreticus, aut schismaticus, tamen hoc non posset probari de pręsenti, quod esset talis: & per consequens non esset impedimẽtum quin valeret electio, etiam secundum reputationem aliorum. Quod si quis allegaret traditiones humanas ad oppositum in decretis, vel decretalibus, quomodo tales errantes priusquam absoluantur, debent anathematizare & abiurare errores suos, & multa alia: Respondeo primò, quod hoc non habet locum, nisi vbi error manifestus est & certus: aliter dum est dubius, vel solùm probabilis, quia sufficit tunc abiuratio generalis, seu conditionata modo dicto. Diceretur vlterius, quod pro tanto bono ecclesię consequendo (sicut est vnitas, ad quam iura omnia debent tendere, & secundum finem istum interpretari) tales rigores iurium positiuorum non essent obseruandi: Exempla sunt ad hęc innumerare in casibus longè minoribus: Ad quid enim diceretur theologia (quæ tractat de iure diuino) superior & architectonica, nisi quia interpretari habet iura omnia inferiora, secundum ordinem & finem charitatis & vnitatis (quæ charitas, est finis præcepti secundum apostolum) alioquin, frustra esset ipsa theologia: alioquin pręterea, istæ constitutiones positiuæ in multis frequenter errarent, & fierent summæ iniustitiæ, immo & perplexitates inextricabiles includerent, vel afferrent; testatur schisma præsens.

Secunda conclusio.

Non repugnat iuri diuino, quin tempore & loco, dominus Benedictus (quantumcunque sit verus papa) possit requiri, stantibus terminis in quibus sumus, vt pro vnione ecclesiæ consequenda ipse cedat, factis prius per eum, quæ ad vnitatem hanc habendam essent vtiliter requisita. Primò determinatũ habemus illud, quod alijs versum est in dubiũ, scilicet, quod papa verus potest meritoriè cedere, patuit in Cælestino, & per decretalem expressam, & per historias chronicarum, imo & ipse dominus Benedictus notat in responsionibus suis, quod nunquam viam cessionis simpliciter renuere voluit, vel etiam oppugnare, quam etiam offert in casu, quo per eam vnio celerius haberi videbitur. Deinde, vt videamus si de hoc possit rationabiliter requiri dominus Benedictus, & si expediat, attendendæ sunt circunstantiæ quæ sunt in facto, attendenda est scilicet dispositio alterius obedientię, vel specialiter collegij vocati cardinalium de Roma. Si vnquam verisimiliter vellent eligere nostrum modo prędicto in prima conclusione, vel non: Attendenda est etiam dispositio obedientiæ nostræ, & principum, atq; prçlatorum, debentium prosequi illud quod bonum est; quia sine prosecutione, verba quantũcũque sanctissima modicum operantur, an scilicet vellent vnquam quod non cederet, vel vt nolens compelleretur: Attendenda est dispositio nostri, si ex responsionibus suis appareat, quod posset ad hoc punctum deduci, quod si sic; res esset longè facilior, si non, difficultas esset mirabilis & quasi impossibilis, pręsertim vbi reperiret fautores pro sua reputatione magnos viros. Et si cardinales sui starent secum, sicut multi fortè crederent propter experientiam pręteritę subtractionis, quę ad optatum eorum peruenit. Et quoniam ista vtrobique bene considerare, magis est negotium spectãs ad bonam prudentiam moralem, consurgentem ex experientijs multis negotiorum humanorum,

propterea viri etiam illiterati, poſſunt melius ſæpe in talibus iudicare & deliberare, quã literati, ſuppoſito tamen ſemper, quod in hoc vel in illo eligendo, non deuient à regula ſapientiæ ſpeculatiuæ, quę tractat de iure diuino, quod eſt ſimpliciter ius dicendum, ligans & obligans & inabdicabiliter, & cui omnis homo ſubijcitur, etiam Papa: hoc dicitur, quia ſi prudens non fundet ſe niſi in experientijs, contempto eo quod ſecundum ius diuinum fieri vel non fieri poteſt, ipſe facile ſe ſeducit, ſicut cognoſco fuiſſe in alijs quibuſdã proſequentibus viã ceſſionis, & fundantibus ſe in falſis principijs, quæ finaliter oportuit refellere, & ita totum deſtruere quod ex illis probabatur.

A

B

Tertia concluſio.

Attentis terminis in quibus ſumus, expedientius eſt quod vocati cardinales de Roma, modò nõ eligant quàm oppoſitum. Propterea, debẽt ad hoc per regem & dominos celeriter exhortari, vt cõuenientibus legatis iſtius obediẽtiæ in vnum cum alijs legatis alterius obedientiæ, poſſit recipi concluſio ſecurior pro vnione eccleſiæ conſequenda. Deducitur iſta concluſio ex duabus præcedentibus, quoniam habitum eſt, quod hoc modo vel illo poteſt fieri electio de iure diuino, ſine læſione iurium humanorum, imo cum eorum impletione, quoniam implentur cum iuri diuino famulantur. Et tamen nondum conſtat ſufficienter, vt videtur, quis modus eſſet facilior & poſſibilior, quoniam hoc iacet in facto, ſcilicet in voluntatibus iſtius vel illius obedientiæ, prout nouiſſimè tangebatur in præcedenti concluſione. Iſta verò quæ ſunt in facto, melius cognoſcerentur, ſi fieret conuentio in vnum, quàm nunc abſentibus hominibus vtriuſq; partis ad ſe inuicem, & non ſe mutuo intelligentibus, aut ſufficienter cognoſcentibus.

C

D

Secundum dicta, procedunt rationes hinc & inde; nam prima ratio ante oppoſitum, ſoluitur per dicta in prima concluſione, de poſſibilitate eligẽdi papam noſtrum: Item, de poſſibilitate differendi vſquequo papa noſter fuiſſet auditus & ſua obedientia: & viſum fuiſſet, quomodo vellent omnia ratificare, vt ſecurè fieret electio alterius, imo & ſui poſt ceſſionem factam, & cætera ea concernentia: nihil enim eſſet quod hoc fieri impediret, imo certè, factum ſuum humile & charitatiuũ, magis nouam electionem mereretur quã demeretur: ita quod non eſt excludendus à poſſibilitate nouæ electionis, ſed nec neceſſariò includẽdus, quoniam ſic limitare eſſet præcludere viam ſpiritui sãcto, in cuius nutu eſt inſpirare, vt ille vel iſte eligatur: item, eſſet pactum quod maximè vitiat electiones. Secunda ratio affert magis difficultatem in facto quàm iure, quoniam in iure ſi cardinales ſunt boni viri, & zelatores vnitatis, ipſi modicum curabunt de talibus cerimonijs iuris, vbi etiam oporteret eos ſubire pœnas illas pro tãto bono, quamquam multi arbitrarentur quod ad hæc toleranda, nullo modo tenerentur, propter maius bonum proſequendum. Tertia ratio, ſimiliter iacet in facto, quoad ſecundam partem, de illo qui nouiter eligeretur, qui faceret mirabilia, &c. Si enim hoc conſtaret; quod non multũ videretur inexpediens, nouam ſtatim fieri electionem talis: ſed vbi reperiemus? Quis eſt, & laudabimus eum? quis magis talia faceret, quàm dominus Benedictus ſperabatur? Cæterum prima pars falſa eſt, aſſumitur de infirmatione partis alterius: nam probatum eſt oppoſitum, quod non magis in bono poſſunt confirmare partem ſuam qualitercunque voluerint eligere. Si autem ſermo fiat de cõfirmatione in ſchiſmate & malo, perdantur iſti cum iſta inualidiſſima & peſſima confirmatione pertinaciæ ſuæ in hoc malo: rationes poſt oppoſitum ſi videantur, confirmant ea quæ dicta ſunt hinc & inde.

E

F

Ex omnibus iſtis, concluditur illud quod eſt nũc expediens fieri per regem, & alios ſuæ obedientiæ, dum interim neſcitur ſi cardinales de Roma elegerint: expedit enim modis omnibus tendere ad hoc, vt differant quouſque potuerint magis informari de intentione iſtius obedientiæ per legatos ſolennes: expedit ſecundò, quod iſta requeſta fiat in terminis generalibus, non deſcendendo quod eligant dominum Benedictum, nec etiam excludendo: patet hoc, quia eſſet præcludere libertatem, & tollere ſpem proficiendi nobiſcum ad vniuerſalem vnionem: eſſet enim nimis confundere partem noſtram, ſi per expreſſum excluderemus electionem domini Benedicti: Eſſet etiã eam minus extollere ſaltem æſtimatione aliorum, ſi ſic abſolutam eius quæreremus. Et pro hoc expedienti, facit illud quod rex iam à dimidio anno dicitur hoc requiſiuiſſe per literas, à vocatis cardinalibus de Roma, quæ petitio vtinam eſſet diligentiùs proſecuta. Expedit tertiò, quod vniuerſitas mater noſtra, more ſuo ſtimulet dominos & regis conſilium, vt hæc legatio celeriter impleatur. Primò per equitatores veloces præcurrentes; dehinc per ſolenniorem ambaſiatam: Nec oportet circa hæc expectare deliberationem ſiue conſenſum Papæ, vel quorumcunque aliorum, quoniam ſupplicationem & concluſionem iuſtam eſſe mõſtratum eſt: Imo qui vellet hanc concluſionem impedire, nullo modo videretur audiendus, ſed vel monendus vel contemnendus. Expedit quartò, vt mater noſtra ſcribat ſuper hoc domino noſtro Papæ ſub terminis generalibus exhortatorijs, imo quibuſlibet alijs chriſtianis, & quod vnanimi conſenſu, ſine partialitatibus, vel æmulationibus, aut patrocinijs, iſta materia palam & honeſtè, & pacifico animo proſequatur. Si autem noua veniant, quod iam per alios electio facta eſt, tunc erit aliter deliberandum. Potuerunt nihilominus prædicta valere vt ſi non videatur alius exitus, laboremus quòd poſt mortem papæ noſtri, nulla fiat electio per cardinales, niſi talis & taliter quod pax habeatur tunc, & ſi non velociùs aut citius: Ita enim pridem rex poſtulauerat, dum præſens electus eſt, fiat additio ſiue correctio per ſapientes, quoniam iſtud in tranſcurſu poſitum eſt,

SEQVVNTVR

SEQVVNTVR LECTIONES DVÆ EIVSDEM CHRISTIANISSIMI DOctoris, *quarum initium est: Pænitemini. Refert se in prologo theologiæ mysticæ ad has lectiones, ideo ante tractatum de theologia mystica hæ duæ lectiones fuerant præmittendæ.*



Pænitemini & credite euangelio &c. Marci. 1. Quanta veneratione simul & audiendi attentione dignum sit verbum præsens, hinc perpenditur quod in eo & ab eo supremus legislator noster Christus suæ prædicationis initium consecrauit, conformi per omnia gressu ad præcursorem sum Ioannem, cuius prędicatio à pœnitentia similiter inchoauit, data in hoc magnæ humilitatis & vnitatis forma prædicatoribus, ne nouis ita gaudeant quin aliorum dicta etiam minorum dignentur imitari, quãdo vident dominum & magistrum discipuli & præconis sui sentẽtiam nequaquam dissidere. Sed quemadmodum Ioannes dixerat: Pænitentiam agite. Et facite fructus dignos pænitentiæ, Christus prædicationem suam hoc eodem exorsus est: Pænitemini & credite euangelio. Et cui dubium esse christiano poterit quam prægrandis grauidáque sententiarum maiestas in his verbis (quamquam pauculis) inclusa sit, sicut diuinus Dionysius ex verbis Bartholomæi (qui erat tuba vehemens apostolica tradit) quod euangelium & paruum est & magnum, paruum verbis, magnum sententia. Si hoc de toto euangelio dictum sit, hoc de parte eius præcipuè sentire æquum est, in qua est totius ædificij euangelici fabrica collocatur. Immoremur agitur aliquantisper, & videamus quid nobis insinuet dominus cum ait: Pænitemini & credite euangelio.

Animaduerto in primis oculo perscrutationis in profundum demisso, quod Christus vtitur hic officio sapientis legislatoris, cuius est à malis arcere, & inducere ad virtutes. Vtitur officio solertis agricolæ, prius expurgando arua fructicibus vt fertilis seges oriatur. Vtitur officio sagacis pincernæ, mundãdo vtres acetosos vel corruptos, priusquam vinum recens in eis fundatur. Vtitur subinde officio prudentis medici, qui prius oculos sanare studet à lippitudine aut alia ęgritudine quam ipsos opponat radijs luminosis. Tales possent applicari similitudines quæ nos vberiori facilitate inducunt cognoscere viuacem efficaciam & condependentiam horum verborum: Pænitemini & credite euãgelio. Est itaque rationalis homo post peccatum velut seruus nequam, reus criminis læsę maiestatis, proiectus in exilium huius vallis miseriæ, detrusus quoque in carcerem tenebrosum carnis corruptæ fæculentæ. Vbi in tenebris sedẽs lumen cæli non videt, nisi reconcilietur prius per pænitentiam, quam esse rectè dicimus ostiariam liberantem nos à vinculis peccatorum, qua mediante potest lumen fidei ad animam charius radiare. Propterea ad istud: Credite euãgelio, præmittitur pænitemini. Est insuper anima peccatrix ager incultus & maledictus, vbi vitiorum nascitur infelix lolium & desideriorum steriles generantur auenæ: quæ omnia vitiorum plantaria euellantur

A oportet, si virtutes euangelicæ quærantur inseri cum profectu. Sicut eandem animam viribus corruptis, sic oculis læsis & obtenebratis, ita similibus comparare fas est. Et exhinc docere quod pænitentia fidem, sicut agri purgatio segetem, & oculi sanatio luminis visionem antecedit. Prosequentes igitur primum ex antedictis similibus constituamus animam humanam suo merito velut incarceratam in loco tetro & horrido, cui tres mansiones infimam, mediam & supremam assignemus. Primæ stationis nomen est sensualitas. Secundæ ratio. Tertiæ intelligentia simplex.

B Fenestræ partis infimæ nullum afferre lumen animæ valent nisi corporale, & quale bruta recipiunt. Secunda statio fenestras habet, per quas lumen aliquod spiritualius ingreditur in animam dum ad hanc stationem mediam erigitur. Tertiam partem & supremam arcem seu speculam huius carceris, vbi dum anima sublimatur inspicere potest lumen diuinum desuper emicans & apparens quasi per rimulas quasdam tenues in morem fulguris coruscantis, & subitò inter rapidas scissuras nubium disparentis. Ad illustrationem verò tenebrosi huius carceris pro statu isto, vt fidei

C lumen habeatur necesse est. Quoniam sine fide impossibile est placere Deo, oportet nihilominus in adultis vt fides in actum exeat & per dilectionem operetur, alioquin teste Iacobo. Fides sine operibus mortua. Est autem actus fidei credere euangelio: At verò anima in solo imo carceris quamdiu dimersa est, quando leuare posset oculos caligine pressos, & densis carnalium desideriorum nebulis obsitos ad credendum vel co-

D gnoscendum ea quæ desuper emicant, & quæ per nullas sensuum fenestrellas aditum inueniũt. Quamobrem eleuanda est anima ab infimo habitaculo carceris ad medium, & consequenter ad supremum, quatenus intueri valeat lumen vultus domini, quod signatum est super eam maximè si est lumen gratuitum fidei desuper infusum ad credendum euangelio, præmittit pœnitentiam. Pænitemini ait & credite euangelio. Nec mirum, quoniam indigna est anima peccatrix,

E anima rea mortis deduci ad præsentialem visionem sui iudicis Dei, nisi prius reconciliata, absoluta, purgatáque. Quam reconciliationem, absolutionem & purgationem pœnitentia operatur.

Vultis ergo credere euangelio? Vultis lumen cæli videre? Vultis ab imo carceris ad altiora subuehi? vultis scio. Obedite igitur prædicanti Christo, & pænitemini. Et sic credite euangelio. Liceat idcirco pænitentiam collaudare &

F dicere per similitudinem, quod ipsa est filia præcipua iustitiæ cõstituta à supremo iudice Deo quod reconciliatione animæ, postquam læsit diuinam maiestatem. Ipsa est ostiaria, erigens de profundo carceris animam damnatam, eleuans caput suum intellectum. sc. ad videndum lumen cæli, vt tandem sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Ipsa catenas ferreas cupiditatum, ipsa funes peccatorum infelicem animam circumplectentes disrumpit, ipsa ægros rationis oculos tergit, sanat & illustrat, ipsa fenestras superiores animæ aperit, depulsis quas status carceris huius miser patitur nebulis volitantium phan-

tasmatum, & à confusione horrida carnalium desideriorum ab eorúmque tumultu separat animã, eleuans eam in specula vel arce vel apice ipsius simplicis intelligentiæ. Eam denique ad supermentales excessus & extaticas rapit visiones, secúdum mysticam theologiam datam à Dionysio. Hæc postremò reparat in anima modum, speciem per ordinem violatas per peccatum, immo ad ipsam animæ hierarchiam vniuersam, exemplatam ad exemplar angelicarum hierachiarum prius cóturbatam restituit, ordinat & reformat.

Huius virtutis conditiones aliæ sunt laudabiles absque numero, quarum aliquas in posterum dicere reseruamus. Attendamus nihilominus quod pænitentia sicut iustitia in triplici curia diuini iudicij conuersatur & præsidet, sed alio & alio fine, aliáque vtilitate. Quid aliud est prima curia diuini iudicij, nisi præsens vita? Vbi ante thronum pænitentia miserans, pia & exorabilis de qua locuti sumus. Secunda curia eiusdem iudicij assignatur purgatorius locus, vbi in throno sedet pænitentia puniens seuera & formidabilis. Tertia curia infernus, vbi reperitur pænitentia damnosa & infructuosa & horribilis. Nam quod damnatos pænitentia comitetur & torqueat, expressum est. Sapientiæ. v. Videntes turbabuntur timore horribili, sequitur intra se pænitétiam agentes. Quod sit horribilis, audite apostolum: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Proinde has tres curias notauit propheta regius, dum pænitendo seipsum curiæ primæ submitteret, in qua misericors pęnitentia condolens infirmis reperitur. Domine inquit, ne in furore tuo arguas me. Ecce curiam infernalem, quæ furoris non incongruè quédam typum gerit quia pater illic filios proprios per naturam, & creator suas creaturas perpetuis ignibus iustissima quidem, sed incomprehensibili æquitate cruciandos exponit. Sequitur: Neque in ira tua corripias me. Ecce curiam præsentis vitæ, in qua pro recognoscentibus piè & humiliter infirmitatem propriam pænitentia misericors conceditur. Porrò si quis viator damnatus, vt in tertia curia crucietur sicut est omnis existés actualiter in peccato mortali. Si quis præterea adiudicatus est puniri in secunda curia, quæ est purgatorij, sicut est homo qui gratiam habens, nondum pro peccatis satisfecit, talis fas habet quamdiu viuit appellare ad primam curiam, in qua sedet pænitentia misericors, quoniam misericordia superexaltat iudicium. At verò si peccator tardauerit cóparere hora legitima cessionis pænitentiæ in hac præsenti curia, ille adiudicabitur vel pænitentiæ seuerę & formidabili in purgatorio, vel pænitentiæ infructuosæ & horribili in inferno. Est autem competens hora comparendi coram pænitentia misericordi vsque ad vltimum finem, quo anima etiam in morte liberum habet vsum rationis, ad subijciendum se eidem pænitentiæ ex affectu humili & pio, licet quam totius tanto melius atque securius. Cæterum omisso ad præsens sermone de pænitentijs purgatorij & inferni. Verbum habeamus de pænitentia huius seculi ad ipsam enim non ad alias nos inuitat iudex noster Christus dicens: Pænitemini & credite euangelio. Nempe qui non pænitet hic cum hominibus pænitebit cum dæmonibus in futuro. Qui præterea non se subijcit

A iudicio pænitentiæ miserentis in præsenti curia, pænitentiam condemnantem & nunquam liberantem experietur in altera. Dicamus igitur cum psalmista: Miserere mei secundum iudicium diligentiam nomen tuum hoc est secúdum iudicium misericordiæ in præsenti seculo, quoniam sancti sanctæque omnes veluti quidam assessores iudicantis pænitentiæ misericordis intercedunt pro illis quos huic curiæ submitti viderint. Liberant quoque sæpius reos suis interuentibus vbi & qui se melius & humilius accusauerint, ipsi præter

B morem iudiciorum humanorum remissionem ampliorem consequentur. Qua ex re manifestam in se stultitiam ostendunt, qui pænitentias aut leuissimas aut insufficiétes quærunt, pares illis quos virgæ territant & ferrum ignésque se pati malle responderent. Attamen quid est pænitentia pręsent, nisi puerilis quædam flagellatio, si ad torturas vel purgatorij vel gehennæ seuerissimis comparetur. Hoc ipsum qui fida profundáque viuæ fidei consideratione videret, affirmo quod non solum non refugeret dolorem pænitentiæ præ-

C sentis aut voluntariæ aut Deo disponente casibus varijs immissum, sed etiam cum gaudio toleraret, sciens quod non puniet Deus bis in idipsum & quod breue hoc & momentaneum tribulationis supro modum immensum gloriæ pondus operatur in nobis. Nec mirabitur hoc aliquis me dicere si similitudinem in ipsis etiam puerulis ostenderim. Proponatur puero quantumcunque timido verberum quod aut morte plectetur pro delicto suo, aut verberaretur. Quis non videat proposita

D hac conditione, quin ipse verberari non solum vellet, sed cum instantissimis precibus & lachrymis idipsum si sibi negaretur, postularet. Quare hoc? Certè ne horribili sententiæ mortis subiaceret, quam scit se non nisi per verbera euasurum. In electione prorsus simili constitutus est peccator, quia aut hic vltro suscipiet pænitentiæ, verbera, aut mortis æternæ supplicio subiacebit. Hinc aperitur intellectus illius quod dicit apostolus, in tribulatione gaudentes, & talium absque numero. Constituamus ergo nos coram tribunali mise-

E ricordis pænitentiæ, & tres eius comites amplectamur, quæ sunt: Contritio, Confessio, Satisfactio. Porrò contritionem ex quatuor integrari nouerimus, quæ sunt: Motus liberi arbitrij in Deum super omnia diligendum. Secundum, motus eiusdem liberi arbitrij in detestationem peccati. Tertium, infusio gratiæ gratum facientis. Quartum expulsio culpæ. Possumus addere quintum, præuentionem. sc. diuinam qua liberum arbitrium mouet & excitat ad ea quæ dicta sunt.

F Qualis autem sit ordo inter ista quinque non facile est vsquequaque definire: quoniam plerunque sunt simul tempore. Et quoad naturæ proprietatem, si respectus habeatur ad subiectum, prius est expulsio culpæ, quam infusio gratiæ. Si verò referamus ad agens, è conuerso se res habet, quoniam prius agens intendit infundere positiuam gratiæ dispositionem, quam vitium expellere. De his subinde tribus comitibus pænitentiæ, contritione, confessione satisfactione latissima est determinatio per doctores. iiij. sent. distinctionibus ad hoc spectantibus. Et infra (quantum videro expedire) quædam & vltioribus excerpere proposui.

Nunc

Nunc itaque vocant me aliorsum, quod quidam litigiosi & mendaces aduocati. i. vitia (quos in A ipsa meditatione mea conspicio magnis boatibus aduersari) his qui salubriori consilio ad hanc pænitentiæ misericordis curiam accedere volunt, arguunt malesuadis sermonibus nunc blandiendo, nunc terrendo, quam stultum est inquiunt, in hac vita se gratis affligere, & non quærere sublimes & pulchros honores, contempto sacco & cinere, quam stultum est insuper non quærere iocundissimas voluptates reiecto cilicio, verbere ieiunio, Pars opponit, alij spem longæ vitæ, alij desperationem à mala consuetudine resurgendi, alij pu- B dorem in confessione, alij allegant peccantium multitudinem & auctoritatem, pars difficultatem satisfaciendi, pars cadendi frequentiam & instabilitatem resistendi. Et vt paucis absoluam, talium nequam aduocatorum copiosior est multitudo, quam vt numerare nostrum sit, quorum hic ordo est non habere ordinem, fides non tenere fidem, finis à fine auertere. Væ væ mundo ab his pestibus monstrosis & horrendis. Sæuiunt omnes magna rabie & miserabiles animas exturbat ab hac pæ- C nitentiæ curia, quarum vna origo est, vna radix vitiosa, vna parens improbatissima, quam appellamus originalem naturæ corruptionem seu tyrãnidem membrorum, seu legem peccati, aut alio tali nomine. Omnes quoque pestes istæ horrore sempiterno confusæ sunt, ipsæ tamen participant in superbia vel elatione quæ est appetitus propriæ excellentiæ & subiectionis fuga & diuinæ maiestatis quoddam phantasticum. Quisquis enim singulos instinctus stimulantes ad malum, & auertentes à bono diligenter intus & extra discuteret, D agnosceret in eis principalem stimulum esse superbiam, vt verè sensit qui nomine omnis iniustitiæ superbiam intelligi voluit, ibi: Non dominetur in me omnis iniustitia, glossa, superbia, quin ipsa in omni iniquitati reperitur atque damnatur. Quid enim quærit auaricia, nisi per se sufficientiã, & nulli alteri per indigentiam subiacere? Quid enim luxuria expetit? vtique tranquillitatem & pacem iocundam, quam res altera neque conturbet neque ducat nolentem, neque violenter? E Amplius etiam ipsa pusilanimitas, quæ superbiam videtur aspernari, superbiam se cum amplexatur, dum sensum & iudicium suum præfert iudicio superioris sui. Dum præterea sui iuris esse mauult quam aliorum, vbi potest & debet commoditatibus obsequi. Et hæc planè non timiditas sola est, sed vanæ libertatis appetitus. Subinde curiositas sciendi quantum abundet in superbia, scire perfacile est quod in primis parentibus liquido cõstitit. Denique causa ista est præcipua cur vitium quod- F libet aduersatur pænitentiæ salutari, quia pænitentia in humilitate fundata est. Similiter à vitio quolibet fides impugnatur, quoniam radix fidei humilitas est, & ad Deum subiectio.

Abijciamus ergo superbiam à nobis viri patres & fratres, quæ etsi non radicitus auelli potest à nobis quamdiu maledictam terram circũterimus, quin germinet assiduè nobis hunc tribulum, ipsa saltem mox vt infaustum germen extulerit resecetur conculcetur, destruatur, alioquin non satis obedimus dicenti Christo: Pænitemini & credite euangelio. Et quoniam sic incidit vt de peruersis aduocatis. i. vitijs pœnitentiam dissuadentibus loqueremur. Et inter illa primum esse reperimus superbiam, pergamus inquirere quomodo superbia pœnitentiam & consequenter fidem impugnat, præsertim apud scholasticos. Ad illos quippe nostræ vox locutionis infertur, nec infertur tanquam ego sine peccato existens velim peccatricem animam lapidare, sed alios monens eisque compatiens, memet admoneo, me audio, mihique vt cæteris condoleo, velut si languentes quos vna febris grauat vel alligat, sese alligat, sese alloquantur, mutuis quoque seipsos querelis vtcunque solentur. Superbia scholasticos à pœnitentia & fide viua præpediens, duas in eis filias infelices (nisi prouiderint) gignere solita est, curiositatem & singularitatem. Malas verò filias ex pessima matre, quibus insuper misera soror additur inuidia, quarum progenies infausta multiplex est super numerum, ibi contentio, disceptatio, pertinacia, erroris defensio, amor proprij sensus, immansio in opinionibus vel suis vel suorum. Denique scandalizatio & contemptus simplicium atque omnis doctrinæ humilis abominatio. Quid autem pœnitentiæ, quid fidei magis aduersum cogitari potest quam sint hæc omnia? Curiositas est vitium quo dimissis vtilioribus, homo conuertit studium suum ad minus vtilia vel inattingibilia sibi vel noxia. Variat autem comparationem hanc magis & minus vtilium, ipsa consideratio finis secundum tempus, locum, personam, ætatem, statum, professionem, rempublicam, cum cæteris circunstantijs. Nempe quod vni est inutile vel indecens, alteri congruum aut in præcepto positum reperitur. Singularitas est vitium quo dimissis vtilioribus homo cõuertit studium suum ad doctrinas peregrinas & insolitas. Et hoc similiter finem attendi necesse est. Videtis quod curiositas & singularitas assimilantur in multis vt sorores solent, sed earum vultus ex ratione obiectali varia quadam distinctione secernuntur, vtraque enim culpatur, quia deserit vtiliora, quod profecto non fit absque cuiusdam excellentiæ propriæ desiderio. Curiositas vt sciat alia quam oportet. Singularitas vt cæteris emineat.

Eliciamus hoc loco considerationes aliquas morales ad commonitionem scholasticorum, præsertim theologorum. De curiositate & singularitate aliorum specialiter ecclesiasticorum & specialissimè prælatorum & religiosorum, in hoc quod dimissis sacris nostræ legis litteris ipsi traditionibus humanis cognoscendis, aut alijs vilioribus occupantur, pro nunc nihil ad nos, quia foris sunt, nec nos audiunt. Sola consideratio præsentis erit lectionis. Alia enim dicturus sum concernentia statum huius sacræ facultatis theologiæ, reliquas cõsiderationes lectio sequens expediet.

Prima Consideratio.

Philosophos antiquos sicut curiositas fefellit, ita formidandum est ne theologos nostri temporis ipsa similis curiositas decipiat. De errore philosophantium causato ex curiositate nimia loquitur Seneca in epistola de liberalibus artibus, & Hugo melius in proœmio commenti sui super angelicam hierarchiam. Physica siquidem perscrutatio ductum ratiocinationis naturalis insequens nequit immensum progredi, certis enim

limitibus coarctetur oportet, quos limites dum prætergredi superba curiositate conatur, quid mirandum si præceps & si absque ductore & lumine cæca ambulans offendat ad lapidem erroris, & impingens se conterat. Ductus itaque ratiocinationis naturalis ad hoc pertingit, vt sciat quod sit vnus Deus, princeps & rector omnium, qui dedit omnibus esse & viuere, his quidem clarius, illi, verò obscurius. Inuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Est quippe omnibus inditum à multis naturali demonstratione conclusum, vt Deus sit quo nihil melius cogitari potest, esse qui habeat quicquid est melius ipsum quam non ipsum. Hæc est enim philosophia quam apostolus & instructus ab eo Dionysius nominat Dei sapientiam, immo & reuelationem. Deus (inquit apostolus) reuelauit eis, quam reuelationem intelligo lumen vultus domini signatum super nos, quemadmodum pulcherrimo & euidentissimo compendio diuinus Bonauentura deducit in suo itinerario mentis ad Deum. Qui libellus omni laude superior est, nec admirari sufficio qualiter patres & fratres minores dimisso tanto doctore (qualem nescio si vnquam studium Parisiense habuerit) conuerterunt se ad nescio quos nouellos, pro quibus parati sunt pedibus & manibus decertare, tandem quantum in alijs proficiát ipsi viderint, sed de hoc alijs. Porrò si philosophi se inter hos limites coarctassent, & Deum sic cognitum (vt dignũ fuerat) glorificassent, bene erat cum eis, sed pergere vltra volentes defecerunt scrutantes scrutinio. Quo pacto sic? Quia certè ea quæ in liberrima potestate Dei posita erant, dum attingere & ad quasdam necessitatis regulas adducere conati sunt ipsi euanuerunt in cogitationibus suis & obscuratum est insipiens cor eorum. Exempli gratia: Qualiter & quando mundus inceperit, aut si finiturus sit sciri nequit ex quibuscunque experientijs quas philosophia sequitur, quoniam hoc in liberrima conditoris voluntate situm est. Philosophi igitur dum hoc secretum diuinæ voluntatis penetrare, duce experientia moliuntur quidni deficiant? Quoniam sicut diuina voluntas huius ratio est, ita solis illis scire concessum est, quibus ipsa voluerit reuelare. Ita de incarnatione & de reliquis nostræ fidei articulis diceremus propter quæ exultans Iesus in spiritu dixit: Confiteor tibi pater cęli & terræ &c. Et sequitur: Ita pater, quia sic placitum est ante te, glossa, non meritũ nostrum.

Qua in re concludimus cum articulo Parisiensi articulos fidei nullo modo esse contra philosophiam naturalem, sed eidem potius consoni sunt, quamquam eos attingere & inuenire suum non est, præsertim nisi præuia fidei reuelatione quæ tales veritates subministret. Interrogatus ergo philosophus: Est ne mundus æternus? Respondere debuit. Quæstio hæc supra me est, quoniá Deus omnia sicut voluit & fecit & faciet. Interrogetur de hoc Dei voluntas ab eis, quibus hoc reuelare dignatus est. Hi sunt prophetæ nostri, quorum propheticæ denunciationes de futuris fidem faciunt, dum experti sunt quod de præteritis & incognitis enunciauerunt veritatem. Hinc fortassis sobriè sentiens Aristoteles hanc propositionem

A inter problemata posuit in physicis. Vtrum mundus sit ætern⁹? Occurrit hic aliquis & dicet, quòd physica ratio quamuis inueniat Deum esse primũ mouens & primam causam & finem omnium, nõ inuenit tamen quod agat liberè libertate conditionis, sed magis naturali necessitate & quadam proprietate illius quę suijpsius diffusiua est bonitatis. Hæc est (fateor) tota & præcipua radix errorum in istis philosophantibus, qui ex immobilitate ordinis in vniuerso, quantũ hactenus experti, causam hæc omnia regentem, non solum immobilem (hoc enim verè sapuissent) sed determinatam ad taliter agẽdum, cum impossibilitate aliter
B ordinandi concludere putauerunt, hoc non ita debuerunt. Cui enim venire indubium potest, quin perfectius sit atque nobilius suum effectum extrinsecum non commensuratum potentiæ suæ habere in libera potestate quam ipsum de necessitate producere? Quod enim spiritumsanctum nõ possunt non producere pater & filius, prouenit ex adæquatione termini producti ad agentis potentiam. Secus in creaturis quarum perfectio dici
C non meretur punctale centrum respectu sphæræ diuinæ intelligibilis, cuius centrum vbique circũferentia nusquam, sicut vnus ex philosophis definiuit. Ex hoc errore præterea omnis ad Deum religio & gratitudo tollitur, dum dicimus eum non gratuita liberalitate, sed seruili quadam necessitate nobis omnia ministrare. Propterea (vt æstimo) philosophi Deum agnoscentes, non sicut Deum glorificauerunt, neque gratias egerũt. Multa in hác rem & dici & disputari possent quæ
D consequenter ostenderent, qua rationabili pietate factum est id quod dicit apostolus, quia mũdus in Dei sapientia, hoc est in philosophia, Deum non cognouit. Placuit Deo per stulticiam prædicationis, hoc est per fidem & operum insolitorũ operationem saluos facere credentes. Hanc ergo rationem alijs induxi pro mysterio mirabilissimi sacramenti instituendo. Itaque si quæratur à me, cur Deus Eucharistiæ sacramentũ taliter instituit? Respondeo per considerationem finis. Hoc itaque factum est, vt ex eius insolito effectu subleua-
E remur credere omnipotentiam Dei, & omnisciẽtiam Dei & gratuitam bonitatem, quæ nõ solum facere potest, scit & vult ea quæ de facto videmus, & viderunt philosophi, sed etiam alia non quidem mirabiliora. Quid enim mirabilius vniuerso? sed magis insolita, quatenus insuper contereretur ceruicosa præsumptio nostri intellectus qui Deum cum suis operibus comprehendere stultissima impietate videtur gloriari. Exposita parte prima nostræ considerationis, quod curiositas non contenta suis finibus fefellit philosophos,
F par similitudo deducere potest esse formidãdum, ne talis curiositas theologos decipiat. Constat enim quod doctrina fidei quamuis philosophiam superet, habet terminos suos prædefinitos in sacris literis nobis reuelatis, vltra quos nihil audendum esse definire vel tradere beatus Dionysius expressit primo de diuinis nominibus. Vniuersaliter inquit, non est audendum dicere, neque etiam cogitare de superstátiali & occulta deitate, præter ea quę diuinitus nobis ex sanctis eloquijs sunt expressa. Igitur si coniecturis & ratiunculis humanis vltra progredi quisquã theologizás pręsumpserit, quidni

quidni, protinus turpiter seducatur & seducat insequentes? Deficiente enim & non sufficiente scala scripturarum, qualis altera comparabitur scala ad altiorem de Deo cognitionem attingēdam, nuper in meditatione mea talis oblata est similitudo. Sic cæcus aliquis à natiuitate, cui de coloribus dicantur in certo modo veritates, non cognoscēdæ, sed credendæ, vt quod albedo est disgregatiua visus, & nigredo congregatiua. Quod sol sua illuminatione diē causat & noctem. Si cæcus iste satagat cū studio vehementi ratiocinando & phātasiando, elicere ex istis paucis veritatibus alias veritates sibi non traditas. Nemo est (vt opinor) qui nō arbitraretur quod ipse facili & crebra paralogizatione falleretur, vt quia audit quod albedo disgregat visum opinabitur statim quod talis disgregatio fiat per simile ad ea quæ sēsu tactus percipit spargi & diuidi. Talia sunt absq; numero in omni arte & scientia quoad homines qui de illis scientijs attigerunt nihil, de quibus tamen ipsi iudicare & phantasiari præsumentes, in quales, quātasve chimerinas absurditates ruant, quotidiana docet irrisio. Conferamus nunc ad diuinas voluntates non reuelatas nobis cœlitus sensum cuiusuis Theologi quantumlibet eleuati nullus dubitauerit quin ad illas cæcior sit quam cæcus ad colores & nō minus idiota quā idiota aliquis ad Metaphysicam aut Mathematicam disciplinam. Propterea si de altis istis & non reuelatis veritatibus voluerit huiusmodi Theologus iudicare, aut præsumptione raptus aut pudore oppressus, si non ad omnia quæsita sibi responderit. Quis non videat quam profundam sibi alijs erroris abyssum parauerit? Quanto securiori humilitate responderet in multis, nescio, Deus scit, & cui Deus voluerit reuelare. Credite euangelio & sufficit. Nolo tamen vt hæc nostra curiositatis inculpatio nutriat secordem ignauiam eorum qui de diuinis ea quæ possunt debentque intelligere, vel negligunt vel non negligentibus detrahunt, vtrumque vitio deputatur, & nolle elucidare veritatem sacræ scripturæ cum modestia in suis se limitibus continente. Qui elucidant me inquit, vitam æternam habebunt. Et vitium est velle plus quam oportet sapere, & non ad sobriam pietatem, sicut vtrinque à Dionysio primo de diuinis nominibus palam notatum est.

Et hęc sufficiant quoad istam lectionem factam. Anno M. ccccij. die mercurij ante festum Martini in hyeme.

LECTIO ALTERA EODEM ANNO.

POENITEMINI *& credite euangelio.* Mar. 1. Si continuari quæreretur initium præsentis lectionis cum præcedenti omissa tunc nouem considerationum de curiositate declaratio nunc inchoari debuerat. Nihilominus ante omnia placet inuestigare quidditatem pœnitentiæ, cum promotionis quibusdam ad eam. De hinc ordo cœptus resumetur. Pœnitentia in vna sui acceptione vnum ex septem

A sacramentis numeratur qualiter ad præsens loqui non intendimus. Sed prout est virtus & species quædam iusticiæ, reddens Deo quod suum est. Peccator itaque dum per inobedientiæ præuaricationem abstulit quantum in se fuit honorem debitum Deo, debitum dico vt creatori & redemptori, vt patri, regi, principi, amico, sponso, & ita mille considerationibus ipse non omnino constitutus est reus læsæ maiestatis & proditionis, non erga qualemcunque maiestatem, sed diuinam. Præposuit enim propriam voluntatis libidinem diuinæ charitati, propterea iustissimum est vt rursus voluntas libidini calcata subijciat vltro se puniendam arbitrio iudicialis legis Dei. Habitus autem inclinatiuus ad hoc opus dicitur pœnitentia, cuius assignare descriptionem sic posuimus.

B Pœnitentia est habitus virtuosus inclinans liberum arbitriū detestari & punire in seipso peccatum contra Dei legem commissum vel omissum, & hoc ad finem beatitudinis consequendum. Vel sic: Pœnitentia est habitus iusticiæ inclinans liberum arbitrium detestari & punire peccatum in seipso immediatè vel mediatè pro sui reconciliatione ad Deum. Pœnitentia actualis dicetur omnis actus, mediatè vel immediatè à tali habitu pullulans & procedens. Cæterum detestatio peccati consurgit ex apprehensione ipsius vt inhonestum est, vt diuinæ maiestatis offensiuum, vt denique potentiæ apprehendenti discōueniens & contrarium. Punitio fit per apprehensionem obiecti vt tristabile est, & propriæ inclinationi obuium, seu disconueniens & contrarium. Ratio disconueniens est disproportio læsiua seu alteratiua cuiusdam harmoniæ & vnitatis in potentia apprehendente. Malum inhonestum efficitur disconueniens pro quanto lædit aut tollit harmoniam modi, speciei & ordinis, debitam libero arbitrio vt liberum est. Malum tristabile redditur disconueniens pro quanto lędit harmoniam & vnitatem debitam complexioni naturali. Ratio disconuenientiæ in malo inutili est disproportio tollens à potentia apprehendente quādam bonitatem eius cum bonis extrinsecis eam accidentaliter perficere habentibus. Ex opposito sumuntur rationes conuenientiæ in triplici bono, honesto, vtili & delectabili. Quas rationes in eadem re crebro concurrere perspicuum est. His suppositis non operosum est aduertere quod in pœnitente multa concurrunt.

Primum liberum arbitrium, quod est potentia apprehensiua peccati & detestatiua, punitiuáque eiusdem. Concurrit pręterea habitus virtuosus inclinatiuus liberi arbitrij ad promptius faciliusque operandum, quoniam habitus vel acquisitus est ex actibus, qui moralis dicitur, vel gratis infunditur, vicem quandam habitus moralis gerit naturalis quædam inclinatio apud nonnullos bene natos. Porrò ipsi libero arbitrio (quod est facultas rationis & voluntatis) præsentatur ratio obiectalis disconuenientię, non qualiscunque, sed inhonestę. Ex qua consequenter assurgit ad fugam quandam & horrorem peccati. Dehinc ad punitionem eius acceditur, & ad satisfactionē, pro placando, reconciliandóque sibi iratum Deum & patrē misericordissimū ad iracūdiā pro-

uocatum. Est autem satisfactio redditio alicuius alias indebiti, non quod aliquid offerre Deo valeamus supra vel vltra debitum, si rigorem erga nos exerceret, vtpote cuius omnia nostra sunt. Sed ita placuit pietati suæ misericorditer agere cum seruis suis, vt si quid vltra præcepta sua supererogauerimus, illud nostrum sit & de illo soluere quodammodo debita nostra gratis indulserit. Elicimus ex prædictis quod liberum arbitrium quanto purius est, quanto suauius, tanto perceptibilius est amplius disconuenientiæ inhonestæ per eum apprehensæ, ac perinde vt ad eius detestationem, fugam horroremque atque punitionem perceptibilius moueatur necesse est. Quo fit vt iam iustificati eò feruentius pœniteant quo verius & intimius sanatis viribus liberi arbitrij, ipsi quam inhonestum, disconueniensque sit peccatum deprehendunt. Alij verò quò magis aggrauati infectique fuerint pondere sordido flagitiorum, tantó minus pœnitent, vsque adeò vt glorientur cum malefecerint, & exultent in rebus pessimis. Impius (inquit Sapiens) cum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Hoc nuper dicebamus dum de consolante luctu sermo habitus est, de quo intulimus quod pro statu præsentis materię, ille regulariter est luctu bono plenior, qui & iustior. Cuius ratio liquida est, apprehendit quippe synceriori intimiorique vnitate sensus, disconuenientem amaritudinem malorum inhonestorum in se aut in alijs, sicut Christus, quo nullus mortalium magis luxit, aut in se quoad formale peccati infuit, aut in alijs quoad reatum & peccati sequelas quas nondum expurgatas esse cognoscit. Denique quoad tentationis noxias & onerosas passiones ad inhonestatem assiduè stimulantes, addam quod aliquibus mirum videtur, pœnitentes plus consolantur quo plus se tristari pœnitendo cognouerunt, obedientes dicto Augustini: Pœnitens doleat & de dolore suo gaudeat. Quidni doleant? Apprehendunt enim dolorem suum, vt bonum iustum & conuenientis, honestatis, vtilitatisque præcipuæ existentem. Quod præterea ex his consequens est apparebit aliquibus magis extraneum, eodem videlicet tempore pœnitentem animam lętari & tristari, diuersis tamen respectibus ad exemplar Christi.

Offert se nihilominus obiectio difficilis, qua sc. ratione dilectio & tristicia etiam solum disparatè non contrariè simul insint, afficientes eandem animam, quoniam ad effectus oppositos trahunt, vt puta læticia cor dilatat, & dolor stringit ipsum. Idem verò cor simul dilatari & constringi quis non negauerit? Pro responsione visum est aliquibus non improbabiliter læticias spirituales aut tristicias nequaquam fieri cum motu corporis, quemadmodum earum generatio corporis organum non exigit. Hoc tenet Gerardus Odonis, super secundo Ethicorum, veruntamen saluare difficile est, quin saltem redundantia fiat in inferiores vires ex actibus superiorum, sicut è conuerso virium inferiorum superiores affici quotidie compertum est. Quid igitur? Inueniemus fortassis in corde motum quendam mediū, quasi tremulum, consequentem ad duas motiones istas simul obuiantes, vel ex aduerso per lætitiæ tristiciæque concursum. Cuius motus similitudinem docere nos videtur tinnitus campanarum, aut tremor funium sonantium in cythara. Sed pergat ad alia sermo noster, multa enim (quia festinat) præterire commodum.

A

Enumeremus vel breuiter ea quæ præcedunt, quæ comitantur, quæ deinceps subsequuntur ipsam pœnitentiam qualem sua descriptione manifestauimus. Et quoniam metaphorica locutio gratius erudit, dicamus per similitudinem quod pro pœnitentia exercitus multiplex militat, nouenarius scilicet terribilis vt castrorum acies ordinata. Exercitium primum constituimus ex omnibus motoribus occultis & latentibus, quos appellare solemus vel instinctus quosdam, vel spiritus, vel impulsus, vel inspirationes & præuentiones diuinas si bonæ sint, vel tentationes illusorias & immissiones per angelos malos, si malæ. Ex his pœnitentia iuuamen accipit plerumque contra reprobam & aduersam peccati aciem, dum bonos instinctus sequitur peruersis obnitens, eosque potenter opprimens. Per alterum exercitum pugnat pœnitentia à dextris & à sinistris iusticiæ, quoniam hic exercitus bipartitus est. Vnum cornu tenet prosperitas, in altero cornu aduersitas collocatur cum suis fortalicijs, quæ sunt fama & infamia, diuitiæ & inopia, potentia, impotentia, satietas, esuries, pax, bellum arrisio, irrisio, sanitas, infirmitas & similia, quæ nominamus fortunæ, vel bona vel mala. Hæc nempe omnia cooperantur pœnitenti in bonum. Sed plus regulariter aduersitas, sicut è contra impœnitens de omnibus sibi laqueos & menscipulas & incommoda operatur, & ex prosperitate amplius. Tertius exercitus est passionum omnium, quæ sunt spes, metus, mœror, odium, & similes, de quibus tradit Aristoteles 2. Ethicorum, & secundo Rethoricæ. Quarum duæ sunt principales in suo genere, sicut cæteras complectentes, delectatio & tristicia. Est autem delectatio motus animæ consurgens ex apprehensione obiecti per modum conuenientis. Tristicia verò est motus sequens ad apprehensionem obiecti per modum disconuenientis. Sub hoc exercitu comprehendo sequelas omnes, quæ se ex passionibus animæ per corporis motus & gestus produnt vt sunt gemitus, suspirium, planctus vel plangor, fletus, luctus, rugitus anxietas, angustia, subsannatio, stupor, horror, abominatio, nausea, amaritudo, fastidium, zelus, desperatio sui, iubilus cordis, exultatio, applausus, suspirium lætum, raptus, spasmus, extasis, fiducia. Milites quartæ aciei sunt virtutes Cardinales ordinatæ instar tetragoni.

B C D E F

Prudentia, temperantia, fortitudo, iusticia. Sub quibus plurimę virtutes nominantur, quibus omnibus vtitur ipsa pœnitentia, nunc vna, nunc alia. Ipsa prudentia accipit ad dirigendum actus suos in finem debitum cum medijs opportunis. Temperantia sibi obsequitur ad dirigendum vel sanandum ea quę per intemperantiam labefactata sordidataque & læsa cognouerit. Fortitudo denique & iusticia quantum sibi necessariæ opitulationis afferant, nemo non videt qui attendit

attendit quam viriliter agere contra aëreas potestates in cœlestibus, quam præterea pro iusticia longanimiter decertare pœnitentem necesse est. Quintæ aciei ascribit Deus pro pœnitentiæ subsidio tres virtutes Theologicas, fidem, spem atque charitatem. Nam qui credit horrendos peccantium cruciatus affuturos, ille lapideus est, si non moueatur ad pœnitendum. Qui præterea sperat interminabilem pro pœnitentia gloriam assequi quo pacto pœnitentiam à se depelleret? Denique charitas ostendens peccatori qualem amicum offenderit, & pro quanta vtilitate consequenda spreuerit, excitat enim (si non à recto sensu obtorpuit penitus) quatenus ad pœnitentiæ refugium tanquam singulare propiciatorium, & asylum migret fugiátque. Cæterum vobis ô dona septem sancti spiritus, sextam aciem consignamus, sicut septimam ipsis beatitudinibus, & octauam septem sacramentis ecclesiæ, & nonam septem dominicæ orationis petitionibus. Quoniam pœnitentia sicut per instinctus secretos agitatur ab intrinseco in prima acie, & per secundam acié bipertitam prosperitatis & aduersitatis excitatur ab extrinseco, & per passiones quæ tertiam aciem struunt, nunc hoc nunc illo modo commouetur.

Rursus per virtutes quartæ & quintæ aciei liberatur à peccatorum septenario, ita per dona expeditur contra eadem vitia: & per beatitudines perficitur ad bona exercenda & per sacramenta renouatur. Postremò per petitiones ipsa in suis omnibus quæ plurimæ sunt necessitatibus exauditur, vt tandem reformatis quinque sensibus degustentur suauissimi fructus spiritus, qui sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, constantia, continentia & castitas.

De his septenarijs pulchra est traditio domini Bonauenturæ in suo breuiloquio, parte quinta. Verum ista summatim attigisse suffecerit, longum quippe esset singula prosequi quæ super his nouem exercitibus dici & super alijs ipsam pœnitentiam vel adiuuantibus vel impedientibus tradi suppetunt. In nouissima lectione dictum est superbiam esse capitaneam in quolibet exercitu contrario pœnitentiæ, sicut humilitas coniungit, munit & stabilit quicquid pro pœnitentia militare tetigimus. Superbię verò duas esse filias, scholasticis aduersas, pridie docuimus remouendas curiositatem. s. & singularitatem ab hac sacra Theologię facultate & studentibus in ea. Attamen non pigebit vos si ad ea quæ agenda cognoscitis, agitisque, Deo propicio, vos rursus excitemini. Precor autem ego & per communem omnium matrem charitatem obtestor, ne quis existimet me velle cuiquam doctori vel personæ vel religioni detrahere. Aduertat Deus à me seruo suo, & ab omnibus hominibus hanc maleuolam, liuidamq; temeritatem, Quid ergo? Ego certè libera voce profiteor, proclamo, suadeo & affirmo doctrinas multorum cæteris præferendas esse, illas videlicet quæ de propiori charitatem ædificat quæ est finis omnis scientiæ, immo omnis consummationis. Omnis consummationis vidi finem, glossa vna, charitatem. Denique si conuertatur intuitus ad officium cui indignus deseruio, minus videbitur inculpandum, si diuerticula quędam sequens ego paucissimas lectiones meas talibus monitionibus aut considerationibus moralibus respersero.

A

Secunda consideratio.

Signum curiosæ singularitatis est fastidire doctrinas resolutas & plenè discussas & ad ignotas vel non examinatas velle conuerti. Indignatur quippe singularitas communibus & paratis vti, quamquam salubrioribus, præterea nititur in vetitum, non fert quoque seipsam cæteris vel postponi vel æquari. Ea propter dum inuenta veritate aliud quærit singularitas velut in scirpo nodum, aut in oue quintum pedem, vt mendacium inueniat, consequens est.

B

Hanc esse magnam aut præcipuam causam existimo, cur opiniones totiens reuertuntur & mutantur. Mauult enim curiositas quærere inuenienda, quam inuenta cum veneratione studiosa intelligere. Narrat simile Lactantius libro de ira, de quibusdam philosophis. Qui videntes nihil posse in opus offerre vltra ea quæ antecessores optima tradiderant, ipsi maligna superbáque curiositate cõuersi sunt, vt ea vel negare vel in dubium reducere præsumerent. Hæc similis non ratio sed furia multos olim ad hæreses seminandas rapuit. Postmodum alios ad scrutandum scrutationes inutiles, specie subtilitatis & nouitatis allicientes impulit, dum viderunt nescire se quicquam nouum addere iam inuentis doctrinis vtilibus & solidis, nisi noua quædam & insolita prurientibus quorundam auribus scalpendis ingererent. Atverò blanditur curiositas sibi, quod miseri ingenij est vti semper inuentis, & nunquam inueniendis. Sed planè nemo bene vtetur inueniendis, qui melius iam inuenta contempserit. Tollatur ergo hoc signum curiositatis, quod est fastidire &c. sicut in consideratione positum est.

C

D

Tertia consideratio.

Signum curiosæ singularitatis est indebita doctorum & doctrinarum appropriatio. Si vnus dominus, vna fides, vna lex. Si rursus veritas communis est, à quocunque dicatur, à spiritusancto est. Quorsum tendit hæc animosa affectio apud diuersos status & ordines Christianorum, quod iste plus quam ille doctor ab istis & non illis defenditur, colitur, antefertur? Si quidem fieret studio solius veritatis absque fermento vanitatis, bene fieret. Differt enim doctor à doctore sicut stella à stella, hoc scio, hoc commoneo. Sed si ista syncerè fieri, facta interrogaueris, ipsa magnis vocibus contradicere audies. Si aliquis dixerit exempli gratia de Scoto vel de Ripa, vel de alio doctore fratrum minorum, doctor iste minus bene sensit in hac & in hac materia. Videbimus protinus secundum varietatem ordinum, varietates affectionum & gestuum, his indignantibus & contra niti paratis, alijs congratulantibus atque fauentibus, vt vel dominum Hugolinum vel de Tarentasia mox intuebimur, mutata esse omnia versa vice mortalium. Hæc nonne sunt indicia & vanitatis quædam vestigia singularitate intrinsecus & palliata extrinsecus, vmbra veritatis afficit, & non aut nuda, aut sola veritas adamatur. Quæ singularitas,

E

F

doctorum & doctrinarum, quantam fenestram aperiat ad errores in fide, ad schismata & contentiones in Christiana religione, videt qui videt; per eam fit vt affectio deprauet intellectum speculatiuum, quemadmodum per eam intellectus practicus quotidie perturbatur. Vtrobique enim par est ratio, nisi quod in illo vana gloria malum subtilissimum & efficacissimum regnat, in isto brutalis cuiusdam dilectionis appetitus magis ad errorem operatur. Hanc subuersionis viam notat & remouet textus noster, coniungens pœnitentiam humilem cum credulitate. Pœnitemini ait & credite euangelio.

Quarta consideratio.

Patres nostri curiositatis venenum tollere volentes, sanctè statuerunt, vt neque apud artistas materiæ purè Theologicales, neque apud Theologos, materiæ purè Logicales, aut Philosophicæ disputarentur. Admonet nos hæc consideratio solerter quid cuique ætati & loco & tempori & professioni sit congruum. Seneca irridet senem elementarium qui non ex officio (hoc enim culpa caret) sed qui sciendi studio solis insudat Grammaticæ rudimentis. Puerum verò talibus insistentem quis non dico non riserit, sed non etiam laudauerit? Hoc modo de Logica, hoc modo de Mathematica & Physica & cæteris scientijs sentiendum æstimo quod certas ætates & ingenia & loca & tempora postulant, si nolunt dediti eis de stulta aut superba curiositate culpari.

Regulam præscribit Seneca quod tandiu in minoribus studijs immorandum est, quamdiu non habet homo quid honestius & salubrius tunc faciat circunstantijs omnibus hinc inde pensatis. Ecce profiteris te velle fieri Theologum, bene habet perscrutare igitur & lege quæ Theologica sunt. Sed non sum inquies ad altas eius veritates capescendas idoneus, nisi præsciuero Logicam & Philosophiam & Metaphysicam. Credo equidem verum si ita esse consentis, tu nondum Theologus quæras fieri, sed vel Logicus vel Philosophus, pete scholas artium hæc docentes. Quod enim & confusè fit ac rectum, deserit ordinem, vt fine debito careat necesse est. Quod si piget pudérque aut nocet repuerascere ad talia, & tempus reliquæ ætatis conterere. Esto contentus (si sapis primò immo vt sapias) sorte tua & materias sine Logica aut Philosophia intelligibiles, apprehende. Idem de Rethoricis & Poëticis & Mathematicis scientijs iudico, quarum noticia nonnihil ancillatur Theologiæ, nonnihil quoque sibi præstat ornamenti. Domina quippe est. Nulla omnino scientia reperitur si casta est, quæ non eidem obsequatur, quæ autem impudica & errore vitiata sordescit, quia loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum eius. Sed habet (vt diximus) quælibet aliarum scientiarum suas scholas, sua loca, ætates & tempora. Cedant igitur Theologiæ, nec eius scholis importunitate quærendi semet ingerant. Quoniam ad conspectum dominæ mos æquus est venire ancillas paratas & ornatas, non parandas.

Hac consideratione notantur hi qui Theologicos libros & scholas aut replent sophismatibus.

Et plus quam satis est scientias peregrinas introducunt, maximè si figuratiuum illud domini iussum prætereatur de radendis vnguibus & capillis, hoc est superfluis traditionibus captiua prius quam coniugio copuletur à gentili. Atverò quæret aliquis, quales materiæ dicendæ sint propriè & purè Theplogicæ? Respondeat, non ego sed Augustinus quod ille per quas fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Fides, spes & charitas, quemadmodum solum nominantur, & sunt virtutes Theologicæ, ita materia illa propriè dicenda est Theologica, quæ fidem ædificat, spem erigit, charitatem inflammat. Propterea pœnitentibus dictum est non vt conquirant dispositionem orbis terrarum & cœli & syderum. Pœnitemini ait & credite euangelio. Deut. 4. notatum est.

Quinta consideratio.

Signum curiositatis & singularitatis pœnitentiam atque credulitatem impedientis apud scholasticos, est gaudere potius in impugnatione doctorum, aut in defensione vnius pertinaci, quam ad eorum dicta concordanda operam dare. Intolerabilem itaque esse dicit Guillelmus Parisiensis, confestim iudicare sapientissimos inquisitores veritatis errauisse. Quod intelligo nisi prius diligentissima perscrutatione habita cognoscatur eorum positio in nullo posse defendi.

Quot sunt obsecro positiones quas homines ad pauca aspicientes enunciant de facili contrarias atque repugnantes, quibus amica quadam familiaritate collatis, ipsæ inueniuntur sub diuersa voce, sententia & corde concordes, quas nonne satius est ad pacem quam rixam perpetuam inducere. Hoc autem quo pacto fiat, sciunt illi qui nouerunt sub quadam iudicij æquitate tribuere vnicuique positioni quod suum est. Nihil verò cuiuis inquisitori veritatis suum est nisi veritas. Propterea examinetur diligenter quælibet positio seorsum, resoluendo non solum, qualibus verbis vtitur, sed qualem in verbis sententiam intenderit aut intendere debuerit. Hoc ipsum inter alios studiosè facere mihi videtur deuotus & eleuatus doctor Bonauentura, dum sæpius ex multarum positionum collatione vnam elicit. Eas quoque in quodam studij consulatorio eliciens & purgans vnit. Dicit Lactantius de quatuor passionibus loquens. An in virum iustum cadant, quod Peripatetici sub compendio attingunt veritatem, quam longo circuitu verborum Stoici vix assequuntur. Hoc certè verum esse didici tum ex multis, tum nominatim ex libris Senecæ de ira, vbi (Stoicus fuit ipse ibidem) quamquam contrarios Peripateticis loquẽdi modos habeat, attamen in hanc de necessitate, & si refugiat, cadit veritatem, qua victus passionem iræ non radicitus tollit, sed eam moderatur. Fortissimi inquit militis Pauli genua tremuerunt, & reliqua. Sanè mihi videor videre similiter se habere in multis Theologiæ materijs, nominatim in illa quæ iam vulgariter de formalitatibus appellatur. Afferunt itaque formalisantes multam & sonoram

nouis

nouis auribus vocabulorum varietatem, intendentes (vt æstimo) sublimius erigere aciem intellectus ad rerum quidditates intuendas, & volentes animam apud se conceptibus suis iugiter negotiari. Conantur præterea intellectum subducere cum consuetudine cognoscendi res solum materiales & grossas, denudare præterea quidditates à confusione accidentium, vt sunt situs, locus, figura, tempus, & similia, quatenus abstractis omnibus his velut extrinseca veste, remaneat nuda quidditas rei, & talem se mentis oculo repræsentet. Hanc verò intentionem si dixero me reprobare, mentiar. Laudo eam quantum valeo, & approbo. Sic tamen laudo & approbo, quod iudicio meo longior ipsorum deductio necessariò cadit in resolutionem qualem Logici tradunt. Nimirum quod Logica est ad omnium methodorum principia viam habens. Per quam Logicam verum à falso secernitur, per quam loquendi seruatur proprietas, si quis abiecerit velut inutilem, & non prorsus necessariam, mirabor si non falso sermone & improprio loquuturus est, & se mille & mille perplexitatibus gratis inuoluturus. Neque enim ob aliud æstimo Aristotelem cum de Metaphysica tractaret, instituisse Logicam, sicut huiusmodi eius liber ostendit, nisi vt hoc quod diximus, ita se habere daret intelligi. Nihilominus fateor ne quaquam omnia ad Logicam solam debere referri, habet Metaphysica suas considerationes. Scio vtrobique vitium esse, & Metaphysicæ vbi Logica vti consueuit & Logicam solam quærere vbi Metaphysica tractanda est. Attamen verè & propriè loqui intra vel extra nunquam absque Logicę proprietate Logicè valebimus. Venerabilis magister & venerandus doctor Henricus de Huta (qui pro sui merito veteribus æquari, & inter eruditissimos Logicos, Metaphysicos & Theologos numerari potest) dum hanc materiam tractaret, ad concordiam conatus est extrema reducere, quæstione septima primi, corollario vltimo. Scotus distinctione secunda, quæstione prima & vltima, potest vocari hæc distinctio virtualis, quia illud quod habet talem distinctionem in se, non habet rem & rem, sed est vna res habens virtualiter siue præeminenter quasi duas realitates, voco identitatem formalem vbi illud quod dicitur, sicut idem includit illud cui sic est idem in ratione sua formali, & per se primò.

Nunquid ergo debet concedi ista distinctio, melius est vti ista negatiua, hoc non est formaliter idem quam hoc est sic & sic distinctum. Distinctio tertia tertij, quæstione prima. Et si arguas. Maria in primo instanti naturæ veræ intelligitur iusta. Dico quod non, sed non intelligitur iusta, & abstrahentium non est mendacium, secundo Physicorum, quia non omnis non intelligens hoc intelliget non hoc, vt non intelligens hominem esse animal, intelligit ipsum non animal, quia tunc non posset esse abstractio sine mendacio, auferendo ab aliquo quod sibi essentialiter inest.

Placuit huius doctoris inter cæteros meminisse dum hæc loquor magis monitione doctrinali quam subtili inquisitione, quoniam ipse doctor non singularitate contentiosa vincendi, sed humilitate concordandi vti mihi visus est, qualem
A conditionem iam laudabilem esse diximus. Et si doctoris istius mentio repellatur ab altera partium, ipsa viderit quam verè & sobriè id faciet, ego neque scio, neque præsumo aliter dicere, nec aliter video, quam quod resolutio Scoti & suorum stet cum pietate fidei & essentiæ diuinæ vnitate, nisi sistat tandem ad illud ad quod doctor iste duxit eum. Vnde fides saluberrima & omnis Metaphysica tradit nobis quod Deus est simplicissimus in supremo simplicitatis gradu, supra
B quam imaginari sufficimus. Hoc dato, quid opus est ipsam vnitissimam essentiam per formas Metaphysicales vel quidditates, vel rationes ideales, vel alias mille imaginandi vias secernere, diuidere, constituere, præscindere ex parte rei vt dicunt, & non ex intellectus negociatione circa eam. Deus sancte, quot ibi prioritates, quot instantia, quot signa, quot modeitates, quot rationes aliqui vltra Scotum condistinguunt, iam mille codices talibus impleti sunt, adeò vt longa ætas hominum eos vix sufficit le-
C gere, ne dicam intelligere. Quis enim intelligibilia & falsa & sibi dissona vnquam intelligat, qualia hæc sunt, si non nobiscum tandem conueniunt. Ita quidem contentiosi dum Logicos culpant, vocantes eos qui secum non sentiunt, terministas, ipsi longè grandiorem terminorum congeriem multiplicare compelluntur. Sed dicunt quod maior distinctio quam formalis stat cum summa simplicitate diuina, distinctio scilicet personarum. Hoc ego pia & sola fide teneo,
D nunquam hoc assertурus nisi fides edoceret. Addunt quod per huiusmodi signa præcisiua, per prioritates tales & posterioritates, per distinctiones formales ex natura rei; satisfactio fit in hac materia Trinitatis, & non per Logicam solam. Sed satisfactionem appellant meritoriam huius articuli, ipsi planè nimis arrogant sibi, quia nec angeli sibijpsis satisfaciunt. Verè enim canit ecclesia, quod mirantur & deficiunt in illum quem prospiciunt. Nescio quid alij sentiunt in hac re.
E Ego planè fateor quod istorum positio, si det aliud quam debita resolutio, conturbat amplius & obnubilat quantulamcunque intelligentiam meam quam articulus principalis Trinitatis. Concipere itaque quod in diuinis sit aliquod esse formale, vt puta esse formale iusticiæ, quod non sit perfectio finita nec infinita, aut quod dicitur immensa à bonitate diuina, vt Ripa posuit, istud parit in animo meo maiorem difficultatem quam sit illa propter quam elucidandam ista talia reperiuntur, imo nequeo non vide-
F re ista palam esse erronea. Ego præterea non sum solus dudum vnus è prędecessoribus meis, & sacra Theologię Facultas notabilem fecerunt super hac materia determinationem in qua ponitur articulus iste inter cęteros. Quod aliquid in diuinis sit Deus secundum suum esse reale, quod non sit Deus secundum suum esse, error est ad sensum quem facit. Legatur hæc tota reuocatio. Quidam ex magistris dum semel interrogaretur quid consequenter esset respondendum si præscinderetur ex parte rei bonitas diuina à sapientia diuina,

dic inquit quod volueris & quod in illa est Deus. O præclara & vera responsio. Sed vereor ne curiositatem increpans, in eandem me demergam, dum studeo eos quos Scotistas appellamus, ad concordiam cum alijs doctoribus adducere, quorum certè numerus longè maior est & multitudine & autoritate. Vtinam iuxta monitionem facultatis nuper factam parcius ista materia & similes pro hac vel illa discuterentur parte, & salubrioribus veritatibus inuestigandis lumen nostræ rationis donaremus. Prouideremus insuper nouis theologizātibus qui per tales materias magis ad admirationem & de admiratione ad curiosam perscrutationem quam ad ædificationem solidam commouentur. Nam si nos in theologia vsitati & nutriti dum Scoto vel Ripæ vel alteri simili non consentimus, hoc ideo facimus vt dicere solent aliqui quia grossi sumus intellectus, nec accipimus quid intenderit, qua ratione precor, expectant, quod adolescentes & nouelli tali comprehendant? Quid aliud insuper agitur, nisi vt inane & inutile sit eis, quicquid operæ in studio Logicæ consumpserunt, quando nouos loquendi modos eos accipere necesse est. Quanto salubrius est in tanta temporis angustia, in tanta egestate virtutum, ebullientibus vndique passionibus, prædicaretur eis initium sermonum saluatoris nostri Dei: Pœnitemini & credite euangelio. Quoniam pœnitentes & credentes euangelio magis attendunt scientiam quę ædificat, quam quæ inflat, & quæ vanos quandoque reddit, quia vana est, insulsos & insipidos, quia in sola est, curiosos & elatos, quia in multis curiosa & elata.

Sexta consideratio.

Gaudere nouis adinuentionibus terminorum in materijs speculatiuis Theologiæ, præsertim diuinitatis arcanum tangentibus, curiositas est perniciosa & tollenda, tanquam etiam pœnitentię & credulitati contraria. Liberis verbis inquit Augustinus loquuntur Philosophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis, offensionem piarum aurium non pertimescunt, nobis autem ad certam regulam loqui fas est. Similiter Dionysius primo de diuinis nominibus. Animaduerterunt hoc cæteri patres & doctores ecclesiæ in conciliorum celebratione, qui non solum sententias, sed verba etiam sententijs conuenientia perscrutabilissima sedulitate librantes ea ad paucos & & certos terminos frenata loquendi libertate redegerunt. Testimonia hæc ex Hieronymo & Basilio & cæteris multis, de hoc nomine homousion & alijs. Quamobrem dum terminos quosdam apud aliquem ex doctoribus approbatis inuenimus, non vsitatos in schola, illos introducere non debemus, nisi pia & reuerenti resolutione præuia, vt dicendo, terminus iste à tali sic accipiebatur, qui scilicet vsus vel quia vsus communis aliter accipit, cauenda est audientium offensio in diuinis. Exempli gratia. Nihil prius aut posterius, nihil magis aut minus, hæc est fides catholica. Si doctores vsi sunt terminis prioritatem aut maioritatem signantibus in diuinis, protinus eos resoluere oportet ad hanc vnicam & stabilem fidei regulam, quod filius est à patre, & spiritussanctus est à patre & filio, & pater à nullo, & quod in diuina omnia sunt idem, vbi non obuiat relationis oppositio, si mille milia terminorum

A adduxeris ad explicandum hoc fidei secretum, nihil amplius si non vis errare cognosces quam istam vnicam, & paucissimis verbis explicatam veritatem. Augustinus, Damascenus, & venerabilis Richardus nomen hoc causa, in diuinis admiserunt, pater est causa filij. Hilarius dicit quod pater maior est auctoritate. Augustinus in confessionibus, ponit in Deo gradus & ordinem, dicit Deum assumpsisse hominem immo hoc ecclesiæ canticum solemne habet: Tu ad liberandum suscepturus hominem

B &c. Et hoc modo de multis alijs apud istos & alios exempla suppetunt. Attamen Scotus in inquisitione veritatis vbi preciosissima sobrietate loqui conuenit neque debet neque fas habet tales afferre terminos prohibente hanc audaciam ratione & superioris auctoritate. Datur ergo regula generalis, quod nullus terminus admittendus est in diuinis, qui vel distinctionem importet vel primæuitatem nisi solam distinctionem & prioritatem originis, & quod hanc dicat abs-

C que importatione vel connotatione imperfectionis cuiuscunque vel dissimilitudinis vel inæqualitatis in suo correlatiuo. Exprimitur autem prioritas originis hoc modo, & quod hoc est ab illo, prioritas autem attributa explicatur per hoc quod inter ea non conuertitur subsistendi consequentia. Hanc enim prioritatem explicauit philosophus in Metaphysica. Ex hac regula liquidum est quod pauci termini signantes prioritatem quamcunque in humanis trahendi sunt

D ad diuina. Cuius ratio est, quia ferè semper in humanis consignant imperfectionem vel inæqualitatem vel dissimilitudinem. Quod si quis dixerit quod ipse dum terminos aliquos transfert ad diuina, illos denudat ab omni imperfectione connotata per eos. Respondeo quod sic agendo non errat in sententia, sed licentiam vsurpat quam non debet, alioquin nullus est terminus qui non traduci possit ad diuina. Vnde quid minus dici potest quam quod pater est Dominus filij quod est caput eius, quod est rector eius, & ta-

E men si terminos istos dominus, caput, rector, magister, resolueremus quod signarent tantummodo primæuitatem originatiuam quam habet respectu filij seclusa imperfectione per correlatiua istorum terminorum importata, nullus dubitaret de istius scientiæ veritate, quoniam in eandem cadit nobiscum confessionem. Addo adhuc tum pro exemplo, tum pro necessario documento & non causa vituperij cuiuscunque, testis est veritas. Reperio quod quidam transferentes. Dionysium de Græco in Latinum, pro eodem

F accipiunt principium non de principio, & hoc nomen princeps vel principale. Vbi enim textus primo capitulo angelicæ hierarchiæ, secundum vnam translationem habet patris, principis, luminis. Dominus Linconiensis qui Græci eloquij peritus fuit, dicit Græcum hic positum esse vnum nomen Archifactio, quod significat quantū hæc duo nomina, principium non de principio, vel lumen non de lumine, ita quod ly principis, ibidem est adiectiuum, ac si dicetur principalis.

Hæc sententia vero errore refutata est, quod pater sit principale lumen.

At-

Attamen quia loquutio ista, pater est princeps luminis.i.filij, apud nos, immo & apud eundem Dionysium, cum de cœlesti principatu pluries loquitur, notat in hoc nomine princeps, substantiuè sumpto, subiectionem ad principatum, nullomodo debet absolutè cōcedi vel propriè, quod pater est princeps filij neq; similes, quemadmodum latiori prosecutione tradi posset. Etenim si pacta syllabarum tanta sedulitate seruant inter se grammatici, vt ait Augustinus, quanta nos vrgere debet cura vt pacta certa terminorum, cum de diuinis loquimur, obseruemus.

Ex hac consideratione maximè moti sunt magistri nostri & ego, ne doctrina illa Raymundi Lullij publicetur, habet enim terminos à nullo doctore vsitatos.

Septima consideratio.

Fundamenta nimio studio accipere à philosophantibus paganis, curiositas est in theologica eruditione periculosa, & tanquam ademptrix pœnitentiæ & credulitatis euitanda. Tradunt hi qui conuersationem & doctrinam Origenis conscripserunt, quod nimis biberat de aureo calice Babylonis. Calicem Babylonis aureum philosophiam non qualemcumq; (absit) sed philosophiã gentilium appellantes. Hic potest inferri quod Haymon posuit, Auicenna & Algazel, & multi infidelium, quia pro principio habuerunt, ex vno inquantum vnum non prouire nisi vnum. Posuerunt consequenter solam intelligentiam secundam à prima causari. Et hoc erroneum principium (ita enim Albertus verè nominat) quidã ex nostris non satis forte repudiantes, prolapsi sunt vt ponerent distinctiones inter essentialia in diuinis, non quidem reales (hoc enim dicere non ausi sunt) sed quod idem apud multos sonat, distinctiones ex natura rei quasi non perfectius iudicare debeat, si eadem res & eodem modo penitus se habens, sit productiua diuersorum, quam arguere ex distinctione causatorum distinctionẽ in causa suprema, præsertim cum distinctio si realis non est, nihil operari videtur ad distincta realiter producenda. Quod si trahere nitantur pro sua sententia Augustinum, quod alia ratione conditus est homo, alia equus. Respondeo quod resoluendus est reuerenter sicut & in cæteris multis, & residerium doctores innumera sibi tradiderũt, absque casu in hoc absurdum principium. Cæterum Aristoteles in 8.physicorum aliud assumpsit erroneum principium, quod voluntas nequit diuersa & noua producere nisi diuersa & noua esse habeat. Quidam ex nostris per hoc libertati arbitrij in Deo & in nobis detraxerunt.

Rursus Plato volens abstrahere quidditates rerum æternas, sicut ideam hominis separatam quæ erat quidditas omnium hominum, ideam boni & vniuersalia realia extra animam & Deum æterna, si verum sit quod ei imponitur. Quidam ex nostris volentes talibus abstractionibus vti, corruũt in hunc errorem, sed solum peripatheticæ & catholicæ scholæ contrarium ponunt. Itaque quidditates rerum æternas, quæ nec sunt Deus, nec productæ à Deo, nec producibiles, aut annihilabiles à Deo ponere, est contra articulum Parisiensem tempore Guillelmi Parisiensis & Bonauenturæ, sicut recitat.23.dist.secundæ. Alioquin fictus esset inquiunt, noster conceptus speculatiuus & quidditatiuus, si non tale aliquid sibi in re correspond eret quale concipit. Sed non accepi tales omnes positiones vel recitare vel refellere, de aliquibus solum admonuisse satis fuerit. Forte controuersiam totam solueremus, distinctione factã de analogia huius nominis ens, quæ tam latè à sãcto Thoma, supra quartum metaphysicæ in principio ponitur, vt ad possibilia & obiectalia, immò negationes & priuationes, eam dicat extendi. Sicut Gregorius significabilia ad tertium entitatis modum resoluere conatus est. Ita forte contrarietas de realibus an sint res distinctę vel non, cōcordaretur ex facili apud illos qui non tam contendere quam verum quærere parati sunt.

Postremò omnibus omissis quæ Christianam pietatem vel offendunt, vel non ædificant, paratiores simus pœnitere & credere euangelio, quam in talibus plus æquo tempus atterere. Deseratur qualiscunque (si inutilis est) acutissima subtilitas, quid enim arista acutius, quid araneaũ tela subtilius? Verumetiã quid inutilius inuenitur? Discamus non tam disputare quam viuere, memores finis nostri. Quidã aduocatus tẽpore suo famatissimus quem vos ferè omnes nouisse potuistis, dũ moriens suasus est septem psalmos pœnitentiales dicere, inchoauit. Domine ne in furore tuo &c. vsque ad locum illum. Quoniam nõ est in morte qui memor sit tui &c. Ad hunc versiculum conuertit ille oculos ad cōfessorem suum magistrum in theologia qui aderat, qualiter inquit ipse quo potuit spiritu, qualiter hoc in veritate stabit, vt nullus Dei memoretur in morte? Nunquid non ergo moriens Dei mei possum recordari? Hoc audiens præfatus magister, compescuit eum cum modestia dicens, non esse hanc horam disputãdi sed orandi, & finem suum Domino commendandi. Animaduertitis æstimo, quorsum pergat hæc narratio. Omnes itaque morimur & tamen insuper nescio qualibus quæstiunculis tam crebra & inutili argumentatione occupati, diem exitus nostri nequaquam attendimus. Porrò similes efficimur eis quos notauit apostolus ad discipulum suum charissimum Timotheum scribens, vt denunciaret quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis quæ quæstiones magis pręstant quam ędificationem Dei est in fide. Finis autem pręcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, à quibus aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes quę loquuntur neque quę affirmant.

Octaua consideratio.

Contemnere claras & solidas doctrinas, quæ leues videntur, & ad obscuriores se transferre, signũ est curiositatis & originalis corruptelæ, pœnitentiæ & credulitati aduersæ. Nulla est in omni doctrina maior virtus quam claritas, neque euidentius aliud habetur excellentis ingenij & clari argumentum quam ex claritate dictorum vel scriptorum. Obscurum siquidem ingenium & confusum impossibile est vt perspicuè & resolutè quicquam edoceat. Verumtamẽ apud multorum curiositatem tanta est iudicij corruptio, quale in me aliàs fuisse non nego, quod latinitas aliqua vel stylus eò iudicetur pulchrior, quò difficilior, &

quò turgidior,& ex consequenti vitiosior,eò elegantior appareat,cum longè aliter sit. Omnis enim oratio quanto clarior tanto est speciosior,atque laudabilior,nisi forte abiecta omni elegantia & accuratione tota sordeat, langueat, & effluat. Est autē claritas elucidationis in aliquo idiomate attendenda iudicio illorum qui vim illius idiomatis agnoscere debent, & non eorum vt sunt pueri qui de idiomate pauca verba cognouerunt. Alios inuenimus quos claritas & leuitas doctrinę confestim ducit ad nauseam,& nihil alta profundáque subtilitate dictum putant, nisi quod non intelligūt,aut nisi quod summa cum difficultate, & cum damnosa temporis impensa tandem inueniunt. Sciemus inquiunt,ista leuia mox vt voluerimus,& non aduertunt,quod interim ætas irreditura labitur,quod ingenium alijs superuacuis consumitur,quod oneratur memoria, ac perinde capacitas vtilioribus ad implenda vel minuitur vel perditur. Ideo inquit Seneca,necessaria nesciunt, quia superuacua didicerunt. Quod si cognoscerent quam verum est illud pueris decantatum: Rara datur longo prudentia temporis vsu. Si saperent insuper quam pauca ex comparatione sciendorum eos cognoscere & ad vnum sentire & retinere, dabitur inquam etiam cum vocauerint,affirmo,si sobrij sint, si suæ salutis memores sint,si denique ecclesiæ & christiano populo profuturos se præpararent ipsi temperantius dispensarent tempus rem omnium charissimam, & his vtilioribus semetipsos integrius & citius dedicarent. Has loquor doctrinas,quarum gustus intimior verè difficilior est ad habendum sicut ipse absque dubitatione preciosior, suauior, beatior atque diuinior. De talibus est doctrina Christi in euangelijs nominatim in hoc suæ prædicationis exordio. Pœnitemini & credite euangelio. Notat hæc consideratio eos theologos, qui vel grammaticis autoribus, vel historijs secularibus, vel poëtis, vel eloquentiæ priscorum oratorum, vel mathematicis inquisitionibus principalius insistunt quam theologicis materijs, facientes de accessoria principale. Si autem aliquis theologizans talibus vel delectetur vel vtatur solum in transitu,& pro sua vel aliorum quadam interim recreatione, hæc laudanda est, quæ & recreat animum fessum in theologico studio, & nonnihil affert eruditionis & ornatus.

Nona consideratio.

Pręsumptuosa curiositas & singularitas in omni scientia causat de facili scissuram & ex consequēti destructionem in eodem. Figuram huius considerationis præbet nobis ædificatio illa turris Babel,quam linguarum scissura confudit & perdidit,sicut per contrarium vnitas linguarum ecclesiasticum ędificium stabiliuit. Hoc conuenit cum sexta consideratione, sed ad minus pro remedio expediēs esset doctrinas omnes in theologia omniaque exercitia publicè fieri iuxta statutum antiquum vniuersitatis, nuper in sacra theologiæ facultate renouatum.

Amplius deduceretur ex istis expedire vnicum studium esse theologiæ generale in tota ecclesia, aut saltem in tota Gallia.

Hæc fuit aliàs suppositio facultatis theologiæ cum additionibus rationum, quarum potissimam deputo, euitationem confusionis doctrinarum, vt sicut est vna fides, & vnum caput in spiritualibus, sic sit vnicus & præcipuus studij theologiæ fons incorruptus, à quo cætera theologiæ studia velut riuuli deriuentur.

Rursus sequitur ex pręmissis prohibendam esse vulgarem translationem librorum sacrorum nostræ bibliæ præsertim extra moralitates & historias. Claras rationes ad hoc plurimas inuenire facile est. Rursus expediret pauciores esse aut electiores prædicatores verbi Dei ad populum, qui non adulterarent verbum Dei modis (nescio quibus) viciosissimis prædicandi. Si enim res omniū difficillima, arduissima & sanctissima commissa est passim multis inscijs, incompositis, dissolutis, quid mirandum si scandala potius in ardentibus & prædicantibus quam ædificatio solida suscitentur? Dicebat Pythagoras, neminem debere progredi ad regendum rem publicam, nisi prius in moribus exercitatum & probatum. Huius meminit Augustinus in libro de ordine. Quanto amplius hoc in prædicatione verbi diuini debuerat obseruari? In confessionibus audiendis non minus, immo & amplius, quò ibi est licentia minus remedij habens in errato.

Denique cohibendi viderentur theologi, non tractare materias præcipuè speculatiuas, præsentibus alijs de alijs facultatibus, præsertim si termini sint eis incogniti siue peregrini, aut quadam adinuentione cōficti. Ob hanc quippe rationem notamur nos theologi esse phantastici quia non attendimus quæ & qualia, coram quibus & qualibus in nostris actibus afferamus. Dicerem hic aliqua de modo legendi sententias, absq; tali fabricatione noua lecturarum multiplicatarum super numerum quæ plus afferunt tædiosi laboris plusque confusionis quam ædificationis fructuosæ.

Sed videri posset oratio nimis ad diuerticula declinare. Hæc sunt interim dicta pro euitatione curiositatis multiplicis quæ nonnunquam impedit tam pœnitentiam quam fidei declarationem circa euangelium apud quosdam ex theologis scholasticis, ac perinde non sufficiēter obediunt, dicente Christo: Pœnitemini & credite euangelio.

Et sic est finis huius lectionis. Intelligentia clara & sapida eorum quę creduntur ex euangelio, quę vocatur theologia mystica, conquirenda est per pœnitentiam magis quam per solam humanam inuestigationem. Et circa hoc pertractabitur id, an magis per pœnitentem affectum quam per inuestigantem intellectum Deus in via cognoscatur.

TRACTATVS EIVSDEM DOCTORIS DE EO: AN LICEAT *christiano initia rerum obseruare ex cœlestium syderum respectu.*

NVESTIGEMVS breuiter & quantum proposito nostro satis est: An initia rerum fausta vel infausta, bona vel mala, valida seu inualida, ex cœlestium syderum respectu vel aliunde fiat, &

& multo magis, si christiano obseruare alia licitum est. Et quantum de primo vbi scilicet quid verum vel falsum est inquiritur, posset videri aliquibus solos in hac re audiendos esse qui in astronomia iudicatiua periti sunt, quia scie̅tiam quam ignorat aliquis qualiter approbabit aut affirmabit? Refellendum nihilominus quantum de illa cognosci datum est, & conformiter in eos qui in ea scienda maiorem dederu̅t operam, dicere possumus quod respectu effectuum qui liberum co̅cernunt arbitrium ars de his verè & infallibiliter iudicandi aut pronunciandi, non solum non data est, sed nec tradi quauislibet inuestigatione naturali potuit. Etenim vnicus ad artem illam si possibilis esset perueniendi modus, per viam experie̅tiarum conformiter & freque̅ter contingentium procederet. Sed qualiter ea quę sub libero cadunt arbitrio, inter experientias poterunt computari? Semper enim dicere poterimus ea quæ nunc iste cogitat vel quæ liberè agit aut patitur à puro libertatis arbitrio contingere. Verbi gratia. Dum luna tali planetę in tali signo iungebatur. Ioannes talia & talia cogitauit sic & sic voluntaria egit, quo pacto scire aut iudicare poterimus, quod non ex puro & mero libertatis arbitrio ista fuerit operatus potius quam ex superioris impulsu causantis. Quod si iudicare nesciuerimus, nec profectò ex talibus experientijs artem fabricare aut componere valebimus. Neque enim tales oppositum sentientes, negant (nisi admodum infideles sint) quin posita inclinatione superioris causantis, vsquequaq; possumus in oppositum, & quomodo scire eas datum est, cum principia huius quam dicunt artis venarentur, quod talis coniunctio aut constellatio ad talia agenda homines inclinabat, non à priori hoc agnouerunt, constat quod nec à posteriori arguendo per effectus ad causas, quia effectus isti ab alia causa puta à libero arbitrio totaliter poterant euenire. Hæc ratio bene deducta & ponderata multum inualidat & tollit possibilitatem talis artis respectu eorum quæ sunt liberi arbitrij. Præterea si nunc capiam initium cogitationis alicuius aut volitionis ad aliquid peragendum, & quæram secundum hoc aut prosperè cedet aut incommodè, quia primò sic suam in mentem & voluntatem euenit nulla prorsus ars, nisi temerariè & merè casualiter respondebit, & exinde monstratur artem de responsionibus per interrogationes penitus nullam esse. Similiter iudicare in futurorum possibilitatem per initia natiuitatum, aut aliarum quarumcunque rerum, vt peregrinationis, induitionis nouæ vestis, & nouæ assumptionis rei alterius, de eis quæ postmodum libero subsunt arbitrio, ex hac radice potenter refellimus. Quod si dixeris possibile saltem esse vt per initia rerum aliquarum de inclinationibus quas homo talis habebit ad hæc vel illa facie̅dum iudicemus, & si nulla de his faciet, quia in oppositum eorum ad quæ inclinatus est, sua libertate valebit operari. Istud non euadit difficultatem quæ tacta est, fatebimur fortassis esse possibile, vt hæc constellatio hominem initium viuendi nunc suscipientem ad hæc agenda fortiter inclinet, & quod per reuelationem Dei ars hoc sciendi foret possibilis. Sed non loquimur de his quæ reuelata sunt, sed quæ inuestigatio reperire potuit humana. Hanc verò artem vel principia eius probare volumus semper extitisse extra & supra totam humanæ inuestigationis facultatem. Ars quippe certa & regularis esse debet, voluntates autem hominum & cogitationes secundum quas deberet talis ars iudicatiua capere fundamentum, penitus incertæ sunt & variæ, vt ergo nulla sit naturaliter ars de eis, constantissimè fatendum est. Nunquid aduertimus post Christi natiuitatem (quæ vtiquæ miraculosa fuit, nec influentijs subiecta) quanta varietas in conditionibus, moribus & operibus hominum innumerabilium secuta est. Cuius attamen natiuitatis conditionem illi qui principia artis huiusmodi fundare conati sunt præuidere vt ista exciperent, minimè potuerunt. Accedit ad hoc constellationes esse plurimas, quarum nec similium euentus olim visus fuit, secundum quas iudicare dicta aut scripta non sufficiunt. Porrò secundum hunc ratiocinandi modum venari possumus impossibilitatem artis huius, etiam pro quanto respicit actus naturales, qui suam ex varietate materię diuersificationem recipiunt, quemadmodum doctor Augustinus quinto de ciuitate Dei, & secundo de doctrina christiana de duobus geminis ratiocinationem inuictissimam contexuit, quæ in monstro bicipiti forsan à calamitate remotior existeret. Constat itaque per historias verissimas monstrum fuisse in confinibus Britanniæ & Normaniæ, quod biceps erat non solum in corpore, sed (vt sic loquamur) in diuersa & aduersa volitionum duplicitate. Interrogatum quippe vnum de capitibus an continenter eligeret viuere. Respondit, continenter. Aliud ex aduerso incontinentem eligebat vitam. Et vidi cattum vnius capitis, in cæteris omnibus membris bicorporem. Quid hic poterunt iudiciorum huiusmodi & artis (quæ nulla est) defensores? Ecce hic homo vel hoc monstrum simile in capitibus suis cœpit initium & effectus diuersissimos. Si hanc in cœlo dicunt fuisse diuersitatem tantam, vt vnam è capitibus castum & continens, aliud lasciuiens & dissolutum esse mallet. Vnum insuper prius, & alterum post dimidium annum vita priuaretur, quæ regula, quæ ars, quæ experientia talem in cœlo animaduertere varietatem poterit? Verissimè igitur vidit, qui cœlum dicit esse agens quoddam vniuersale, respectu inferiorum effectuum quod secundum partium agentium aut passorum diuersificationem alteram & alteram causat operationem, vt sol idem prorsus ceram liquefacit, quia tale passum est, & lutum in duritiem consolidat, quemadmodum etiam anima eadem ex partibus materiæ fluxioribus carnem, ex alijs suo in corpore ossa progenuerat. Ignorata igitur materiæ & agentium particularium conditione, vt constellationum & influentiarum effectus nesciantur consequens est. Propterea nec ars per experientiam quamlibet, ex sola cœli consideratione tradi potuit, nisi passa age̅tiáque particularia quæ isti nihili pendunt, & qua mediante acutius inuestigant pręscita sint. Amplius autem de initialibus quæ obseruantur in vestibus induendis, in itineribus arripiendis & similibus, vltra prędicta est specialis difficultas, vnde fortunium vel infortuniu̅ obinde proueniat, & si hora hac qua vestis primò

induitur qualitas aggeneretur in veste, quæ vel in malum inclinet, vel in bonum, & quæ perpetuò cum veste perduret vel statim euanescat. Cur prętereа in initio potius quam secunda tertiave vicibus, & talia multa quæ bene deducta aut nullam aut absurdam apud philosophos recipiunt rationem, nec exitum inueniunt? Idcirco Aristoteles non incongruè politiam Socratis improbat, qui ædificandarum domuum aut ciuitatum obseruari præcipiebat initia. Rursum admisso eo quod cœlum in talibus initijs fortius agit aut influit (quod admittere friuolum est, nec ratione fulcitum) nihilominus necessitatem in hominibus nullam, sed tantummodo inclinationem adducit. Inclinatio autem non infinitæ virtutis est aut insuperabilis actiuitatis, poterit igitur aliunde contra agentibus fortibus impediri, fatebuntur hoc aduersarij, si catholici sunt, oportet fateri etiam eos consequens est vt ad priora reuertamur, quod de talibus ars certa solidave principia dari nequaquam potuerunt. Dubitare enim semper habebãt, an effectus prouenietes eo tunc quando obseruationibus suis & experientijs insistebant, tunc impedimentum huiusmodi vel aliud susciperent. Vidimus inquiunt, tali existente constellatione, initia rerum nouarum malo exitu fuisse terminata. Cõcedamus. Sed si per hanc experientiam etiam multiplicatam, artem vel principium quod vniuersaliter vel infallibiliter semper fore pronunciet, inferant, negabimus. Dicemus enim & rationabilissimè dicemus hunc vel hos effectus aliunde prouenisse, vel quod non dubium est aliunde causari potuisse. Quapropter sua vacillabunt assiduè principia quæ experientijs tam incertis nutantibus & varijs subnixa erunt. Ars igitur nulla est quẽadmodum de somnijs, quamquam per illa quæ à cœlo nituntur, diuinitus quis posset instrui, attamen naturalis ars per iudicia dari non potuit, propter incertitudinem causarum & varietatem à quibus assiduè proueniunt. Non ignoro quam facundius & copiosius argumentatio hæc currere posset, & quam vberior facundia & meliori radice à doctoribus catholicis fuerit executa. Sed hæc pro nunc de naturali impossibilitate constitutionis principiorum huius artis dicta sufficiant.

Diuertamus considerationem nostram ad id quod soli theologi aut præcipuè illi hac super re possunt cognoscere, de licito videlicet aut illicito vsu talium obseruationum. Et circa hoc fuit aperta & libera egregij doctoris Augustini sententia locis & præallegatis, & quarto confessionum omnia hæc superstitiosa esse christianis indigna, & à vera pietate ac religione prorsus auersa, quod de illis obseruationibus dictum accipio, ad tollendum calumniam, quę nec diuinæ reuelationi, nec apertæ rationi naturali quomodolibet innituntur? Neque enim negare possumus semina & plantas certis temporibus anni certis initijs vt germinent aut fructificent serenda plantandáque esse, & per coniecturas quasdam de ventis & pluuijs & cæteris impressionibus aëris multa generaliter prænosci posse. Sed aliud est de his in quibus aliqua & aliud de his in quibus nulla ratio naturalis pro fundamento rationabiliter assumitur. Ad fulciendum autem huius doctoris & aliorum cum eo sentiendum sententiam, congruè visum est propter sermonis abbreuiationẽ, vt reprobationis ita vehementis à doctore ingẽniosissimo ac religiosissimo factæ radicalem nitemur apprehendere rationem. Et in primis non est absurdum credere quod artes omnes magicas, quocunque vocabulo dictæ sint, quacumque nominis palliatione contectæ, prospexit vetari lex diuina sub mortis interminatione. Vnde pro omnibus, quæ multæ sunt, adducatur Deut. 18. Non inueniatur in te qui lustret filiũ suum aut filiam, ducens per ignem, aut ariolos sciscitetur, aut obseruet somnia atque auguria, ne sit maleficus, neque incantator, neque pythones consulens, aut diuinos, & quærat à mortuis veritatem.

Quæramus huius prohibitionis causam, & illis quæ particularius in se fundans edidit ecclesia, & videbimus quoniam non decet discipulum summi magistri, eo contempto se vertere ad alterum, pro scientia rerum occultarum adipiscenda. Illud enim est intolerabilis contumaciæ & contemptus nefandissimi. Rursus velle abdita futurorum perquirere, & auida curiositate Dei aut naturæ secreta, quæ magister supremus occulta (nisi quibus reuelauerit) esse voluit, velle penetrare, arrogantissimum est, meritóque plectendum. Iti verò per artium magicarum obseruationes agunt talia. Neque enim à Deo illa quæ scire cupiunt expostulant, & ab eis nescienda perniciosa libidinosáque voluntate requirunt, si enim à Deo quæ scienda concessit expectarent, nequaquam futura scire quæ pater posuit in sua potestate cuperent, nihil sacrificia talia, talia verba innumera, vel characteres & alias huiusmodi superstitionum suarum insanias exercerent, & spem in Deo non in istis reponerent, Deus enim scientiarum Dominus est. Sed retorqueamus (si possumus immo vt possumus) hanc rationem in illos qui futura etiã humano aut diuino subiecta arbitrio per initia natiuitatum vel aliarum compositionum aut effectuum scire moliuntur. Itaq; iudicant, si laqueum parabit sibi Socrates natus, si coniugio aut celibatu fruetur, si aliquis vel igne peribit, aut gladio iugulabitur, si interrogatio quæ nunc fit à Ioanne prosperum vel infelicem habeat exitum, si hac in hora iter aggreditur vel cum altero colloquium, si noua induit arma, nouo ense præcingitur, nouis calciatur ocreis. Vtrum optatum bonumque finem aut secus taliter inchoans sortietur. Immo quod amplius miraberis vsque ad cogitationes etiam hominum remotissimorum, vel operationes sciendas progredi non verentur. Cum igitur talia naturalis inuestigationis limites transiliant, & non per reuelationem ita se dicunt habere, sicut nec dicere possunt, cur & vnde petunt talia nisi ab occulto quodam & corrupto curiosissimæ vanitatis desiderio, per quod interim merentur à Deo deseri, & deserti in errores prolabi, à seductore nostro possideri, & prolapsi, possessi eo instigante & fallente, superstitionum huius nexibus indissolubiliter astringi. Hinc tepidior aut nulla ad diuinæ opis postulationem spes. Hinc timores vani, spes improbæ, denique exitus vt plurimum infelicissimi.

Diceret fortassis aliquis, quod artis huius ad magicam multa est differentia, tum quia verbis

seu

seu carminibus non vtitur, neque horrendis mi- scet sacrificia. Tum secundò, quia non per dæmones vt magici, sed per causarum naturalium concatenationes de futuris aut occultis cõiectãt. Sed primum non obstat, secundum expressam determinationem beati Augustini. 4. confessionum, vbi finaliter postquam dixisset quod illos mathematicos consulere non desinebat, quia sacrificia nulla iubebant. Addidit, quos tamen vera pietas religióque condemnat. Cæterum non est cuiuslibet artis magicæ seu illius quæ vt magica prohibetur talia assumere carmina siue sacrificia. Geomantia enim & augurium & somniorum obseruantio vacant à talibus.

At verò quod secundò adijciunt nihil eis opitulatur. Tres verò artes (vt abusiuè sic loquamur) quas immediatè nominauimus, geomancia, augurium, & somniorum obseruatio, & aliæ quam plures non à dæmonibus (vt asserunt) sed ab astris & constellationum influentiarum causis atque impressionibus, veritatem responsionemque expectant atq; suscipiunt. Dicunt enim quod iuxta cœli dispositionem talia & talia immittuntur somnia, quæ futurorum indicia sunt, non aliter geomantici dicunt cœlesti virtute sua puncta disponi. Sic auguratores ponunt garritus auium atque volatus seu gestus alios ab impressionibus astrorum, nunc hos, nunc illos auiculas suscipere, & nihil esse sibi putant, cum dęmonibus propriũ, nullumque pactum cum ipsis habere, ac nullum consortium arbitrantur, eos nihilominus & sacra scriptura, & ecclesiastica censura pœnis coercent, & vt impios religionique perniciosos reijciunt. Quod si dixerint rursus planetarij (sic enim eos Augustinus appellat) si inquã dixerint, quia falsò talia dicunt quod principia siue artem quibus ea quæ iudicant scibilia sint naturaliter nequaquam habere possunt ab astris, neque per experientias inde sumptas, fatebimur verum esse, sed ita fatebimur vt etiam de eorum principijs taliter esse contendamus, neque enim maiores probabilitates, neque rationabilibus fundatas pro suæ artis aut principiorum validatione reddunt quam isti auguriatores geomantici, aruspices, & somniorum obseruatores perhibere conantur. Et aduertat quilibet ingeniosus diligenter, & causam vtrãque defendẽdam assumat, videbit æqua facilitate & æqua radice geomancię & auguriorum & aliarum quas præmemorauimus superstitionũ principia posse defendi, fundari, colorari, sicut illam astronomiæ partem quæ de interrogationibus, de imitationibus & de principijs natiuitatum, præsertim quoad ea quæ liberum concernunt arbitrium defensare valebit. Adijcient fortassis ad extremum isti initiorum defensores multam in responsionibus & iudicijs, quæ secundum suę artis principia reddunt veritatem sæpius reperiri. Istud non eis tantummodo propriũ est, sed multo amplius magicis alijsq; superstitiosis, immo quanto aliqua huiusmodi artium deteriorem & execrabilior tanto crebriorem in dictis suis habere visa est veritatẽ. Iuxta quod dicit præmemoratus doctor Augustinus 2. de doctrina christiana tales superstitiones tanto magis cauẽdas esse, quanto sępius quod dicunt, euenerit. Vnde ergo à talibus & in talibus veritas, respondet idem doctor loco prædicto, & .v. de ciuitate Dei, post argumẽtationem copiosissimam, ita concludens 7. ca. His omnibus
A cõsideratis, non immeritò creditur cum astrologi mirabiliter multa verè respõdẽt, occultò fieri instinctu spirituum nõ bonorũ, quorũ cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus fatis inserere mentibus humanis atq; firmare. Non negare voluit (vt arbitror) Augustinus quin tales sæpius fallerent, sępius fallerentur, quin mẽdacia plurima sub generalitatis aut ambiguitatis cuiusdam velamento proferrent, quin fortuitò inter tot dicta vnum verum emergeret. Sed si vt plurimum vel
B regulariter quod verum est, responderint, cũ non à Deo reuelante habeant, nec à naturalis inuestigationis facultate, vt à dæmonũ seductione proueniat reliquũ est. Ista autẽ seductio permittitur iusto Dei iudicio, vel ob præcedentium immanitatem criminum, quia abyssus abyssum inuocat, vel ob modicam fidem spẽmq; in Deo repositas, & quasi tentat Deus fideles suos, vt qui probati sunt manifesti fiant, secundum apostolum, vel ob nimiam & luxuriosam atque libidinosam secretorum sciendorum auiditatem, quæ est auaritia
C spiritualis pessima & superbissima præsumptio, propter quas multi apostatauerunt à fide, quemadmodum videmus in his qui propter rerũ amissarum recuperationem aut reconditarum adinuentionem tales magos cõsulunt in perniciem animarum, aut artem notoriam pro scientiarum acquisitione nituntur exercere, & multa similia. Addi potest ad prædicta consideratio moralis nõ paruam habens vtilitatem. Et est quod homo ex timore vel ex falsa credulitate imaginationem suã
D figens ad aliquod initium quodcunq; fuerit taliter quod speret aut credat sibi per idem significari malum, omnia quæ postmodum contingerẽt incommoda, pœnas, infortunia ad illud referet tanquam ad signum vel causam quãtumcũq; fuerint impertinentia & aliunde patenter inflicta huiusmodi incommoda. Exempli causa: Putans vetula quod si cattum in initio exitus sui in camera conspiciat, aut si lepori vel claudo obuiet, dies sine aliquo euentu malo non transibit, accidit quod cadens lapis malè situatus ceruicem sibi confringet, aut rixosa cum marito litigans verbera flagel-
E lãq; recipiet, aut fuso forabit manum, ad memoriã reducet quod obtigit, quasi videlicet si non aspexisset initio talia, in istas infelicitates nequaquam incidisset. Et quod amplius mirãdum est, in summis etiam viris & aliunde prudentibus tales imaginationes videmus dominantes, vsqueadeò vt Augustus Cæsar inter maxima computaret incõmoda, si sotular sinister sibi à calciãte pro dextero ministraretur, referẽte hoc Suetonio secundo de
F viris illustribus cognitum est. Constat autem hoc magis irrisione quam argumentatione reprobandum. Vidi ego cum de vulneratione cuiusdam nobilis videlicet connestabularij sermo fieret, dixisse ex astantibus aliquos quod tunicã suam malis initijs assumpserat, & verberationẽ eius ad hoc retulisse, quod quam vanum sit, nemo non videt. Animaduerti magni status viros in principio nouæ lunæ salire, crebrò balbutire nescio qualia, & non mediocria adorationis signa peragere innumera talia quisquis attendere valuerit, perspiciet & inde iudicabit saluberrimũ esse tã in religione quam in vita ciuili & œconomica, animum suum à talibus superstitiosis & vanis credulitatib. super

rerum initijs absoluere, & non præbere assensum talibus nugis anilibus, alioquin nec spes in Deo tāta erit, nec cultus sic integer, nec postremò vita tranquilla & à metu, trepidatione, vanóq; gaudio satis aliena ducetur. Cauendum præterea summopere censemus ne infantes & paruuli adhuc molles & cerei in initium flecti (vt Horatius ait) talibus vanissimis imbuantur erroribus de faustis vel infaustis initijs, quos si semel imbiberint, si semel eorum mens his vinculis compedita fuerit, vix aut nunquam satis errores illos poterit excutere. Propterea non satis grauiter puniri possint qui ipsos aut homines idiotas & simplices præsertim rectores populorum in talibus imbuunt, & vt talia credant spe mercedis vel adulationis inducti suadent & instruunt in grande religionis ac salutis suæ & alienæ detrimentum. Sunt enim tales pronitates & corruptæ inclinationes ad superstitiosa credenda reliquiæ quædam gentilitatis & idolatriæ, & præcipuè circa rerum initia versantur sæpius & crebrius reperiuntur, vt in annorum vel mensium vel hebdomadarum seu etiam dierum initiatibus siue in mercaturis, siue in itineribus arripiendis, siue quis ædificare domum aut quippiā horum peragere decreuerit, firma verumtamen integra & constans in Deo fides spésq; repositæ cum diligēti attentione, animaduersione sapiēti, supernoxia homini, melancholica ac superuacua initiorum obseruatione mentes bene institutas expediunt, liberant & absoluunt, quod non paruum Dei munus, non paruum insuper pro tranquillitate vitæ adiumentum existimandum est.

SERMO EIVSDEM CANCELLARII IN COENA DOMINI.

ANte diem autem festum paschæ sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mūdo ad patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem quoque dilexit eos. Originaliter Ioan 13. & in euangelio præsentialiter lecto. Vtinam quantus & quam celebris est conuētus iste vester ante diem festum paschæ ad audiēdum verbum Dei, tanta mihi & tam efficax ministraretur vbertas eloquij, & sermo tanto dignus cœtu non deesset quatenus in peluim nostræ mētis aqua sapientiæ salutaris infusa ablueret pedes nostræ affectionis. Quid enim pes nisi affectio? Hinc est illud Satyrici: Quid tam dextro pede concupis, vt non optati te pœniteat votique peracti. Siquidem dum peregrinamur à Domino, & venit hora vt transeamus ex hoc mundo ad patrem, multus plerumque & spissus peccatorum puluis cœnosáque cupiditatem colluuio nostro contrahitur in affectu. Et verum fit illud Tren. 1. Sordes eius in pedibus eius: Et vnde lotio nobis, vnde mundatio? Ab illo planè qui lauit hodie pedes discipulorum, quos in finem dilexit. Qui fit in se credentibus fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Ioan. 4. Cæterum scaturigo origóque fontis huius ab illo funditur horto voluptatis, quem plantauerat Dominus ab initio, ab illa scilicet virgine matre quæ est hortus conclusus à quo fons emanat irrigans vniuersam superficiem terræ Dominus noster Iesus Christus. Illam adeamus, ab illa fontis vndas postulemus, quatenus emūdetur peluis nostri pectoris ad syncériter recipiendum qualemcumque aquam nostræ lotionis. Et obtemperemus illi Horatiano: Nunc adhibe puro pectore verba. Cuius rei vt facilior sit impetratio dicamus orantes & laudantes illud angelicum. Aue &c.

Ante diem autem festum paschæ vt nuper obiecta est oculis meæ intentionis euangelica lectio quæ nostris nunc auribus insonuit, subijt ardor animum, eandem totam more veterum sub homilia transcurrere. Hic enim modus prædicationis quamquam à modernis parum tritus, sit efficacior forsan est ad fidei robur stabiliendum & ad mysteriorum reuelationem virtutisque nutrimentum accommodatior. Deterruit ab incepto innumerositas ipsa mysteriorum, quibus euangelista Ioannes eam grauidam reliquit. Idcirco priori particula contentus, quæ vice exordij ponitur simul inuidiam nouitatis declinaui satis, & multum esse iudicans, si vtcunque portionis huius primæ mihi cedat pateátque expositio, & si ad loquendum coram tali concione fructuosè atque salubriter subseruiat, olim (si fuerit voluntas in excelso) reliquas euangelij particulas exponendas assumam. Et in primis iuxta duas principales animæ rationalis potentias, quæ sunt intellectus & voluntas duo nobis ostendit euangelista Ioannes, quæ Christi animam superabundanter illustrarunt, scientiam scilicet & amorem. Vis audire scientiam? Ante diem festum paschæ inquit sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat de hoc mundo ad patrem. Magna profectò scientiæ perspicacitas quo ad futura vsque penetrauit. Dehinc audi dilectionem, cum dilexisset inquit suos &c. O quantus amoris ardor, quanta charitatis incendia, quam firmus tenor dilectionis, quam dilectionem à primordio inchoatam finis nullus extinxit aut rupit. Quocirca prater literalem intellectum duas pro nostra instructione admonitiones promiscuè interseram. Vnam pro scientia, ne erremus in intellectu. Alteram pro charitate, ne tepescamus in affectu. Hoc habituum veritatis & charitatis binario, velut ala duplici, subleuamur ad videndum concupiscendumque cœlestia nunc in spe, postmodum in re.

Quando in re? Quando clara visio deitatis fruitioni coniuncta erit tota merces. His ad materiæ ordinisque insinuationem præpositis tandem ipsa loquatur euangelij lectio. Ante diem festum paschæ. Caueamus patres Domini ac fratres præcipui. Caueamus ipso hoc ingressu ne forte offendamus ad lapidem erroris & scādali, quo & Græci turpiter lapsi sunt. Ipsi enim decimaquarta luna primi mēsis (qui ab Hebræis Martius ponitur) dicunt Christū cœnam hāc agni pascalis comedisse & anticipasse diē vnum. Ob hoc inquiunt, ait hic euāgelistarū postremus Ioānes tanquā correctot aliorū. Ante diē autē festū paschæ. Qui videlicet dies paschæ decimaquarta luna dicti mensis primi veteri institutione colebatur, & celeberrimus pro agni paschalis ad vesperum immolatione habebatur. Dicunt præterea ipsi Græci in fermentato cōfecisse Christum, quod & obseruant, & irridentes nos tanquam iudaizemus azimytas appellāt. Et in hanc demū insaniam versi sunt vt tres alios euangelistas

gelistas, Matthæum, Marcum & Lucam accusent mendacij, quia aperta est eorum sententia ad oppositum. Addunt ad sui erroris velamentum id quod infra dicitur, non intrasse Iudæos prætoriũ præsidis, ne contaminarentur sed manducarent pascha. Et rursus Iudæi consulentes de morte Iesu dicebant: Non in die festo, & similia. Cogit me hic exclamare pietas Christiana & matrem errorũ omnium schismaticam diuisionem compellor detestari vel execrari. Videte Græcos olim supremũ in arce religionis Christianæ locum tenẽtes, olim doctores eximios, probatissimos expositores scripturæ, præcipuos veritatis magistros, repente vt scisma interuenit, animaduertite eos breui deiectos esse, & in ima errorum inglorios concidisse, nam perniciosa pestis est diuisio scismatica. Tam omnia violat, destruit, labefactat pacis corruptio.

Pridem dum pro pacis reformatione multis adhuc silentibus coram illustrissimo rege nostro oralaxarem introduxi, quo pacto nequam discordiæ spiritus, cum ambitione concumbens filiam deterrimam & vtrique parentum simillimam, cui nomen est scisma in Ecclesiæ regnum violenter intruserit. De hinc quibus alimẽtis coaluerat, quibus præterea fomentis alebatur, qualibus denique & quot ministris suffulta tutabatur. Subintuli tandem, quia si cum scismate hæresim subintrare contingeret, sicuti perfacile & solitum est, haberet tunc scisma præsens infelicissimam infaustissimámque sociam, à qua tanto complexionum nexu foueretur, tanto robore in suo statu firmaretur vt nullo vix vnquã ingenio, nulla arte, nullo cõsilio, nulla potentia, nulla vetustate ab Ecclesia fugaretur. Fidem huic assertioni mihi sumebãt, tum ratio patens, tum exemplum diuisionis Græcorũ cum Latinis. Neque enim hęresi stante posset vera pax introire, eadem prius non expulsa, quoniam arbitraria compositio, condescensio seu dissimulatio in fide (quemadmodum in cæteris quibusdã) locum non habet. Exigeretur ergo vt pars errans resipisceret palam ab hæresi, & se turpiter errasse fateretur. Hoc autem quando fieret præsertim cum pars quælibet grandis sit & famata, honoris sui cupida & tenax, & quæ doctrina fidei ac religionis obseruatione supra reliquam gloriatur: Hæc est sanè pestifera radix atque societas, quæ à Græcis ad Latinos scisma diuelli hactenus prohibuit. Quamobrem summopere enitendum est, totis viribus elaborandum, omni sollicitudine & vigilantia prouidendum, ne ad scisma præsens superadducatur pessima comes hæresis, scilicet vel erroris assertio. Et heu heu quã vereor, ne iam ad limina (vt aiunt) & in foribus pulset, ne iam hinc vel inde asserta penè introeat. Et nunquid ex aduerso & de super fidem concernentibus est iam inter partes non modica contentio? ita vt illi licitum, expediens rectúmque deputent ac iudicent, quod alij etiam non odio si illicitum, inexpediens ac iniquum non fateri non possunt, nec sufficiunt admirari tantam in homines aliunde doctos desipientiæ & erroris maculam irrepsisse. Supremo multa sciens atque recogitans illud Salustij: Frustra niti & fatigando non nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Excitare vos suffecerit, quatenus ad experientiam rationis oculos retorqueatis, & ita quod dico, quodque subiicio, aperta luce videbitur. Occurras velociter salutifer Christe, & nefandissimum formidantissimúmque scismatis & hæresis consortium, tu qui solus potens es, cohibeas. Satis immò nimis Ecclesiam sponsam tuam dehonestat, cruciat & dissipat scisma præsens tam inueteratum & malis radicibus altè defixum. Noli quæsumus permittere comitem sibi deteriorem hæresim adiungi, & infaustissimũ ne attingat dimoue connubium.

Sed ad inceptum vnde digredi compulit dolor ac metus reuertentes, respondeamus Græcorum calumniæ, & dicamus absque vllo dubitationis scrupulo, cœnam hanc quartadecima mensis primi ad vesperam factam esse. Sumitur itaque pascha multipliciter, nunc pro agno paschali. Matt. 26. Vbi vis paremus tibi comedere pascha: Nũc pro panibus azymis, qualiter sumpsit Ioannes dum ait, Iudæos non introijsse prætorium præsidis ne contaminarentur, sed manducarent pascha. Aliquando autem pro quolibet septem dierum paschalis solennitatis, qualiter hic sumi potest. Vel dicamus quod dies iste quem tres Euangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas nuncupant primum diem azymorum, dictus est hic præcessisse diem festum paschæ, diuersis respectibus, quoniam illi ad distinctionem dierum legalem secundum quam dies vesperæ diei præcedentis inchoatur respexerunt. Ioannes verò ad distinctionem naturalem attendit, secundum quam à media nocte diei sumit initium. Liquet igitur quoniam dies iste & primus dies azymorum fuit, incipiendo diem à vespere, & illum nihilominus primum antecessisse constat si à noctis eiusdem medio diei numeremus exordiũ, sic inuiolata manet veritas hæc: ante diem autem festum, &c.

Qua in re palam est, quia Iudæorum consilia de occidendo Christum non in die festo, dissipata sunt, habita traditoris opportunitate, & agente Deo vt diuinæ legis mysterio seruirent inuiti, quatenus verum pascha in die figuratiui paschatis immolarent. Acclamabis forte supputationem seu calculationem non conuenire cum eis quæ ponunt historici, vt puta quod Christus die Dominica natus fuerit, & in tricesimo ætatis anno ipso eodem die crucifixus, quo & annunciatus est, die videlicet Martij vigesimaquinta.

Hic libera voce respondeo nullius authoritatẽ me præponere euangelicæ veritati malóque non consentire dicentibus vigesimaquinta die Martij passum fuisse Christum, quam tres Euãgelistas inculpare mendacij, & negare Ioannem consentire cum eis dum ait: Ante diem autem festum paschæ. Cæterum hoc in loco prætereea quæ ad speculationem proficiunt qualia sibi vendicant scholæ magis quam prædicatio. Hoc moraliter edocemur ne in diuinis scripturis temerarij, præcipites & elati accedamus, sed in eis sobrij, humiles & cauti, pedetentim ac modestè gradiamur, alioquin facilis & prona est ad lapidem erroris offensio. Ecce enim quanti qualisve præcipitij occasio extitit vna hæc Ioannis vox non sobriè à Græcis intellecta: Ante, &c.

Et nunquid poterat ipse Ioannes, immò per Ioannem spiritus veritatis eadem prorsus verba quæ & reliqui priores apponere? Poterat vtique.

Sed ne viderentur euangelia humano consensu & conspiratione fabricata, ne præterea deesset quærentibus exercitationis diligentia & inquisitionis humilitas, maluit alicui verbotenus discrepare. Hinc pro die azimorum ponitur hic: Ante diem autem, &c.

Porrò illorum hic impudentia retunditur atque confunditur, qui à puero decrepitum vsque ad senium tempus occupationibus terrenis attriuere, & dum aliud eos agere non licet, ad sacras literas diuertunt, habentes oculos rationis puluere, & sordibus curarum aliarum penitus obtenebratos. Nihilominus scire primo intuitu præsumũt, quod à claris & summis ingenijs cum assiduo exercitio vix aut nunquam attingitur.

Ab his maximè probro & ostentu habetur quicquid in sacris literis non statim ad eorum iudicium grossum, terrestre, animale & corruptum explicauerit Spiritus sanctus. Cur inquiunt non taliter positum est, hoc intelligibile est, hoc literaliter falsum est, hoc erroris materia est, hoc phantasticum est, hoc melius sic & sic fuisset explicatũ, ita non vident se notatos per Apostolũ. 1. ad Cor. 2. Animalis homo non percipit ea quæ spiritus Dei sunt. Et adhuc illos non loquor qui à fide palam deuiarum, nec illos qui non minus perniciosa temeritate & audaci proteruia de sacris literis inter pocula & tabernas, atque inter minus eruditos fabulantur, verbisque rediculis & blasphemis maiestatem diuinæ scripturæ cum summa moderationis reuerentia tractandam, irreuerendissima curiosissimáque contentione maculant, lædunt, infamant, prostituunt. Sed querelam hanc nullis vnquam verbis exaggerandã linquentes. Videamus iterum quid dicat Euangelista: Ante inquit, diem festum paschæ. Hoc pascha (vt ait præclarissimus & eloquentissimus doctor Ambrosius in primo hexameron) est transitus animarum ad virtutem, à passionibus carnis ad gratiam sobrietatémque mentis, à malitiæ nequitiæque fermento ad veritatem & synceritatem. Sequitur, nec iam seruiet diabolo vel terrenis huius corporis passionibus vel deprauatæ mentis erroribus, qui demersa omni malitia vice plũbi boni operibus dextera leuáque munitus, in offenso seculi huius freta studet transire vestigio.

Priusquam verò ista latius ad mores traducamus declinemus paulisper ad id quod subiungit euangelista noster: Sciens inquit, Iesus quia venit hora eius, &c. In ipso quippe sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Sciens vt Deus, cuius sapientiæ non est numerus. Sciens vt homo per superplenam sciẽtiarum ab instanti suæ conceptionis infusionem. Sciens insuper supereminentem Iudæorum, immò & proprij discipuli qui edebat panes suos, contra ipsum machinationem. Sciens præterea ipse idem, qui saluare vt pote Iesus aduenerat. Neque enim est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri. Actuum 4. Sciens Iesus quia animam suam ponere pro multis voluit, quia venit hora eius, & bene eius, quia nemo animam suam rapere poterat ab eo, sed vltronea voluntate eam obtulit hostiam Deo patri pro peccatis nostris. Venit igitur hora eius cum voluit: Venit non fatali quadam necessitate, vt Stoici & mathematicorum quidam fabulantur. Et vt innuit Virgilius Troianum describens excidium, venit non fortuito euentu, quemadmodum desipit, Epicurus res omnes casualiter agitatas fluitare, sed spontaneo diuinitatis ac propriæ voluntatis cõsilio. Venit hæc hora eius quin etiam fuit (quod mireris) hæc hora Iudæorum, dicente Christo. Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Et quomodo hora Iudæorum? Quia videlicet eorum malitia consummata tunc erant vt occiderent Iesum, & illa fortè prius nondum cõpleta extiterat, sicut de Amoræis dicit scriptura. Vel totum ad id refer consilium, vt qui prius inter furentes Iudæos, & in suam necem coniurãtes transiens per medium filiorum ibat. Nunc dũ voluit ab ipsis tentus & occisus transijt ex hoc mundo ad patrem. Sequitur, &c.

Refert Ambrosius in quarto suo hexameron diem mensis quartã decimam à paganis infaustam haberi, qua tamen die luna salutis signa ostendit. An inquit, displicet numerus quo celebratur mysterium redemptionis. Ideo dæmones declinandum esse persuadent numerum cum quo eorum destructa nequitia est, ideo gentilibus nihil adorandum asserunt, quia sciunt tunc primum artes suas vacare cœpisse, & populos gentiles demigrasse ad Ecclesiam. Et hic contra superstitiones eorum quos inculpat Apostolus ad Gal. 4. qui obseruant dies, annos & tempora, longa haberi posset disputatio, nisi ad ea sermo pergeret. Illos satis conuincunt, Ambrosius vbi supra. Gregorius in homilia Epiphaniæ. Augustinus secundo de doctrina Christiana, quinto de Ciuitate Dei, quarto confessionum. Et eos sub acri irrisione notat Dominus per prophetam Esaiã 47. destructionem Babylonis exprobrans: Stent inquit, & saluent te augures cœli, qui contemplabantur sydera & supputabant menses vt ex eis annunciarent ventura tibi. Et actuum. 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate. Hac enim potestate venit hora de qua hic dicitur ? Venit hora eius. Olim dixeras ô bone Iesu pie matri tuæ cum quæreretur, quia vinum non habent. Quid mihi & tibi mulier nondum venit hora mea. Ioan. 2. Nimirum hora tua, qua ostenderetur mortalis humanitas secundum quam matri tanquam filius subdebaris nondum venerat, venit autem nunc cum voluisti. Venit cum paternum summi patris imperium prædicando & sermonem confirmãdo sequentibus signis adimplesti. Venit hora eius. O beata & verè felix hora, quæ precium nostræ redemptionis exoluit, quæ spoliauit tartara, morte mortem superauit. Hora Iesu vt transeat ex hoc mundo ad patrem. Est mirabile admodum. Qui cœlum & terram implet, qui semper in patre manet & pater in eo, qualiter ad patrem transiturus affirmatur? nisi quia per passionem sublimata est humanitas eius in glorificatione corporis & nominis exaltatione.

Nã oportebat Christũ pati, & ita intrare in gloriã suam. Et propter hoc Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen, &c. De hac dicebat ipse Christus in alio loco. Pater sancte iam hora est clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Clarificatus est itaque filius dum transijt ex hoc mundo

ad pa-

ad patrem, de mortalitate ad immortalitatem, de ignomia passionis ad resurrectionis gloriam, vt transeat, &c. Sanè transitus durus respersúsque acerbitatum aculeis, & quem naturali horrore fugiebat Christus. Pater inquit, si fieri potest &c. Matth. 26. Sed ducebat ad vitam & ad patrem, qui portus est omni amænitate redundans, vt trāseat ex hoc mundo ad patrem. Vide quam conuenienter & connexè euangelica verba Spiritussancti digitus inscripserit. Dixerat enim: Ante diem festum paschæ. Et quid pascha? nisi transitus. Idcirco reddens verba verbis, & mysteria mysterijs, mysteria superaddit vt transeat. Loquebatur præterea de morte Christi quæ apud Christum cæterósque iustos, non iam propriè mors aut occubitus, sed transitus reputatur. Cur? quoniam eorum melior pars (animam loquor) non vt in brutis natura cogente corrumpitur, & ab æterna morte peccati atque supplicij seruatur immunis, teste Christo, qui Ioan. 5. de fideli loquitur dicens, quod in iudicium non venit, sed transeat de morte ad vitam. Non ob aliud transitus hic à sanctis optatur, quia & à miserabili mūdo liberat, & ad patrem qui vitæ & gloriæ fons est, introducit. Hæc recordatus sum inquit propheta, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi, &c. Quis non exhorrescat & transire non cupiat vitæ præsentis ærumnas? Illas tanto eloquij pōdere expressit Hegesias philosophus, vt multos cogeret seipsos perimere ne miseriam hanc diutius tolerarent. Et Theobrotus quidam lecto de immortalitate animæ Platonis libro, se præcipitem in mare dedit, vt ex hoc mundo ad vitam transiret, quam sperabat meliorem. Et nunquid apud Traces vetus hoc institutum fuit, obitus hominum cum lætitia & gaudio celebrare. Videbant nempè mors ipsa quantis eos liberabat calamitatibus, quas gemebundus propheta deplorabat dicens: Heu me quia incolatus meus prolongatus, &c. Quamobrem optandus est iste transitus ex hoc mūdo, præsertim à teipso ô Christiane miles qui te iturum speras ad patrem: Sanè dum peregrinaris in mundo, constitutus es ante diem festum paschæ, & scire te conuenit, quoniam venit hora tua vt transeas ex hoc mundo ad patrem, de morte ad vitam, de miseria ad gloriam, de peregrinatione ad patriam, de Ægypto huius exilij ad terram promissionis paradisi. Nolo expectes post diem paschæ cognoscere, quoniam venit hora tua, vt trāseas ex hoc mundo ad patrem. Sera nimium esset ista cognitio. Nolo præterea festum diem agas ante vigiliam, exemplo illorum qui ducunt hic in bonis dies suos, & in puncto dum dies festus aduenire debuerat, ad inferna descendunt. De quibus non incommodè accipitur illud prophetæ: Manè floreat & transeat per prosperitatem vitæ præsentis, vespere mortis decidat, induret & arescat in tormentis.

Scito igitur quia venit hora tua, hora mortis, cuius meditationem descripsit magnus pater Basilius esse philosophiæ aut sapientiæ descriptionem. Sapientia enim à sapore dicitur. Facit autem mors sapere de rebus singulis prout sunt, vt quod temporalia vanitati defectuique sunt obnoxia. Hinc illud Hieronymi: Facilè cōtēnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. Et rursum illud sapientis: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Hæc est saluberrima meditatio quæ nosipsos definitiuè facit cognoscere. Homo quippe animal est rationale mortale. Si spatia tibi longè vitæ spoponderis, si viaticum coacervaueris plurimum, si sarcinis copiosis auri & argēti humeros tuos oneraueris, si placidis voluptatibus defluxeris totus, si ira, odio, inuidia, vindicta contabueris. Fama loquax te per vrbes garrula laudet.

Scito & recogita, quia hæc omnia quam citissimè abeunt, & veluti pressus anguis effluunt. Nam venit hora vt transeas de hoc mundo ad patrem, quando nihil ex his omnibus te comitari potuerit. Venit inquam, hora tua non lento passu sed transitu rapidissimo, quemadmodum Tragicus expressit: Properat cursu vita citato, volucrique die rota præcipitis voluitur. Et Naso: Volat irreparabile tempus, & nihil est annis velocius. Hoc afflictus. Iob conqueritur: Ecce ait, breues dies anni transeunt & semitam, &c. Et Sapientiæ. 2. Vmbræ transitus est tempus nostrum, & similia. Attamen cum ita esse nemo interrogatus dissentire valeat, adeò res in perspicuo est, nihilominus fit cœcitate quadam superadmirabili, vt (nescio quomodo) horam hanc nostri transitus certissimam & nostris se quotidie oculis ingerentem, actualiter ignoremus. Alioquin nunquam tam insana & pertinaci auiditate mundo huic inhæreret nostra affectio. Nunquam sic placeret peregrinatio viæ pro habitatione patriæ. Nunquam ad res momentaneè defluxuras ad res noxias & anxias, ad res è manibus nostris, velimus nolimus, elapsuras per tot vitę discrimina, per ferrum, per saxa, per ignes raperemur. Vnde quæso talis error? Vnde cœcitas tam profunda? nisi quod diuertimus rationis osculos ab huius horæ spectaculo & ad vanitates & insanias falsas attenti respicimus. Propterea trahimur ad exitum, nec sentimus. Est enim philosophi & experientiæ vox, quod vehementer attenti ad aliqua, delata ante oculos non videmus.

Idcirco ad horrendum transitus præcipitium rotamur, nec aduertimus nec insuper formidamus. Fingamus obsecro talem ante mentis intuitum imaginem, nam & in imagine pertransit homo, inter cautes & scopulos, inter voragines scyllæ & carybdis, inter mille latrunculorum piratarúmque insidias habendus est transitus. Vbi quilibet si casu aliquo deuians tantisper offenditur de seipso déque salute sua irreuocabiliter actum est. Nauicula autem fragili luto compacta, & neruorum vinculis ligata est, citissimæ putrefactioni obnoxijs.

At verò quicquid ille qui vehitur egerit, siue dormiat, siue ludat & potet, siue irascatur & litiget, nauicula hæc irreflexo iugique rapitur cursu, & absque vlla momenti interpolatione ad tam extimescendum transitus locum allabitur & properat. Quæ igitur insipientia? quis stupor, quæ similis æstimabitur insania, si inter hæc quispiam cōstitutus auertat oculos à periculis? Et vaga mēte húc illucque circunspectans, vel ludat lasciuus, vel insidias vicino paret, suarum negligens

vel sirenum cantibus delinitus obdormiat, vel vino somnóque sepultus elanguescat, vel colligendis inutilibus sarcinulis totus vacet. Vbi si breuis horæ momento aberrauerit, tam certum & horribile supereminet exitium. Et aliorsum speratur inexcogitabilis festorum gaudiorúmque æternitas, si prospero inoffensóque pede transierit. Trãsiet quippe ex hoc mundo ad patrem.

Tu verò quisquis ad meliora suspiras, hæc te imago respicit, dum es ante diem festum paschæ, ante diem transitus tui, dum ianua nondum super festiuantes clausa est dum scire prodest, scito cum Iesu, quoniam venit hora tua, vt transeas ex hoc mundo ad patrem, scito quæ tibi transituro agenda supersunt. Et id melius agnosces, si quotuplex tibi transitus emineat, attenderes. Est primus transitus per mare rubrum baptismatis vel contritionis in egressu ex Ægypto. Est alter trãsitus per asperitatem tribulationis & pœnitentiæ, in progressu per desertum. Est tertius transitus per Iordanem mortis in ingressu terræ promissionis. Huic tertio transitui per filios Israël figuraliter peracto, triplex pascha correspondere legimus.

Celebrauerunt itaque Iudæi pascha victimam transitus Domini ante transitum maris rubri. Celebrauerunt aliud pascha progredientes per desertum in monte Synai. Celebrauerunt tertium pascha in ipso terræ promissionis ingressu, Iordane pertransito. Triplicem hunc transitum comitata sunt plurima, quæ si per singula ad mores traducere liberet, exuberantissima prorsus essent materia. Vbi liquidò comperi diuinum verbum instar viuidi fontis emanare ipsum potentibus, qui quãto plus exhauritur de tanto plus effluit. Videre est itaque circa primum transitum agni paschalis immolationem spissis plenam mysterijs. De hinc spoliationem Ægyptiorum, primogenitorum necem, diuisionem maris rubri, Ægyptiorum subuersionem, Mariæ canticum. Videre est circa secundum transitum columnam nubis per diem, & ignis per noctem, desertum vastæ solitudinis inamænum, horribile, squalidum, sterile & aridum, serpentibus, feris hostibusque circumseptũ. Vbi nihilominus vixit tam numerosa multitudo pane misso cœlitus, & aqua erumpente de saxo durissimo. Conspicies ad extremum in transitu tertio Iordanem, qui conuersus est retrorsum, & lapides duodecim à siccato alueo in monimentũ sublatos. Omnia verò hæc in figura contingebant eis, ad nostri doctrinam & eruditionem, in quos fines seculi deuenerunt.

Sed ad alia vocat me temporis breuitas, & exẽplum recentius vtriusque placet intueri. Nam cum omnis Christi actio nostra sit instructio. Videamus oculo mentis & sedulò meditemur quid egerit Iesus dux noster, quidve ostenderit ante diem festum paschæ sciens quod venit, &c. Siquidem plurima tunc fecit & docuit, inter quæ illud præcipuum, illud nostræ materiæ & proposito congruentius est, quod continuò subinfert euangelista in secunda thematis particula. Cum dilexisset inquit, suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Non deseruit euangelicus sermo connexam verborum proprietatem. Nam quæ fœcundior poterat exprimi dilectio, quam patris nomine? Dicere potuit Euangelista: Sciens

A Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Deum, vel ad gloriam, vel aliquid huiusmodi. Sed immediatè locuturus de dilectione, nomen fontalis charitatis per paternum nomen expressit, & addidit: Quia cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Vis igitur transire ex hoc mundo ad patrem de Ægypto miseriæ ad terram promissionis æternæ, tibi proposita est dilectionis semita, via charitatis regia qua transijt Iesus. Per hanc viam ambulans non

B deuias, hanc insequens non exorbitas, huic innitens non succumbis. Hac comitante singula periculorum genera (quæ ab exitu Ægypti per desertum, & deinceps occurrerint) superabis. Hac duce ad promissionis terram portúmque felicitatis attingis. In hac complectitur & vnitur tota mandatorum diuinorum via, quam cucurrisse gloriatur dicens: Viam mandatorum tuorum cucurri. Breuis semita dilectio. Nam qui diligit proximum, legem impleuit. Et rursum plenitudo legis dilectio. Et viator noster Iesus qui exul-

C tauit vt gigas ad currendam viam, Nunquid à primo mane natiuitatis vsque ad meridiem prædicationis & nunc ad vesperum, dum hora sui occasus venit, quo transiret ex hoc mundo ad patrem, viam hanc dilectionis indeuiabiliter peragrauit? Audi (si hæsitas) præsens verbum: Quia cum dilexisset suos qui erant in mundo, vt pote pro eis natus, pro eis postmodum prædicationi sedulæ & laboriosissimæ deditus, in finem dilexit eos, pro eisdem morte spontanea duriter oc-

D cumbendo. Et bene dicitur, in finem, diligunt enim aut diligere videntur nos hostes nostri, sed ad tempus, non in finem.

Diligit mundus, dum fortuita bona auri argentiuè cumulos suis distribuit, sed nõ in finem, quia morientes nudos deserit. Diligit caro blandimẽta illecebrosásque voluptates subministrans, sed non in finem, quia diuulsa ab animæ nexu vermibus scaturit. Diligit dæmon, dum vanis honorum vehiculis hominem extollit, sed non in finem, quia miseram animam allidit dum alleuare-

E tur, & in abyssum deijcit. At verò Christus Iesus cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et ita profectò dilexisti tuos in finem salutifer Christe, tum verbis, tum longè patentius factis. Hinc illa cœnæ paschali communicatio, hinc humillima in pedum ablutione subministratio, hinc memoralis æterni sub sacramenti specie derelictio, hinc exhortatio crebra vehemens & prolixa ad dilectionem, hinc postremò oblatio tuæ humanitatis ad omnem pœna-

F rum & contumeliarum durissimæque mortis pro sua salute perpessionem. Quisquis ad hæc quinque signa per Christũ exhibita: conuerterit oculos, intuebitur quam rectè dictum est: Quia cum dilexisset suos qui erant in mundo, &c. Habet itaque vera dilectio iuxta quinque prædicta. Primò amicabilem participationem. Propterea cœnauit hodie ipse qui charitas est cum discipulis & hoste. Habet secundò obsequiosam humiliationem, idcirco lauit pedes eorum & extersit. Habet tertiò liberalem sui ipsius donationem, ideo præbuit seipsum, quo maius nil dare poterat in Eucharistiæ sacramẽto. Habet quartò diffusiuam

verita-

veritatis & sui publicationem, propterea ad habendum charitatem mutuam animauit. Habet quinto permanentem stabilitaté, propterea morti non cedit nec tormentis. Et cum dilexisset suos, &c. Concordantias istorum si requiris, pleni sunt sapientales libri, qui de Christo sapientia patris sunt contexti.

Ad has quinque dilectionis proprietates non operosum est reducere illas sedecim ab apostolo positas. 1. ad Corinth. 13. Charitas inquit, patiens est, benigna est, &c. Nam quia charitas communicatiua est & singularis, ipsa eadem patiens est, benigna est. Quia obsequiosa & humilis, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur. Quia diffusiua est sui ipsius & liberalis non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, quia manifestatrix est sui ipsius & veritatis, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Quia denique permanens est & fortis, omnia suffert, omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet, & nunquam excidit. Istæ sunt veræ dilectionis proprietates & signa, quibus apertum dedit indicium Iesus, cum venit hora eius vt transiret ex hoc mundo ad patrem, quia cum dilexisset, &c. Quod si quis pulcherrimum Ciceronis de amicitia libellum, & dicta Aristotelis. 8. & 9. Ethico. & Senecæ in quibusdam epistolis inspicere voluerit. Has veræ amicitiæ proprietates notatas inueniet. Quantum hominibus salubris fidei ex partibus differere datum est. Sed quia fidelis fidelibus loquor, plus habent authoritatis apud me Pauli verba, quam Tullij, & theologi Ioannis, quam philosophi Aristotelis. Amplius quia amicitiæ iura ad paucissimos arctauerũt, nos verò illam loquimur amicitiam secundum quam iure præcepti diuini homo quilibet absque vlla exceptione amandus est iuxta illud: Diliges proximum tuum, &c.

Quamobrem pede quo cœpimus gradiamur, vt ad amandi artem cognoscamus, intremus scholã Christi, qui verius à Christianis quam Cupido vel Venus à poëtis, Deus amoris appellatur. Est enim Deus dilectionis non solum amicorum, sed etiam inimicorum, cum dilexisset, &c. Frustra planè sperat aliquis in tremendo supremi cancellarij examine transire ex hoc mundo ad patrem, si dilectionis artem nesciuerit. Similiter incassum idem gloriatur de religionis obseruatione, de perambulatione mandatorum Dei, si non exemplo Abbatis & ducis nostri Iesu Christi iugum charitatis tollat super se, regulámque dilectionis obseruet, in puncta quinque prædicta condistinctam. Obserues in primis ô discipule Christi, vt exemplo eius sis communicatiuus & familiaris ad proximum, non tam corporali quam mentali consortio, & animi quadam præparatione. Corporalis enim exercitatio quæ fit in comessationibus & confabulationibus ad modicũ vtilis est, non respuenda tamen cũ tempus postulat aut res. Nequit autem animus impatiens defectũ proximi & austerus, amicabiliter cũ eodem copulari, indignatur poti⁹, refugit, aspernatur, & quasi durum colliditur. Patientia verò & benignitas eũ mollificant, liquefaciunt, tractabilémq; efficiunt, ac perinde copulatur facile ad proximũ, vbi etiã durus per iniurias, probra vel contumelias extiterit. Vides quia vt

A charitas communicatiua reddatur, vt patiens ac benigna fiat necesse est. Difficile hoc esse clamabis vt iniuriantes ames, benignéque suscipias. Difficile est fateor (inquit Naso) sed tendit in ardua virtus. Alioquin non dixisset Sapiens: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Et quomodo dominatur quis animo suo petis? Elucidat veritas: In patientia inquit, vestra possidebitis animas vestras. Et quid possideri nisi dominari? Iugum hoc charitatis prius tulit Christus ne fortè credas intolerabile, seruauit regulam amoris & viam dilectionis ambulauit.

B Nam quæ iniuria crudelior? quę trunculentior odij rabies, quam vt discipulus magistrum, filius patrem, familiaris dominum, beneficiatus beneficum absque vlla nec verbali quidem læsione prodere audeat hostibus capitalissimis & in necem horrendissimam osculo tradere? Hic talis & deterior quam verba scribere sufficiant, erat Iudas erga Christum. Sed accipe quid Abbas noster patiens & benignus effecerit, & quo pacto quinque puncta regulæ charitatis in

C hoc vno compleuerit, cum tam noto tamque scelerato proditore suo epulatus est. Ecce primũ. Ad pedes eius sacrilegos abluendos imperiosam ceruicem mira humilitate deflexit, habes secundum. Et eidem seipsum sacramentaliter exhibuit, habes tertium. Ipsum vt resipiscendo diligeret, absque vllis contumeliæ vocibus monendo terrendóque commonuit, habes quartum, ad ipsius denique proditorium nefandúmque osculum os dedit, nec extinxit aut tepefecit amoré suum tanta infidelitatis, ingratitudinis, iniquitatisque gla-

D cies quo minus animã pro ipso poneret, nec ideo minus pro ipso, quia simul & pro multi habes quintum.

Erubescat hæc audiens discipulus Christianus quem tanta leuitate frangunt iniuriæ, qui ad vnũ puerile verbum durius factum, implacabiliter excandescit, reijcit patientiam, iugum dilectionis à ceruicibus excutit, discindit vestem nuptialem charitatis, benignitatem execratur, & oculo toruo, facie minaci, tumenti silentio, vel canino la-

E tratu, ad vindictam exercendam tota iracundiæ furentis auiditate currit & rapitur. Porrò quanto satius esset obliuisci iniuriarum & hominem ad patrem ex hoc mundo transiturum nequaquam talibus irretitum & implicatum retardari, & attendere illud Terentianum, homini in vita nihil esse melius humanitate atque clementia. Quantò consultius egit mansuetissimus Dauid erga maledicentem sibi Semei 2. Reg. 16. Dimittite inquit, vt maledicat, si fortè respiciat Domi-

F nus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Et ita profectò Deus iudex vindexque supremus, si ad eum causa tuæ iniuriæ per patientem benignitatem remittatur, dabit pro malo hoc bonum virtutis & gloriæ. Alioquin non dixisset: Mihi vindictam & ego retribuam. Sed si per impatientiam propriũ Dei velis vsurpare iudicium & vindictam exquirere, perdis operam, & causam tuam deteriorem efficis, simulque teipsum lædi, & euocatur rancor in animo, sollicitudo molesta prosecutionis, & vbi etiam sub iudice lis est, semper in incerto versaris, ne plus æquo tuas prosequaris iniurias.

Nam & si paruæ sint, nemini tamen iniuriæ suæ
paruæ videntur, ait Iulius Cæsar apud Salustium
in Catheli. Notus est mihi vir tempore nostro,
quicquid inuidia obstrepet, clarissimus & absque
vlla dubitatione doctissimus, qui grauibus & in-
gratis lacessitus iniurijs extitit, spreto omnis iuris
diuini & humani ordine. Sed per hæc & similia
medicamentorum spiritualium antidota, quæ in-
numerabilia sunt inductus est, malè silentio cede-
re calumniantibus, quam eorum vexationibus
comprimendis & puniendis intendere. Et cur nō
egisset hoc Christianus miles pro vita æterna?
quando tot incredulos loquuntur historiæ, qui
iniurias suas patienti benignitate dissimulandas
magis quam vindicandas (præsertim cum pertur-
batione reipublicæ) iudicarunt, & spontaneo se
damnarunt exilio. De his Valerius libro quinto
de ingratis, de Furio Camillo, de Scipione Afri-
cano & Nasica: de Hannibale & alijs Sentio
quam breuis hora supersit, quæ reliquas dilectio-
nis proprietates compellit transcurrere potius
quam tractare. Si cupiditas pro spe inanis glo-
riæ vel pecuniæ, facit hominem exterius com-
municatiuum, patientem, benignum, amicabilē,
quod in adulatoribus & dissimilibus temporibus
colligitur, quanto magis hoc efficere habet vera
charitas pro spe felicitatis æternæ. Sed sentio quā-
ta velocitate sol decliuis ad vesperum pertran-
seat. Et quidem pertimesco, ne aqua nostræ lo-
cutionis parum clara, parum nitens & feruida
paulo minus stillauerit in mentalem quorundam
auditorum peluim, etiam vsque ad sufficientem
ablutionem pedum & sordium. Quamobrem
venit hora & iam est, vt transeat sermo ex hoc ver-
borum strepitu ad silentium. Et ea plurima quæ
de transitu nostro via charitatis regia dicenda su-
perant, quam tractare disposueram prætermittat,
hoc vnum sub ipso fine tandem admoneo, vt dū
sumus ante diem festum paschæ, dum venit ho-
ra vt transeamus ex hoc mundo ad patrem, ex ter-
rena scilicet conuersatione ad virtutem & gratiā,
præparemus nos ad edendum dignè cibum no-
stræ salutis, viaticum nostræ peregrinationis, pas-
cha verum, transitus nostri in Eucharistiæ sacra-
mento, quatenus ambulemus in fortitudine cibi
illius vsque ad montem Dei, & per viam chari-
tatis regiam gradientes, & neque ad dexteram
neque ad sinistram declinantes, transeamus de
virtute in virtutem donec videatur Deus deorum
in Sion. Deus ille qui cum dilexisset suos qui erāt
in mundo, in finem dilexit eos. Deus noster Ie-
sus Christus cū patre & Spiritu sancto vnus Deus
benedictus in secula seculorum. Amen.

SERMO IOANNIS GERSON IN DIE SANCTI *Ludouici.*

DEDIT *illi gloriam regni.* Scriptum est
originaliter. 1. Paralip. 29. & vlti. cap.
& ad litteram de ipso rege Salomone.
Transsumitur autem nūc ad gloriosum
regem nostrum beatum Ludouicum huius ca-
capellæ inclytæ, immò totius regni Franciæ pa-
tronum singularem. Te in primis gloriosam vir-
ginem, cui gloriam regni talem dedit Deus, vt
A & regina misericordiæ & regina cœlorum voca-
ri merueris, & beata dici de omnibus generatio-
nibus implorabimus salutantes & salutabimus
pro impetratione gratiæ postulantes & dicentes:
Aue, &c. Dedit illi, &c.

Ecce reuerendi patres doctissimi & sapientes
viri. Ecce nunc accessisse vos considero ad mē-
sam verbi Dei de qua per prophetam. Parasti in
conspectu meo mensam: & Sapient. 9. de eadē
dictum est sapientia quod posuit mensam & mis-
B cuit vinum. Hanc verò mensam apponi hoc
die, hoc loco & hac hora & mos habet hacte-
nus, & gloriam regni decet regni tum literalis,
tum mystici, quod est vniuersitas hæc insignis &
præclara. Porrò quanta sit auiditas vestra so-
bria & sancta gustandi in hac mensa panem il-
lum qui est verbum procedens ex ore Dei, ex
quo viuit homo. Matth. 4. & Deuteron. 8. fre-
quens iste vester conuentus ostendit. Sed quid
dicam? Dies, locus, hora, conuiuæ, præsto sunt,
cocus sibi ministrator ordinatus deest, vt videa-
C mur incidisse in illud Tren. 4. Paruuli petie-
runt panem, & non erat qui frangeret eis. Co-
quum diuersorum ferculorum appello reueren-
dum in Christo patrem ac magistrum dominum
Abbatem sancti Germani de pratis. Ille vt egre-
gius & aptè institutus parauerat vobis cibum ele-
ctum non dubito preciosum, lautum, splendi-
dum, saporosum. Sed fortibus vinculis æstuan-
tium febrium correptus (ita enim summo regi-
familias placitum est) ipse grabatulo valitudina-
D rio tenetur obstrictus, impotens est accedere. Et
hanc ipse impotentiam tardè plurimum & nimis
insinuare fas habuit. Erat enim velle suum vali-
dum accedendi huc etiam supra corporis vires.
Verum nihil est quod non exuperet & frāgat for-
tis ægritudo. Itaque dicere habent cum Aposto-
lo: Velle mihi adjacet, sed posse non inuenio.
Quid ageret tunc istud venerabile & insigne, e-
gregium & regium collegium hæc audiens, quo
se verteret inter has angustias cōstitutum. Remit-
teret vos absque cibo ieiunos, hoc autem insoli-
E tum, turpe, incuriale, inhonorum. Ministraret
ex improuiso verbi cibum, hoc vero difficile &
formidine quadam deficiendi trepidulum vide-
batur. Tentatæ sunt viæ multæ, & (vt sub com-
pendio rem eloquar) sarcina hæc prædicationis
debilibus humeris meis cum multis & magnis in-
culcationibus imposita est.

Quando imposita est? Die martis primo
post vesperas, & sero illo recepi primò thema
ab altero iam assumptum. Neque enim thema-
F tis & ex consequenti neque materiæ electio mi-
hi relicta est, quo magis ignoscat, & benigna
sit prudentia & humanitas vestra. Renitebar
quidem multa & varia animo circumuoluens.
Nimirum perterrebant me plurima, duæ præser-
tim effigies horridæ concutiebant mentem meā.
Vna arrogantis temeritatis notatio. Altera fœ-
di & turpis defectus formidatio. Ita videli-
cet si in mensa & conuentu isto celeberrimis,
ego quadam frontosa aut stolida animositate
improuisus accederem prædicationis epulas mi-
nistrare, velut illotis (sicut dicitur) manibus,
velut sordidulis verborum vasculis atque ficti-
libus,

fictilibus, velut gestu immaturo turbatóque, quæ omnia nauseam, risum & cachinnum discumbentibus magis quam refectionem præbere videretur. Itaque prædicator vitiosè prædicans, quid aliud est quam homo magnis vocibus ad sui irrisionem inclamitans & inuitans? Nihilominus exposui me & fortunas meas ad mandata & concilia illorum, quibus nihil negare, nihil non credere fas habui. Sciens ergo & fidens in flammam mitto manum, vt Hieronymus loquitur, sciens quod non est ludus prodire in publicum & tale publicum. Cognouistis nuper ex prouiso qualis eram, & si gloria inde fuit, ego illam contemnere & humilitatis pedibus premere habui. Nunc eodem animo infamiam si qua oborta fuerit, & verba hominũ hincinde volitantia Deo propitio contempturus sum sciens cum Apostolo & Hieronymo quod per infamiam venitur ad Christum, quod oportet scire abundare & scire penuriam pati. Et fides prætereà in auxilio illius qui dixit: Aperi os tuum & implebo illud adiuuantibus intercessionibus regis nostri, de quo nunc ostensuri sumus quod dedit illi dominus gloriam regni.

His ita pro re & tempore prolocutis & absque mendacio nostro verè prolocutis (absit à nobis tam publicum & impudens mendacium) ad rem venio, ad sermonem quem in tres partitiones condistinguo, in generalem, in specialem, & in particularem. Dedit illi gloriam regni. Quis dedit? Non dubium quin ille à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. Iacob. 1. Ille qui habet in vestimentis & in femore suo scriptum: Rex regum & dominus dominantium. Apoc. 19. Sic enim antonomaticè loquendum fuit absque nominis expressione, de illo in cui⁹ manu est dare regnum cui vult, & mutare, quia dominatur filijs hominum. Daniel. 4. Sed cui dedit? Vtique regi nostro, de quo hodie sermonem habituri sumus beatissimo Ludouico. Quid verò dedit? palam positum est, quia gloriam regni. Dedit ergo illi gloriam regni. Verum ex propheticis & sacris eloquijs quæstio pulsat animum. Ait itaque dominus ex ore Esaiæ 42. Gloriam meam alteri non dabo, quæ gloria planè est gloria regni, quoniam alibi legitur. 1. ad Thimot. 1. Soli Deo honor & gloria. Regnum insuper & imperium, &c. Apoc. multis capitulis, vtimur ergo cõplexione tali. Si soli Deo gloria & regnum, qua ratione gloriam regni Ludouico putabimus ascribendam? Aut si Ludouico datur gloria & regnum, quo pacto soli Deo erit regnũ & gloria? Absoluimus hanc dubitationem ex nominum seu terminorum declaratione. Terminorum quippe ignorantia quotidie multos paralogizare facit in omni materia. Et dicimus cum eleuatis & sanctis doctoribus & illustratis metaphysicis, quod nihil de Deo & creatura vniuocè prædicatur, sed vel æquiuocè vel saltem analogicè & per quandam similitudinem, appropriationem & reductionem, quemadmodum sanitas analogicè dicitur de vrina & medicina & corpore sano. Confitemur ergo quod soli Deo honor est & regnum & gloria & imperium propriè & eminẽter, per abnegationem omnimodæ seruitutis, & elongationem ab omni subiectione. Sed alijs communicata sunt ista per imitationẽ & participationem

A analogam. Hinc saluator qualiter prima & sola est veritas ipse Deus, vt est intentio Anselmi, tractatu de veritate, & quod sola est bonitas, sola est pulchritudo, & similia, sicut Deus est omnia in omnibus, secundum Apostolum & Dionysium de diuinis nominibus. Ad cuius Dei exemplar & imitationem dicuntur cætera vera & pulchra, immo ens & vita. Noli mirari, quoniam cõsonat ad illud quod communis schola tenet de bonitate actus exterioris, quę tota dependet à bonitate intrinseca actus interioris, non quin actus exterior sit bonus,
B & quin habeat distinctam bonitatẽ, sed quia illam non habet in eadem plenitudinis ratione sicut interior, & non nisi participatiuè & imitatione ad ipsam. Dicamus pariformiter de gloria regni quã in hominibus reperimus, quod illa est per imitationem ad Deum, quemadmodum insinuasse videtur, non solum vt theologus, sed vt metaphysicus ipse sapiens, Ecclesi. 23. dum ait, quod gloria magna est sequi dominũ. Sequi autem quid aliud est quam imitari, hoc modo accipiendum est verbum thematis propositi. Dedit illi gloriam regni.
C Et hic assumo priusquam ad vlteriora progrediar tres considerationes.

Prima consideratio.

Attribuere beato Ludouico aut cuicumq; alteri sanctorum gloriam regni & honorem idololatria est, si gloria regnum & honor in sua proprietate prima capiantur. Alioquin ea non essent vera, quæ totiens inculcat scriptura, quod soli Deo honor & gloria, sicut & solus est potens, solus sapiens, solus bonus. Nemo bonus nisi solus Deus, & ita nemo
D virtuosus, nemo honorandus, cum sit honor exhibitio reuerentiæ in signum virtutis.

Secunda consideratio.

Fas est attribuere beato Ludouico aut alteri sanctorum gloriam & honorem per imitationem & reductionem ad Deum, immo tali modo gloriam & honorem tribuimus, tum imaginibus, tum reliquijs, tum locis sacris, & similibus Deo dedicatis, in quantum ducunt finaliter in reuerentiam Dei & honorem. Quare autem non sic liceat attribuere diabolo, qui est imago Dei in suis naturalibus,
E & de multis alijs dubitationib⁹ dicere cessabimus, ne diuerticula hæc impediant principalem nostræ orationis semitam & cursum. Remitto vos ad Guilelmum Parisiensem in de fide & legibus, & cæteros super sententias.

Tertia consideratio.

Omnis gloria regni in rebus creatis fundatur in titulo ordinatæ subiectionis atque seruitutis, ita quod Christus legislator noster non solum theologicè, sed etiam metaphysicè collocauit funda-
F mentum omnis gloriæ & regni & perfectionis euangelicæ in subiectione, vt tandem sui pudeant infideles fidem de stultitia lacerantes, quando ex eorum schola altissimas nostræ legis conclusiones possumus comprobare, vt istam ex duodecimo metaphysicæ de fœlicitate intelligentiarum per subiectionem ad primam. Pudeat insuper elatos qui non in domino, sed in se tanquam non acceperint gloriantur. Aliter à fideli Centurione qui locuturus de sua dominatione pręmisit, quod erat sub potestate cõstitutus. Hanc verò subiectionem appellat aliquando Christus paupertatem spiritus, vt Matth. 5. Beati pauperes spiritu. Quandoque

nominat eam humiliationem, vt ibi. Qui se humiliat, exaltabitur. Luc.14. Quandoque minorationem, vt ibi: Qui maior est vestrum, erit sicut minor. Luc.22. Et ita patet quod non solum ex ficta humilitate, sed ex rei veritate & proprietate maior in Ecclesia dicitur seruus seruorũ. Et omne dominium rationalis creaturæ quanto est latius, tanto habet plus de subiectione permixtum. In his fundant sancti nominatim Guillelmus Parisiensis peccatum Luciferi, quia præesse absq; subiectione atque seruitute & mutua refamulandi vicissitudine concupiuit. In hoc etiam fundatur omnis iniquitas tyrannidis, quia tyrannus non ad vtilitatem aliorum, sed ad propriam requirit dominari. Et hæc consideratio reprobat euidẽter omnem auariciam proprietariã, quoniam nullum ens recipit bonum aliquod, quin teneatur esse illius diffusiuũ secundum possibilitatem suam & ordinem diuinę sapientiæ. Multa plus plurima possent induci, propter quæ & similia consequenter concludere fas habemus, quod in beato Ludouico illa reperta sunt ex gratia Dei. Dedit illi gloriam regni. Vt ad eundem beatum Ludouicum, dirigentes sermonem dicamus: gloriam regni tui dicent & potentiam tuam loquentur. Et in hoc terminatur prima nostri sermonis pars quã in generalitate quadam consistere cognoscitis. Deinceps pro secunda parte quæ ad specialiora descendit animaduertendum est, quod supremus rex vniuersorum Deus vltra communem & publicam in rebus omnibus creatis suæ bonitatis diffusionem dat ex specialib⁹ quibusdam titulis creaturæ rationali humanæ triplex regnum. Dat regnũ naturale & intrinsecum seu monasticum & personale. Et illud fundatur in subiectione ad rectã rationem. Nolo mihi credas si non ostendero ex schola philosophorum qui hoc asserant. Vis (inquit Seneca) omnia tibi subijcere subijce te rationi. Audi quid adiecit: subijce te rationi. Dat regnum ciuile & politicum, & illud fundatur in subiectione ad publicam vtilitatem cum electione vel Dei vel hominum, vel hæreditaria successione. Huius rei mihi testis est philosophus in politicis, qui per hoc inter regnum & tyrannidem condistinguit. Dat regnum diuinale & euangelicum, & illud fundatur in subiectione ad ipsam charitatem. Audi Christum in euangelio hodierno: Primum quærite regnum Dei & iusticiam eius (quæ est charitas) & hæc omnia adijcientur vobis. Hoc regnum potest quotlibet dominis ex æquo conuenire. Et est inabdicabile seruata charitate. Rursus de primo Luc.17. Regnum Dei intra vos est. Et Horatius in odis: Latius regnes auidum damnando spiritum, quam si Libiam remotis Gadibus iungas, & vterque Pœnus seruiat vni. Et Seneca in epistolis: Imperare inquit, sibi magnum est imperium vel regnum. Et Sapiens: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. De his Cicero Paradox. 4. & Horatius in Odis & Satyris, & Boëtius de Consol. cadunt in eandem sentẽtiam. De secundo nimis abũdant auctoritates scripturę, vt in themate nostro ad literam. Et ibi regnauit Dauid, regnauit Salomon. Et de iure huius regis habetur. 1.Reg.8. ca. de electione. Deut.17. Sub hoc regno comprehendo omnem ciuilem politiam siue sit Ecclesiastica siue temporalis. Quod enim Ecclesia appellatur regnũ, habemus. Mat.13.
A De tertio dicat nobis testimonium conscius secretorum diuinorum Ioannes Apocal. 1. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. Quod vtique fit per gratiam siue charitatem. Et Petrus: Vos estis regale sacerdotiũ. Et glo. ad Rom.1. Seruire Deo regnare est. Immo audi quæso qualiter ipsæ etiam virgines Christianæ philosophantur. Dic nobis beata Agathes, in quo consistit regnum quodlibet seu ingenuitas generosa? Ingenuitas summa hæc est, in qua seruitus Christi comprobatur
B quo minus admiror Boëtium in hac sententia: Cuius agi frenis summa libertas est. Frenum Dei accipe, iugum suaue, & onus leue charitatis, vt ibi. In funiculis Adam traham vos in vinculis charitatis. Porrò gloria cuiuslibet regni est pax seu tranquillitas & serenitas eius. Notat Maximus Artaxerxes in epistola sua, Hester 13. De qua gloria aptè intelligitur verbum nostrum si ad beatum Ludouicum traducatur, quod dedit illi gloriam regni.

C Eya nunc pergamus vltra id agere quod in omni pertractatione difficillimum est. Describamus quodlibet illorum regnorum, vt ex descriptione velut ex luce perspicua splendescat, quicquid & diximus & dicturi sumus. Regnum in sua generalitate est societas ordinata in imperando & obediendo secundum legem æternam, vtendo legis æternæ nomine, sicut Augustinus loquitur describens peccatum, quod est dictum, factum vel concupitum contra legem Dei æternam. Hanc legem appellare possumus vel diuinam sapientiam, vel
D diuinam voluntatem, vel diuinum rectæ suæ rationis iudicium, in administratione rerum ab eo conditarum, quæ participatiuè plus & minus deriuatur & effluit in omnes creaturas, præsertim in habentes vsum rationis. Vtrum verò lex æterna dicatur prius de intellectu diuino quam de voluntate, discussionis onus non hic suscipio, quia de hoc in summa multa locutus est. N. & faciliter se homo resoluit si propriam vocem & conceptum cognouerit, & si non se per chimerinas phantasias gratis inuoluerit. Regnum naturale & intrinse-
E cum seu monasticum in homine est societas ordinata in imperando & obediendo virium diuersarum, vt sunt intellectus, voluntas, sensus, & hoc secundum dictamen rectæ rationis naturalis inditæ. Potest autem describi dictamen rectæ rationis quod est facultas indicatiua, docens tribuere vnicuiq; quod suum est, sicut iustitia describitur quod est perpetua & constans voluntas, tribuens vnicuique quod suũ est. Regnum ciuile & politicum est societas ordinata plurium hominum sub vno
F in operando & obediendo, secundum leges positas & ciuiles, quæ vel diuinitus inspiratæ sunt ad regimen animarum pro æterna gloria quoad spiritualem politiam vel sunt humanitus adinuentæ pro regimine corporis ad vitam hanc mũdanam quoad politiam temporalem. Medium confinxerunt quidam in Ecclesia dum iurisdictiones & possessiones suas (vtique temporales) iurisdictionem spiritualem appellauerũt. Et hoc inuexit confusionem in Ecclesia magnam & scismata horrenda, vt scisma Græcorum & præsens, sicut ab existimatione mea non longè est. Regnum diuinale & euangelicum est societas ordinata plurium vel tanquam

tanquam plurium, in fruendo & vtendo secundum legem & dictamen charitatis. Dicitur vel plurium, propter vires animæ.

Ex his pauculis descriptionibus veluti ex totidẽ syderibus illustrari & cognosci facilius potest quicquid legum omniũ traditiones eloquuntur. Cæterum gloria regni cuiuslibet est (sicut prædiximus.) pax. Est autem pax tranquillitas ordinis, secundum Augustinum 19. de Ciuit. Dei. Ordo verò secundum eundem est parium dispariumque rerum sua cuique tribuens loca dispositio. Loca hic intellige in sua generalitate, prout spiritualibus conuenire potest nomen istud. Erit igitur gloria regni primi, naturalis scilicet & intrinseci pax ordinata siue tranquillitas, temperata omniũ virium in homine in imperãdo & obediendo, hoc autem stare nequit cum peccato. Oportet enim vt iustitia & pax osculatæ sint. Gloria secundi regni pax est ordinata & cõcors ciuiũ in imperãdo & obediendo, hoc similiter requirit iustitiam, quoniam fructus iustitiæ pax inquit scriptura. Et non est pax impijs dicit dominus. Remurmurante sinderesi, quoniam de hoc iudice nemo reus absoluitur. Gloria tertij est pax ordinata fruendi Deo & cæteris vtendi in eo. Hæc pax est inabdicabilis seruata charitate, quamquam non sit præterquam in æterna fœlicitate perfectè stabilita. Et quibus pulchram corrolariorum moralium & metaphysicalium catenam cõnectere liceret si vacaret. Et quoniam rex noster pacem hanc in omni regno suo habuit, tu Deus noster rex vniuersæ creaturæ tuæ gloria & honore coronasti eum, & posuisti in capite eius tanquam in capite veri regis coronam de lapide precioso. Hoc idem sonant verba thematis nostri. Dedit illi &c. Quin etiam ipsa anima regis nostri & filia regis, cui[illegible] omnis gloria est ab intus, tamen in fimbrijs a[illegible]s circũamicta varietatibus operationum fulgẽtium. Signatur insuper amicta sole iustitiæ per illud signum magnum, de quo Apocal. 12. Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Itaque anima regis nostri est mulier ob vehementiam dilectionis. Est amicta sole iustitiæ dum induta est lumine gloriæ sicut vestimento. Et talis apparet in quolibet trium cœlorum animæ, imaginis scilicet rationis & mentis seu intelligentiæ simplicis, vel ad literam in cœlo paradisi. Præterea luna totius mutabilitatis est sub pedibus eius, hoc est affectibus per vsum debitum relatum ad Deum absque fœda subiectione ad eas res per amorem cupidum aut libidinosum. Deniq; corona stellarum duodecim est in capite suo. Et quale est caput istud, nisi ratio sinderesis, vel eius virtus principalis. Quę sunt verò duodecim istæ stellæ, nisi prærogatiuæ duodecim singulares, quibus ornata anima nostri regis refulgens incedit, cui & gloriam regni dominus dedit. Et hæc totidem dicta sunt pro secunda parte nostri sermonis, quæ specialiora aliqua vltra priora apposuit.

Exponamus nunc pro tertia parte & vltima, particulariter & breuiter gloriam regis nostri, tum ad sui præconium, tum ad nostram qualemcumq; ædificationẽ. Enumeremus (si possimus, domino ministrante) duodecim istas stellas coronæ suæ, quæ est corona perfectionis inclyta protegens eũ. Prouerb. 4. Sunt autem quatuor prærogatiuæ

A seu dignitates, & sereni fulgores tanquam quatuor stellæ præfulgidæ in corona regis nostri, & hoc ratione primi regni. Quatuor ratione secundi, quatuor ratione tertij, & in hoc quaternitatis ternario corona regis nostri radiosa consumatur. Et nos in earum dinumeratione sermonis nostri Deo propicio terminũ statuemus. Nos vero sumemus ternarium istum secũdum triplicem habitudinem quam habuit rex noster in triplici regno. Vna fuit ad seipsum, alia ad proximum, tertia ad Deum. Rursus ternarium huius quaternitatis stellarum

B fulgentium sumemus ex triplici consideratione & distinctione quatuor virtutum cardinalium. Quæ distinctio posita à philosophis & theologis nominatim à Plotino Platonico & à recitatione eius in hoc à Macrobio. Nam triplicem istam quaternitatem virtutum constat ex hac triplici consideratione duodenarium numerum perficere. Sunt igitur virtutes quatuor Cardinales: Prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Et harum quælibet conuenit homini, vel vt ordinatus est ad seipsum in regno monastico, aut vt ordinatus ad al-

C terum in regno politico, aut vt ordinatus ad Deũ in regno euangelico. Primo modo dicuntur purgatoriæ, secundo modo politicæ, tertio modo purgati animi. De exemplaribus nihil ad propositum, quia vel nullæ sunt aut soli Deo conuenire noscuntur. Hi sunt tres status hierarchici, & tres actus, qui sunt purgare, illuminare, perficere, &c. De quibus Dionysius in multis locis. Hæc igitur pro fundamento memori mente retinentes, cir-

D cumuoluamus paulisper aciem nostræ considerationis raptim & in trãsitu per hunc stellarum duodenarium.

Prima stella in corona regis nostri fuit fulgor lætus & serenus prudentiæ purgatoriæ, cuius officium vel influxus est omnem animi cogitationem principaliter in diuina dirigere, & huic correspondet fides, & radij tot sunt quot sunt Catholicæ veritates. Vel radij ratio intellectus, circunspectio, prouidentia, docilitas, cautio, &c. Hanc ab adolescentia habere studuit inclytus & serenissimus

E rex noster, dum litteris sacris & Catholicis erudiri studuit quantum satis erat ad Deum fide sincera cognoscendum & cognitũ diligendum. Ea porrò quę didicerat, postmodum filio suo propria manu scripsit. Vbi in paruo opusculo magna nitet prudentiæ huius sancti claritudo. Et hic laudanda occurrit pia & memorabilis mater sua, à qua domi habuit vnde talia disceret, sicut Terentij sermo est. Detestandæ sunt ex aduerso miseræ matres nostri temporis, quæ mille modis perdunt filios suos in

F omni gradu & ordine, dum moribus & exemplis perditis narrant pueris suis fabulationes, sed non vt lex tua domine Deus noster, & insanias falsas. Prudentia fidelis in rege nostro nituit signis multis. Primò dum dixit se nolle videre miracula pro sacramento altaris confirmando. Secundò dum de fide sollicitus audiebat. Tertiò dum propter hoc inter simplices sedens basè, sermones audire non confundebatur. Quartò dum voluit vt sibi veritas diceretur ab omnibus, & hoc monuit in filio, vt talem se præberet cui dicere veritatem homines non timerent. Sciebat quod principes cum multa habeant, non habent (vt Seneca ait)

qui eis dicat veritatem, & ipsi sibi causa sunt, dum dicunt saltem signis: Loquimini nobis placentia. Princeps autem qui libenter audit verba mendacij, verba adulationis, omnes ministros habet impios, sicut testimonium ab experientia sumpsit sapiens. Denique præclarè dictum est à Tullio in de amicitia: Cuius aures clausæ, ne veritatem ab amico audiat, huius salus desperanda est.

Secunda stella fuit serenus fulgor temperantiæ purgatoriæ. Cuius officium est ea moderatè sumere, quæ corporis vsus requirit. Huius radij sunt modestia verecundia, castitas, fragilitas, sobrietas & pudicitia. Ex quibus omnibus sicut regem nostrum commendat legenda sua. (Corpus enim ieiunijs multis atterebat) ita plures è iuuenibus & hominibus huius fœdæ ætatis nostræ vita reproba inculpat.

Tertia stella fuit fulgor serenus fortitudinis purgatoriæ. Cuius officium est non terreri morte vel cæteris incommodis corporis vel fame ad peccandum. Cuius radij sunt: magnanimitas, fiducia, securitas, magnificentia, constantia, tolerantia, firmitas, longanimitas, perseuerantia. Hæc fortitudo satis enituit in regno proprio, in forti domatione carnis propriæ cum illo imperatore Valeriano, qui dixit se de vno triumpho gloriari, quia hostem sæuissimum domuerat carnem suam.

Quarta stella fuit fulgor serenus iustitiæ purgatoriæ. Cuius officium est vires omnes suas ad ordinem rectæ rationis disponere. Cuius radij sunt innocentia, amicitia, concordia, pax, latria, dulia, pietas, religio, humanitas, contritio, pœnitentia, satisfactio. Hanc stella nonne habuit rex noster, dum voluntas subdita fuit Deo, dum rectè imperauit viribus inferioribus, dum inferiores obsecutæ sunt? & è contra in peruersissimo quorundam regno videmus, quod asinus, scilicet corpus sedet in throno regni & regina ratio pedibus eius indignè conculcatur. Fœdum prorsus & inhonorum spectaculum, quanquam quotidianum & publicum. His quatuor fulgoribus enitescit hominis regnum in seipso, & enitescebat in Ludouico. Dedit igitur ei dominus gloriam regni, in hoc primo regno. Proinde circumducamus oculos nostræ considerationis ad secundum quaternarium, & videbimus quintam stellam & primam in hoc ordine, quam dicimus fulgorem serenum prudentiæ politicæ. Dedit illa stella radios suos per totum regnum Franciæ, prudenter dirigendo status omnes in finem suum, secundum consilium Aristotelis in politicis. Vnde causas rex noster personaliter & sedulus audiebat, prudenter examinabat, celeriter terminabat.

Sextam stellam ponimus temperantiæ politicæ fulgorem serenum & honorum. Cuius inter cætera officium est, alienas coniuges aut filias non concupiscere vel rapere, in qua virtute si Scipio, quia captiuam vnam reddit plurimum collaudatur à Romanis, rex noster quantis est præconijs extollendus qui inter tot captiuas nulla abusus est? Tarquinius quia Lucretiam intemperanter corrupit, regno priuatus est, datus in exemplum, vt discant alienas non rapere principes impudici.

Septimam stellam esse ponimus fortitudinis politicæ fulgorem serenum. Hæc fortitudo satis enituit in rege nostro in bellis & carcere barbarorum. Octauam stellam esse dicimus iustitiæ

A politicæ fulgorem serenum. Cuius radij sunt, ius suum vnicuique tribuere & hæc dicitur. 5. Ethic. præclarissima virtutum. De iustitia regis nostri tota legenda sua respersa est, consonè in hoc ad similitudines nostras de stellis. Vnde & sibi ascribitur, quod habuit quasi pro oraculo singulari illud: Beati qui faciunt iudicium & iustitiam, &c. His quatuor fulgoribus illustrauit regnum Franciæ inclytum rex noster, consulendo reipublicæ, eámque tuendo vt reponatur iure inter eos quos

B egregius poëta loquitur, quique sui memores alios fecere merendo. De quibus etiam Scipio loquitur in somno suo, quod à Cicerone in libro de republica inductum est à Macrobio diligenter expositum, vbi defensores reipublicæ æthereas adipiscuntur mansiones. Et ita rex noster habuit gloriam regni secundi. Denique in quatuor istis virtutibus, vt sunt purgati animi, sumimus quatuor reliquos fulgores serenos & diuinos quasi quatuor nouissimas stellas. Et per has decoratur, illustratur & effulget regnum tertium, regnum chari-

C tatis, secundum vitam contemplatiuam, eleuatam & diuinam inchoatiuè quidem & imperfectè in hoc seculo, & in altero fœlicitate consummata.

Radiatio nonæ stellæ quæ est prudentia purgati animi, facit spiritualia sola & diuina (quasi nihil aliud sit) contemplari, hoc acquirere difficillimum & veluti impossibile est hominibus occupatis. Stude (inquit Seneca) bonæ menti, quam nemo occupatus inuenit, non dicit habuit, sed inuenit, quoniam habita potest in medijs occu-

D pationibus conseruari, sicut in sancto nostro & Dauid & Bernardo & alijs, & cæt. Radiatio temperantiæ purgati animi terrenas cupiditates facit non solum reprimere, sed penitus obliuisci.

Radiatio vndecimæ stellæ quæ est fortitò purgati animi, facit passiones ignorare, non vincere, vt nesciat irasci, cupiat nihil.

Radiatio duodecimæ stellæ, quæ est iustitia, facit mentem cum superna & diuina lege sociari, vt seruet cum ea perpetuum fœdus imitando, & fiat cum eo vnus spiritus. Immo vt Bernardus

E loquitur ad fratres de monte Dei, fit spiritus id quod Deus, id est, fit impeccabilis per gratiam, sicuti est Deus per naturam. Ita enim ex circunstantia literæ iudicatur, alioquin errasset exponendo, & hæc magis gloriæ sunt quam viæ. Et hoc duodenario nitore, nonne regis nostri nomen congrua interpretatione sonabit lucis dationem, vt Ludouicus quasi lucis dator nominetur? O quanto igitur & quam spectabili decore refulgebat anima regis nostri in triplici regno suo, hac

F corona stellarum duodecim radiantiũ coronata. Et per contrarium cæca tetráque caligine pœnæ omnia hæc regna in Ecclesia sancta Dei confunduntur, obuoluuntúrque. Quale verò regnum inter ista sit perfectius, non dubium quin regnum tertium, regnum euangelicum, in titulo subiectionis ad charitatem stabilitum. De quo plura dicenda essent, applicando tum ad Ecclesiam & schisma præsens, tum ad religiosos & perfectos, tum ad regem nostrum ostendendo qualiter regnum secundum regnum scilicet politicum & ciuile, huic regno & suæ perfectioni nequaquam repugnabat, immo quod & iniusti secundum illud

regnum

regnum tertium, iustè possunt secundum alia duo dominari contra phantasiam aliquorum. Postremò qualis in vnoquoque istorum regnorum iurisdictio regnet; qualis pugna, quales leges & alia plurima induci potuerant, sed nec temporis angustia, nec memoria te tenere passa esset, & ad audiendum vos fortasse fastiditos incompta, inconcinna que prolixitas reddidisset.

Hæc sunt reuerendi patres fercula pauca in vasis verborum, cum omnibus quæ satis tum improuiso ministrare mihi dedit largitor omnium bonorum Deus, cui sit gratiarum actio. Ad quem concludendo orabimus cum Ecclesia. Deus qui beatum Ludouicum Confessorem tuum de terreno ac temporali regno ad cœlestis & terreni regni gloriam transtulisti, eius quæsumus meritis & intercessionibus regis regum Iesu Christi filij tui nos cohæredes efficias, & eiusdem regni tribuas esse consortes, per eundem, &c.

EPISTOLA EIVSDEM DOCTORIS AD QVENDAM VT CELEBRETVR *festum sancti Joseph virginis coniugis sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ. Et proponit tres vias.*

REVERENDO patri domino ac magistro preclarissimo, domino D. Parui cantori Carnotensi, & theologiæ eximio professori: Gratia vobis & pax reuerende ac præclare pater doctor & domine. Meminit (vt opinor) vestra deuotio quemadmodum pię & clarę recordationis magister Henricus Chiquoti concanonicus olim & compatriarcha vester, motus affectu speciali ad virginale coniugium Ioseph cum Maria postquam in vita sua scripserat disertè & sapienter in vno volumine super hac materia. Postquam insuper mecum benignè contulerat, tandem in vltima qua obijt ægritudine sanus mente voluit in testamento suo, loco obitus sui, sicut moris est in Ecclesia celeberrima & antiquissima vestra Carnotensi vbi canonicus erat & domum habebat quod aliqua solemnis commemoratio de prædicto Ioseph fieret, sciens quod laus eius laus Mariæ est. Volens præterea patronum habere tam potentem, virginem eandem ac Iesum filium suum benedictum suadente Iob qui ait: Ad aliquem sanctorum conuertere. Fœlix planè & efficax pro sui obitus commemoratione deprecatio, si gloriosus Ioseph pro impenso sibi honore deuoto preces pro defuncto refuderit. Valet enim mortuis (nouit hoc sapientissima paternitas vestra) seruitium nedum pro mortuis ordinatum, sed aliud quodlibet Ecclesiasticum obsequium, dum adest & fertur ad hoc intentio ministrorum. Addidit præfatus magister Henricus assignationes aliquas redituum, & inter cæteros vos dilectissimum suum & fidelissimum executorem nominauit. Tandem sitiens fortè quod præuentus morte non esset commodè nouitatem hanc seruitij (prout optabat) ordinare, dignatus est opus hoc ad exiguitatis meæ qualemcumque dispositionem remittere. Nouerat enim me iam nonnulla super hoc edidisse. Recogitaui postmodum, mecumque reuolui talis amici pijssimi deuotionem ad beatum Ioseph. Talem

A insuper de paruitate mea confidentiam hoc quidem de iure poterat, qui longè me senior in studio, tam artium quam theologiæ, sub me qui eum licentiaueram voluit incipere. Et quia nunc in hoc sacro Constantiensi concilio fuit assignatus sermo mihi pro natiuitate beatæ virginis. Memor aliquo modo præcedentium assumpsit thema tale quod laudibus Mariæ simul & Ioseph esset accommodum Iacob autē genuit Ioseph virū Marię de qua natus est Iesus qui vocatur Christum. Hunc sermonem

B mittere disposui (quam primū dabitur opportunitas) ad vos & alios canonicos vestros, dominos meos reuerendos, cum alijs quibusdam scriptis conferentibus ad hanc materiam. Occurrunt tamen quædam interim notificanda summatim, nescius enim sum quid futura pariet dies, & ne valeat omnino indiligentia mea culpari. Voluntas vtiq; pij testatoris præfati potest exequi altero trium modorum. Vnus modus est, super quo iam epistolam scripsi, & seruitium qualecumque composui, quod die Iouis in Aduentu quando celebrantur

C ieiunia quatuor temporum, quando præterea die Mercurij præcedente legi celebriter solet in matutinis & Missa hoc Euangelium: Missus est Gabriel Angelus, fieret similiter decantatio solemnis in matutinis & Missa prædictæ diei Iouis de hoc Euangelio: Exurgens autem Ioseph à somnis, fecit sicut præceperat ei Angelus. Et accepit Mariam coniugem suam, & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius Iesum. Fierent in-

D super tres lectiones in matutinis de hoc euangelio, cum expositione & cum responsorijs tribus ad hoc appropriatis. Placebat modus iste primò, quia facilis, nec turbatiuus in aliquo vel impeditiuus ordinarij seruitij de aduentu, non magis saltem quam solemnizatio Euangelij istius: Missus est Angelus. Deinde redditus assignati fortè tenues essent pro dominis canonicis ac ministris, si fieret onerosior in Ecclesia constitutio. Denique euangelia hæc ordine conuenientissimo se consequuntur duo quæ dicta sunt, & tertium de die

E Veneris. Exurgens autem Maria abijt in montana cum festinatione. Alter modus est quod de transitu sancti Ioseph fieret festum celebre, quemadmodum de altero sanctorum, & sicut fit in partibus vltra marinis. Quale seruitium penes me est tanquam de vno confessore, addita proprietate lectionum & hymnorum. Et assignatur celebritas hæc regulariter die octauarum Purificationis beatæ Mariæ virginis, nisi fortè occurrerit tunc Dominica Septuagesimæ aut Sexagesimæ, quia tunc

F fit anticipatio. Alter modus est conformis isti, nisi quod officium totum sit proprium sit proprium, & in altera die hoc fit apud Mediolanenses fratres Augustinenses 19. Martij. Fit & in multis partibus Alemaniæ, sed nescio si sint omnino similes dies & conforme seruitium. Animaduertat tandem circunspectissima prudentia & religiosa mens vestra, quid super præmissis erit acceptius, vigilanterque det operam vt deuotissima dilecti vestri testatoris voluntas non frustretur, quæ Ecclesiæ vestræ sacratissimæ ad honorem, vobis autem omnibus reuerendis patribus dominis ac fratribus in Christo dilectissimis obsequentibus eidem Eccle-

siæ cedet ad virtutem, laudem & meritum, intercedente pro vobis hac venerandissima & diuinissima Trinitate Iesu, Ioseph & Mariæ. In qua bene valete. Scriptum Constantiæ 7. Septembris pro festo Natiuitatis beatæ Mariæ. Anno 1416. Vester ab adolescentia discipulus Ioannes Cancellarius Parisiensis.

ALIA EPISTOLA EIVSDEM CANCELLARII DE EODEM.

ECCLESIIS vniuersis præsertim dedicatis in memoriam beatissimæ & gloriosæ semper virginis Marię. Vnus ex zelatoribus suis indignus, volens diem in honorem virginis eiusdem atque iusti Ioseph sponsi sui testis ac custodis sui celebriter venerari. Pertransibunt plurimi (iuxta verbum Danielis) & multiplex erit scientia. Placuit itaque diuinæ sapientiæ (quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, disponit omnia suauiter) inclinare nouissimis temporibus istis corda multorum vt iusti Ioseph & Mariæ virginale (sicut Hieronymus appellat) coniugium esse venerandum solemni cultu Ecclesiæ doceret atque promoueret sua deuotio. Mouit eos (sicut arbitror) euangelicus sermo prædicans excellenter & crebrò prærogatiuas, quibus enituit ipse iustus Ioseph. Mouit honor & amor beatissimæ coniugis suæ, quæ eum dominũ vocabat, sicut de Sara quoad Abraham dicit Apostolus. Mouit humanitas atque benignitas Saluatoris nostri Iesu, qui subditus erat illis. Mouit rursus operatio miraculorum, quæ ad inuocationem ipsius iusti Ioseph deputant in seipsis & in alijs contigisse. Mouit denique multiplex ædificatio morum quos ex huius sacratissimi coniugij religiosa meditatione mens deuota suscipit, & in ignem copiosum castæ deuotionis exardescit. Nemo propterea deputet arrogantiæ, nemo curiositate, nemo superstitioni, quibus vijs placent vel noua vel insolita vel apocripha, si beatissimum iusti Ioseph cum Maria sibi prius desponsata coniugium per Ecclesias recolendum, cum hymnis & canticis prædicemus, & ita prædicemus, non vt apud vulgares inconditósque tumultus prophano quodam ritu diuulgetur dignissimum nuptialis huius atque virginalis coniugij Epithalamium sicut nec apud Hebræos passim legebantur Cantica canticorum, satis esse videtur, apud Ecclesiasticos graues, si in locis Deo dedicatis, si in canticis suaue sonantis Ecclesiæ absque notabili mutatione veteris officij celebritas memori cultu fiat. Et quidem officium Missæ iam ordinatum, habemus non ex apocriphis vel dubijs, sed ex sacræ Scripturæ verbis, porrò celebrationis annuæ & matutinalis tempus appareret idoneum, Feria quinta quatuor temporum in Aduentu, quando feria quarta præcedente solenniter hoc euãgelium: Missus est Angelus Gabriel, decantatur. Probabile quidem est sine præiudicio sententiæ verioris, & absq; assertionis temeritate, quod solemnizatio coniugij Ioseph cum Maria facta fuerit proxima satis post annunciationem Angelicam, quando Mariam docuit Angelus, dicens: Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, inde enim desiderium visitandi Elisabeth sibiq; ministrandi subortum putatur. Maria verò iam non solum desponsata erat ipsi Ioseph per verba de futuro, sed de præsenti, ac recepta ad familiarem conuictum in propria domo sponsi, more obseruationis Iudęorum. Videamus ergo si peregrinationi satis longè se dedisset talis virguncula illicentiata à sponso suo. Videamus si discessit non communicato sibi prius tanto diuino incarnationis mysterio, quoniam sicut dixit Raphaël ad Thobiam, Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. Ioseph quippe cur Mariam voluit occultè dimittere, & non traducere eam, cum esset vir iustus nisi quia propalatum sibi fuit hoc incarnationis grande miraculum. Dicit nempe euangelista quod antequam conuenirent, intellige ritu celebri nuptiarum inuenta est, scilicet, Maria habens in vtero de Spiritu sancto. Cognouit hoc igitur ipse Ioseph quod erat grauida, & quod erat de Spiritu sancto. Sed cur non Maria referente hoc cognouit, nulla videtur obstare ratio, si redeat in memoriã quanto deuotionis ausu Cecilia virgo Valerianum allocuta est sponsum suum, nota est narratio. Propterea post huiusmodi reuelationem Ioseph stupore quodam & honore subitò concussus, & in semet deliberans propriæ indignitatis aspectum, voluit Mariam dimittere, simile aliquid in se sentiens cum Petro, & dicens: Exi à me domina, quia peccator & indignus sum. Aut cum Centurione: Domina non sum dignus vt inhabites mecum. Aut cum Elizabeth: Vnde hoc mihi vt sit mater domini Dei mecum? Sic Moyses videns rubum ardentem, non audebat propius accedere. Oza quoque punitus est quod arcam sustentare præsumpsit, & bestia tangens montem lapidibus obruebatur. Sic denique Ioannes Baptista non audebat tangere sanctum Dei verticem. Hoc modo sensit Chrysostomus de timore Ioseph. Aut dicamus quod forsitan permisit hanc fluctuationem Spiritus sanctus ad tempus concutere pectus Ioseph, quatenus à posteris hæc trepidatio vulnus dubietatis amputaret, quemadmodum de Thoma Didimo dicit Gregorius. Ioseph itaque dum de Mariæ virginitate simul & fœcunditate fuit Angelico oraculo solidatus, testis ipse nobis absque vllo exceptionis scrupulo recipiendus effectus. Nam cum esset vir iustus, vtiq; repudiasset eam, sicut dicit euangelista quod nolebat eam traducere, sed occultè dimittere, si violatam inuenisset. Fuit nempe iustissimo dolore permotus. Aut hæc postremò dubitatio fuit non in ratione superiori, quæ de Mariæ virginitate nõ dubitabat, ex cognitione conuersationis eius sanctissimæ, sed fuit quædam trepidatio vel cõcussio in sensualitate consurgens ex insolita re tanti miraculi, quemadmodum dicit Augustinus, Mariam in passione filij ex horrore tanti facinoris dubitasse. Amplius verò si iam vtero tumescente, iuxta id quod Origenis verba sonãt Ioseph accepisset vxorem suam planè solemniter more gentis suæ, immo omnium penè nationum consuetudine & iuris sanctione consideremus, quale spectaculum de vxoris adolescentulæ pudicitia, ipse nescijs huius mysterij Iudæis & parentibus præbuisset, sed neque celasset conceptum virginalem diabolo, nec teneram coniugis famam inuiolatam, nec sui honoris integritatem seruasse visus est. Quamobrem

existimari

existimari non incógruè potest, quod Ioseph parabat iam accipere Mariam in coniugem solemniter, quando missus est angelus ad eam, quo temporis articulo Maria petens licentiam à Ioseph vt visitaret cognatam simul prodidit mysteriũ. Quo audito stupuit Ioseph modis dictis, & ascendit multus cogitationum fluctus in caput eius. Hæc autem eo cogitante ecce apparuit ei angelus in somnis, iubens vt non timeret accipere Mariam coniugem suam, quod enim inquit, in ea natum est, de spiritusancto est. Et exurgés Ioseph à sõno fecit protinus sicut præcepit angelus, & accepit coniugem suam more celebri, prout antea præparasse credi potest. Deinde consummata solemnitate nuptiarum factum est ex licẽtia Ioseph, sicut dicit Lucas, quod exurgens Maria abijt in montana cum festinatione. Colligimus ex his rationabilitatem collationis huius euangelij secundum Matthæum: Exurgens autem Ioseph à somno &c. confestim post hoc euãgelium Missus est. Et proximè ad illud secũdum Lucam, quod feria quinta præmissorum quatuor temporum legitur in aduentu: Exsurgens autem Maria abijt in montana. Sit denique liberum cuilibet super hac re vel simili non decisa per ecclesiam, quæ neq; autoritate neque ratione certis fulcita est sentire (salua pietate fidei) quod voluerit. Nos absque vllo controuersiæ vel reprehensionis dubio, monemus, suademus, affirmamus. Obtestamur insuper toto religiosæ pietatis affectu, quatenus virginale iusti Ioseph cum beata Maria coniugium solemni veneretur officio, non expectata etiam nisi voluerimus cuiuscunq; alterius quam euangelicæ narrationis & autoritatis licentia. Offerimus præterea sine præiudicio sonãtioris, elegantioris scripturæ vnam officij formam specialiter in missa, cum expositione huius euangelij. Exurgés autem Ioseph à somno. Cæterum qui voluerit vel suscipiat vel corrigat, vel commendabilius aliquid (nec inuidebimus) efficiat. Commonitos autem super hoc vno singulos velim, quatenus dignissimum hoc coniugium ita venerari studeant, quod apud irreligiosos, improbos & impuros homines nihil oriatur scandalosæ vel turpis vel blasphemiæ suspicionis in Ioseph & Mariam, quasi videlicet non potuerit familiarissimus ille coniugalisque conuictus tempore tanto perseuerare cum omni castimonia mentis & corporis præsertim cum præmiserimus ex Esaia quod Ioseph erat iuuenis habitans cum virgine. Neque enim senex & debilitatus existens fuisset idoneus qui virginem aleret suo labore. Quique in illa peregrinatione Ægyptiaca deduceret, simile nec celasset ita partũ diabolo, nec à populo Iudaico pater Iesu facile putatus fuisset. At verò scutum triplicis veritatis circũdat nos & protegit ab hac sagitta suspicionis volante in die. Est autem prima veritas: Maria virgo quæ antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de spiritusancto, mundam seruauit animã suam ab omni concupiscentia, immo virtus altissimi sic eidem obumbrauit, quod in ea peccati fomes extinctus est. Ex qua veritate concluditur, quod ex viri conuictu vel associatione, nulla eam carnis titillatio, nullus pruritus, præueniens rationem vel inobediens sibi vexabat eam. Addũt doctores, præsertim Bonauentura dicens, hoc se habuisse à Iudæorum fidei relatione, quod nullus ex

A aspectu gloriosæ virginis (quamuis esset pulchra nimis) vrebatur ad cõcupiscentiam, sed eã potius extinguebatur frigidus ille ros virgineus, emanãs à sua mente castissima, quemadmodũ ex aduerso de peccatoribus verum est illud Horatianum: Et vultus nimium lubricus aspici. Conformiter ad illud Petri Oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti. Quod qualiter verum esse possit, declaratione prolixiori vel sermone opus esset. Subsequitur altera veritas quæ talis est. Iustus Ioseph ex conuictu & cohabitatione familiari Mariæ, mouebatur non ad libidinem, sed ad castitatẽ.

B Quemadmodũ figuraliter introduci potest illud de Sunamite, quæ erat puella pulchra nimis, & dormiebat in sinu Dauid, qui tamen non cognouit eam, quia nec in eius concupiscentiam quomodolibet exarsit. Subiungitur tertia veritas, quę ex principijs nostræ fidei concluditur argumentatione probabili. Iustus Ioseph iuuenis existens, hoc est sub quinquagenario annorũ numero Mariã accepit cõiugem, cum qua licet familiarissimè

C (sicut vir cum vxore, seclusa carnali copula) fuerit conuersatus, ipse nihilominus virgo permãsit, & pari cum Maria virginitatis voto se constrinxit. Sentit hoc Hieronymus in epistola contra Heluidium. Cuius dicti rationem, ipse ac posteriores multi talem tradunt: Ioseph itaq; priusquam iungeretur cum virgine Maria, corruptus vel vxoratus non fuerat. Et hoc maximè cõcludimus, quod Dominus matri suæ iam prouectæ, neminem voluit dare custodem nisi virginem, quanto magis id existimandum est fuisse conseruatum in adole-

D scentia. Similiter filius sicut non voluit nasci, ita nec nutriri, nisi in puritate virginali. Porrò si ab vxore post immediatum tempus nuptiarum continuit semetipsum, sicut euangelistæ Matthæi testimonium, habet, quod non cognoscebat eam, donec peperit filium suũ primogenitum, & hoc propter reuerentiã tanti sacramenti tantiq; mysterij, hinc apertissimè datur intelligi, quod nec post partum cognouerit eam, quoniam vrgentior erat tunc ratio quam prius, vt ab eius se cognitione tẽ-

E peraret. Addamus confidenter, quod sic æterna Dei sapientia prouidens totum incarnationis mysterium, præordinauit iustum Ioseph fore custodem & testem matris suæ, fore præterea nutriciũ suum continuum, sic dedit ad hanc custodiam & nutritionem omne illud quod erat accommodũ, decẽs & honestũ. Hinc probabile est ꝙ ipsum Ioseph consecrauerit in vtero matris, ꝙ eũ ab omni fomitis illecebrosi refrigauerit concupiscentia. Quod deniq; morientẽ eũ, sicut lex Adã vrgebat,

F personaliter visitauerit, ipsũq; consolatus sit, perducẽs animã suã in requiẽ iustorũ, quousq; resurgẽs diceret animę suę: Hodie mecũ eris in paradiso. Dixit hoc forte ipse in anima & corpore cõresurgẽti, quẽadmodũ multa corpora quæ dormierãt, eo moriẽte surrexerunt. Apparuit deniq; fortassis dulcissimæ vxori suæ Marię ipso resurrectionis die, dicẽte filio ad eã: Salue sãcta parẽs. Dicẽte quoq; ipso Ioseph: Salue charissima cõiunx. Sed hos interim similésq; præconiorũ particulariorũ titulos, omittimus eliciẽdus à sapiẽtioribus & deuotis mẽtibus, optãtes bene valere omnes. Scriptũ Parisijs Anno Domini 1400.13.17. Augusti.

SEQVVNTVR QVÆDAM QVÆ OPPORTVNE DICERENTVR IN FESTO *sancti Ioseph, à Gersone edita. Ad laudem virginalis coniugij iusti Ioseph & Mariæ, sequitur euangelium pro matutinis diei Iouis quatuor temporum in aduentu.*

LECTIO SANCTI EVANGELII SECVNDVM MATTHÆVM.



N illo tempore. Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, & accepit coniugem suam, & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius Iesum.

Homilia lectionis eiusdem.

Consecratum iusti Ioseph & Mariæ semper virginis coniugium castissima deuotissimáque veneratione recolẽdum. Fratres dilectissimi. Matthæo referente & angelo præcipiente & Ioseph obediente celebratum cognouimus. Miretur hinc omne seculum, gaudeat omnis ætas, omnisque status & sexus exultet. Itaque si matrimonium quodlibet ritè factum, etiam inter peccatores & in concupiscentia iunctos, magnum esse sacramentum tradit apostolus in Christo & in ecclesia, quale quantumque iudicandum est hoc matrimonium vbi virginitas nupsit, vbi nubentes neque violationem neque concupiscentiam habuerunt vllam, vbi præterea perseuerauit integerrima & inseparabilis fides, vbi rursus pleros nõ altera fuit quã ipse Iesus qui est Deus benedictus in sæcula. Quo præconio quid aliud maius potest excogitari? Præcinuit olim euangelicus Esaias super hac congregatione iustorum, dicens: Habitabit enim iuuenis cum virgine, id est Ioseph cum Maria prout autentici doctores exponunt. Et iterum gaudebit sponsus super sponsam. Porrò de laudibus & prærogatiuis personarum nubentiũ, quæ sunt iustus Ioseph & Maria, nulla vis dicendi satis differere, nulla eas lingua nedum hominum, sed nec angelorum sufficeret exprimere. Tu autem &c.

Secunda lectio.

Penset igitur vestra deuotio, quemadmodum celebri ritu fœdera noua nuptiarum peraguntur apud omnes fere populos. Euocati veniunt amici, cultioribus ornantur habitibus, indulgent lautioribus epulis, lætitiam denique quibus possunt modis ostendunt. Nam & musica concrepant instrumenta, vox canora resonat, & ad numeros libero pede terra pulsatur. Sic enim legimus Assuerum conuiuium fecisse magnificum pro coniunctione & nuptijs Hester. Sic in nuptijs Tobiæ iunioris & Saræ, sic in alijs de veteri testamento solemnizata coniugia reperimus. Hinc est illud epithalamium spirituale, quod cantica canticorum nominamus. Demum tẽdit ad hoc euangelica parabola, damnans hominem qui sine veste nuptiali nuptias intrauerat. Tu autem, &c.

Tertia lectio.

Hæc idcirco præmissa sint, vt honorandum celebrandumque iusti Ioseph & Mariæ virginale coniugium mõstraremus. A Accepit itaque Ioseph Mariam coniugem suam, sicut præsens euangeliũ loquitur. Sed qualiter accepit? nunquid clandestinè? nunquid in abscondito? nunquid absque solemnitate nuptiarum? Absit vt prætergressus fuerit consuetudinem gentis suæ. Absit vt erubuerit palam id agere, quod angelo iubente post primam desponsationem faciebat. Conuocauit igitur parentes, amicos & affines cum apparatu conuiuij. nec obstitit paupertas frugalis, nec seueritas sanctæ vitæ prohibuit, quin morem suæ gentis sequeretur. B Hoc autem iudicabit quisquis attẽderit, qualiter ipsa mater Iesu iam grãdeuior atq; senior legitur ornasse sua præsẽtia nuptias alienas in Chana galilææ. Sic enim scribit Ioannes custos suus, quod erat ibi mater Iesu. Ad quas insuper vocatus est ipse Iesus cum discipulis suis, & eas primo suæ dignationis miraculo consecrauit, dum ad insinuationem piæ matris conuertit aquã in vinum, lætificauitque conuiuas. Et nos fratres charissimi memoriam talis mysterij tantique sacramenti, pia sobriáque iocunditate colamus, C quod euangelista, Matthæus explicat dicens: Exurgens autem Ioseph à somno. Pulchrè dicitur Ioseph exurgere. Ioseph quippe sua interpretatione dicitur augmentum vel appositio, talis ille erat qui quotidiano profectui semper adijciẽs, ascensiones in corde suo disposuit, exurgens & vadens de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorsum in Sion: Rectè præterea sicut de Maria virgine desponsata Ioseph dicitur Lucas quod post reuelatum incarnationis mysterium, exurgens abijt in montana, sic de viro suo Ioseph, dum per D angelicam inspirationem ipsum cognouit sacramentum, protulit Matthæus dicens: Exurgẽs autẽ Ioseph à somno, exurrexit vterque. Sed de Maria non dicitur quod à somno, forte tamen quod & à somno exurrexit. Habet nempe spiritus rationalis somnum suum, qualem sibiipsi propheta regius pollicebatur dicens: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Qualem similiter habuit in Canticis anima deuota: Ego inquit, dormio, & cor meum vigilat. Dormit siquidem homo E & feliciter dormit, quando sopitis & quodammodo ligatis potentijs inferioribus cognitiuis & affectiuis, ipse spiritus in solo æternitatis desiderio positus conquiescit. Illic habitat in monte sancto Domini protectus in abscondito tabernaculi admirabilis, in diuina caligine in requie opulenta, in thalamo sponsi sui zelantis & dicentis: Adiuro vos filiæ Hierusalem vt non suscitetis neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. Illic somniat mirabilia de lege Dei. Illic incerta F & occulta sapientiæ Dei sibi fiunt manifesta. Sit nobis in exemplum nedum Paulus, nedum Moyses nedũ Maria, sed iustus iste Ioseph, cui in somno reuelatum est incarnationis superadmirabile mysterium. Ioseph (inquit angelus) fili Dauid, noli timere accipere Mariam cõiugem tuã, quod enim in ea natum est, de spiritusancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. In hoc itaq; somno & in alijs postmodũ Ioseph accepit spiritũ prophetiæ pro omni differẽtia tẽporis præteriti, præsentis & futuri. Cognouit Mariã à spiritusãcto fœcundatã quoad præteritũ.

Cognouit

Cognouit esse Deum puerum, qui habebatur præsentialiter in vtero, sciens ex sacris scripturis quoniam nō nisi Deus peccata dimittit. Est igitur ille Deus de quo dicitur hic: vocabis nomē eius Iesū, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Et hæc vtiq; simul est prophetia futurorū. Amplius, exsurrexit Maria, sed ad quid exurrexit? Certè quatenus per studium actionis ministraret Elizabet antiquæ mulieri, & nouæ matri cognatę suę, vbi sollicita, vbi turbata fuit erga plurima, sed non conturbata quia videbat assiduè in idipsum, in hoc vnum scilicet quod est necessarium. Taliter exurrexisse Ioseph putandus est, dum fecit sic præcepit ei angelus. Et accepit coniugem suam, intelligamus cum celebri ritu & apparatu nuptiarum, vbi similiter ad Mariam sollicitus fuit & vigilans per actionem. Accepit Mariam adolescentulam prius ipse Ioseph in sponsam suam in tēplo Hierosolymis, vbi dedicata Deo cum cæteris virginibus morabatur. Hāc proinde nouerat Ioseph ex familiari visitatione, dum singulis annis veniebat in templum Domini Hierusalem. Erat enim Maria sanguine proxima sibi, quoniam Anna mater sua post virum Ioachim duxerat Cleophe fratrem Ioseph. Porrò Ioseph post dies aliquot Mariam accepit iuxta morem gentis suæ in familiarē conuictum secum in Nazareth. Ita enim fiebat ad probationem morum sponsæ. Illic in Nazareth priusquam conuenirēt Ioseph & Maria (intellige solēni ritu nuptiarum, & vt ita dicamus per verba de præsenti) nunciat ei Gabriel angelus illa quæ tradit Lucas euangelista. Et ita priusquam conuenirent (dicente Matthæo) inuenta est Maria habens in vtero de spiritusancto. Et à quo vel qualiter inuenta est præterquam ab ipso Ioseph sancto sponso suo, reuelante sibi mysterium incarnationis Maria sponsa, quemadmodum Valeriano prodidit angelicum mysteriū Cecilia. Quibus auditis recogitauit plurima Ioseph, stupore quodam attonitus tantæ nouitatis. Qualia eo cogitante, apparuit in somnis angelus Domini dicens ei: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritusancto est. Dehinc subditur paulo post euangelij præsentis contextus: Et exurgens Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini. Et quis angelus? Probabile satis est illum fuisse Gabrielem, quem iam bis missum super hoc incarnationis mysterio, tanquā specialiter ad hoc deputatum legimus, quoniam sicut ab eo nūciata est Christi conceptio, sic Ioannis præcursoris sui natiuitatem ipse prædixit. Sequitur: Et non cognoscebat eam donec peperit filium suū primogenitum. Fuerunt qui sumpta super his verbis occasione, contra beatæ Mariæ virginitatem perpetuam, contra iusti Ioseph religiosissimam castitatem blasphemauerunt, inter quos fuit quidam Heluidius hæreticus, aduersus quem beatus Hieronymus copiosè religiosèque conscripsit. Et quoniam error iste contumeliosus iam (volente Deo & traditione sanctorū) procul est ab omniū cordibus fideliū, nulla cogit necessitas ista modo curiosius in disputationē adducere. Nos autē cōscij participesq; tanti sacramenti, leuemus sursum corda cum manibus ad Dominum. Postulemus vt illius æterni felicisq; cōiugij per hoc virginale temporaleq; signati, valeamus esse participes, vbi nec nubent neq; nubentur carnaliter, sed erūt spiritualiter sicut angeli Dei soli Deo coniuncti pręstante eo quē vocauit Ioseph Iesum, qui est Deus benedictus in secula. Amen. Primum responsorium: Missus est angelus Gabriel ad Mariam virginem desponsatam Ioseph, nuncians ei verbū, & expauescit virgo de lumine. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiā apud Dominū. Ecce cōcipies & paries filiū, & vocabitur altissimi fili⁹. *Vers.* Aue Maria gratia plena Dominus tecū. Ecce cōcipies. Secundum responsorium: Dum esset desponsata mater Iesu Ioseph. Antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de spiritusancto. *Versus.* Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eā. Antequam &c. Tertium responsorium: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam cōiugem tuam. Quod enim in natū est, de spiritusancto est. *Vers.* Exurgēs autē Ioseph à sōno fecit sicut præcepit ei angelus Domini, & accepit cōiugē suā. Quod &c.

A B C D E F

OFFICIVM MISSÆ, &c.

INTROITVS.



GAVDEAMVS omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore Ioseph & Mariæ, de quorum coniugio gaudēt angeli, & collaudant filium Dei. *Versus.* Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in ecclesia & in Christo. Gloria &c. Gloria in excelsis &c. Collecta. Deus qui vnigenito tuo temporales absq; carnali cōmertio parentes, iustū Ioseph & Mariā coniuges virgines tribuisti, fac nos quæsumus eorum intercessione cœlestium participes nuptiarum. Per eundem Dominum &c. Epistola. Esa. 62. Propter Sion nō tacebo, & propter Hierusalē non quiescā, donec egrediatur vt splēdor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum. Et vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit; & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur vltra desolata. Sed vocaberis voluntas mea in ea & terra tua inhabitabitur, quia cōplacuit Domino habitare in te. Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui, & gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.

Graduale. Tu scis Domine quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. *Versus.* Virum autē cum timore tuo non cum libidine mea consensi suscipere. Alleluya sub melodia, sicut Dulce lignum. Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. *Prosa.* Ad Ioseph mittitur in sōnis nuncius &c. ponitur post finem sermonis. Iacob autem; sicut habetur prius in tertia parte operum Gersonis. Et canitur sub tali cantu, sub quali hæc prosa: Mittit ad virginem non quamuis nuncium.

Euangelium secundū Matthęum: Exurgēs autē Ioseph à somnis, fecit sicut pręcepit ei angelus.

Et accepit coniugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius Iesum. Offertorium. Tulerunt puerum parentes Iesu in Hierusalem vt sisterent eum Domino, & offerrent par turturum, aut duos pullos columbarum. Aliud offertorium. Vnusquisque vxorem suam diligat sicut seipsum, vxor autem timeat virum suum. Oratio secreta. Veneramur coniugium Domine illud virgineum in quo natum credimus illum qui pro nobis circuncisus, & in templo præsentatus, & in ara crucis immolatus est Dominus noster Iesus Christus filius tuus, Qui tecum viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Præfatio. Et in te desponsatione beatæ &c. Communio. Erant pater eius mater & mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Symeon dicens: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbũ tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Alia communio. Quem scripsit Moyses in lege & prophetis, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Alia communio. Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te, & descendit cum eis & venit in Nazaret, & erat subditus illis. Oratio post communionem: Gratias agimus tibi Domine pro virginali coniugio iusti Ioseph & Mariæ, postulantes vt benedicti fructus in eo nati perpetua suauitate fruamur. Qui tecum viuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorũ. Amé.

SEQVVNTVR CONCLVSIONES QVÆDAM SVB QVIBVSDAM ARTICVLIS, *ponenda post finem sermonis de purificatione Mariæ virginis, qui incipit, Suscepimus Deus misericordiam tuã, & terminatur: & parcere Deus benedictus in secula. Amen.*

Scedula faciens pro præmissis.

AD iustificationem condemnationis factæ per episcopum Parisiensem & inquisitorem. Et principaliter ad honoré fidei & huius sacri concilij & ad ordinariorum iustitiam conseruandam, sequentes cõclusiones attentè notentur, quæ poterunt latius demonstrari.

Prima conclusio.

Ad episcopos non spectat propositionem aliquam hæreticare, hoc est, vt hæreticalem iudicialiter condemnare, quæ nullo modo pertinet ad fidem, hoc est, nec expugnat nec sequitur ad ea quæ fidei credenda sunt. Exemplum de istis: Astra sunt paria, astra sunt imparia. Rex Babyloniæ sedet, & de similibus.

Secunda conclusio.

Ad episcopos non spectat propositionem aliquam hæreticare, modo dicto, sic quod eorum sententia vniuersaliter liget omnes, vt ex præcisè sua sententia. Patet, quia non habet iurisdictioné super omnes. Nec est præsumendum quod aliquis episcopus hoc intendat, immo contrarium iuridicè præsumendum.

Tertia conclusio.

Ad episcopos nõ spectat propositionem aliquã hæreticare, quæ ex se & de iure penitus dubia est, an ad fidé pertineat repugnãter, neq; est scãdalosa, & potest sine periculo eius veritas vel falsitas A ignorari. Exẽplum de istis: Deus potest creare supremam speciem, Deus non potest creare nouam speciem, virgo Maria fuit concepta in peccato originali, & de similibus, quæ apud maximos doctores in theologia non corruptos in affectu vel intellectu iudicãtur probabiles neq; scandalizãt, neq; oportet eas scire ad bene viuendũ vel credédũ. Sicut dicit Hieronymus in sermo. de ista. Virgo Maria assũpta est in cœlũ cum corpore, quod melius est de ea piè credere, quam aliquid temerè definire, quod sine periculo nesciri potest.

B

Quarta conclusio.

Ad episcopos spectat propositioné aliquã hæreticare, hoc est vt hæreticalé decernere, definire & determinare, quę est explicitè & in propria verborum forma contra scripturã sacram. Patet, quia omnis talis est expressè dãnata per scripturã & anathematizata per ecclesiã. ca. dãnamus. Et de hoc nulla est controuersia inter theologos & canonistas.

Quinta conclusio.

C Ad episcopos spectat propositionem aliquam hæreticare quæ sequitur explicitè, euidenter & clarè ex oppositis sacræ scripturæ, quamuis nõ in propria & in eadem verborum forma. Exemplum de istis: Christus non habuit neruos. Quilibet homo iustus est meritoriè occidédus à quolibet. Iuramentum non est tenendum, si damnificet iurãtem in aliquo temporali. Et ita de similibus, quas nullus sani iudicij dubitaret vel negaret esse cõtra ea quæ fide credenda sunt, vel in scriptura sacra D formaliter continentur. Nec contra hoc est aliquis canon quantumcunque loquens, quod maiores causæ sunt ad sedé apostolicam referendæ, vnde similis est ratio pro ista conclusione, qualis pro præcedenti posita est. Hæc autem conclusio maximè facit ad propositum de condemnatione nouem assertionum, & magis de condemnatione totius propositionis Ioan. Parui, in qua sufficiéter hæc propositio: Etiam tyrannus &c. damnata iuuenta est contineri. Fundatur etiam in hoc rationabilitas requestæ iudicialiter factæ, quam non E primò ferretur sententia super necessario, nisi prius determinato principali, scilicet de fide in se.

Sexta conclusio.

Ad episcopos spectat de iure diuino, & quibusdã de pia consuetudine legitimè pręscripta, propositioné aliquã hæreticare, hoc est, hęreticalé decernere vel determinare nedũ doctrinaliter (sicut doctores theologię possunt) sed etiã iudicialiter cũ appositione decreti pœnalis cõtra subditos rebelles, si illa propositio scãdalizauerit diocesim suam. Et si est talis de qua possit habere sufficienté certitudiné per cõsilium peritorũ in theologia, quod F repugnat eis quæ fide credéda sunt, quãuis aliqua etiã theologi dicerétur de illa dubitare. Patet, quia spectat ad episcopos de iure diuino multis locis explicato, ꝙ sint potétes exhortari in doctrina sana, & eos qui cõtradicũt reuincere, pascédo. s. gregé pabulo bonę doctrinę, & à mortifera prohibédo. Lucæ 20. Attédite vobis &c. 1. Pet. 3. Malach. 2. Ioan. 10. ad Timoth. & ad Titum multis capitulis. Hos etiam habere debent de consuetudine pia & laudabili episcopi, apud quos sunt studia generalia theologiæ, sicut est Parisijs, in Oxonio, & in Praga. Verum est quod talis determinatio non ligat

ligat vniuersaliter, nec tali autoritate quin ab ea possit appellari, & ad concilium generale aut sedem apostolicam causa deuolui. Et sic intelligitur caput illud Maiores, cum suis concordantijs, & glossis. Neque existimandum est, quod Papa vellet aut posset oppositum conclusionis statuere quin læderet ius ordinariorum & studiorum generalium theologiæ, & quin fidei totique hierarchiæ detrimentum afferret. Patet vltima pars conclusionis, quia sicut dici solet, lata est differētia inter artifices, sicut inter est theologicos doctores, propter inæqualitatem exercitij in theologia & ingenij diuersitatem, adeo quod duo vel tres debent aliquando maioris autoritatis esse quam centum vel ducenti, præsertim si appareat causa deprauationis in affectu, quæ exerceat iudicium rationis etiam circa prima principia moralia. Hoc patuit tempore hæreticorum, vbi à paucissimis catholicis multitudo eorum tandem superata est. Consurgit igitur dubietas fidei in aliqua propositione, non ex multitudine sic vel sic opinantium, alioquin articuli fidei adhuc essent dubij in fide, sed sumitur dubietas ex rationum intrinseca probabilitate ad vtramque partem contradictionis. Propterea debet prælatus vel Papa vel concilium considerare rationes & causas dicendi magis quam multitudinem dicentium, sicut pluries fuerunt ipsi commissarij facere requisiti, & quod ob hoc publicarentur deliberationes magistrorum, suppressis nominibus eorum qui nollent nominari, vt fieret rationum ad inuicem collatio. Quemadmodum in causis prophanis dicta testium & causæ dicendi diligenter ponderatur. Attendatur hic insuper quod hæc materia talis est, quæ nedum spectat ad sacram scripturam, sed etiam ad naturalem rationem, quia versatur circa præcepta decalogi, quæ diuersis respectibus sunt euidentia in lumine naturali. Sunt nihilominus pura fide credenda ex triplici ratione, scilicet ex supernaturali traditione per Moysen & Christum. Et ex fine, qui est æterna vita, & ex eo quod implenda sunt ex virtutibus infusis fide spe & charitate. Hæc autem cognoscere tenentur explicitè prælati & doctores. Nec per ignorantiam excusantur de pertinacia vel errore, si talia nesciant vel in dubium vertant, quia dubius in fide, infidelis est. Facit pro tribus his conclusionibus, quod inquisitores possunt cognoscere de sortilegijs, si sapiant hæresim manifestè. Possunt igitur à fortiori cognoscere de assertionibus hæreticis. Facit etiam pro hac sexta conclusione protestatio communis & celebris quæ fit Parisijs & Bononię in quolibet actu theologico solemni, quod scilicet nihil asserendum aut sentiendum sit quod sit in fauorem articulorum Parisijs damnatorum. Est igitur rationabilis hæc damnatio quæ tamen facta fuit per episcopos Parisienses & magistros. Facit ad idem iuramentum baccalariorum incipientium sententias, quod in manu Cancellarij Parisiensis ipsi præstant.

Septima conclusio.

Ad episcopos spectat vt in errorum condemnatione sēper præferant interesse fidei cuilibet interesse personali vel traditioni iuris purè positiui. Et oppositum facere est fauere hæreticę prauitati, quia fit in hoc præiudicium fidei. Exēplum si fiat A acceptio personarum, sic quod honor earum preponatur honori fidei. Aut si propter non obseruationem alicuius circunstantiæ iuris positiui annulletur iuridicè vnus totus processus catholicus, non explicādo annullationis suæ causam. Per hoc enim datur intelligi quod processus fuerit erroneus in fide vel moribus, quia fides est principale in tali causa: propterea dum fiat absoluta damnatio videtur principale damnatio videtur principale damnari apud vulgus.

Octaua conclusio.

B Ad episcopos spectat quod damnare possint errores in fide & bonis moribus, etiam dum sunt intitulati nominibus aliquarum personarum, absq; hoc quod prius vel simile agatur de qualicunque personali interesse. Hoc sequitur ex præcedēti, & practicatū est in plurimis cōcilijs, sicut patet di.15. decreti: & 24.q.vlt. ex dictis Isidori. Patuit etiā in cōc. Rom. vbi prius dānati sūt libri Vvicleff, etiā sub nomine suo, quam eius persona vel memoria dānari quęreretur. Et similiter in Anglia & Praga, C quę dānationes hic approbatę sunt, quod fieri nō debuerat, si prædictæ conclusiones de autoritate ordinariorum & vniuersitatum essent falsæ. Illic autem aliqui articuli damnātur, qui minus pertinere videtur ad fidem quam illi de quibus agitur.

Concluditur ex præcedentibus irrationabilitas annullationis sententiarum episcopi Parisiensis super damnatione propositionis prædicti parui in se tota, & in assertionibus suis, & quod saluo honore qui debetur prætensis iudicibus in hac D parte. Hæc annullatio suspecta est, & fautoria hæreticæ prauitatis & peruersorum morum, sicut est homicidium seu morticinium factum subitò & per insidias sine diffidatione absq; iudicis auctoritate, sic de periurio, sic de impœnitentia, & de permanentia in errore ac defensione pertinaci, & similibus.

TRACTATVS DE ILLVMINATIONE CORDIS, AB EODEM DOCTORE *compilatus.*

E ILLVMINANS tu mirabiliter à mōtibus æternis: loquitur ad Dominū propheta. Turbati sunt omnes insipiētes corde. Nimirum quia dicit insipiens in corde suo, non est Deus. Aut si dicit in corde suo, quoniā Deus est, & cognoscit sicut philosophi, quibus manifestauit Deus inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, ipsum tamen non sicut Deū glorificauerunt neq; gratias egerunt, propterea obscuratū est insipiens cor eorū. Possumus autē mōtes F æternos (vnde prouenit illuminatio mirabilis) dicere tres personas distinctas, patrē cui appropriatur potentia, filiū cui sapientia, spiritum sanctum cui clementia. Quibus appropriatis quasi totidem digitis, quibus Deus orbem totidem quod radijs illuminat & venustat, dans vnicuique rei modum, speciem & ordinem. Sed ecce cogimur in meditatione cordis exclamare cū propheta: Filij hominū vsq; quo graui corde? vt quid diligitis vanitatē, & quæritis mendaciū? Relictis ergo post tergum montibus istis æternis, fit cor graue terrenis incubans, fit vanum & inane, vanitatem diligens, fit cæcum & incipiens dum quærit men-

dacium. Conquerebatur hoc propheta personam in se talium exprimens: Conturbatum est inquit, cor meum, propter grauitatem, dereliquit me virtus mea propter vanitatem, & lumen oculorum meorum, supple dereliquit me propter cæcitatem. Et tandem miserum valde quod sequitur, & ipsum. Quid enim hoc ipsum nisi cor? non est mecum, quippe per inania dispersum est, sicut meditatur inania. Redeat igitur ad nosipsos cor nostrum, si tamen cordati, non excordes, sicut columba seducta non habens cor, sumus, quin potius redeat ad Deum, quatenus illuminetur mirabiliter à montibus æternis sub meditatione multiplici simplici tamen. Ecce dum leuamus cordis oculos in montes istos, meditantes in eis potentiam ad conterendum cor durum, sapientiam ad illuminandum cor cœcum, clementiam, ad conuincendum cor ingratum, gelidum & lapideum. Occurrit circa quodlibet horum trium quadruplex meditationis radius splendidus & choruscus. Meditatur itaque Deus ipse tanquam creator incomprehensibilis, tanquam iudicator terribilis & horribilis, tanquam dominator imperiosissimus, tanquam gubernator oculatissimus, & hoc quoad potentiam. Quoad sapiētiam verò meditatur cor ipsum Deum sicut doctorem, sicut ductorem, sicut medicum, sicut sacerdotem. Postremò clementia monstrat Deum vt patrem, vt redemptorem, vt amicum & fratrem, vt sponsum singularem.

SVPER ESV CARNIVM APVD RELIGIOSOS SANCTI BENEDICTI *tres breuiter propositiones offeruntur, vicesima Augusti.* 1428.

Esvs carnium in multis religionibus ordinis sancti Augustini & Benedicti potest esse licitus & expediens, & hoc vel ex periculi deterioris euitatione, secundum parabolam Christi de vtribus veteribus & vino nouo. De commissura panni rudis cum veteri. Aut ex dispensatione vel interpretatione Papæ, cui religioni statuta subduntur. Aut extolerata per eum vel aliunde approbata consuetudine. Aut ex ingredientium & nouiter profitentium primaria in obligando se intentione, quia videbant scilicet ita fieri, neque reprehendi, alioquin non vouissent, scientes quod displicet Deo stulta & infidelis, quæ scilicet nō impletur, promissio. Esus carnium multi religionibus sancti Benedicti tolerabilior in nonnullis est apud vtentes, quam sit apud quosdam de non esu gloriatio contra non vtentes tali abstinentia, maximè dum hoc faciunt vel vtentes dijudicando temerèque damnando. Aut ex pharisaica singularitate. Aut ex conscientiæ contra scientiam nimia scrupulositate. Aut fortassis in dubium de Papæ vel superiorum potestate vel imprudentia & indeuotione. Conuenit aliquando talibus illa maledictio: Væ vobis qui decimatis mentam & cyminum, & reliquistis quę grauiora sunt legis, vt grauius apud tales puniretur cucullę dimissio, quā fraternum & patens odio detractio vel improperium, fraus & periurium.

A Esus carnium sicut & transgressio vel non obseruatio, constitutionū omnium regularium, si asseratur ab aliquibus religiosis esse generaliter & passim peccatum mortale. Sic asserentes temerarij sunt, crudeles & impij contra sanctos fundatores religionum & successores eorum. Sunt insuper inciuiles, nescientes cum prudentia distinguere tempora, ætates, mores & loca cum cæteris circunstantijs. Porrò si tales inducūt, recipiunt aut recipi consentiunt, & dant consilium ad ingressum religionum, in quibus est communis vsus carnium abolitio, præterea obseruatio non magnæ partis constitutionum regularium, tales inquam incidunt in hanc maledictionem Christi:
B Væ vobis qui circumitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselitum &c. Asserere postremò quod abbates & superiores religionum possunt de quocunque licito vel ordinato in religione facere præceptum obligans ad mortale peccatum, pro omnibus subditis suis passim & vniuersaliter, hoc est temerarium stultum & impium. Sed neque potest in omnibus regula tradi, neque sub arte
C constitui. Sunt enim particulares casus infiniti. Vnde nec medium virtutis ab Aristotele traditum est aliter, quod prout (sicut inquit) sapiens iudicabit. Esset autem in materia præsenti sapiēs iudex, immo potens decisor Dominus noster Papa, si de communi consensu monasteriorum ordinis sancti Benedicti fieret examinata prius per eosdem postulatio pro concordi stabilique constitutione seruandorum, schismate propulsato. Sunt hæc dicta sub Papæ iudicio, non in approbationē gulosæ voracitatis, non in condemnationem absti-
D nentis deuotionis, sed pro testimonio veritatis. Sunt quidem positæ tres propositiones de non vsu carniū pro carthusiensibus. Sunt & pro tertia propositione hic posita multo latius pertractata.

QVÆDAM ARGVMENTATIO ADVERSVS EOS QVI PVBLICÈ VOLUNT *dogmatizare seu prædicare populo, quod si quis audit missam, in illo die non erit cæcus, nec morietur*
E *morte subitanea, & talia multa.*

Quam composuit magister Ioannes Gerson Cancellarius ecclesiæ Parisiensis.

Mvltipliciter inconueniens esse videtur prædicare populo, quod si quis audit deuotè missam in die, nō erit cæcus illo die, nec morietur subitò, nec carebit sustentatione sufficienti corporalis vitæ. Et ita de quibusdam bonis temporalibus. Primū,
F quia hoc est temerarium & superstitiosum asserere. Nam stat antecedens verum consequēte existēte falso. Stat enim quod quis audit missā deuotissimè, & tamen iusto Dei iudicio illo die subito morietur, vel ad salutē suā, quia placita erat Deo anima illius, vel ad dānationem, quia forte postmodū statim peccauit, & ab insidiatorib. occisus est, vel apoplexia percuss⁹. Sic argueretur de quocūq; alio bono tēporali. Amplius stat ꝙ bona illa de quib. sermo, sint alicui homini in detrimētum suæ salutis, & mala opposita in bonū suū. Ergo dicere ꝙ missa vniuersaliter cōferat illa bona, est dicere quod in casu missa deuotè audita operatur in

præiu-

prçiudiciũ salutis çternç. Pro hoc facit quod dicit Augustinus, multos in petitione prosperitatũ exaudiri à Deo irato, & patuisset in apostolo de stimulo carnis. Et in pueris quotidie cernimus verbera eis in bonũ prouenire. Rursus quçritur si nox includatur in die? Et si sic, stabit quod per auditionem missæ quotidie de viginti quatuor in viginti quatuor horas potest aliquis dispositissimus ad cæcitatem vel ad apoplexiam remanere semper videns, & nunquam de apoplexia moreretur. Si dicatur quod non includitur nox, ostendatur ratio. Item taliter prædicare est ad iudaïzandum inducere populum, dum pro solis temporalibus commodis missam audiet, aut principaliter hoc faciet.

Cæterum est dare occasionem irrisionis sacramenti & scandali verbi Dei, quoniam si aliquis qui audit missam, in die cadat in aliquod prænominatorum inconuenientium; statim videntes acclamabunt quod falsum eis prædicatum est, aut iudicabunt fratrem suum, dicentes eum non deuotam missam audiuisse. Vtrum quod est inconueniens & malum, quare &c.

Porrò quæritur, quare plus operatur auditio missæ prædicta bona temporalia, quam alia quæcunque, & super qua ratione fundatur hæc assertio. Non super ratione naturali, sicut constat, non enim medici hoc dicerent. Nec super attestatione scripturæ sacræ & autenticæ, sicut est de effectibus purificantibus sufficiens fundamentum, quod in non ponentibus obicem, causatur gratia in sacramentorum susceptione. Conuincitur ergo superstitiosum, friuolum & vacuum, immo nociuum talia & taliter asserere. Denique potest euenire sæpius quod mulieres ornatæ menagio, aut pauperes alij peccarent audiendo missam diebus feriatis occupando tempus, eundo forte per dimidiam leucam ad missam, quod videlicet ad ea quæ tenentur quamuis minora bona sint, obmitterent. Sed & nulla potest veri similitudine colorari vnum quod circa hoc dictum fuisse refertur nõ senescere hominem pro tempore quo missam audit, vel eidem interest, nec indiget hoc reprobari. Si forte dicatur, quod aliqui sanctorum sic dixerunt, vt Augustinus. Primò respondetur quod illud quod ex sacra scriptura vel ex ratione fundamentum non habet, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Sed ista assertione huiusmodi quod nec ex ratione nec ex scriptura sacra robur habet immo potius ratio & sacra scriptura hanc assertionem impugnant. Vltra dicitur quod si quis doctorum reperiatur in libris autenticis suis publicis, & receptis, & non in scedulis quibusdam confictis & incertis & apocryphis talia posuisse, piè, & reuerenter glossandus est, & nullo modo crudè & nudè populo annunciandus, propter causas dictas & similes. Dare verò robur & pondus autoritatis & allegationis in sermone publico & à persona autentica talibus schedulis incertis, & non receptis per ecclesiam est periculosissimum, & ad errores innumerabiles inductiuum. Nam quilibet pro libito tales potest fabricare, sicut fit in intitulationibus quibusdam orationum, quod si quis eas dixerit, habebit talia

A & talia temporalia. Quæ intitulationes vt communiter falsæ sunt & superstitiosæ & delendæ, & malè confictæ, vel à scriptoribus propter quæstum, vel à quibusdam volentibus scriptis suis dare gloriam & permanentiam, vel ab hæreticis vel à melancholicis putantibus de somnijs quod sint reuelationes.

Deinceps per prædicationem qualis dicta est, populus qui est prouisissimus ad suggestiones curiositates & sortilegia credendas redditur procliuior, dum talia palam accipit in sermonibus in quibus fides recta solidè & nudè prædicanda foret, & in ea populus nutriendus plus quam in fabulis anilibus. Eas itaque auidius audient, & relatoribus applaudent longè magis quam prædicantibus veritatem, & hoc propter corruptionem virtutis rationalis, & incuruationem eius in errores, sicut patet in pueris. Sed prædicator verus nõ applausum suum quærit, sed populi profectum, nec attendit quid delectet & inutiliter sed quod proficiat salubriter. Forsan opponetur de quibusdam sanctis, apud quorum memorias fiunt preces pro certis infirmitatibus depellendis plus quam de alijs. Respondetur quod in multis talibus errorem populi prælatorum negligentia nimis inualuisse permisit. Nam & quædam imagines adorantur ab eis præ cæteris, vt quod antiquiores vel pulchriores, eas tamen constat nullius esse virtutis, & innumerabilia sunt talia quæ sibi populus confingit, si dimittatur ambulare in adinuentionibus suis. Cæterum in hoc casu qui apponitur non fit assertio generalis, quod qui requiret talem sanctum de tali infirmitate, indubitanter sanabitur. Hoc enim esset falsum & superstitiosum & temerarium, nec ecclesia posset hoc statuere, nec vnquam aliquis sobriè loquens sic intellexit generaliter, & hoc propter rationes prætactas & similes. Datur verò rationabiliter pia spes seu credulitas, quod si quis erga talem sanctum orationem suam fecerit, sanctus ille erit intercessor suus erga Deum, & si expediat saluti suæ; nec aliunde ponat obicem, exaudietur. Prouideatur tamen diligenter ne in modo orandi ponatur aliquid superstitionis admixtum, vt quod dicatur talis numerus orationum sub tali forma & in tali situ, & in tali ordine. Alioquin tota oratio nihil haberet vtilitatis, siquidem istud asserere semper esset vanum & superstitiosum, quoniam sancti non mouentur talibus obseruationibus, sed pia mens & pius orantis affectus atque deuotio exauditionem operantur &c. Istud dictum sit ad rememorationem & attentionem eorum qui forsan aliter prçdicauerunt, vel sic prçdicasse iudicantur, quatenus data occasione sapienti; eum sapientiorem efficiat, & sanet ea lingua plagam in cordibus populi qua intulisse putatur, vt verum sit illud: Vna manus vobis vulnus opemque ferret. Nec æstimetur ab aliquo scriptum hoc esse detractionis ac mordacitatis causa, sed piç æmulationis; sic Deus scribenti misereatur: sic errores suos talibus commonitionibus aut taliter corrigere semper velit & dignetur. Amen.

INSTRVCTIONES IOANNIS GERSONIS CANCELLARII PARISIENSIS *ad magistrum Ioannem maioris instructorem domini Ludouici Delphini Viennensis, filij Caroli septimi Francorum regis.*



ERVNT *omnes docibiles Dei.* Induxit hoc ex prophetis Iesus. Ioan. 6. Est autem docibilitas seu docilitas tam actiuè quam passiuè, quatenus homo sit aptus vt doceat vel vt doceatur, doctore tamen semper Deo. Non autem paruipendendum hoc donum super cuius electione laudauit dominus Salomonem puerum 3. Regum 3. Dabis inquit seruo tuo cor docibile. Quocirco laudandus est nouiter electus in pædagogum & instructorem seu pręceptorem illustrissimi principis domini Delphini moderni, qui se reddit & petit docibilem in hac parte. Pro cuius docibilitate notatæ sunt considerationes quæ sequuntur.

Prima consideratio.

Rectificetur in primis intentio docendi vel officium exercendi circa dominum Delphinum vt fiat principaliter ad seruiendum sibi, non tanquam homini, sed Deo propter regnum cœlolorum & iusticiam eius, hoc est propter meritum vitæ æternæ potius quam propter stipendium perituræ substantiæ.

Secunda consideratio.

Habeatur spes eruditionis & profectus desuper à Deo per orationes humiles & continuas, dum adhibetur doctrina quatenus det & aperiat Deus sensum & intellectum ad percipiendam scientiam, & hoc magis quam ad propriam industriam.

Tertia consideratio.

Quæratur promotio ad sacerdotium quam primum fieri poterit propter duo prędicta, quatenus det dominus exercitium facere sibi, & hominibus placitum, cum vtilitate propria spirituali, quatenus insuper per hoc sacrificium quotidianum trahatur à noxijs, & ad salutaria dirigatur.

Quarta consideratio.

Comparetur modis idoneis dilectio, fauor & auxilium familiarium domini Delphini, quos nō minus oportet docibiles esse. Sed fiat docibilitas non autentico modo vel magistrali, immo quodam confabulationis modo seu commonitionis & consilij, cum affabilitate graui & affabili grauitate.

Quinta consideratio.

Comparentur tractatuli & libri, præsertim in gallico propter finem prædictum melius conquirendum. Et iam pridem composita fuerat epistola ad dominum tunc confessorem prædecessoris & fratris domini Delphini præsentis, cuius initium est: Clarum præceptori. De libris autem alijs poterit fieri specialis commonitio per scedulam, quāuis non sit multum necessarium apud illum qui talis potuit aut potest aut poterit in futurum per industriam propriam & laborem comparare, vel prece vel precio vel precario vel transcriptione, etiam propria manu, si non aliter haberentur, & amici iuuabunt.

A

Sexta consideratio.

Caueatur præterea descendere ad particularia, ne pædagogus vel instructor faciat aliquid signis verbis vel operibus, per quod ipse reddatur odiosus domino suo, per quod insuper dominus veniat in odium literarum, etiam si non deberet addiscere nisi paucissimas in diebus multis. Computetur ad lucrum vel (vt vulgo dicitur) ad auantagium, quicquid didicerit sponte sua.

B

Septima consideratio.

Obseruetur ne magister seu pædagogus turbulentum se reddat aut iratum percussorem domino suo, sed cum omni mansuetudine non adulatoria tractet eum, exemplo auium quæ nobiles appellantur.

Octaua consideratio.

Attendatur ne quolibet puerili defectu culpetur acriter seu vehementer, sed in plurimis obseruetur illud: Factus sum sicut homo non audiens

C

& non habens in ore suo redargutiones. Sed neque audiantur familiariam accusationes faciliter dicentium: Dominus Delphinus hoc fecit, cur non increpatis eum? cur non corrigitis, quia profectò tales accusationes sępe proueniunt ex ignorantia, vel malicia magis quam ex prudentia vel synceræ charitatis beneuolentia. Si dicerentur inquiunt, domino talia & talia protinus obediret, qui tamen hæc inculcantes, nihil faciunt de sibi pręceptis & cognitis per confessores suos & alios

D

& iudicium propriæ rationis. Talibus igitur vel nihil respondendum est, vel dicendum cum modestia, bene monetis, faciam quod dominus Deus concesserit de gratia sua. Denique ingenium nobile plus duci vult quam trahi, & laude pasci suauiter, quam rigida quadam tyrannide coarctari.

Nona consideratio.

Prouideatur in particulari silentio & studio qualiter habebuntur historiæ vel fabulæ morales adaptandæ. Vel apud dominum vel apud suos,

E

iuxta qualitatem diei vel temporis vel loci, vel casuum particulariter occurrentium, prout solent fieri quæstiones, quatenus homo sit paratus quantum spectare poterit ad eum, reddere rationem super talibus. Dicat tamen in multis & de multis quæ forte scientiam suam excedent. Referamus nos ad sacram scripturam & ad fidem catholicam quam docet ecclesia, & ad doctores catholicos qui elucidare sciunt eam.

Decima consideratio.

F

Doceatur dominus Delphinus cognoscere nomina & imagines sanctorum paulatim, primò grossè, deinde magis in speciali per vitas eorum & legendas. Procurentur etiam hęc & similia fieri per familiares.

Undecima consideratio.

Commoneatur frequenter idem dominus Delphinus, quis & qualis sit finis hominis, & ad quid factus est, scilicet ad gloriam paradisi, & euitationem inferni, & quod vita nostra non est sicut brutorum, quæ moriuntur cum corporibus, cum pertinentibus ad hanc materiam circa honorem Dei

Dei & ecclesiæ suæ & sanctorum. Et quomodo sunt omnes homines tam pauperes quam diuites & reges sub eadem conditione nati. Et ideo nihil melius hominibus magnis humanitate, clementia & humilitate circa fratres & coæquales sibi in sorte beatitudinis futuræ.

Duodecima consideratio.

Inducatur postremò Dominus habere specialem aliquam deuotionem ad quosdam sanctorum, specialiter ad proprium angelum bonum protegentem à malo. Tentetur etiam si fortassis ex aliquo instinctu vel responso proprio voluerit aliquem vel aliquos sanctos eligere, ad quos fiducialius & quasi familiarius fit recursus cum obseruatione præceptorum decalogi tam primæ quã secundæ tabulæ, prout exponi sibi poterit & debebit, iuxta profectum ætatis & gratiæ. Datum Anno. 1429.

SERMO FACTVS LVGDVNI IN SANCTA SYNODO *Anno.* 1421. *per reuerendum patrem Dominum Ioannem cancellarium Parisiensem, in mense Octobri, tunc præsente reuerendissimo patre Domino Amedeo de thalary archiepiscopo eiusdem Lugduni ciuitatis.*



REDDE *quod debes.* Matth. 18. & in euangelio dominicæ currentis, & consonat euangelium præsentis feriæ quartæ de ficulnea cui maledixit Dominus quia non reddebat fructum. Debet teste Gregorio formari sermo doctorum secundum qualitatem auditorum. Nam altera doctis, altera minus eruditis, altera populo, altera clero lingua loquendum est. Hoc autem fieri non potest sine gratia illius cuius est dirigere linguam. Quæ quidem lingua in vanum laborat ad aures audientis, nisi spiritussanctus cordi affuerit audientis: & nisi doceat qui cathedram in cælo tenet, & qui dat euangelizantibus verbum virtute multa. Debet autem gratiam illam reddere quam perdidimus in Adam. Virgo illa gratia plena quæ gratiam perditam inuenit apud Deum. Reddat igitur illam nobis suis precibus & intercessione, vt detur efficax verbum in apertione oris mei. Quod vt impetremus, salutemus eam salutatione angelica dicendo, Aue maria &c.

Redde quod debes, vbi supra. Postulat, exigit & clamat iusticia, cuius officium est reddere vnicuique quod suum est, quatenus verba præassumpti thematis obedienter audiat vnusquisque nostrum. Redde quod debes. Quod si quis petiuerit, quid debeo? debet sic inquirens considerare à quo sit, iuxta quem sit, & quid sit, & ita reperiet se comparationem habere ad Deum, ad proximum & ad se ipsum seu spiritum proprium. Deus supra se est, proximus iuxta, Proprius spiritus intra. Clamat igitur iusticia cuilibet huiusmodi. Redde quod debes Deo, quod proximo, quod spiritui tuo. Quæ tria continet proœmium orationis dominicæ, dum præceptis salutaribus moniti & diuina institutione formati audemus dicere: Pater noster qui es in cœlis. Reddamus igitur honorificentiam paternalem. Si pater inquit ego sum, vbi est honor meus? Proximo dilectionem fraternalem, quia vnus est pater noster, & ita fratres sumus? Spiritui nostro cœlestem imitationem seu conuersationem, vt conuersatio nostra sit in cœlis, sicut & pater noster in cœlis est, & mandatum habemus à Deo &c.

Bene habet, iacta sunt nostræ exhortationis fundamenta, superædificando prosequamur secundum decem præcepta legis quę sunt veluti decem milia talenta commissa vnicuique homini, & impressa tabulis cordis per naturale iudicium rationis, quod est lumen vultus Dei signatum super nos. Et in tabulis lapideis fuerunt consequenter repetita tempore legis scriptæ. Ecce enim quia pater noster est supremus pater, debet sibi reddi cultus summæ maiestatis, bonitatis & veritatis secundum tria appropriata patri & filio & spirituisancto. Potentia patri, sapientia filio, bonitas spirituisancto.

Sunt secundum hæc tria primæ tabulę præcepta.

Primum, non habebis Deos alienos.

Secundum non assumes nomen Dei in vanum.

Tertium memento vt diem sabbati sanctifices. Rursus, quia proximus est frater noster & filius per creationem & adoptiuam dignitatem, debet sibi reddi honorabilitas veritas & bonitas.

Secundum hæc tria, quinque præcepta secundæ tabulæ. Primum: honora patrem tuum &c. ibi: honorabilitas. Postremò quia spiritus noster cœlestis est, debet sibi reddi cœlestis imitatio seu conuersatio, vnde colligi possunt duo præcepta vltima, nonum & decimum. Quæ sunt; non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis vxorem eius. Hæc enim duo præcepta maximè regulant interiorem spiritum & cœlestem efficiunt, dum non solum cauet ab opere quoad proximum, sed etiam cogitatione quoad Deum & semetipsum. Secundum, nõ occides. Tertium non mechaberis. Quartum, non furtum facies, ibi bonitas. Quintum, non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium ibi veritas. In decem istis talentis decem præceptorũ secundum quę totidem imaginari possumus exactores dicentes vnicuique: Redde quod debes. Ecce nobis aperta est latissima sermonis materia, & omissis interim conquisitionibus subtibilibus, quomodo iusticia dicatur ad Deum & ad proximum, & ad seipsum, iuxta veram metaphoricam iustitiæ denominationem: Aperiamus & aliam deductionis viam seu iam dictam concordantiam, dicentes quod debemus acquitare nos Deo. Matthæi 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Debemus reddere proximo Eccle. 29. Redde proximo in tempore suo, & ad Rom. 13. Reddite honorem Deo, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem. Sequitur de bonitate interiori sub vnico verbo dum subdit: Qui enim diligit legem impleuit. Nam non &c. vsque plenitudo ergo & Matth. 7. Omnia quæcunque &c. Ecce debes ô homo totum Deo, quia fecit, quia refecit, quia reduxit ab inferis, quia felicitatem promisit. Clamat omnis creatura aduersus hominem: Redde quod debes. Sol, quia illuminaui. Ignis, quia cale-

feci. Aër, quia foui. Terra, quia nutriui. Et omnia pugnabunt, dicentes: Redde. Coarctemus & coaptemus ea quæ dicta sunt, non ad homines omnes vel status, sed ad præsentem & honorandam synodum in qua principaliter residet status ecclesiasticorum, prout distinguitur à statu militantium & à statu Burgensium. Et quoniam sicut plenitudo legis est dilectio ita plenitudo potestatis pastoralis fundata est in dilectione. Ob hoc enim collaturus Christus potestatem Petro quæsiuit ter an ipsum diligeret, & ipso te respondente: Tu scis domine quia amo te, Subintulit Iesus ter: Pasce agnos meos, pasce oues meas. Erunt igitur tres considerationes principales, iuxta quod quilibet pastor debet pascere tripliciter subditos, verbo, facto & exemplo. Secundum tres actus hierarchicos & secundum quod comparatur quilibet, vt tactum est, Deo, proximo, & spiritui suo.

Prima consideratio principalis.

Reddere debet Deo, sibi & proximo omnis ecclesiasticus, præsertim curam habens animarum, cognitionem atque scientiam prædictorum decem præceptorum. Ratio, constat enim quod ex officio competit aliquibus ista cognoscere & docere. Alioquin ecclesia non fuisset sufficienter instituta, sed non inueniuntur aliqui, quibus magis ex officio spectet quam prælatis maioribus & minoribus episcopis scilicet & curatis, inde coniungit Apostolus ista duo: pastores & doctores & Matthæi vltimo. Ite docete. & Actuum 6. non est æquum nos relinquere verbum &c.

Prima doctrina. Officium prælationis vrget cognoscere legem Dei nedum per alios, sed etiam per seipsos. Ratio. Alioquin pueri & laici possent esse prælati.

Secunda doctrina. Officium prælationis obligat aliter maiores & minores ad cognitionem legis Dei & ipsius prædicationem seu doctrinam. Ratio, quia maiores debent esse parati reddere rationem omni poscenti &c. primę Petri, tertio. Sufficit ad minores cognitio generalis & grossa, & similiter publicatio seu prædicatio.

Tertia doctrina. Officium prælationis reddet rationem de perditionibus subditorum per doctrinæ defectum. Sicut euenit teste propheta. Propterea inquit, ductus est populus meus captiuus, quia non habuit scientiam. Ad hoc est parabola Ezech. de speculatore &c. & dictum Christi de cæco duce cæcorum.

Quarta doctrina. Officium prælationis est ignorantibus & mutis pondus, & pondus damnationis. Hinc videri posset quod non sunt in statu salutis quod non faciunt fructus suos, quod ordinantes & tolerantes eos grauiter peccant. Rursus quod scholæ deberent institui, nedum pro pueris sed pro talibus curatis. Rursus quod ad habendum generalem tenorem diuinorum præceptorum & articulorum fidei. Et similiter vrgeri deberent non minus, sed plus quam ad habendũ tenorem synodalium statutorum. Proinde quoad prędictam & modum prædicationis, præsertim vt vulgares inter cætera videntur attendenda quæ sequuntur.

Secunda consideratio principalis.

A Reddere debent ecclesiastici prælati minores & maiores gratis diligenter & syncerè ministrationem sacramentorum, quæ sunt baptismus, confirmatio, &c. Ratio. Sicut ad primam considerationem, quia ad aliquos spectat &c. & non ad alios &c. immo prohibetur. Possent autem totidem dari doctrinæ quot sunt sacramenta, de quibus specialiter tractatur quartus sententiarum.

B Prima doctrina. Ex debito pastoralis officij tenentur curati diligenter esse instructi in formis sacramentorum, & in remediandis periculis occurrentibus, in administratione eorum, super quibus debent in synodis & visitationibus principaliter examinari, & si nescient doceri, & quandoque puniri. Prouenit enim quandoque ex ignorantia, quod pueri non sint ritè baptizati vt ab obstetricibus in casu necessitatis, dum non sunt edoctæ per curatos super forma baptizandi. Confirmatio non debet dari nisi præuia confessione. De sacramento autem pœnitentiæ quid dicemus cum non sufficeret tota dies exponere defectus qui proueniunt ex ignorantia confessorum, & negligentia confitentium. Sed remittuntur hæc ad opuscula super hac re conscripta.

C Secunda doctrina. Ex debito pastoralis officij tenentur (vt dictum est) prælati maiores & minores gratis sacramenta ministrare. Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. Hic autem esset grãdis sermo quomodo licet, & quomodo non in administratione sacramentorum pecunias accipere. Constat enim quod dignus est operarius cibo suo & mercede sua. Constat rursus quod ista est principalis apud multos dotatio ecclesiarum curatarum.

D Tertia doctrina. Ex debito pastoralis officij debent prælati curati ministrare sacramenta per se vel per alios idoneos, etiam cum periculo proprię vitæ sicut euenit tempore epidemiarum & pestilentiarum, sed non terreantur, quia hic est actus arduissimus similis martyrio si fiat principaliter propter Deum, & inde mors sequatur, vt expressè determinat sanctus Thomas. Hinc patet quantum honorandi sint curati verbo, signo & opere à suis parochianis longè amplius quam alij qui non ita sunt obligati sicut religiosi &c. Debet itaque obligatio esse mutua quomodo &c.

E Quarta doctrina. Ex debito pastoralis officij non semper obligantur pastores maiores & minores passim omni potenti ministrare sacramenta. Sed possunt & debent in multis casibus denegare. Exemplum de petentibus eucharistiam in pascha, si sint notoriè excommunicati vel peccatores incorrigibiles. Item si non appareat legitimè quod confessi sint. Secus si peccata essent occulta. Quot & quanta sunt attendenda specialiter in sacramento confessionis & pœnitentiæ, valde difficile est exponere, quia si talis sacerdos vt populus, quomodo docebit?

F Primò qui casus reseruati, & quomodo remittendi specialiter in excommunicatione.

Secundò de peccatis extra ordinarijs, vt in coniugatis &c. suffocatione puerorum.

Tertiò

Tertiò de restitutionibus non in pios vsus, sed debitis. Quartò de votis, quia fiunt nimia leuitate. Quintò de pœnitentijs publicis, & quod non sunt arbitrariæ, quia non reddimus quod debemus. Iratus dominus iubet. Ite & effundite septem phialas iræ Dei. Apocal. 16.

Tertia consideratio principalis.

Reddere debent ecclesiastici prælati maiores & minores de seipsis tanquam de existentibus in statu perfectionis exercendæ, & non solum acquirendæ, vt reddant exempla sanctæ vitę. Ratio, quia quilibet talis est in statu hierarchico, ad quẽ secundum Dionys. spectat illuminare, purgare & perficere. Purgant exemplo bonæ vitæ, illuminant verbo doctrinæ, perficiunt sacramentorum ministratione.

Prima doctrina. Status prælationis tam maioris quam minoris perfectior est vt sic quam status religionis, salua reuerentia & honore oppositum dicentium, & omnium religiosorum, quibus in hoc nihil detrahitur si veritas publicetur, & quidem de maioribus prælatis pauci hoc negãt, quin sint in statu maioris perfectionis. Sed attendendo rationem, facile est inspicere non affectionatis, quod similis ratio militat procuratis. Constat enim quod sunt in statu aut (vt tollatur omnis calumnia) sunt in gradu & ordine perfectionis exercendę. Religio autem vt sic non dicit perfectionem vel exercitium perfectionis, sed viam ad perfectionem acquirendam sicut scala quædam. Videatur igitur si sequitur? Iste status est perfectionis acquirendæ, ergo simpliciter est status perfectionis. Et an hoc adiectiuum acquirendæ, distrahat aut limitet vel restringat.

Secunda doctrina. Status prælationis tam maioris quam minoris debet habere ministrationem temporalis sustentationis sufficientis & honestæ à subditis. Ista est dotatio Apostoli 1. ad Corinth. 9. ad longum. Non ita prædicantibus ex sola priuilegij vel impetrationis voluntate, non officij necessitate, sed conducentes debent & postulantes necessaria ministrare, ne populus onere duplici conteratur.

Hic incideret sermo de curatis quibus insufficienter prouisum est, per illos qui decimas regulariter eis debitas recipiunt & dimittunt eos nudos. Inde fit quod non sunt in curis capellani plures & scientifici, sicut bene reperitur in Alemania & alibi, qui exponunt euangelium populo. Nota de illis qui reputant inhonestum prædicare &c.

Tertia doctrina. Status prælationis tam maioris quam minoris non debet repudiari vel diminui in suo honore per exemptiones voluntarias, aut impetrationes subditorum super facultatibus alibi sacramenta recipiendi, non habita licentia suorum prælatorum.

Quarta doctrina. Status prælationis maioris & minoris debet admittere immo euocare gratanter & diligenter homines instructos in lege Dei & idoneos, vt in prædicationibus & sacramentorum ministrationibus, sint eiusdem adiutores prouiso quod non introducantur lupi vel vulpeculæ pro pastore. Et viceuersa tales euocati debent prælatos maiores & minores omni honore dignos habere signo, verbo & opere, publicè & secretè. Nota quid sit gradus. Gradus est status

A propriæ dignitatis. Nota hypocrisis tolerabilior, quam sodoma.

Attendere debent ecclesiastici secundum decem præcepta quomodo regulent vitam suam vt ita doceant. Sint fideles Deo, nec superstitiosi aut contumaces, sed obedientes. Sint veraces non blasphemi. Sint custodes festorum. Sint honorantes prelatos suos & superiores. Non occidant non adularentur, non furentur, non sint falsi testes per detractionem, non sint concupiscentes malorum. Sit perseuerantia ne dimissa repe-

B tantur. Tandem cum dominus venerit positurus rationem, sit paratus vnusquisque, quid respondebit quando ex sententia dicet: Redde quod debes &c.

PRędicaturis ad populum videtur quadruplex dogma regulariter obseruandum.

Dogma primum. Status dominorum tam ecclesiasticorum quam temporalium non est acriter & aperte reprehendendus ad populum.

Secundum dogma. Status ecclesiasticorum e-

C tiam inferiorum prę sertim curatorum & religiosorum, non est acriter & apertè reprehendendus ad populum.

Tertium dogma. Status mulierum in ornatu vestimentorum suorum non videtur posse corrigi sufficienter per prædicationes ad populum.

Quartum dogma. Status mercatorum in fraudulentijs & excessiuis appreciationibus quas sub iuramento vel potius periurio confirmant veniẽtibus ad primam emptionẽ non videtur posse cor-

D rigi sufficienter per prędicationes ad populum.

Ratio primi est, quoniam per huiusmodi reprehensionem induceretur populus magis ad rebellionem, murmur & detractionem, quam ædificaretur ad obedientiam, patientiam & amorem. Attento quod non satis capiunt aut intelligunt ea quę sunt dominorum, sicut nec pueri in scholis ea quę sunt magistrorum. Attento præterea quod vt frequenter ad partialitates & dominorũ murmurationes reperiuntur inclinati. Sic è cõuerso non sunt inculpandi per prædicatores populi vel sub-

E diti corã dominis suis temporali vel ecclesiastica potestate fungentibus propter innatã in multis dominorum superbiam atq; tyrannidem violentã. Aptetur ergo prędicatoris lingua varia modò, iuxta varietatem audientium docendorũ, prout Ioãnes Baptista legitur effecisse. Ratio secundi sumitur ex ratione præcedentis & ab experientia. Vnde prędicantes contra potestatem curatorũ vt suam extollant, vel vt redditus & iura sua fraudulenter præripiant, non sunt coadiutores, sed oppressores. Rursus aliqui habentes forte zelum sed

F non secundum scientiam, prędicantes contra curatos concubinarios, asserẽdo quod missa eorum vitari debet etiã si tolerentur à prę latis, suscitauerunt maius incomparabiliter scãdalum quã profecerint. Est igitur potius adeũda, postulãda & expectanda prouisio prę latorum quę si non suffecerit, vel ex eorum dissimulatio est vel ex morbi radicatione in peccantibus obstinatis. Restat vt correctio remittatur diuino iudicio cum quadã permissione, sicut de meretricibus in republica, & multis alijs criminibus etiam publicis non minus enormibus fieri necesse est ne scãdalum deterius

oriatur. Ratio tertij est, quoniam potest status & ornatus mulierum licitè variari iuxta personarum nobilium, locorum quoque & temporum & maritorum suorum varietatem atque voluntatem. Quia igitur vnus prædicator detestetur absolutè vnum communem ornatum in mulieribus vt peccatum mortale, quem alius prædicare poterit forte rationabiliter tolerabilem & licitum circunstantijs hinc inde pensatis, hoc nihil aliud est agere quam scandala, diffamationes, odia & scissuras inducere, propterea recurrendum videtur ad prouisionem veterum Romanorum, qui super ornatu fœminarum sic vel sic habendo leges statuebant, immo & viri super seipsos reperti sunt hoc fecisse. Et adhuc in ciuitate quadam Alemaniæ magnifica dicta Nurenberga, lex talis dicitur obseruari, quod zonas argenteas, pepla & tunicas non nisi certi precij, quod excedere non licet, instituisse & obseruare feruntur. Non obstat si dicatur, quod talis ornatus mulierum prouocat inspicientes ad libidinem, & ipsas ad superbiam & lasciuiam, quoniam nullus ornatus est, immo nulla est res exterior qua non contingat abuti. Supra modum tamen videtur in verecundia detestanda, sicut est frons meretricis. Ratio quarti est, quoniam experiētia doctrice prædicatores quantumcumque multiplicati ad populum nullo modo reperiuntur impedire quin tales excessus & periuria fiant, & in eis prædicationes nihil aliud quod contemptum maiorem operantur. Esset igitur prouisio facienda per leges superiorum pœnales, quorum fieret efficax executio, quod certum præcium daretur in rebus venalibus, sicut de vino & pane & quibusdam similibus. Et quoad blasphemias negando & vituperando atq; despiciendo Deum cum suis sanctis, videretur similiter per leges pœnales executorias iuxta quod pluries attentatum est fieri per sanctum Ludouicum & alios ei vigilanter prouidendum. Debet prædicator attendere ne nimia facilitate definiat aliquem actum esse peccatum mortale, præsertim in operationibus quæ possunt aliquando bene fieri circunstantijs appositis.

RESPONSIO IOANNIS GERSON AD SCRIPTA CVIVSDAM *errantis de innocentia puerili.*



TALIA de me scribis vir erudite & frater in Christi charitate dilectissime qualia mihi nequaquam vsurpo. Neque enim me tali dignor honore, horreo potius hanc laudem dum inter nugas, immo (parce frater vera dicenti) inter insanias, falsas memorata miscentur. Fit nihilominus vt vel in medijs occupationibus tibi rescribere non differat tum zelus meus redamare debens atq; morem gerere tibi, qui me diligere non dico simulas (seorsum à te hæc fictio) sed verè demonstras. Tum præterea spes qua confido te ei fidem non denegaturum quem tantopere commendaueris. A Tum denique professio mea debes erroribus & vitijs quantum valet obniti. Quæ iam effecit vt sub inuolucro quodam nuper ediderim gallico sermone quantum diei cursus tulit, orationem non contra insanum amatorem, sed aduersus scripta verba & picturas ad illicitos amores amariores morte sollicitantes, stimulantes & vrgentes. Porrò neque repetiturus sum, neque in Latinum versurus eloquium ea quæ ibidem disputata legisti. Illic peroratum satis arbitror scripta verba & picturas prouocatrices libidinosæ B lasciuiæ penitus execrandas esse, & à republica Christianæ religionis exulandas. Et hoc quidem apud omnem intellectum, qui & catholica fide illustratus est & nequaquam vitiosa passione corruptus. Apud illos verò qualis oratio persuadere sperabitur qui suaderi nolunt, quibus suus error placet, quos excæcauit malicia eorū, qui dati sunt in reprobum sensum, qui auertunt oculos suos ne videant in finem, qui denique illud seuerissimum maledictionis genus incurrunt, vt mala cō- C suetudine delectentur, vt blandiatur mentiaturque iniquitas sibi. Inter quales te numerare nec debeo frater charissime. Et vt nunquam debiturus sum supplex oro.

Proposui autem decerpere aliqua eorum quæ scriptum tuum hesterno sero monstratū corrigēda delendáq; cōtinet. Quid dico aliqua? cum fere omnia (tecum loquor frater) sint in hoc vel in illo culpanda. Propterea scriptum illud mox vt ipsum receperis, si quid in me est consilij, flamma D rapax absumet aut laceratum minutatim perget in obliuionem sempiternam. In primis tamen te tuique similes admonitos velim, ne sapientiorum actorum ignorantiam habere vos concludat tanta huius actoris vix inter mediocres numerandi tanquam hyperbolica admiratio, quem multi superant quantū Delphinis balena britannica maior, & quantum inter virgulta cupressi. Tu verò tibi nunc attende quale præcipitium parauerit attentata tractatio materiæ theologicæ. Dices itaque quod puer biennis aut triennis sit E in statu innocentiæ. Hæc est hæresis Pelagij, quā asserens pertinaciter, hæreticus est censendus. Ea insuper multa quæ ad dissolutionem indissolubilis rationis agitasti plus & plus te circumligat nobis eiusdem hæresis, exemplo animorum laqueatorum viscove suo se volutantium, adeò anxium, noxiumque est obniti veritati. Legatur non ego sed Augustinum in de nuptijs & concupiscentia, præsertim in secundo libro, videbitur quod dico. Putasti tamen vt arbitror quod putare non debueras puerum ideo esse in statu innocentiæ, F vel quia ignorans est, vel peccati actualis nondum reus. Sed originalem corruptelam morbidæ concupiscentiæ aduertere mens tua debuerat, quæ ab ea vt omnes pessundantur. Dicis id quod te scripsisse miror, si non pudet & pœnitet te. Amator inquis, insanus solus bene iudicat de huiusmodi vitiosa immo furiosa passione. Alienus verò ab ea (qualem me esse tu dicis, non ego dico) eam non nisi in speculo & ænigmate recognoscit, quasi videlicet oporteat omnes qui de vitijs rectè incorruptéque iudicaturi

turi sunt, vt eisdem prius vitijs corrumpantur. Longè aliter est. Nullus de vitiosis operibus fert iudicium peruersius, quam ipsi talium febrili ægritudine aut lætali morbo corrupti, & qui abominabiles facti sunt in studijs suis. Exemplum, à sensualitate suppetunt multa, malè verum examinat omnis corruptus iudex, inquit Flaccus. Sed quod addis membra secreta mulierum sanctificata olim ex more fuisse, nescio qualis te biblia docuerit, nisi fortè tu aliam à nostra te penes habueris. Aut si non mouet te seducítq; illud Lucæ: Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur. Quid oro sanctum domino vocabitur? Si siles. Respondeo primogenitus. Cæterum actor tuus, & pene Deus tuus, plurima bona inquis, scripsit, plurima valdę supra communem doctorum omnium intelligentiam, quorum lectio non nisi decies repetita cognoscitur. Quid si etiam mala plurima nimis, & multo plus plurima commiscuit bonis istis contraria? Quid reliquum est dicere nisi eum more insani amatoris insanijsse, variasse, discordasse, & iuxta Terentianum verbum voluisse cum ratione insanire. Propterea opus illud chaos informe rectè nominatur, & babilonica confusio, & brodium quoddam alemanicum & Protheus in omnes se formas mutans, tale demum cui dici possit illud pueris decantatum: Conueniet nulli qui secum dissidet ipse. Sanè quod de theologis introducitur, quos labi refers in amorem quandoque insanum, quemadmodum mihi ipsi comminaris. A quo malo me auertat non cupido falsus, sed verus dilectionis Deus. Istud positum mihi visum est magis ad diffamationem theologorum, quam pertinenter ad rem. Et vt fortassis sub vmbra culpæ maioris in theologis isti sua crimina vel solarentur, vel absconderent, vel probarent. Nam si Tullius cum virum eloquentem describeret, dixit esse eum virum bonum dicendi peritum, multo amplius cum theologum nomino, virum debeo intelligere bonum sacris literis eruditū. Age rursus si tuus actor non ex affectione inhonestè locutus est, da rationem quis eum impulerit ea introducere, ex quibus ratio tam obscœno illotóque sermone loqueretur. Amplius verò culpatur actor tuus non quod introduxerit naturam de Deo loquentem, sed quod taliter loquentem de his mysterijs, quæ sola reuelatio gratuita & supernaturalis ministrarunt. Et quia in opusculi mei impugnatione cum insigni fœmina miscuisti, quæro si virilis illa fœmina cui tuus sermo dirigitur, quamquam ita confuso ordine vt nunc ab ea ad eloquentiam theologicam, nunc è conuerso raptim migret. Si illa inquā, virago arguit erroneum hoc pro prouerbio positum, melius est decipere quam decipi. Nunquid non rectè redarguit ostentu euasionis tuę tam anxia & ficta meditatio quod magno rationis aculeo vrgebat te mulier, quando ad hoc confugisti, vt diceres in hac parte librum additione subdola deturpatum, quod qua ratione scire potueris, nec dicis, nec video. Illud subinde hæc mulier prudenter attulit, quod ad lecturam actoris tui erubescerent reginæ, erubescerent ingenia bene moderata ingenuóq; pudore prædita, quale tuum esse etiam scripta tua (velis, nolis) ostendunt. Nihil enim ibi obscœnum loqui potuit bona indoles tua. Nullum quippe consequens est eas personas taliter agentes, se propterea de criminibus suspectas ostendere, immo verò si erubescunt, magis salua res est, vt Terentianus sermo dicit.

Non attingam omnia, alioquin linea ferè quælibet eliminanda occurreret, vt cum dicis non esse naturalem appetitum hominis cōiungi matrimonialiter solum virum cum muliere vnica, & solam cum vnico, hoc enim & falsum est & vni ex dictis tuis inconsonum, dum genium naturæ Deum defendis, quia inquis de sola matrimoniali copula loquebatur. Similiter quale est illud quod turpitudinem actoris hac pictura celare putaueris, quod malum docuit vt cognitum vitaretur, quod præterea vnus tibi notus philocaptus, remedium sibi ex hoc melleo toxico velut theriacam de veneno confecerit. Omnia quippe talia friuola sunt. Illud quoque parum Catholicè allegatum est dixisse quosdam Cantica canticorum ob laudem filiæ Pharaonis edita. Nam qui dixit irreligiosè mentitus est. Illud verò magis subdolum videtur, dum contendendo vis inducere recursum ad librum esse faciēdum. Non habet liber inquis, per omnia, sicut sonat eius impugnatio. Nolo contra niti, malo dare victas manus, malo succumbere quam tam improba cōtagiosáq; lectio repetatur. Porrò finis scripti tui notat illos curuasse genua coram Baal, à quibus liber iste spretus viluit. Dicam liberè quod sentio, ista introductio vel deprauat sententiam & vitiosa est, vel tanquam scandalosa, iniuriosa & falsa, hæresimque sapiens in fide & moribus reddenda est. Denique si serio dictum est. Tu nunquam præconijs tuis tantūdem extollere paruitatem meam potueris quantum vituperas, dum confingit tua fortè libertas mecum loquendi ea me scripsisse quæ scripsi, quatenus homines quos scimus niti in vetitum, flamma maior exureret animarétque ad lecturam libri huius repetendam quasi videlicet professionem meam commutauerim in mendacium & sit officiū meum fictè agere in doctrina morum, & mihijpsi more actoris tui, immo Christianæ religioni diffidere. Corde insuper & corde loqui. Moriar priusquā ista vnquam fictione palliatus inueniar. Vide potius ne actoré tuum iste dolus infecerit. Dum enim amoris carnalis inducit vituperia, cuius laudes sępius extollit quidni secundum tuam notitiam, faciles ad illum animos proniores reddere studuerit? Quid de protestatione illa actoris tui loquar, quam pro velamine quoddam suæ fœditati superinducere conatus est? Nihil inquit ipse de meo posui. Se ergo recitatorem, non actorem profitetur. Quamobrem nolite vos admiratores sui laudem ei tribuere, si bene dixit, sicut non vult maledicta sua in probrum eius versa iri si quædam arguenda transtulerit. Nolite præterea tanto contra nos odio excandescere, neque tam ampullosis verbis buccisque tumentibus in nos declamare, si liber iste pro sua parte culpatur, non enim personas, sed scripta (quisquis illa confecerit) infamamus nisi fortè ministrator potionis toxicatæ etiam ab alio compositę, nō inde culpa carere iudicandus ęstimatur. Quale est iterum Deus optimè protestari vnum, & eodem contextu protestationi suæ obuium iri.

Istud certè non est excusare se, sed taliter agere vt dicatur, ex ore tuo te iudico serue nequam. Tandem verò ego te nunquam ô Christiana curia animo lęsi neque verbo. Tu non omnia potes delicta corrigere, fateor. Alioquin quid diuinæ iustitiæ in futuro seruaretur? Sufficit in multis redargutio per leges & edicta communia, sicut contra simoniam, furta, homicidia, adulteria. Ita contra hanc contagiosissimam malè loquendi vel scribendi licentiam, præsertim vbi publicus accusator inuenitur nullus. Nihilominus habitatores tuos Ecclesiasticos multos, ego neq; super libris multis Ouidij, neque super magicis figmentis, neque nominatim super hoc libro & alijs conseruatis in multorum perniciem excusare propono. Illos excuso, quos officium nullum ad damnandum constringebat, & qui pro sua parte verbo vel scripto generaliter aut specialiter (vt ego nunc & multi pridem talia) reprobarunt. Neque prætereundum censeo quod scribunt actus Apostolorum omnes conuersos nouiter ad fidem qui fuerant curiosa sectati combussisse libros suos valoris denariorum quinquaginta milium. Ecce coram Deo, quia non mentior. Et si quid in me est cui fidem dare dignum ducis, affirmo si solus esset liber actoris tui mihi proprius, valens mille libras & amplius, ego prius darem eum flammis rapacibus exurendum, quam venderem taliter publicandum. Vide quantum afficiar, immo vero non afficiar ipsum relegere, non quidem ex ignorantia sicut tu reputas, quamquam in me multa sit, sed pro mea & aliorum conscientia. Itaque memini me pridem gustasse iam ab adolescentia fontes illos omnes, aut ferè omnes à quibus actoris tui dicta velut riuuli quidam traducti prodierunt Boëtium, Ouidium, Terent. Iuuenal. Ala. & de sancto amore Abelardum cum suo heloyde Marcianum capellam, Et qui si sunt alij. Scito præterea quod codicillum vnum, cuius titulus est itinerariũ mentis in Deum, à domino Bonauentura conscriptum (quem vno die perlegi) ego toti libro tuo, immo & decem talibus in profunditate scientiæ opponere non dubitauerim. Et eum ad intelligendum hunc librum nos adeò brutos & hebetes esse dijudicas. Attamen pro hac commonitione tua, vt relegam & sic intelligam, ego vicem reddo. Lege frater & iterum relege quartum librum de doctrina Christiana. Ille enim aliquanto plus affert difficultatis quam liber tuus in vulgari. Animaduertes (crede mihi) non esse factam iniuriam tyrannicam eloquentiæ si eam theologiæ sociauerimus. Pudebit te forsan audaciæ allegandi ea quę non plenè perspexeris. Augustinus planè tibi reclamat, tum expressissimis verbis ibidem quarto de doctrina Christiana in ipso operis vestibulo, tum facti & operum suorum tantis eloquentiæ viribus elaboratorum, quamquam temperata modestia locutus sum, si aduerteris dum eloquentiam theologicam mediocri sermone loquentem esse introduxi, curiositatem quasi mihi iamiam opponendam vigilanter excludens. Postremò cessent ioci frater optime, & melioris causæ patrocinio dignissimæ. Taceat interim libido vel vincendi vel garriendi, veniamus ad rem seriam religiosámque. Assero tibi si scirem germanum meum composuisse talem librum atque publicasse. Pœnitere autem super hoc præmonitus & animaduersus sufficienter, finaliter recusasse. Ego non plus pro eo in hac impœnitentia mortuo quam pro damnato preces offerrem domino nostro Iesu Christo. In quo bene vale, tradens te deinceps salubrioribus castioribusque studijs, neque dans occasionem scandali simplicibus. Et si quid asperius dictum fortassis offenderit, da veniam meæ fidei multum de te præsumenti, quia multum diligenti. Denique totum tum veritatis Catholicæ zelo, tum desiderio ad salutem tuam deputatum habe. Et oremus pro inuicem vt saluemur.

TRACTATVS EIVSDEM DE SIGNIS BONIS ET MALIS.

Fac mecum signum in bonum. Orat propheta, ne sit de illorum grege dicentium. Signa nostra non vidimus. Et quia signum in bonum quod fit dum signatur lumen vultus Dei super nos, cognosci sæpius habet per suum oppositum. Placet enumerare quædam signa in malum, ne fallat nos dæmonium meridianum, signa prætendens Angelicæ seu virtuosæ sanctitatis. Vnum signum malum est. Velle per seipsum semetipsum cognoscere, spernendo aliorum consilium, quasi melius cognoscat se & sua, quam alius quicumque. Hoc signum reperitur in pusilanimi, & tanto deterius, quanto videtur humilius. Hoc fit dum se nimis deijciens præponit superbè iudicium suum superiorum suorum aut prudẽtiorũ iudicio. Alterum signum simile huic. Est negligere regulas euangelicæ legis, aut etiam rectæ rationis. Et se velle regere, quasi per inspirationes miraculosas, & per quædam interiora sentimenta, non quod ista sint abijcienda, sed quia debemus agere prius quod in nobis est secundum viam doctrinæ diuinæ legis & rectæ rationis sperando quod vbi non sufficerent ista, Deus illuminaret & suppleret residuum oratione mediante, mediantibus insuper Angelis vel hominibus vel intus per seipsum. Alterum est. Multiplicare nimis consilia, dum non quiescit homo in hoc vel in illo consilio, nisi quis sibi dixerit quod versatur in corde suo cum tamen omnis quærens consilium debeat antea præparitionem animi talem habere, quod deposita omni affectione propria atque suo iudicio acquiescet sententiæ illorum quorum petit consilium, alioquin meretur illudi, & meritò fluctuat iugiter in incertum. Alterum dum diligit homo laudantes se, & fugit inculpantes se seu redarguentes, contra illud: Increpabit me iustus in misericordia, oleum autem peccatoris, &c. Et coloratur istud signum aliquando sub specie conseruationis famæ suæ ad alterum, non quasi de se curet, sed de aliorum scandalizatione, propterea dicunt se velle honorari, non culpari in publico. Alterum simile signum est, quærere se super omnibus rumoribus dictis de eo ad præsumptis excusare, laudes suas præferendo, & alios deijciendo, quasi sit hoc in vtilitatem reipublicæ, non in suam superbiam. Alterum est velut oppositum priori negligere penitus

penitus famam suam, sic viuendo quasi cunctorum verba vel iudicia despiciat, quod vtique procedit ex falsa libertate vel incósulta patientia dum non facit homo quod in se est pro conseruatione famæ suæ. Facit autem hoc dum cauet diligenter à causis veris scandali, quamuis maliuoli peruertant quæ agit in malum. Non enim potest homo vel debet aliter conseruare famam suam, quam ab omni specie mali semet abstinendo, quantum patitur humana fragilitas. Sic enim veritatem habet illud Lombardicum: Fac quod debes, eueniat quod poterit. Alterum est præponere iudicium suum nouum priscis sanctorum Patrum institutis, quasi non habuerint notitiam vel experientiam talem qualem ipse habet. Et hoc signum maximè fallit in moralibus seu agibilius, in quibus sancti patres diligentissimè laborarunt, quorum sententiæ magis imitandæ sunt. Etiam vbi non apparet manifesta ratio, immo vbi videtur oppositum faciendum ex quibusdam coniecturis quam sint nouitates præsumendæ ex zelo non secundum scientiam. Hoc signum declarat Bernardus de duodecim gradibus superbiæ, gradu quinto.

Signum malum. Feruor inquietus & qui male cuncta ministrat impetus. Et quia vitium præceps, virtus tarda vel matura. Et quia non est in commonitione dominus, sed in pace factus est locus eius, ipséque cum tranquillitate iudicat, iubens per sapientem in mansuetudine perfici opera. Propterea differendus est talis feruor quousque sit in potestate operantis velut equus sub freno.

Signum malum. Scrupulositas nimia & conturbata hæc prouenit ex negligétia nolente quærere, vel ex superbia nolente accipere sapiétiorum consilia, nec conscientiam suam captiuare vt eisdem conformetur. Signum malum. Vtrobique præsumptio & desperatio de diuino auxilio præsumptio renuit cooperari Deo, desperatio autem non expectat cooperationem Dei secum. Medium iter est sic operari vt totum gratiæ diuinæ tribuatur, & sic de gratia confidere, quod non deseratur operatio faciendo quod in se est. Signum malum. Gloriatio in infirmitatibus & defectibus, præsertim culpabilibus, quasi Deus mittat eos, ne magnitudo virtutum extollat mentem. Et ob hoc veluti superbire vnde humiliari debuerat. Ob hoc præterea negligéter agere ad tollendum defectus huiusmodi, nec super his debitè pœnitere. Signum malum. Offerre Deo opera sua vel gratias quasi dignum aliquid habeant ex persona operantis, & non potius sint fœditates quasi pannus menstruatæ, aut sicut panniculi leprosorum, qui per continuam saniem defluentem sordidantur. Sic omnes iustitiæ nostræ quantumcumque pulchræ sint ex diuino munere, nihilominus contaminátur quodammodo ex continuo fluxu peccatorum & defectuum, saltem venialium, per vulnera & vlcera mentis, & per desideria orientia ex infectione peccati originalis & quadam vulneratione. Signum malum. Quærere nimis consolationes spirituales, & de earum carentia murmurare vel impatientem esse, hoc est, de diuina prouidentia minus humiliter sentire, quæ consolationes huiusmodi tollit rationabiliter. Prima: Quandoque ad humiliationé pro præterito vel futuro. Secunda. Quandoque ad desideriorum augmentationem. Tertia.
A Quandoque ad propriæ fragilitatis recognitionem. Quarta. Quandoque ad habendum compassionem super aliorum desolatione. Quinta. Quandoque ad pœnitentiam propriam ex tali carentia consolationum peragendam, sicut humanitas Christi derelicta est vt pro nobis dolens satisfaceret. Sexta. Quandoque ad aliorum ædificationem vel adiutorium impendendum. Septima. Quandoque ad impletionem eorum quæ iussa sunt, ne videant hostes sabbata eaque derideant, dum operatio debita deseritur. Octaua.
B Quandoque ad sollicitudiné ingerendam de retinendo dum habentur, per euitationem omnium defectuum, etiam venialium. Nona. Quandoque ad clarè sentiendum, quod tales consolationes non sunt volentis & currentis per industriam humanam, sed Dei miserentis. Decima. Quandoque ad purgandum peccata contracta ex quiete nimia mentis, sicut mare commouendo se purgatur. Vndecima. Quandoque ad experiendum si vult anima seruire Deo expensis proprijs aut
C gratis sicut cum talibus consolationum stipendijs. Duodecima. Quandoque ne præmietur anima hic in præsenti pro benefactis quibusdam puniendа in futurum pro malefactis. Sunt enim tales cósolationes gratiæ gratis datæ quæ stant cum peccato immo per quas & cum quibus anima fornicatur à Deo, sicut regina fornicaretur cum pulchro regis nuncio. Tredecima. Quandoque postremò ne faciat anima de corpore suo in lachrymis & alijs abstinentijs expensas pœnitentiæ gra-
D ues & excessiuas.

Signum malum. Post peccatum sic irasci sibi, sic indignari quasi fuerit in potestate sua stare propterea non statim resurgere ad auxilium ex alto, sed in seipso miserè contabescere. Exemplum de puero, qui auellens se à manu matris cadit in terram, de hoc irascens percutit terram ceruice sua, nolens assurgere protinus vt manum matris rursus apprehendat. Signum malum. Desidiæ post peccatum sic sibi blandiri, sic negligere quasi sit humanum peccare nec hoc magni pendere, præ-
E sertim quia patet statim medicina per contritionem vel confessionem. Hoc est enim peccare in spe cum taliter abstinere debeamus à peccato, quasi nunquam pateret remissio, vt in morte. Signum malum. Peccatum ideo fugere, quia postea confitendum, & magis dolere super hoc quam super offensa Dei. Præponitur itaque honor proprius honori diuino, dum plus mouet verecundia confessionis vel eius pœnalitas quam offensa creatoris. Signum malum. Desperatio de
F aliorum saluatione quasi nihil vtiliter fiat eis, vel prædicando vel monendo. Hoc enim redundat in iniuriam medici omnipotentissimi, sapientissimi & optimi. Hoc prætereà venit ex radice quinta superbiæ quasi sit aliquid qui plantat aut qui rigat. Signum malum. Collætari vel ridere super aliorum defectibus. Non enim hoc fieret sic ab eo qui se iudicaret similiter & magis deliquisse. Signum malum. Indignatio ad peccatores quibus debetur compassio. Oritur nimirum hæc indignatio à reputatione iustitiæ propriæ, quasi nunquá eum perpetrare similia contingeret.

Ad idem spectat correctio cum exprobatione vel execratione & contumelia. Signum malum. A Velle carere tentationibus, vtpote velle sic in mente & corpore quietari velut innocens Adam. Hoc enim frustra quæretur, immo & superbè, immo & noxiè frequenter, cum gaudium existimare debeamus cum in tentationes varias inciderimus quatenus exercitati per virtutum victoriam coronemur. Signum malum. Apud eos qui positi sunt ex officio ad laborem actiuæ quærere solicitè quietem simul & suauitatem contemplatiuę velut in solitudine vel otio. Torquet enim ac distrahit mentem hoc studium, vt neque sufficienter exequatur actio, nec contemplatio habeatur. B Signum malum. Iudicare esse se in gratia cum certitudine, nisi per reuelationem claram habeatur, cum sufficiat pro statu præsenti probabilis coniectura. Nescit quippe homo an amore vel odio dignus sit. Tum quia nescit an opera sua acceptantur coram Deo. Tum quia ignorat qua districtione iudicentur, aut quo fine terminentur. Tum quia mentalis oculus cæcutiens est, putans aliquando de gratijs gratis datis vel acquisitis gratiam esse gratum facientem. Tum denique quia C angelus sathanæ transfigurat se in Angelum lucis, exuflans per aliquam latentem superbiam flammam charitatis. Conseruans nihilominus lucem quandam acquisitæ seu consuetudinalis virtutis. Signum malum. Studere contemplationi, vel ad curiositatem sciendi quid est, vel ad solam voluptatem, & non principaliter ad humilitatem, & ad Dei dilectionem syncerius exercendam.

Signum malum. Iactantia de stabilitate in hoc D vel illo bono proposito, quæ dicere facit. Mallem mori, mallem omnia mala pati quam hoc malum facere, vel ab illo bono resilire. Nollem habere totum mundum, & hoc bonum amittere. Sufficit namque ad humilitatem, vt pro stabilitate in bonis exoreretur Deus, ne nos inducat in tentationem qualemcumque, per quam cadere contingat nos fragiles. Aut si talia dicenda videntur. Addatur secundum affectum præsentem, qualis sentitur aut adesse creditur. Signum malum. Gloriatio de conseruatione exterioris hominis ab occupa- E tionibus peccatorum carnalium, si derelinquitur interior homo in conculcationem vitiorum spiritualium. Exempli gratia. Silet lingua carnis in Ecclesia tempore diuini seruitij, vide ne perstrepet assiduè lingua mentis in conspectu Dei, vel rixando defectibus fratrum, vel respondendo iniurijs eorum, vel admittendo diuersas fabulationes vitiorum sub specie virtutum, vt correctionis vel instructionis, & similium. Indignaris dum cernis apud clericos seniores fieri fabulationes in Eccle- F sia Dei cernente populo, indignare tibijpsi qui sæpe deteriora agis videte toto cœlorum choro. Signum malum. Affectio carnalis ad aliquid dum tractandum est syncerum Dei negotium, quemadmodum, scilicet, in confessione habenda libentius auditur pulcher quam turpis, iuuenis quam senex, mulier quam homo, peccatum carnale quam spirituale. Aut si in collocando homine pro salute sua plus attenditur locus proprius aut consolatio propria, quam suæ animæ saluatio, & quam vniuersalis Ecclesiæ ædificatio. Signum malum. Dum aliquis loqui vult aut claustrum exire, aut dominationem recipere, aut generaliter aliquid quod cedit in honorem vel in quandam libertatem voluptatem suam agere, si non mallet pro tunc quantum in ipso est silere, quiescere, subijci, ac honore tali vel libertate aut voluptate carere. Signum quippe est latentis vanitatis, & non ædificantis charitatis. Signum malum. Prędicare vel quicquam aliud laudabiliter facere, dum arridet fauor & plausus, & dum super alios collaudatur operans, si cessantibus istis cessat & ipse ab actione. Impellebat quippe eum non charitas, sed vanitas. Simile cognoscitur dum cupiditas lucri mouet, non veritas. Signum malum. Si quis mauult rem aliquam per se fieri minus benè quam melius per alterum, nisi ratio altera concurrat proprij meriti vel exercitationis virtuosæ. Signum vniuersaliter malum est quod contradicit signo Christi.

SERMO INCOMPLETVS TAMEN EIVSDEM DOCTORIS DE *Natiuitate beatæ Mariæ virginis.*

QVÆ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Spectaculum hodie nobis proponitur viri patres & fratres spectaculum ô admiratione dignissimum, quia nouum, quia pulchrum, quia electum, quia terribile. Nouum, vt in nouitate vitæ ambulemus. Pulchrum, vt fœditatem vitiorum abijciamus. Electum, ne reprobi vilescamus. Terribile, ne potestates aduersas nimia formidine timeamus. Assurgamus igitur ad hoc spectaculum toto mentis annisu. Non enim istic caro prodest quicquam, Intueamur quæ sit ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Inuenimus quod est illa virgo alma, virgo abscondita, quæ hodie velut aurora processit ad ortum. Quam in primis salutemus admirantes & veneremur deprecantes, & dicentes illud Angelicum: Aue gratia plena dominus tecum.

Quæ est ista quæ progreditur, & cæt. Verbum istud si literaliter & allegoricè & moraliter possit exponi, ipsum tamen ad anagogicum sensum, hoc est ad supermentalem excessum nos aptius videtur inducere. Literalis sensus secundum quosdam est de turba filiorum Israel transeunte ex Ægypto per desertum in terram promissionis, hoc est de synagoga, vel secundum alios (& magis ad rem nostram) de virgine Maria. Allegoricus verò de Ecclesia, moralis de qualibet anima sancta. Sed anagogicus de anima per contemplationem singulariter sublimata. Fuit quippe synagoga quasi aurora consurgens in exitu maris rubri pulchra vt Luna in progressu deserti, electa vt Sol in susceptione legis & cultu Dei singulari. Et terribilis vt castrorum acies ordinata in debellatione cuiuslibet aduersarij. Similiter virgo Maria fuit quasi aurora consurgens in Natiuitate. Pulchra vt Luna in Conceptione

ceptione filij Dei. Electa vt Sol in glorificatione. Et pro defensione generis humani, terribilis vt castrorum acies ordinata. Ecclesia verò fuit in patriarchis & ante legem quasi aurora cõsurgens. In prophetis & lege antiqua, pulchra vt Luna. In lege noua gratiæ, electa vt Sol, & contra pestes hæresum & vitiorum semper aduersas, semper terribilis vt castrorum acies ordinata. Vel quasi aurora consurgens in pœnitentibus. Pulchra vt Luna in actiuis. Electa vt Sol in contemplatiuis. Terribilis vt castrorum acies ordinata in martyribus vniuersis. Porrò quælibet anima sancta est quasi aurora consurgens in contritione. Pulchra vt Luna ratione fidei illuminantis. Electa vt Sol ratione charitatis inflammantis. Terribilis vt castrorum acies ordinata, ratione spei confortantis. Anima postremò dum rapitur ad supermentales excessus, dum scilicet sedet & solitaria & tacens, & leuat se super se, proprijssimè comparatur auroræ consurgenti, & secundum varios contemplationum modos dicitur nunc pulchra vt Luna, nunc electa vt Sol, nunc terribilis vt castrorum acies ordinata. Dimisso interim sermone de synagoga & Ecclesia secundum sensum vel literalem vel allegoricum, loquamur primò de virgine beata literaliter, & simul de qualibet anima sancta moraliter. Deinceps de anima per contemplationem subleuata, dicamus aliqua anagogicè & breuiter. Nihil errauit Salomon qui leuatus in spiritu & admiratione suspensus, futuram huius fortis mulieris Mariæ Natiuitatem (à longè licet intuens) exclamauit. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? Voluit quippe rem tantam sub visibilibus signis vtcumque notam facere, vt per considerationem sensibilium quæ laudamus & miramur nos ad suam laudem & admirationem consurgamus. Hinc appellata est quandoque stella, quandoque cœlum, quandoque virga florida, quandoque cedrus exaltata in libano, & cypressus in monte Syon, & plantatio rosæ in hierico, & oliua speciosa in campis. Et ita de cæteris innumeris quorum non est reddenda ratio per singula.

Sed de ipsa aurora videamus nominatim secundum tres eius proprietates quæ Mariæ congruunt, & per eas ostenditur pulchra vt Luna &c. Aurora diei nunciatrix est. Roris generatrix. Latronum effugatrix. Sic Maria in ortu suo verum solem iustitiæ nunciauit, quem paulo post ex se peperit, qui sola sua reuolutione verum diem attulit mundo. De quo Salomon: Oritur Sol & occidit & ad locũ suum reuertitur. Oritur in Natiuitate, occidit in passione, ad locum suum reuertitur in Ascensione. De hac aurora trahi potest id quod Prudentius in hymno cecinit: Nox atra. Hac ratione Maria dicitur non Sol, sed electa vt Sol, quia proximiori similitudine solem imitatur. Cæterum aurora est roris generatrix, sic Maria est mater gratiæ, quæ gratia ros est cælicus ad irrorandum ariditatem agri nostri atque fœcundandum in omni genere virtuosarum plantationum. Alioquin sine gratiæ huius rore mundus erat terra deserta, locus horroris & vastæ solitudinis, sed hodie prodijt aurora, hodie formata est terra noua, quæ tandem rotantibus cœlis desuper germinauit saluatorem. Ac perinde Maria pulchra est vt Luna. Luna siquidem mater humoris atque fœcunditatis existit. Denique Mariam auroræ comparamus, quia latronum effugatrix est. Ideóque est terribilis vt castrorum acies ordinata. Itaque surgente aurora mucro latronis conditur, & omnis errorum chorus viam nocendi deserit, ait Ambrosius in hymno. Latrones istos non alios accipiemus ab eis in quos incidit homo quidam descendens de Hierusalem visione pacis in hiericho præsuntis mutabilitatis. Hinc est Adam de paradiso eiectus in hanc miseriam, vbi tales bestię syluę & catuli leonum rugientes facta nocte pertranseunt. Sed dum oritur Sol, dum scilicet aurora consurgit, congregantur & in cubilibus suis collocantur, vt exeat nouus homo ad opus suum & ad operationem suam vsque ad vesperum. Has pestes vniuersas esse dicimus mẽbra serpentis antiqui, cuius caput ipsa virgo contriuit. Nonne igitur latronum effugatrix est velut aurora? Nonne ob hoc insuper terribilis redditur vt castrorum acies ordinata. Nunc ad mores traducamus quæ dicta sunt, & dicamus quod anima postquam iacuit in terra nocte peccati, seditque in tenebris & in vmbra mortis, si tandem pia hæc virgo Maria facit orationem pro ea, lumen gratiæ circumfulget in habitaculo animæ, ita vt incipiat aurora fieri pulsis nubibus & tenebris vitiorum. Quod si non tepescat, si non rursum decidat, ipsa progreditur de virtute in virtutem quasi aurora consurgens vsque ad perfectum diem, ita vt de eadem liceat exclamare. Quæ est ista quę progreditur quasi aurora consurgens, &c. Licet præterea adiungere id quod sequitur. Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Pulchra vt Luna in vi concupiscibili ratione dilectionis & deuotionis. Reddit enim deuota dilectio animam pulchram & facilem ad humorem lachrymarum, talis erat quę dixit: Anima mea liquefacta est vt dilectus locutus est. Electa vt Sol, in rationali ratione cognitionis quam non habuisse conqueruntur impij dicentes, quod Sol iustitiæ non illuxit nobis. Terribilis vt castrorum acies ordinata, in vi irascibili. Ratione diuinæ protectionis. Nam quia iam anima habitat in adiutorio altissimi, ipsa in protectione Dei cœli commoratur. Fortitudinem hãc expertus est ille luctator Iacob surgente aurora, qui ab Angelo benedictus emarcuit in femore, & claudicauit non perdens fortitudinem, sed commutans. Perdidit carnalem & spiritalem adeptus est, qualiter illi de quibus propheta: Qui sperant in domino, mutabunt fortitudinem. Pulchritudini animæ tanquam Lunæ nocet vmbræ terrenorum affectuum, quibus interpositis fit eclypsis horrida & turpis in anima. Hos affectus vt deseretis, anima vestra (viri patres & fratres) dixit cum psalmista gemebundo voto. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam. Dehinc fœliciter datum est quod sequitur: Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. Expectabam eum qui saluum me pusilanimitate spiritus & tempestate.

Circa hoc est consideratio.

Si quis vult pulchritudinem suæ deuotionis & dilectionis custodire, vt anima sua sit pulchra velút Luna plena, quæ in diebus suis lucet, taliter

ſtudere ne ad terrenum paſſionabiliter afficiatur neceſſe eſt. Hoc verò & ſi fieri poſſit in mundo, longè tamen facilius eſt aſſequi in clauſtro, & tali clauſtro quale veſtrum eſt, vbi ſuperiores nō ſunt ditiores &c. Euenit nihilominus aliquando vt religioſus qui magna, immo omnia contempſit à ſeculo veniēs afficiatur à paruis in clauſtro, aut quia ad modicos honores hilareſcit, ad contumeliam leuem contrahitur & triſtis eſt. De cultello vel calamo aut aliquo tali exiguo ſolicitus eſt, aut litigat vt alius de diuite regno. Rurſus animæ fulgorem ſolarem nubes varia phantaſmatum circumuolantium conturbat & obſcurat, & multo amplius denſæ caligines vel ſuſpicionum contra fratres vel opinionum & ſuperſtitionum à recta fidei pietate diſſonarum impediunt. Quod ſi has nubes atque caligines quid aduehat quæſieris? Reſpondeo, quod frequentius à vento ſuperbæ curioſitatis inſufflantur, quandoque nihilominus inuitis nobis inſibilantur à ſerpēte antiquo ad noſtram vel probationem vel exercitationem vel punitionem.

Circa hoc eſt conſideratio.

Religioſa mens quanto poteſt amplius inſiſtere debet vtilibus & ſalubribus doctrinis, non varijs atque peregrinis. Intereſt etiam ſua vt occurrentem phantaſiarum turbam repellat manu ſollicitæ conſiderationis & meditationis ad diuina, vt ibi noſtra fixa ſint corda (orat Eccleſia) vbi vera ſunt gaudia. Ita enim quæretur Deus in ſimplicitate cordis, ita à periculo inſaniæ & imaginationis phantaſticæ atque turbulentæ ſeruiens Deo liber erit, & lucebit in eo Sol intelligentiæ quaſi ſine nubibus rutilans. Attamen ſi tales phantaſias circa inutilia aut noxia nequaquam ex toto abijcere ſufficimus, ſicut nec ventos continere, noſtrum eſt illos contemnere & pro nihilo ducere. Agamus iter noſtrum non retinentibus nos latratoribus iſtis dæmonibus nec puſilanimitate puerili deficiamus, deijcientes vltro nos in volutabrum luti. Si enim non conſenſerimus nullum eſt peccatum, immo verò magnum & magnum meritum comparatur. Hic contra ſcrupuloſos & timidos ſermo longus poſſet interſeri. Animam noſtram ad extremum dies oriens gratiæ efficit terribilem, tanquam ipſa ſit acies caſtrorum, hoc eſt, virtutum ordinata contra quam mundus, caro, dæmonia diuerſa mouent prælia. Sed ne timuerimus quoniam plures pro nobis ſunt quam cōtra nos. Nihil eſt autem quod nos timidos & fragiles efficere valeat, ſi non venerit nobis pes ſuperbiæ, qui vtique inutilis eſt, immò præceps, lubricus & peſtifer, qui non permittit animam ſtare, nec mirum cum baculo arundineo innitatur.

Circa quod eſt conſideratio.

Religioſa mens in omni tribulatione & anguſtia & conflictu vitiorum debet confugere pedibus orationis ad illam quæ eſt dæmonibus terribilis velut caſtrorum acies ordinata. Et hæc eſt beata Dei genitrix virgo, cuius hodie celebritas Natiuitatis honoratur. Fœlix anima cui datum fuerit de nocte culpæ progredi ad auroram conſurgentem gratiæ, vt eam ſub admiratione fas ſit intueri & dicere: Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens? Deinde conueniat eidem animæ quod ſequitur: Pulchra vt Luna in deuotione. Electa vt Sol in cognitione. Terribilis vt caſtrorum acies ordinata in diuina protectione. Pulchritudini nocet vmbra terrenorum in ſollicitudine,

A ne quid deſiderent, ne perdent terram & paradiſum, cognitioni nubes phantaſmatum. Radicatur homo & conſideratione, ex locutione, in ſilentio, ex tentatione ſicut canes. Et hęc tantumdem dicta ſint de ſenſu literali & morali noſtri thematis, tum ad laudem virginis, tum ad noſtram inſtructionem qualemcumque. Senſus anagogicus vocat nos ad excelſius aliquid conſiderandum & contemplandum in verbis præmiſſis, vt non de quauis

B anima illuſtrata luce gratiæ hoc verbum accipiatur. Sed de anima quæ iam ſtatum perfectorum viatorum attigit, & approximauit ſtatui beatorum, qualis erat anima virginis noſtræ etiā in hoc ſeculo. Eſt itaque ſpectaculum grande & admiratione exclamationéque digniſſimum, videre animam progredientem de tenebris mundi huius ſenſibilis in lucem mundi ſuperioris ſpiritualis, vt vt exinde fiat velut aurora conſurgens. Hoc enim ſolis perfectis & ipſis rarò datum eſt pro ſtatu viæ. Et quoniam vos viri patres & fratres in hoc voca-

C ti eſtis ſuper cæteros religioſos vt gratiam hanc adipiſcamini. Propterea enim ſolitudo magis amica vobis eſt & magis indulgetur dicere hic aliqua meditatus ſum, nō tam mea quam aliena dicta experta balbutiens & garriens qualia vos perfectius quam ego qui loquor intelligere aut recognoſcere poteritis, ſicut verba articulata quæ aut picæ aut pſittaci conſuetudine audiendi proferūt, homo audiens bene concipit, cum ab eis ſenſus omnis ignoretur, ſed eſt in eis ſine mente ſonus.

D Venerabilis Richardus de ſancto Victore in ſuo de contemplatione, & beatus Bernardus in multis opuſculis, tum nominatim ad veſtros fratres de monte Dei, & cæteri præterea qui de contemplatione animi conſcripſerunt, ponunt conformiter ad eleuatos philoſophos, quod anima noſtra duas facies habet ſecundum quas poteſt ſe interponere vel interſerere in duobus mundis vel ſeculis. Vnus mundus eſt ſenſibilis communis hominibus & brutis. Et dum in hoc mundo anima per cognitionem ſenſitiuam interiorem circumfertur, dici-

E tur habere ſuam diem quaſi materialem atque corporalem, quia iam reſpectu rerum nō cognoſcentium verſatur in lumine cognitionis, vbi ipſe in tenebris & quadam cæcitate nullius cognitionis deleteſcunt. Hoc die maxima pars hominum contenta eſt quos vltra cognitionem iſtarum rerum ſenſibilium nulla cognitio ſpiritualis illuminat. Eſt nihilominus vltra mundum ſenſibile, mundus quidam ſpiritualis perfectior, cuius cognitio non per ſenſum, ſed per ſpiritum acquiritur. Et hæc co-

F gnitio cum radiat in ſpiritu noſtro cauſat diem quandam ſpiritualem & immaterialem qui adeò clarus eſt, adeò lucidus & ſerenus vt ei collatus prior dies non immeritò tenebra dicitur & nox & caligo. Dum igitur anima eleuat ſe ſupra diem cognitionis ſenſualis ad hanc cognitionem ſpiritualem, progredi dicitur quaſi aurora cōſurgens. Sed nunquam abſq; ſingulari miraculo poteſt pro hac vita tantum progredi vt veniat ad perfectam diem atque meridiem, ſed expectatur in cœlis. Salomon igitur videns animam in contemplatione ſuſpenſam & progredientem & illuminatā, admiratur & quærit: Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?

consurgens? Ita commemoratum est ex aliorum dictis quid sit aurora ista in anima rationali iuxta sensum anagogicum. Sed quomodo fiat ista progressio si pergat aliquis à me quærere? Respódeo quod nec doctrina humana, nec industria docere sufficiunt. Sola est vnctio quæ hoc perdoceat, quamquá non nihil proficiunt tam doctrina quá industria. Et de hac re multi multa conscripserút vt Bonauentura in itinerario suo. Alius in septem itineribus æternitatis. Alius in tractatu cuius initium est, viæ Sion lugent. Gilbertus in homilia quadam super Cantica, vbi ipse ibidem sic loquitur. Anima quæ digna habita est progredi hoc modo, quasi aurora consurgens habet istud, eo quod aliquando est pulchra vt Luna, quandoque electa vt Sol, quandoque terribilis vt castrorum acies ordinata. Cum enim anima pertingere nequeat vt sit aurora talis, nisi supra se leuetur ad diuina & diuina virtute. Ista subleuatio & consurrectio fit aliquando per magnitudinem deuotionis ex intuitu clementiæ & misericordiæ Dei, quę appropriatur Spiritui sancto. Quandoque per magnitudinem cognitionis lucidæ ex speciali influxu sapientiæ diuinæ quæ appropriatur filio. Quádoque per magnitudinem humiliationis & tremoris sub potentia diuinæ maiestatis, quæ appropriatur patri. Prima consurrectio fit tanquá à Luna. Nam mare quemadmodú feruescit & eleuat se in se, sicut dicit propheta, mirabiles esse elationes maris; & hoc fit à virtute lunæ dominátis humoribus. Non aliter anima ex inflexu diuinæ clementiæ & misericordiæ affecta, quodammodo in deuotione feruescit, & ebulliens leuat se supra se.

Incompletus est hic sermo, nec est compertum quantum desit; quia exemplar nullum præter imperfectum vnicum repertum est apud sanctum Victorem Parisijs.

FVNDAMENTALIS RESPONSIO PER DVODECIM CONSIDERATIONES *ad quæsita reuerendissimi patris ac Domini. G. de Chalancon Episcopi Auicensis, contra fratricellú quẽdam præferentem orationes particularium fœminarú & laicorum deuotorum, actibus Hierarchicis Ecclesiasticorum sacerdotum & doctorum peccatorum.*

PRIMA CONSIDERATIO.

ECCLESIA fundata est à Christo nedum stabilissimè supra firmam petrá, sed etiam sapientissimè & ordinatissimè, quoniá si omnia quæ sunt à Deo ordinata sunt, secundum Apostolum, hoc maximè reperitur in Ecclesia, quæ dicitur ideo terribilis vt castrorum acies ordinata.

Secunda consideratio.

Ecclesia fundata est in suis ordinibus ad exéplar cœlestis Hierarchiæ. Propterea dicit Ioan. in Apoc. quod vidit eam descendétem de cœlo. Moysi quoque præceptum est vt secundum exemplar quod sibi ostensú fuerat in monte faceret omnia.

Tertia consideratio.

Ecclesia secundum tres actus Hierarchicos, qui sunt purgare & illuminare & perficere, continet tres ordines principales scilicet supremum, infimum & medium. Supremus purgat illuminat & perficit, & non è contra. Infimus purgatur illuminatur, & perficitur, & non è contra. Medius participat in vtroque.

A

Quarta consideratio.

Ecclesia consistit principalius in ordine primo & secundo quam in tertio, qui est ordo laicorú, & maximè fœminarum, quibus actibus Hierarchici nullo conueniút nec ordines sacri, nec prædicatio publica vel solennis iuxta prohibitioné Apostoli.

Quinta consideratio.

B Valor & dignitas actuum Hierarchicorú in Ecclesia principaliter attenditur per reductioné corporis mystici seu politici ad corpus Christi verú, quod in Eucharistia sacramentaliter continetur, & quod vsque in finem seculi permanebit nobiscum, & ita necesse est quod vsque in finem seculi sacerdotium permaneat sicut & lex ipsi quia cessante sacerdotio cessaret lex per argumentum Apostoli. Vnde statim reprobatur error asserentiú, quia tempore Antichristi lex Christiana à deuotis mulieribus & laicis solum defendetur.

Sexta consideratio.

C Valor actuum Hierarchicorum præferendus est actibus non Hierarchicis, sicut & ordo primus & secundus infimo præferuntur per rationem & authoritatem, secundum deductionem doctorum, præsertim Dionysij inde Ecclesiastica & angelica Hierarchia, vnde protinus eliditur error & temeraria præsumptio asserentiú, quod vita & orationes deuotarú mulierum, plus valent quá multæ orationes & missæ sacerdotum peccatorú. Primò quia præferunt personas statibus. Secundò

D quia temerariè & scandalosè iudicant de personis sacerdotum. Denique nutriunt quantum in eis est arrogantiam & præsumptionem in mulieribus & laicis quos laudant & præferunt.

Septima consideratio.

Valor Ecclesiasticorum sacramentorum non perditur ex peccatis ministrantium, si ministrát in fide & intentione Ecclesiæ, sicut est de eis rationabiliter præsumendum. Cui valori sacramentorum non est præferenda quouis modo sanctitatis vel deuotio simplicium (maximè mulierum &

E laicorum) de infimo gradu Ecclesiæ quibus non competit huiusmodi sacramentorum ministratio regularis. Vnde conuincitur temeraria & scandalosa assertio, præferentium actus singulariú personatum actibus Hierarchicis sacerdotum, etiam si aliunde fuerint peccatores; quia non inde sacramentorum sanctitas violatur. Et oppositum dicere est hæresis pluries & expressè damnata.

Octaua consideratio.

Valor prædicationis authenticæ, pastoralis scilicet & doctrinalis attenditur secúdum tres actus

F Hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare & perficere, quoniam solis Hierarchicis competit ex officio publica & pastoralis prædicatio, vel commissis seu missis ab eisdem, & nullo modo mulieribus, nec alijs etiam deuotis, si non mittantur à Deo immediatè vel ab homine. Sed nec credendum est dicenti se missum à Deo, nisi manifestè docuerit.

Nona consideratio.

Assumptio status perfectionis quanto plus habet difficultatis & arduitatis, tanto debet status huiusmodi cum maiori cautela & circunspectio-

ne sapienter declinari vel humiliter cum magno timore & tremore suscipi. Facit ad hoc parabola Christi de volente turrim ædificare aut aduersarijs occurrere. Illud insuper Sapientis; Altiora te ne quæsieris, quia etiam displicet Deo stulta & infidelis promissio. Denique non omnis armatura quæ fortium est conuenit debilibus. Exemplum de Dauid qui cum armis Saül incedere non potuit.

Decima consideratio.

Assumptio status perfectionis exercendæ spectat ad prælatos tam maiores quam minores, quorum statui connectitur ius & debitum tres actus Hierarchicos exercendi circa subditos, purgando illos & perficiendo per sacramentorum dispēsationem cum annexis. Hunc verò statum quomodo liceat aut non liceat appetere vel renuere vel retinere non est hic differendum. Satis hic sit dicere quod status iste præferendus est & honorandus, etiam si personas culpabiles habuerit. Inducendi quoq; sunt subditi de tertio ordine quod istos colant, neque dijudicent neque diffament, facientes oppositum in suis prædicationibus, vel alibi seditiosi sunt & scandalosi & compescendi, quia nutriunt vitia rebellionum in subditos. Denique tolerabilius est in Ecclesia sacerdotes de ordine Hierarchico (quamuis sint peccatores) habere quam nullos & honorare pro statu & Hierarchico statu quam cōtemnere pro suspecto reatu. Attendant hoc diffamatores prælatorū, maximè curatorum. Sed neque sunt exemptiones in huiusmodi status Hierarchici præiudicium faciendæ.

Undecima consideratio.

Assumptio status perfectionis acquirendæ, qui vocatur communiter status religionis cuiuslibet habentis tria vota essentialia annexa religioni tali vltra generalem regulam Christianam, sub vno Abbate Christo & vicario suo summo pontifice continet in obseruantijs specialibus & sacrificijs seu positiuis arbitrarijs multam latitudinem & varietatem, sub qua stare potest salus & obseruatio regularis de quibus esset vtilis valde declaratio, sed non est præsentis breuitatis. Sufficiat hic tangere quod nulla est obseruatio seu constitutio regularis superaddita legi Christi super qua non habeat summus pontifex authoritatem interpretandi, variandi vel tollendi vel dispensandi pro circunstantiarum varietate, sicut & factum est nominatim in regula fratrum minorum, cui interpretationi qui resistit pertinaciter & arroganter, Dei ordinationi resistit. Et per consequens ordinationi sancti Francisci, cuius non potuit esse alia ordinatio valida quam à Deo vel sub Deo.

Duodecima consideratio.

Assumptio perfectionis acquirendæ si fieri debeat à quolibet suscipiente cum magno labore, timore & tremore (prout notum est consideratione nona) Hoc tamen potissimè considerandum est & obseruandum in sexu muliebri, qui fragilis, qui seductibilis, qui varius semper & mutabilis, qui pronus ad superstitiones suscipiendas, & pertinax ad errores susceptos, prædicatur à sanctis & à philosophis, quibus experientia cōsonat vniuersa. Sed augetur periculum si regularis obseruatio fuerit in quadam solitudine quæ à sancto Benedicto & cæteris periculosissima non A exercitatis iudicatur, si in fame siti & nuditate supra communem modum, si in vigilijs supra modū cerebrū turbantibus, si in summa ponatur in proprio & communi egestate, maximè si petere nequeunt pro se, quia inclusè, & quæstores vix fideles & prouidi reperiuntur. Dum præterea refrigescit charitas multorum, & dandi facultas crebrò minuitur, propter quotidianos casus aduersos domesticos & publicos. Rursus si fœminæ illæ in exercitijs quasi solis spiritualibus, ad quæ vix attingunt viri perfectissimi dedicantur, si careāt ipsæ B solidis doctrinis, si doctores probatissimos nō habuerint. Si voluerint accipere in velamen malitiæ libertatem spiritus. Si curiosæ voluerint esse semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, aut si doceri totaliter refugerint. Si non ante bene probatæ fuerint in exercitijs præceptorum. Si criminatrices fuerint vt loquitur Apostolus, si se suámque religionem alijs sint præferentes, quod non sine arrogantia damnabili fit. Si gaudent laudibus proprijs quasi sint C dignæ hābere visiones & reuelationes à Spiritu sancto, tanquam sacerdotes & doctores (præsertim seculares) indigni sint, quibus credant à quibus consilia recipiant, quos reuereantur & honorent quæ subinde suas orationes præferant vel præferri gaudeant actibus Hierarchicis seculariū, qui sunt, missas celebrare, sacramenta ministrare, prædicationibus insistere. Et quia sæpissimè visum est vt in multis quod talia reperiuntur, ne multo deteriora & abominabiliora loquamur D quæ etiam cogitare pudor est, iudicet prudentia dominorum prælatorum, maximè summi pontificis circa tales & talia quid agendum, quia si in viris religiones inueniuntur ita collapsæ, quid expectandū erit de fœminis. Deuotus est (fatemur) & honorandus fœmineus sexus, sed cum summa discretione regendus. Planè non sufficiunt ad hoc fratres girouagi sine litteris, sine superioribus legitimis, quæstum æstimantes pietatem, quales notant sancti patres esse deterrimum genus monachorum.

E

Articuli qui dicuntur fuisse publicè asserti in ciuitate Auciensi. An. M. cccc. xxviij

PRIMVS articulus, quod præualet oratio deuotæ mulieris vel laici quam multę missæ peccatoris presbyteri. Hæc assertio temeraria est, scādalosa & repudianda tanquam derogans statui Ecclesiæ Hierarchico, ac proinde fauens hæreticæ prauitati. Superbiam insuper & rebellionem F in subditis fœminis & laicis generans. Non obstante si in aliquo casu particulari & damnabili possit habere veritatem.

Secundus, quod vita vnius deuotæ personæ vtilior est Ecclesiæ Dei quam prædicatorum inflatorum vel prædicantium verbi diuini prædicatio. Hæc assertio sic generaliter prolata falsa est, erronea, temeraria, iniuriosa & scandalosa, seditionis insuper, rebellionis & inobedientiæ nutritiua in subditis, & Ecclesiastici ordinis turbatiua, & ideo talis retractanda. Tertius, quod fratribus minoribus non licet habere aliquam rem aliquo modo præter caballum super collum. Hæc assertio

tertio reducitur ad temerariam & præsumptuosam dijudicationem authoritatis summi pōtificis, qui regulam fratrum minorum (sicut de iure potuit & expediens iudicauit) exposuit. Quartus, quod magni clerici & doctores tempore antichristi erunt primò peruersi & seducti & sui erroris & sectæ defensores & fautores. Istæ repetitæ seu moniales & simplices personæ solum erunt legis Christianæ defensatrices. Hæc assertio ad primam partem temerariè asserta est & scandalosè, & ex consequenti redundat in hæresim manifestā iuncta secunda parte, quæ dat intelligi quod sacerdotium & lex Christi deficient in sacerdotibus prædicatoribus & prælatis. Quintus, quod quidam frater Franciscus assertor (vt dicitur) illorū articulorum, asseruit se loqui & locuturum (cum talia proponeret) à Spiritus sancto, adducens illud: Nō enim vos estis qui loquimini. Hæc assertio censanda est temerariè asserta & præsumptuosè, immò & scandalosè, dū particulares circunstātiæ se taliter extollentis attenduntur. Postremò secundum cōditiones & signa prædicti assertoris cum applicatione sacrorū canonum particulariū super talibus casibus editorum. Formandus erit processus iuridicus, si persona possit apprehendi, aut si non, prædicatio seu publica denunciatio pastoralis & doctoralis apud eos qui probabiliter scādalizati fuerūt, poterit intimari. Verū est quod mitior modus potest obseruari, per publicationē videlicet & assertionem veritatum sub considerationibus duodecim consideratarum contentarū, quæ mittuntur ei, quæ fulciri poterunt atq; dilatari per allegationes dominorum iuristarum.

Epistola eiusdem ad eundem episcopum.

REVERENDO in Christo patri ac Domino, Domino Guillelmo Auiciensi Domino syncera charitate colendo. Poscenti reuerendissimæ paternitati vestræ rationem de ea quæ in me est fide super quibusdam articulis, volui monitus ab Apostolorum principe Petro, simul & vinculo charitatis ad epistolam reuerendę paternitatis vestræ astrictus respondere per schedulam hic insertam, conformem (vt æstimo) deliberationibus illorum quos me præsente reuerendissimus pater Dominus & benefactor meus beneuolentissimus Dn̄s Archiepiscopus Lugdunēsis interrogauit & audiuit. Suscipiatur obsequiū istud seruitutis meę, & placeat in Domino cuius res agitur, qui purget, illuminet & perficiat actiones omniū Christianorum fidelium suorum in viā veritatis & pacis, qui & reuerendam paternitatem vestram conseruet feliciter & longæuè. Scriptum Lugduni die 27. Februarij 1428. Vester humilis Ioannes Cancellarius Parisiensis.

SERMO EIVSDEM FACTVS FERIA SECVNDA PENTECOSTES *Anno M. cccc. ij.*



MITTE spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Psal. 103. Spiritum tuum bonū emitte nobis Domine de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, descendat ipse super hanc plebem tuam in nomine tuo congregatam sicut olim loquente Petro cecidit ipse Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, quemadmodū hodierna loquitur epistola. Veniat ipse & recreabūtur per gratiam, atq; renouabitur facies & imago terræ nostræ, quæ est conscientia nostra. Det ipse nobis qui est vita nostra vitā diuinam & nouam. Nobis inquam qui per peccatū corruimus, nō solū in senectutē & ægritudinem, sed in mortem & nihilū, quoniam stipendia peccati mors. Et fiunt homines nihil cum peccant, secūdum Augustinū. Ad nihilū (inquit propheta) deduces omnes gentes, id est gentiliter viuentes. Tradunt quippe eleuati metaphysici atque theologi, Dionysius Ariopagita, Augustinus, Gregorius, & cæteri, quod sicut corpus moritur abeunte anima sic anima deserente eā Spiritus sancto mortem incurrit. Mortem heu nimis infelicem, horribilem & pauēdam. Non igitur absque ratione prędicabitur propheta per verba thematis: Emitte spirituum tuū, &c. Nā præmiserat conformiter ad prædictam sententiā. Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Quam creationem & innouationem vt adipisci valeamus in hoc celeberrimo die (in die enim bona venimus ad te Domine Deus noster) conuertemus nos ad matrem vnigeniti Dei, ad te virginem gloriosam sine vetustate peccati, quam viuificauit Spiritus sanctus ab instanti conceptionis. Nam quis audeat asserere te aliquando vixisse vita corporali cū morte spiritus maledicta, quæ obumbrante Spiritusancto allatura eras vitam mundo. Quæ præterea in hac celebritate Pentecostes, in hoc iubileo remissionis & indulgentiæ, in hoc die latæ legis olim in tabulis, modo in cordibus illapsum Spiritum sanctum abundantius suscepisti, ad tui corroborationem confirmandam in bono, & ad effluentē elargitionem pro nobis pauperculis parētibus tuis de genere Adam. Ad te talem fiducialiter accurrim' pro nouæ recreationis per gratiam impetratione. Et vt dignè loqui valeamus de causa huius magnificæ processionis gaudiosè rememoretur præconium angelicū: Aue Maria gratia plena Dominus tecum.

Emitte spiritum tuum, &c. O vtinam iuxta altitudinem materię quæ tractanda est, & secundum splendorem huius pulcherrimæ congregationis, datus esset mihi intellectus ad capiendum, & lingua diserta ad explicandum propriè & dignè gaudiosam nouitatem & nouellam iocunditatē, pro quia celebratur sacrata hæc processio super restitutione obedientię Domino nostro summo pōtifici, per quas nos quasi de nouo recreati sumus, vniti & regenerati cum eo, & ipse nobiscū membra cum capite, & caput ad membra non absque immissione Spiritus sancti, ita enim sentire dignum est, ita postulare debuimus per verba nostri thematis, ea ad hoc propositū reducendo. Emitte spiritum tuum, &c. Sed altius repetentes dicamus vt incœpimus ꝙ anima nostra talis est nobilitatis excellentiæ & dignitatis vt viuere habeat vita spirituali & diuina, viuificante eā Spiritusancto. Hanc sententiā traxit apostolus ex verbis poëtarum: In ipso ait, viuimus, mouemur, & sumus, & Statius: Mentes habitare & pectora gaudet. Quis ergo negauerit animā nostram ex hac afflata viuificatione effici totam pulchrā & nouellam decoróq; splen-

dore radiantem? Ita quidem lógè amplius quam corpus ex præsentia animæ. Et ex aduerso anima turpis redditur fœda & horribilis plus cadauere sanioso, dum ab ea Spiritus sanctus abscedit. Tolerabilius inquit Anselmus, &c. Ex his cognoscitur excellens dignitas hominis super bestias dum bene vixerit, & eius infelix calamitas perpenditur dum peruersis moribus damnabilem mortè vltra pecudes incurrit. Deducunt hoc Boëtius in suo de consolatione, & Bernardus super Cãtica. Propterea rursus corpora beatorum sicut præclarissima sunt & decora iuxta pulchritudinem animarum ea viuificantium, ita in damnatis corporibus turpitudo horrida deformis & cadauerosa comitatur animarum fœditatem. Nos ergo si timemus & expauescimus mortem corporalem (ad nudũ quippe nomen eius contremiscimus.) quãto studio mortem spiritus refugere & exhorrescere oportebat? Quamobrem exclamemus cũ propheta humili deuotione: Emitte spiritum, &c.

Sed quæreret aliquis de hac vita quomodo cõquiritur? & habita quo pacto custoditur? Respõdemus quod ad eã disponit deuota humiliatio per orationem. Eam verò custodit debita cõnexio per vnionem. In signum primi erant Apostoli orãtes. Nam orantibus apostolis Deum venire nunciat. In signum secundi ipsi erant concordes charitate pariterque in eodem loco. Deducamus hæc duo tanquã duas sermonis nostri partes, tũ pro nostra instructione, tũ pro insinuatione, cur numerosus populosúsque conuentus iste vocatus est ex institutione regis & prælati mandato. Postquam itaq; spiritus malus tradidit nos ad mortem per peccatũ mortale. Nullum superest efficacius antidotũ quam disponere se rursus ad vitã per humilitatem orationémque deuotã. Deus quippe humilibus dat gratiã. Super quem inquit, requiescet spiritus meus, nisi super humilè & quietum & trementem sermones meos? Et Bernardus: In veritate cõperi nihil ita efficax ad gratiã Dei recuperandam, inueniendam & seruandã, quam si inueniaris non altũ sapere. Fiat igitur nunc oratio nostra talis ad Spiritum sanctũ. O suauis & benigne spiritus protector certissime & consolator desolatorum, pater pauperũ, tutor orphanorũ, lumen cordium, director errantium, succursor fidelissimus obsessorũ, solus & verus amicus in necessitatibus, & adiutor in oportunitatibus, in tribulatione. Nunc coram oculis misericordiæ tuæ & in prospectu tremẽdæ maiestatis tuæ adimus thronum gratiæ tuæ, vt vitã & misericordiã inueniamus & viuamus. Repelle quæsumus à nobis multiplicem mortem nostram per septemplicem vitam donorum tuorum, accedat spiritus timoris Domini, qui nequã spiritum superbiæ penitus eijciat, & spirit⁹ pietatis malignã inuidiam, spiritus sciẽtiæ iram & insaniam, spiritus fortitudinis acediam languidam interimat, deniq; per spiritũ intellectus gula ebria, & per spiritũ sapientiæ luxuria, quæ non sapit ea quæ Dei sunt, procul expellatur, vt gustato spiritu desipiat omnis caro. Sic recedente morte peccati adueniat vita gratiæ, & renouabitur vt aquilæ iuuentus nostra, vt viuentes laudemus te & glorificemus in secula. Veni rursus ô suauis & benigne spiritus, & recrea spiritualem mundũ in nobis, sicut septẽ diebus mundum corporalem instituisti. Dic primitus vt fiat lux cognitionis & fidei, & fiet ad dissi-
A pandum tenebras quæ sunt super faciem abyssi. i. animæ nostræ teterrimæ, fiat deinde firmamentũ bonæ voluntatis quod diuidat aquas ab aquis, id est, affectiones superiores & spirituales à carnalibus & infimis. Dic præterea vt germinet terra cõscientiæ nostræ, quæ inanis est & vacua & ferat plantas omnis generis virtuosarum inclinationũ, & herbam virentem cum floribus varijs sanctarũ affectionum, & fructus bonorũ operum secundũ genus suum. Porrò fiant luminaria magna in suo
B cœlo. Charitas ibi radicet vt sol, fides vt luna, spes vt lucifer, cæteræ virtutes vt stellæ, beatitudines vt planetæ. Producantur insuper volitantes auiculæ, quæ sunt sancta desideria alis contemplationum sublimata & suspensa. Reformetur de hinc anima ad imaginem & similitudinem benedictissimæ Trinitatis, vt tandem quiescat ab omni opere actuoso, & dicat cum propheta? In pace in idipsum dormiam & requiescam. Ista sunt vota nostra, hæ preces humiles ad Deum nostrum, dũ petimus tota deuotione: Emitte spiritum tuum &
C creabuntur, & renouabis faciem terræ, &c.

Potuerat hæc materia nostræ orationis & humiliationis ad Deum longius trahi & profundius inuestigari. Nam & typus pueri ab Helisæo suscitati qui oscitauit septies, & viuificatio ossium aridorum flante spiritu, & suscitationes mortuorum quas scriptura commemorat, præbebãt multam nobis loquendi materiam. Sed reuocat nos ad sui elocutionem nouitas quæ processioni huic celeberrimę causam dedit, quam innouationis ex-
D plicationem sub triplici consideratione comprehendo.

PRIMA CONSIDERATIO.

Præcipua & si non vnica dispositio in corpore mystico Ecclesię ad suscipiendam in suis membris perfectam vitam, est humiliatio sub Deo per orationem veram & deuotã, propterea duratio schismatis iam fermè quinque lustris, nostram ostendit superbiam nondum satis humiliatam, alioquin nõ despexisset Deus humiles sperantes in se. Ecce au-
E tem pestiferum schismatis malum quod velut insanabilis cancer Ecclesiam depascitur, ægrescitq; medendo. Frustra tẽtata sunt humana remedia, quasi iuxta propheticam maledictionem perierit consilium à sapientibus. Nonne ergo æquũ dicere erat cum Iosaphat. 2. Paralip. 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros ad te dirigamus: Quod si quis opposuerit processiones & orationes frequẽter factas extitisse per Ecclesiam. Ego vos iudices statuo, si sufficiens aderat humilitas interiórque
F deuotio, quę in morum correctione consistit, quãquam multas orationes dignas per nõnullos præcessisse non ambigam postulãtes cum Ecclesia & propheta: Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Et rursus: Fiat pax in virtute tua & abundantia, &c. Quas exaudiens ex alto Deus innouationem quandam bonæ spei contulit ad vniuersalem integritatem pacis assequendam.

Secunda consideratio.

Si Dominus noster Papa positus in schola tribulationis sufficiẽter didicit lectionem humilitatis, mãsuetudinis & benignitatis vt misericors fieret

ret cũ Christo, præterea in angustijs suis vndique
cor eius fuit fiduciam habens in Domino cum illa
fideli Susanna, Deus absque dubitatione eripiet
eum & glorificabit eũ, non tantum modo pro se,
sed & pro Ecclesia, nisi forsitan subditorũ peccata
nimis obstiterint. Cõsideratio ista firmissimo sta-
bilitur fundamento diuinæ promissionis. Cũ ipso
sum (inquit) in tribulatione, eripiã eum & glori-
ficabo eum. Et patet deductio ex præmissis. Nam
humilẽ spiritu suscipiet gloria. Et qui se humiliat,
exaltabitur etiã in præsenti. Nihil quippe arduũ &
magnificũ voluit facere Deus nisi per bene humi-
liatos. Videte martyres qui fundauerunt Ecclesiã
sanguine suo. Et quod est martyribus caput nouũ,
nonne Christũ oportuit pati, & ita intrare in glo-
riam suã? Videmus, inquit Apostolus, Iesum pro-
pter passionem gloria & honore coronatũ. Et ad
Philip. 2. Christus factus est, &c. propter quod
Deus exaltauit illum, &c. Ita quicunque humilia-
uerit se sub potenti manu Dei, in tribulatione ca-
piens ex vexatione intellectum, ille cõstituitur in
salua guardia regis excelsi, & in franchisia firmis-
simi habitaculi quod operatus est Dominus, ha-
bet altissimum refugium, protegitúrque in abscõ-
dito tempestatis. Propterea nullus contra talem
potest præualere hostilis insultus. Nam qualis es-
set virtus contra Dominum? quæ prudentia, qua-
le consilium? Ioseph innocentẽ humiliauit Deꝰ,
ipsum quoque humilem persecuti sunt fratres sui
odio capitali. Sed quid aliud fecerunt persequẽ-
do quam exaltationem eius, ita vt inde saluator
vocaretur? Quantis insuper persecutionibus at-
tritus est Dauid per Saül, ne regnaret, regnauit
tamen ipso persecutore deiecto, quia magnus esse
cœperat in oculis suis. Innumera suppetunt exẽ-
pla ad hanc rem, quam euentus etiam præsens
corroborat. Qualis quantáve fuerit humiliatio
exterior Domini nostri Papæ, cognoscunt omnes
qui dicta & gesta circa eum per quatuor annos at-
tenderunt, nec recitatione mesta opus est nostram
interrũpi lætitiam. Aspeximus post octo dies sæ-
penumero, & nunc in quantam repentè sublima-
tus est exaltationem coram omnium oculis ita vt
subiungere valeat illam sibi. 2. Esdræ 8. particulã,
quam præcedit thema sumptum à reuerendo pa-
tre & præceptore meo Domino Cameracensi pri-
die in Ecclesia Parisiensi. Et benedictus inquit,
Deus patrum nostrorũ qui dedit hanc voluntatẽ
in cor regis clarificare domum suam quæ est Hie-
rusalem. Sequitur: Et me honorificauit in conspe-
ctu regis & consiliorum & amicorum eius & pur-
puratorum. Quam exaltationẽ & omnium exul-
tationem lætabundam, vtinã datum fuisset Domi-
no nostro oculis palam attendere & notare. Nõ-
ne dixisset cũ Maria: Magnificat anima mea Do-
minum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari
meo. Quia fecit mihi magna qui potens est. Et ite-
rum: humiliatus sum & liberauit me. Et rursum ad
Deum: Secundum multitudinem dolorum meo-
rum in corde meo, consolationes tuæ lætificaue-
runt animam meam. Denique mihi videor rectè
affirmare, quod ipse regnum & incolas abundan-
tius gestaret in visceribus sanctæ charitatis dein-
ceps & iugiter. Innotescit quippe inter cætera no-
strorum gaudiorum signa quam altis suspirijs &
lætis (vt ita loquar) lachrymis innouatio nostra
ad Deum & ipsius ad nos per nouam obedientiæ
A vnionem ad præsens per vos auditur, dum ad hoc
propositum traduco verbum præassumptũ: Emit-
te spiritum tuũ & creabuntur, & renouabis faciẽ
terræ. At forte dicet aliquis minus instructus: Tu
laudando Dominum nostrum simul eum vitupe-
ras, qui dicis eum in schola humiliationis miseri-
cordiam & humilitatem didicisse, quasi videlicet
antea talibus ipse esset orbatus virtutibus. Sed re-
sponsio in promptu est. Primò quia nemo repen-
te fit summus. Et nullus ita sanctus est quin bene
sanctificetur adhuc. Præterea nullus arbitror indi-
B gnabitur si ipsi beato Petro & prophetæ Heliæ, &
similibus ego eum non præposuero, quos tamen
tribulatos fuisse vt humiliarentur celebris est hi-
storia. Petrus vt ex casu proprio addisceret in-
struere alios in spiritu lenitatis. Helias quia de
proprijs virtutibus confidens intumuerat, & se
solum relictum ex Dei cultoribus arbitrabatur,
profugus à facie mulieris aufugit. Quid si aliqua
talis inflata cogitatio subrepserat apud Dominũ
nostrum ex priori virtutum exercitio quasi solus
C vnionem dare posset & dignus esset Ecclesiæ
aut aliqua similis vanitatis illusio, quam ambitio
subtile malum & dominantibus insidiosissimum
secum afferre solita est, quis scit si aliquando dixe-
rit in abundantia sua, non mouebor in æternum.
Et tandem expertus sit illud quod sequitur: A-
uertisti faciem tuam à me, & factus sum contur-
batus. Hæc autem auersio ad præsens accipi po-
test tribulationis inuersio, ex qua humiliatus re-
surrexit fortior instar fabulosi Anthei, prout spe-
rare conuenit, ipse quoque Ecclesiasticæ vnioni
D faciendæ magis idoneus redditus est tanquam vi-
ta, vnione & virtute Sancti spiritus magis adim-
pletus.

Tertia consideratio.

Attenta humiliatione Domini nostri, quæ ex
suis oblationibus dicitur agnosci. Rex cum suo re-
gno rationabiliter sunt reuniti, & quasi nouiter
recreati in obedientia eius. Hæc cõsideratio quã-
quam sequatur ex præcedenti, eã nihilominus la-
tiori prosecutione deducamus, attẽdentes in pri-
E mis quod nõ frustra orauit hactenus Ecclesia ver-
ba nostri thematis: Emitte, &c. Et illud in prosa.
Veni sancte spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ
radiũ. Emittat itaque Spiritus sanctus radios suæ
claritatis & sui luminis, quod signatũ est super nos
luminis. s. rationis ad ostendendum nobis bona.
Qui radij licet innumerabiles sint, duodecim enu-
merasse suffecerit, ex triplici virtute sancti Spiritus
profluẽtes. Est nãque Spiritus sanctus spiritꝰ amo-
ris & vnitatis. Et spiritus iustitiæ & veritatis. Est
F spiritus decoris & honestatis. Notãtur hæc Sap. 7.
vbi ipse describitur vnus & multiplex. Ex hac tri-
plici virtute quam adaptare fas est ad tria appro-
priata in diuinis, tertiam patri, secundã filio, primã
Spiritui sancto. Ergo in consideratione mea qua-
dripertitos radios supernos & decoros enumera-
re conspicis. Ad quid? nimirum pro clarificatione
domus Franciæ, quæ est Hierusalẽ illa quam vidit
Ioannes nouam descendentẽ de cœlo. Conuerta-
mus ergo oculos nostre ratiocinationis ad trinam
hãc virtutẽ, & intuebimur quatuor rationũ radios
profluere ab amore & vnitate, totidem à iustitia &
veritate, & totidẽ à decore & honestate, propter

quos illuminati sumus videre renouationē & recreationem quandam super nos & in nobis, quam A quæsiuimus & orauimus: Emitte spiritum tuum & creabūtur, &c. Primus radius perspicacis rationis ostendit vnitatem mutuā huius obedientiæ totius inter se, quæ alioquin diuisa maneret. Hoc autem erat necessarium primū tendendo cum alijs ad vniuersalem vnionē. Nam quo pacto concordassemus alios nobiscū & nos cum eis si in perpetua discordia versati fuissemus? Conueniet nulli qui secū dissidet ipse. Pro hac re induci possent historiæ cōmemoratæ à Valerio Maximo lib. 4. cap. 7. B De his qui vt prodessent reipublicæ, priuatas inimicitias & discordias deposuerunt. Facit etiam ꝙ discordia in his quæ sunt ad religionem dissoluit ē facili concordiam in ciuili politia, ad temporalitatem. Quia igitur hoc regnum cum alijs huius obedientiæ confœderatū est temporaliter, ipsum non oportuit ab alijs in spiritualibus dissidere. Alterā vnionem manifestat secundus radius, quę est vnio regnicolarum Franciæ inter se, quam paruipēdere non conuenit, cum dicat Iulius Cæsar: Orbem vniuersum non posse resistere totius Galliæ cōsensui. C Hanc vnionem esse firmiorem vident qui attendunt. Tertia vnitas ab altero radio proditur. Et hæc est inter dominos huius regni adinuicem, quorum diuisio quam pestifera esset nemo nescit, tam pro se quam pro subditis. Pro quo prodest reminisci regis illius de quo videtur meminisse Macrobius in saturnalibus. Hic rex habens filium sibi odiosum, ex hac dissensione sentiens subditos proniores ad rebellionem & seditionem concitandam, conuocata concione retulit se in gratiā D cum filio redijsse. Itaque tres Domini duces nostri si cum rege & mutuo vniti permanent, sunt funiculus triplex qui difficile rūpitur. Nec ignorare decet illud Salustij: Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Per quartum radiū vnio specialis inter Ecclesiasticos ostēditur, vtputa studiorum cum studijs, vniuersi totum cum vniuersitatibus, Ecclesiarum cum ecclesijs. Sciunt experti qualis iā dissentio plusquam ciuilis irrūpebat velut inter guelfos & gibelinos, alijs dicentibus ego sum benedicti, alijs ego sum E subtractionis. Et (quod deterius erat) iam errores & hæreses caput extollebant, quas si excrescere permissum fuisset, robur æternū ipsi schismati contulissent. Quinetiam status infelix Ecclesiæ in quos anfractus inextricabiles incidisset, si Dominū nostrum ante recōciliationem mutuam sui cū Cardinalibus decedere ex hac vita contigisset. Vident qui vident an propheticus sermo verificatus esset, percutiā pastorem dispergentur oues gregis, F &c. Nunc verò amplius & si fortè nō penitus clarificata sunt omnia, deductáque est ad effectū nostra oratio: Emitte, &c. Voluamus intuitum ad alios quatuor radios descendentes à iustitia & veritate. Primus radius fugat inobediētiam, quæ qua tetra & nequam est Dathan & Abiron absorpti docuerunt. Si ergo Dominus noster ponat se in debito suo in facto vnionis Ecclesię & Papalis officij animaduertite periculum si nō obstante subtractione præterita & causis eius, noua restitutio nunc non esset subsecuta. Qualiter autem ponat se in debito suo, ego ad regem refero, & eius consilium qui suas oblationes habuerunt, examinauerunt, acceptauerunt. Ab altero radio dissipatur caliginosa opinio quorūdam dicentium nos ideo subtraxisse prius, vt ad obedientiam patris alterius migrasse possemus honestius. Aliam non minus tenebrosam æstimationem destruit tertius radius qui Dominum nostrum fingebat nunquam fuisse ritè electum. Et has assertiones temerarias inualescere honor regis & regni, iustitia quoque & veritas tolerare diutius non debebant. Porrò radius quartus fecit euanescere obscurissimam nubem, immò profundissimam abyssum collustrauit, dum quorumdam erat assertio & vocibus & scriptis, quod suis culpis Dominus noster perdiderat ius in papatu, neque ei vnquam salua cōsciētia obedientiæ nouitas poterat exhiberi. Quarta verò tenebrositas caliginosa inundasset abysso si in eam demergi cōtigisset, cogitare stupor est. Benedictus Deus qui nos pertransire fecit abyssum hāc intolerabilem, & duxit innouationem alterā, de qua postulauimus dicentes, Emitte spiritum tuum, &c. Postremò oculis nostræ considerationis objiciuntur quatuor radij honorabiles & sereni, emicantes à decore & honestate. Primus siquidem honor est humiles suscipere atque protegere. Quis ergo humilem Dominum suū non benignè tractauerit? si dura responsio eiusdem Domini displicuit vsque ad recessum ab eo, mollis è contra responsio nonne multo leuius placere debuit ad regressum, sicut & verè placuit quod tam subita tanquam per omnes restitutio palam dedit intelligi. Adduci poterat hoc loco dictum Virgilij ascriptum Romanis.

Parcere subiectis, & debellare superbos,

Et quædam alia quæ propter scientes omittimus. Præterea honor & virtus non infima, subijcere se rationi ita, vt variatis rebus, dum ratio suadet, iudicia immutari, homo non inueniatur ceruicolus, innitens (nolitq; reuerti) propriæ sententiæ. Nam & Spiritus sanctus suasibilis est, quos implet suasibiles efficit. Et nihil intolerabilius est in republica furore eorū qui habent zelum non secūdum scientiā, qui quod semel conceperint in anima, immutabiliter exequi conantur. Quales ab Aristotele vocantur immansiui in opinionibus, tales ab alio quodam experto Heremita scribuntur esse sibi ipsis & alijs diaboli, nec indigere diabolo alio tentante. Deniq; maledictus furor taliū, quia pertinax, & æmulatio, quia dura. Cū è diuerso sapientis sit mutare consiliū, circunstātijs immutatis, immò nō mutatur consiliū, sed perficitur, quia finem attingit velocius, quēadmodū Christus non venit legē soluere, sed adimplere, cū tamen multa in aliam formam mutauerit. Hinc Terentius: Nunquā ita quisque bene subducta ratione ad vitā fuit, quin res, ætas, vsus, semper aliquid apportet noui, aliquid moueat, vt illa quæ te scire credas, nescias, & quæ tibi putaris prima, in experiendo repudies. Hac regem & regnum obstinatione carere perspicuum facit noua hæc restitutio. Cæterum collucere tertium radium ab honestate video, in quo collucere fas est quod puro animo & absque odij cuiuscūque nubecula rex cum suo regno subtractionem effecerat. Nā si ex odio vel alia intentione peruersa cōtra Dn̄m nostrū subtractio emersisset, nihil erat nisi eædē causæ nūc manarent & in eadē subtractione stare cōpellerent.

Quartus

Quartus radius ad extremum dilucidè perspicuéque demonstrat quam forti virilique zelo res cum A suis ad vnionem in ecclesia habendam hactenus processerint, quin ipsi etiam vsque ad cedendum iusticiæ suæ eandem quæsiuerunt vnionem. Et iam nihil in eis stat, nihilque in domino nostro, quominus habeatur; immo cedente altero mortuo, vel eiecto, pax est in ianuis nisi ab alijs obstinatione violenta depellatur, quod si fecerint, ipsi viderint de se, nos animas nostras liberauerimus. Quin etiam initia magna iacta sunt pro spe reformationis in ecclesia tam vniuersali quam particulari in Gallia ex prouisionibus & promissio- B nibus dicti domini nostri nunc obtentis. Præcessit ergo medicina quædam fortis & velut corrosiua in ipsa subtractione. Nunc suauior adhibenda erat in noua restitutione, vt diceremus ex sententia verbum prophetæ præmissum, quasi iam exauditi ex parte: Emitte spiritum tuum & creabuntur &c.

Concordantiam præmissorum realem & hystoricam habemus Hest. 8. de sublimatione Mardochæi, & confusione Aman. Noua lux (inquit C textus) oriri visa est, honor & tripudium &c. Notetur totus progressus historiæ à profundè speculantibus.

Postquam in prima parte sermonis locuti sumus de humilitate quæ est dispositio certissima & necessaria ad vitam spiritussancti obtinendam vel in vna singulari persona, vel in tota ecclesia. Et hac occasione descendimus ad innouationem gaudiosam, quam hæc humilitatis virtus à domino nostro progrediens in membra deriuauit. D Dicamus sub compendio pro secunda parte quemadmodum hæc vita spiritussancti conseruatur à mutua membrorum colligatione & debita vnitate, nec longè abeundum est. Hanc veritatem sensus edocet. Diuidantur membra corporis veri à se vel à capite, mortem inde sequi quis nesciat? Nec ob aliud abhorret natura vacuum, nec resistit minus suæ diuisioni quam morti, secundum deductionem Boëtij. Non secus debet intelligi in corpore mystico. Sine cuius ampliori deductione tres assumo breuissi- E mas considerationes rei quam agimus accommodas.

Prima consideratio.

Expedit vt indulgentia & venia vtrinque concedatur super ante acta. Alioquin cum natura humana auida sit honoris & impatiens suæ ingloriationis si vnus alteri obiectaret cum exprobratione, tu tenuisti talem opinionem, immo tu talem. Palam est aduertere quod vnitas seruatiua dissolueretur ex facili, & ex consequenti vita F spiritualis cuius ipsa est seruatiua non staret. Ergo recedant vetera, noua sint omnia. Et cogitemus malorum esse iram post inimicitias meminisse. Pensemus insuper fieri posse vt in diuersis sententijs & opinionibus charitatis vnitas remaneat, dummodo recta sit intentio à passionibus aliena. Patuit in Paulo, in Barnaba, immo in ipsis sanctis angelis secundum opinionem probabilem super Danielem. Deniq, non attendamus qui aut qualiter ceciderimus. Sed qua ratione emergamus vnionemq; ab omnibus desideratam & quæsitam consequamur, quæ vnitas, quanto studio prosequi debeat ostendere debent, tum ratio, tum exempla patrum nostrorum immo & historiæ gentilium, qualis est illa quod Semiramis babylonica pectens crines, dum seditionem audiuisset esse in ciuitate sua, exiuit vt erat laxis capillis pro dimidio, nec eos composuit, donec seditio pariter in pace composita sedaretur.

Secunda consideratio.

Si veram quærimus adinuicem pacem & amicitiam, nos vt eum spiritusancto vniti simus necesse est. Ista est non solum theologica, sed philosophica consideratio quæ dicit amicitiam non nisi inter bonos esse posse, quoniam non est pax impijs dicit dominus.

Tertia consideratio.

A pace quam spiritussanctus in nos veniens afflare & influere paratus est, cætera, pax omnis & vnitas deriuatur. Hæc consideratio sequitur ex præcedenti. Sed animos quorundã minus instructorum mouere possent quædam dubitationes ad hanc rem, iuxta tres huius celebritatis partes. Prima quæstio. Spiritussanctus cum sit vbique per potentiam, essentiam & præsentiam quo intellectu dicitur quandoque absens ab anima, quandoque ipsi præsens & eam viuificans. Respondetur quod hoc dicitur propter effectus nouæ cognitionis & amoris. Exemplum familiare ad hoc adducitur de homine, qui dicitur redire ad se dum sui recordatur &c. Secunda quæstio: Vitalis presentia spiritussancti in nobis quibus signis agnoscetur & si certitudo inde possit haberi. Respondetur quod certitudo moralis bene habetur, non simplex & absoluta nisi per reuelationem. Tria sunt signa secundum mysterium hodiernum. Timor Dei ex sono. Libens sermo de eo. Et operatio efficax per ignem significata. Tertia quæstio. Spiritussanctus quare dicitur plus viuificare animam & vnire quam pater vel filius? Respondetur quod ipse est nexus patris & filij, procedit per modum voluntatis &c. Aliæ quæstiones sunt de processione spiritussancti à patre & filio & de errore atque schismate Græcorum. Item & de effectibus spiritussancti & signis hodierna celebritate ostensis super apostolos in linguis varijs, in sono vehementi, cognitione omnis veritatis, in constantia mirabili, in hoc quod ab alijs ipsi reputabantur insani, & quæ erat causa. Et ita de similibus multis quæ alium locum requirunt & tempus prolixius. Quæ omnia dimittentes postulemus in fine vnde ex ordium cepimus: Emitte spiritum tuum &c. in presenti per gratiam in futuro per gloriam. Quod &c.

Notandum quod in re commendatione solita post sermonem quædam narrata sunt super mansuetudine domini nostri & indulgentijs quas faciebat etiam capitalibus inimicis, & quædam alia de rege & domino Delphino ad propositum materiæ, quæ hic inserere prætermisi.

SCEDVLA REGIMINIS EIVSDEM DE GERSONE DIRECTA *cuidam incluso in monte Valeriani.*



IOANNES Cancellarius indignus ecclesiæ Parisiensis Antonio recluso in monte vallis, fructum eremicolæ solitudinis adipisci. Zeli mei feruentis erga salutem tuam testimonia plurima suscepisti, tum collocutione mutua, tum litteris quibus sollicitudinem meam trepidam animaduertere potuisti, ne forsan ambulares in via quæ tibi videretur recta, & nouissima eius ducerent ad mortem. Hoc autem erat si ambulares in magnis & mirabilibus supra te propria duce opinione duce pessima, innitendo baculo arundineo propriæ prudentiæ, clausis quoque oculis & auribus ad alienum cuiusquam consilium. Non enim dubitabam si taliter ambulares quin veniret tibi pes superbiæ, manus peccatoris moueret te, & caderes vbi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. O malū superbiæ pedem esse sapientem in oculis suis, & coram se ipso prudentem. Recepit quippe Deus ab omni arrogante, & humilibus dat gratiam. Sed quæ arrogantia maior, quæ superbia periculosior quam reputare se solum bene sapere in causa sua. Vbi totiens fallitur humana fragilitas, vel amore cæco, vel latenti ambitione, vel alia huiusmodi diabolica illusione, quæ mille modis insidians & laqueos innumerabiles ante gradientis pedes iaciens, non aliter quam humilitate superatur. Est autem humilitas in anima duplex, alia in voluntate, alia in intellectu seu ratione vtraque difficilis obtineri. Sed meo iudicio plus est difficultatis in secunda, quia nihil insidiatur dolosius neque blanditur fallacius, neque subintrat imperceptibilius, neque fugatur operosius quam reputatio proprij iudicij in causa sua. Æstimat enim nullos alios ea singula perspicere quæ circunspicere se etiam experimentaliter arbitratur & dicit sibijpsi. Nemo nouit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est, & similia multa in quæ inuenienda solers est humana præsumptio diabolicis machinationibus agitata. Olim de te talia non mediocriter extimescebam, scis ipse. Nunc Deo propicio (cui gratias age in veritate) in spem meliorum respirare audeo pluries nimirum & à pluribus & sub litera tua propria testimonium nuper habui, te humiliatum vsque adeò vt omnem sensum proprium & omne iudicium tuum longè proieceris, & supposuisti illud iudicio prælati tui seu illorum quibus committere, aut commisisse placuerit, bene est. In hoc sta, fecisti de necessitate virtutem. In hoc humilitatis fundamento te iugiter consolida. Fige pedem, inde ne mouearis, ne subitò corruas. Sit ista mens assidua tibi sit ista animi præparatio, vt nunquam vel minimo dissentias (si cognoueris) à sententia, à iudicio, ab arbitrio, à consilio eius cui te dedisti & dare debuisti, prælatum tuum loquor. Esto sub eo velut lutum molle in manibus rotantis figuli, aut ferrum candens

flexibile sub malleo fabri, dicens cum propheta, A Paratum cor meum, paratum cor meum. Etiam si te penitus eijcere de loco tuo decreuerit, nihil dijudices aut tibi reserues, neque per aduersa & varia consilia vagabundus oberres. Hoc tantummodo pete à domino, vt per eius medium vias tuas dirigat, nec eundem aut alios sibi commissos falli permittat in tuo regimine. Ita enim humiliatus incedes sub alterius iugo. Et nihilominus implebis illud propheticum: Iacta cogitatum tuum in domino, & ipse te enutriet. Et quāuis introitus tuus ad locum illum, nunquam mi- B hi satis discretè susceptus apparuerit, causas legisti, multa tamen tolerantur iam facta quæ displicuissent facienda. Vertat omnia in bonum Deus, & ita vertet, si non in superbia in altero pede animæ in voluntate scil. aut in intellectu tibimet obstiteris. Bene vale mei memor in orationibus tuis, & schedulam regiminis tui quam præsentibus inclusi susceptam adimplere satage. Et quod interpretandum fuerit aut elucidandum per literas interrogare fas habebis.

C *Scedula regiminis inclusa.*

Sit ante omnia singulare studium tuum circa obseruationem mandatorum Dei, quæ omnes obligant, & quorum transgressio mortem operatur. Item nullum votum & nulla obseruatio teneatur in præiudicium aut impedimentum obseruationis huiusmodi legis Christi. Item sit abstinentia tua sic moderata, quod nec sit onerosa puræ mentis eleuationi per nimiam ingurgitationem & repletionem, nec sit destructiua corpo- D ris, & impeditiua debiti vsus rationis per excessiuam abstinentiam, debilitantem & euacuantem cerebrum, & quandoque melancholicas insanias operantem, quia hæc abstinentia indiscreta tanto periculosior esset quanto ad sanationem minus reduci posset, si semel rationem euerterit. Idem dicimus de somno, de vestimento, de cubili & alijs recreationibus ad carnem spectantibus, imo & describendo & de ipsis lachrymis, pro quanto redundat in fatigationem corporis. Item de præteritis votis nullum habeas scrupulum, quod te E obliget ad abstinentiam duriorem quam ferre possis cum debito vsu rationis. Nam cum diuina autoritate accedit autoritas expressa prælati tui domini Parisiensis quæ talia omnia vel relaxat, vel de eis dispensat si vbi & quando in tuæ salutis cederent detrimentum modis dictis. Propterea mox vt perceperis ieiunia tua in pane & aqua vel alia, te notabiliter grauare in turbationem rationis tuæ, illa statim vel relaxa vel tempera. Et in hoc poteris insequi non solum tuum, sed tibi seruientium iudicium. Item non multum refert si quod- F cunque appositum tibi fuerit comederis, seruata institutione generali ecclesiæ, & temperantia moderata, qualiter expressa est.

Item stude quantum poteris solitudini mentis ab omni cura temporalium & hominum terrenorum. Nec ingeras menti tuæ curas superfluas sub prætentu saluationis aliorum, quoniam ista cogitatio tolleret omnem solitudinem tuam, & faciliter præcipitaret abyssum superbiæ, & consequenter apostasiæ. Omnem idcirco talē cogitationē confestim vt insidiatricem pessimam

pessimam expellito, quacunque tunica boni apparentis fuerit inuestita. Constitue teipsum quasi solus esses in mundo ad saluandum te, quousque forsan ex alia vocatione incubuerit tibi onus istud. Dic interim tibi & cogitationibus tuis: Qui iudicat alios & gubernat, dominus est, potens est & bonus ad saluandum eos sine me. Mihi hoc vnum pro eis agere relictum est, pro eisdem exorare, flere & compati. Item nulli aut paucissimis & rarissimè scribas nisi pro necessitate tuæ instructionis habendæ. Similiter paucis loquere, neque omni hora. Et plus ab alijs quære instructionem, quam eos velis edocere, semper in spiritu humilitatis, nihil de altis quæstionibus aut casibus difficilibus. Neque de prædicationibus & confessionibus te quomodolibet omittens, sed indigentes cum beneuolentia ad prudentiores remittito. Eis quoque securius aliquid scriptum legere poteris, quam aliquid de tuo in medium adducere. Item pro tollendo acediam & euagationem mentis, & subleuando fastidium. Compara tibi mutuo vel aliunde libros sanctorum morales, in quibus crebrò studeas, hoc modo non eris solus, dum cum mortuis aut absentibus sine periculo confabulaberis. Relegens sua scripta, vt sunt moralia Gregorij, Codices regularium institutionum beati Benedicti, Augustini, Cassiani, & aliorum: Sermones insuper Bernardi super Cantica, & similia sanctorum opuscula. Item, habeas omni tempore suspectas quascunque visiones insolitas, diurnas vel nocturnas, & illas imputa vel læsioni capitis, vel certè demeritis & peccatis tuis. Similiter dicimus de spiritualibus sentimentis & & dulcedinibus, nisi clarè sentiantur ad humiliationem & contemptum tuæ vtilitatis inducere. Nam impossibile est hominem sibi placentem in talibus, Deo placere perfectè. Tunc quippe dimisso Deo sponso animæ, ipse cum suis delectationibus fornicatur. Item nunquam deinceps astrinxeris te voto aliquo nouo sine superioris tui licentia speciali, neque etiam absque eadem licentia per quorumcunque aliorum consilium, modum tuum viuendi in hac reclusione tibi præstitum transgressus fueris, maximè aperiendo cellam tuam cuiquam, nisi casus necessitatis qui legem non habet, emergeret. Memento te esse bestiam, feram & indomitam quæ tali reclusione indigeas, quem carcerem si sponte cuiquam aperueris, tibi facis viam ad tui & aliorum perniciem. Erit tamen clauis taliter collocata, quod satis in promptu possit haberi propter casus tuæ necessitatis possibiles euenire.

SEQVVNTVR QVÆDAM ALIA A DOMINO GERson edita.



IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Ego Ioannes Cancellarius indignus ecclesiæ Parisiensis compellente me scientia mea, absque singularitatis præsumptione temeraria, sed ex præuisione periculorum verisimiliter futurorum in fide Christiana religione, si fierent aliqua de quibus est fama & formido probabilis. Dico & protestor coram hac sacræ Theologiæ facultate ea quæ sequuntur. Primò quod volo procedere ad vnionem ecclesiæ in vniuersali & particulari tanquam filius eiusdem ecclesiæ licet nouissimus, & hoc non innitendo propriæ prudentiæ, sed insequendo consilium regis & regni pro mea facultate & vocatione, ac etiam deliberationem generalis concilij huius obedientiæ finaliter expectando. Secundò quod nolo reuocare in dubium vel disputationem ea quæ hactenus facta sunt maturo consilio regis & regni, tam super adhæsione ad dominum Clementem, & consequenter ad dominum Benedictum, sicut inobedientes & neutrales faciunt, etiam in hac vniuersitate quam super electione viæ cessionis, & super subtractione an bene vel malè fuerit instituta. Tertiò quia fama publica est quod aliqui volunt deducere materiam præsentem ad hæresim vel schisma, imponendo talia crimina domino Benedicto, & tendendo his medijs ad eius depositionem, & forte consequenter ad persecutionem omnium sibi adhærētium & adhæsurorum. Ego coactus conscientia, significo quod istud nunc & aliàs apparuit mihi non necessariū, sed penitus inexpediens. Nam per hoc secundum videre meum, & sub correctione illius vel illorum ad quos spectat autoritas, schisma præsens multiplicaretur & irremediabiliter, vt schisma Græcorum atque Latinorum radicaretur. Diuisio crudelissima & perniciosissima in hoc regno inter se, & contra alios verisimiliter oriretur. Periculum mutationis regni & aliarum dominationum suscitaretur. Subtractio cum multis quæ facta sunt hactenus per regem & regnum, in periculum reprobationis saltem de facto reduceretur. Accusatio multiplex odiosissima, turpissima & infamis per accusatos contra accusatores saltem facto reuerteretur. Et hæc latius offero me deducturum. Quartò si fiat accusatio prædicta nomine Vniuersitatis vel facultatis Theologiæ, ego minimus inter eos, sed fidelis filius & zelator sui honoris, quia obligor ex officio prouidere ne errores in Vniuersitate pullulent, protestor, quod hoc neque fuit neque est de consensu meo, quia etiam nunquam fui præsens vbi hæc materia pro facultate tractaretur, cum tamen deberet vel non proponi vel ante propositionem cum summa maturatione & diuturna deliberatione ventilari, multo amplius quam approbatio vel reprobatio vnius dicti scholastici, pro cuius tamen discussione opponitur quandoque tractus anni vel biennij, quandoque totum dimittitur indiscussum. Attento denique quod dicitur pluries fuisse ex parte regis inhibita, talis discussio per facultatem facienda. Et si oppositum fieret (quod auertat Deus) ego pro liberatione animæ meæ in hoc seculo & in futuro apud Deum & homines pro me & meis adhærentibus & ad obuiandum prætactis inconuenientibus, quantum fas habeo, protestor de opponendo me tempore & loco & medijs opportunis.

QVÆDAM EPISTOLA EIVSDEM BRVGIS SCRIpta. 1400.



EVERENDE pater & domine pręcipuè dum mentis aciem ad statum quemlibet & ordinem (si ordo quispiam sit in hac nostra tempestate) circunflecto, dum generalem prætereа ecclesiæ cladem cum B miseranda eius numero & merito diminutione pia affectione pertracto, libet magis flere, & iuxta consilium Ezechielis gemere super cunctis abominationibus quæ fiunt, quam de adiutorio remedio vesperando cogitare. Ita à planta pedis vsque ad verticem occupauit totum corpus christianitatis ebulliens peccatorum sanies, ita radices altas egit in hominum cordibus antiqua iam & infelix iniquitas vt de humana ope humanove prouidendi consilio diffidere fas esse videatur. C Nimirum quasi perierit consilium à senioribus, sermo à propheta, & lex à sacerdote. Eamus nunc igitur & in hac procellosissima tempestate vel voragine magisteria nauis ecclesiasticæ, prælationes scilicet non tam desideremus quam violenter rapiamus quando peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus, quando vix sibi sufficit homo vt saluet se in medio nationis prauæ, nisi quædam insania imponat homines supra capita sua iugum vtique graue & summorum D etiam virorum humeris formidabile. Sed hęc forte dicenda erant apud eos qui non dum tenentur hoc laqueo vt cauerent & modestiori se traderent consilio, quid ad illos qui posuerunt iam in rete pedes suos, & in maculis eius ambulant? me præ cæteris & infelicem sortem meam defleo, quoniam ex debito suscepti officij Cancellariæ Parisiensis incredibilibus vsque nunc vrgeor angustijs, dum nec exercere libet, nec excutiendi eam à ceruicibus via conceditur. Sed omitto me, perdidi enim scripta iam verbaque innumera. E Quid tu verò pater optime, quid super onere tuo episcopali censes & cogitas? mihi planè videor intueri. Nam si bene noui humiles & compositissimos animi tui mores, defles iugiter altitudinem tuam, & gemebundus inferiora suspiras. Cur non ita? quid enim non anxium plerumque doloribus, plenum denique periculis animæ & corporis affert in hac felicitate sarcina pastoralis? Affert inquam ad omnes. Sed soli sentiunt quibus est timor Dei ante oculos eorum, qui ad iudicia Dei tremenda non claudunt oculos, sicut illi qui vi- F dentes non vident, & intelligentes non intelligunt, immo qui gloriantur cum malefecerint & exultant in rebus pessimis; qui certè eo infelicius periculosiusque pereunt quo insensibilius, & qui iuxta maledictionem propheticam ducuntur secundum desideria cordis eorum, & eunt in adinuentionibus suis. Petet aliquis quæ illa sunt modo plus quam olim quæ miserabiliorem reddunt præsidentium conditionem? multa prorsus & inexplicabilia. Quid quod in deterius res quotidie ruunt, vbi ad iniquitatis cumulum adijcit quilibet aufert nullus. Si dubitas tu? inuisum A schisma circumspice. Quid quod expeditissima pastorum priorum ignauia, pessimæ consuetudines passim increscere permissæ sunt ita (vt iuxta verbum Senecæ) desit remedij locus, quia quæ fuerunt vitia, mores fiunt. Expertus loquor, & hoc vnum (quamquam innumera sint alia) profero in me assertionis augmentum, videlicet quod in ecclesijs cathedralibus & pręcipuis, insanię falsæ ex sacrilegis paganorum idololatrarumque ritibus reliquiæ pene vbilibet exercentur. Nec obstat locus orationis, neque sacrosancti corporis Christi præsentia, neque diuinorum celebratio, quin impudentissima dissolutione ab ecclesiasticis talia fiant, qualia vel scribere horror est, vel etiam cogitare. Quod si quis etiam prælatorū obniti voluerit, mox irridebitur, exibilabitur, impugnabitur. Ecce inquiens tertius è cœlis cecidit Cato, quanto sapientiores & ecclesiæ vtiliores erant prædecessores tui, qui hæc non solum tolerauerunt immo facientes blanditi sunt. Ita in autoritatem nefandissimi flagitiosissimique sceleris assumitur damnanda & certè iam dānata (nisi pœnituerint) prælationis antiquæ negligentia. Excusant se quidam scio quod pro talium extirpatione nequaquam voluntas, sed facultas defuit. Et hi fortassis audire poterant, si tanto studio quanto pro modica iurium temporalium conseruatione decertassent, & eos non blandè vt Heli filios sed per manus etiam principum seculariū ab hoc eos sacrilegio cōpescuissent. Quid porrò si prępictis adijcias malum abominandum & monstro simillimum? Illi siquidem quos adiutores, & defensores sui gregis habere debuerat episcopus, in lupos ei contumeliosissimos, in leones, in apros rapacissimos, atrocissima rabie verbis exemplis & factis plerumque conuertuntur, clerum loquor & præ cæteris cathedrale capitulum. Sed an episcoporum indignitas, arrogantia vel iniquitas, taliū origo sit, ipsi viderint. Denique verbum Dei (maxima sanè spiritualium morborum medicina, & præcipuum prælatorum officium) ab eisdem desertum est, quasi negotium quoddam superuacuum & magnitudini suæ probrosum vel indecens. Exhinc traductum est verbum Dei ad nescio quosdam, qui vel imperitia sua vel moribus cautissima discretione tractandum adulterauerunt, & illud tanquam in canticum, fabulam & risum audientibus conuerterunt. Redundat totus irreparabilis profectò iste defectus in caput prælatorum. Ipsi quippe mira sollicitudine pro temporalibus tuendis aduocatos, procuratores, promotores & alios huiusmodi officiarios magnis conducunt expensis, magnis pensionibus retinent absque eo quod ab ouibus ipsi tales diripiunt. Sed vbi quæso vidisti theologum pro spiritualibus ministrandis, seminandis & seruandis institutum? cui videlicet iuxta apostolicum decretum temporalis victus vel parcè donaretur, sic temporalia spiritualibus præferimus carnales effecti sic temporaliores temporalibus dominis redditi sumus. Et quia prorsus temporalia clericorum absque spiritualibus (propter quę donauit ea secularium deuotio) diu subsistere nequeunt, verendum est ne vtraque velocius

nostris è manibus rapiatur. Via iam ad hoc lata planè aperta est. Nunquid postremò seueritas omnis disciplinæ sic ab ecclesia exulauit, vt liberius peccent nunc religionum etiam arctissimarum professores, quam olim diaconi vel clerici seculares. Hæc tecum fidenter euomui pater dilectissime, non docēdo, qui mihimet insipiens sum consulere, non exprobrando, sed conquirendo, & morem animo tristi gerendo. Sunt nec dubito hæc notiora quò plus experta, & exinde molestiora, quò qui addit scientiam, addit & laborem, & quò zelus domus Dei in tuo sancto pectore feruet ardentior. Addam ipse quæ cœpi pia temeritate superaddam. De tua enim deuotione multum confido, quia multum diligo, pro rememoratione siquidem aliquorum quæ agenda viderentur, schedulam illa notantem hoc vespere vno & pio impetu supinus propria manu scripsi in lecto aduersæ valetudinis meæ, quam transmitto. Gratanter accipe, & bene in domino vale pater amantissime. Scriptum Brugis Kalen. Aprilis. 1400.

Reuerende pater sub vestra & magistrorum nostrorum correctione. In facultate theologiæ videtur esse necessaria reformatio super sequentibus inter cætera. Primò, ne tractentur ita communiter doctrinæ inutiles sine fructu & soliditate, quoniam per eas doctrinæ ad salutem necessariæ & vtiles deseruntur. Nesciunt necessaria, quia superuacua didicerunt, inquit Seneca. Secundò per eas non studentes seducuntur, quia scilicet putant illos principaliter esse theologos qui talibus se dant, spreta biblia & alijs doctoribus. Tertiò per eas termini à sanctis patribus vsitati transmutantur, contra illud Augustini, nobis ad certam regulam loqui fas est &c. Et non sequitur velocior scientiæ alicuius corruptio quam per hæc. Quartò per eas theologi ab alijs facultatibus irrident. Nam ideo appellantur phantastici, & dicuntur nihil scire de solida veritate & moralibus & biblia. Quintò per eas viæ errorum multiplices aperiuntur, quia enim loquuntur & fingunt sibi ad placitum terminos quos alij doctores & magistri non intelligunt, nec intelligere curant, dicunt incredibilia & absurdissima, quæ ex suis absurdis fictionibus dicunt sequi. Sextò per eas ecclesia & fides neque intus neque foris ædificantur. Constat quod dant potius occasiones credendi quod Deus non sit omnimodè simplex aut vnus sicut dicunt braduardi. Septimò per eas multi ex theologis tam actiuè quam passiuè scandalizantur.

Nam alij rudes vocantur ab alijs, & alij è contra curiosi aut phantastici. Tales nunc currunt propositiones ex talibus doctrinis. Infinitæ sunt durationes in diuinis secundum prius & posterius quamuis æternæ. Et ita de mensura. Spiritussanctus liberè contradictoriè, contingenter producitur ex parte principij quo. In diuinis est absolutè potentialitas ad non esse spiritussancti. Producere filium in diuinis, vt sic nihil est. Spiritussanctus prius est productus quàm sit summè perfectus. Pater & spiritussanctus non sunt cognitio. Et pater & filius non sunt amor. Filius in diuinis potest alium filium producere, quia est

eadem potentia cum patre, ita de innumerabilibus A alijs. Item à multis annis iam fit maxima controuersia in materia de communicatione idiomatum, quam antiqui sic restringunt vt dicant nullum prædicatum communicari Deo, quod dicat imperfectionem. Alij ampliantes dicunt omne prædicatum vtiliter communicari, vsque adeò, quod Deus posset dici damnatus. Item videtur prouidendum quod facultas nunquam determinaret materias fidei cum alijs facultatibus habentibus in hac re æquales voces cum ea, sicut fit in vniuersitate, quoniam periculum fidei & dedecus B facultatis irremediabiliter sequi posset. Item dicitur quod aliquorum vita & mores scandalizant facultatem & si hoc verum est, esset prouidendum. Item quia super erroribus alias publicatis & delatis nulla fit executio aut emendatio, vt aliunde nulli baccalaurij deferunt aliqua quę fuerunt malè dicta, quamuis publica schola scandalizata sit. Et super hoc tamen excusat se Cancellarius, quia non reperit magistros alios qui sufficienter vacare vellent & intendere. Et timuit de C periculosiori scissura propter illa quæ percepit & & ex discretorum consilio. Item mouendi viderentur magistri nostri specialiter qui dederunt occasionem, quatenus suos baccalaureos & scholares monerent fugere aut dimittere vanissimas doctrinas inutiles & steriles, nec approbando, nec morosè aut curiosè reprobando, sicut iam Deo propicio, sophismata sunt expulsa à theologia, & quod materia secundi, tertij, & quarti sententiarum magis tractarentur, quia vix legitur nisi D primus occupando tempus in præmissis doctrinis, & similiter biblia. Et quod libri prædictarum doctrinarum non legerentur ad partem sine licētia facultatis. Et pro honore Dei attendatur diligenter quanta est necessitas pro instructione populorum, & pro resolutione materiarum moralium temporibus nostris. Et tunc credendum est quod in tanta angustia temporis, & inter tot animarum pericula non multum placebit ludere, ne dicam phantasiari circa ea quæ prorsus superuacua sunt. Videbitur etiam quod non est parui ingenij aut rudis tales materias elucidare & fundi-E tus perscrutari, sed alibi est perfectio & alta profunditas, quam non ita sentiunt illi qui non vacant circa eas opere & sermone. Item forte expediret quàm sicut olim tempore quarundam pestilentiarum facultas medicorum composuit tractatulum ad informandum singulos, ita fieret per facultatatem vel de mandato eius aliquis tractatulus super punctis principalibus nostræ religionis, & specialiter de præceptis, ad instructionem simplicium, quibus nullus sermo aut rarò fit, aut F malè fit. Item forte necesse esset prouidere de inquisitore, aut de tali qui tanquam inquisitor posset vacare circa ea quæ nimis liberè, immo temerè contra fidem publicantur in conuiuijs & locis aut aliter. Item forte posset nunc melius practicari quam aliæ decretales, quod in qualibet ecclesia cathedrali & metropolitana esset vnus legens theologiam &c. Item forte pro omnibus præteritis scandalosis dogmatizationibus ad prouidendum de futuris, sufficeret quod in vna scedula ponerentur, quæ scedula publicare-

tur per scholas, dicendo quod tales doctrinæ non placent magistris, & quod deinceps cessent omnes à talibus & similibus. Et nisi facultas hoc faciat aut aliud simile, forsan incumbet Cancellario per aliquem talem modum prouidere, non admittendo sc. ad licentiam eos qui in talibus doctrinis fuerint culpabiles, etiam vbi facultas hoc vellet, quamuis sanctius sit ambulare vnanimiter in tali re Cancellarium cum facultate.

Epistola Gersonis missa prouinciali ordinis Cælestinorum.

SI *quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Matthæi 16. Marci. 8. & Luc. 9. Sufficeret hoc verbum ad grandem nedum epistolæ, sed tractatus editionē, iuxta quatuor eius clausulas, & secundum quadruplicem sensum exponendi scripturas. Sed ad compendium veniendo, & ad satisfactionem qualemcunq; de requisitis super rememoratione quotidiana dominicæ passionis. Dicamus cum Greg. in hom. verbi huius, quod duobus modis crux tollitur. Vnus est per corporis passionem, de qua nihil ad præsens. Alius est per animi compassionē, quæ triplex est. Vna ad seipsum, altera ad proximum, tertia ad Christum crucifixum. De qua re principaliter requiritur vt homo afficiatur ad Christum in cruce passum. Qua super re multi multa cōscripserunt modis varijs & medijs ad finem legis (qui est Christus) intentionem dirigendo, in tollendo crucem suam. Ecce enim per vestram reuerendam paternitatem & charissimam deuotionē missus est & oblatus tractatulus sub quatuor particulis. In quarum secunda narrantur quasi punctatim considerationes circiter 53. & sententiosæ breuiter & ordinatæ. Fecit autem similem breuiationem dominus Bonauen. in suo de arbore vitæ sub duodecim fructibus & folijs 46. Canones totidiē addidit, sicut inueniri communiter potest. Fecit alteram auctor Horalogij sapientiæ separatim sub centum considerationibus, quibus orationes correspondent. Factæ sunt insuper considerationes huiusmodi punctuales pro faciliori tenaciorique memoria, tum in diuersis libris & scientijs, tum nominatim super totam bibliam, & sigillatim super quatuor euangelia diuersimodè per diuersos, inter quos nuper &c. vnum ex quatuor compositæ sunt rubricæ centum quinquaginta cum aliquibus rubricellis & quotationibus accommodis. Denique redacta sunt omnia sub paucis metris & terminis, ita vt cum omni facilitate velut in momento poterit aliquis totum euangelij decursum memoriter excurrere dum volet, quiescens aut ambulans, non phantasticas, sed intelligens punctorum sententiam. At vero sicut in rebus tales illæ sunt qualis est animus vtentis, sic in doctrinis tales illæ sunt faciles aut difficiles pro qualitate intelligentis vel ratiocinantis, vel imaginantis, vel æstimantis.

Trahuntur consequenter ex prædictis aliqua pro responso propositæ & exquisitæ postulationis.

Tollere crucem, magis est in animi vel cordis affectione, quam sola literali & exteriori crucifixi A vel crucis inspectione seu depictione vel iuxta morem aliquorum superstitiosorum deportatione, quales adhuc dicuntur in Italia esse se Iesuanos appellantes, non sine cruce lignea alicubi peragrantes. Tollere crucem suam, est per recordationem dominicæ passionis compati Christo in carne passo, vt si compatimur (secundum apostolum) simul & regnemus. Tollere crucem videndo, audiendo, imaginando, recordando, osculando, alloquendo, prosternendo se, adorando, laudabile opus est de genere pertinens ad la- B triam, pertinens insuper ad multiplicem eruditionem, quoniam omnis Christi actio nostra est instructio. Valet denique ad tentationum aculeos mortiferos, superandum exemplo quo Christus vsus est de serpente æneo, quem Moyses exaltauit in deserto, qua super re specialis est tractatus super illo verbo, exaltauit humiles. Tollere autem magis ille dicendus est, qui ex eius rememoratione facilius & religiosius consurgit circa Christum & consequenter circa seipsum & pro- C ximum. Per illas quatuor principales à philosophis positas passiones, quæ sunt gaudium, spes, metus, dolor quibus superadditur congruè velut composita, cui nomen est compassio seu pietas, conformius proinde loquendo cum theologis nominantur affectiones mentales, quam passiones mentales. Et quoniam super hanc materiam passionum & affectionum pridem & nuper in idiomate tam Latino quam vulgari opuscula plurima reperiuntur per illum vobis notissimum, nō D erit molestum vestræ charitati si à nouis, &c. hanc rem scripturis destiterit, præsertim cum opuscula prædicta nota sint ex nomine, quæ nihil pene loquuntur aliud quam passiones & affectus, siue sit sermo de mendicitate spirituali, siue de monte contemplationis, siue de canticis in volumine tripertito, siue super magnificat in duodecim tractatibus, siue de cantichordo per dialogum in gallico sub triplici allocutione quasi dierū trium in persona *decenr cenlet* & *decuer* mundani cordis solitarij & cordis mundani. Cui dialogo sub- E iungendæ sunt reliquæ quatuor allocutiones quasi sub totidem diebus tradendo modum & effectuum qualiter cor mundanum practicè fuerit effectum ad superlatiuum gradum, seu concentum canticordi diuinalis. Sed de publicatione quid fiet aut non fiet, ordinet Deus. Porrò specialis liber est intitulatus de passionibus, alius de distinctione verarum reuelationum à falsis, quorum copia vel in Aurelianis reperietur, vel in Amberto, abundat (sicut dicit apostolus) qui- F libet in suo sensu, & suus cuique mos est, nec voto viuitur vno, quemadmodum tradita ars memorandi non similiter practicatur apud omnes. Componat ergo quilibet sibi modos quibus poterit efficacius & facilius atque deuotius affici ad recordationem Christi crucifixi, tollendo crucem suam vt sequatur eum, hic per imitationem gratiosam, & in futuro per apprehensionem gloriosam. Amen.

CEN-

CENTILOGIVM DE CAVSA FINALI

PROOEMIVM.

COnsummatum est protulit Christus dum redemptionis nostræ finem attigerat, quemadmodum prius rogauerat patrem pro electis vt essent consummati in vnum. Consonat sapiens: Memento finis. Cecinit Psalmista bene cõscius & confidẽs: Omnis consummationis vidi finem. Finis autem est charitas ordinata, quia ponit ordinem in omnibus. Dicamus igitur propositiones aliquas seu theoremata vel considerationes ad finis commẽdationem accommodas sub centilogio: & ad intellectum illius quod dicit in canticis sponsa: Ordinauit in me charitatem.

Hic primò de fine in se & ad causas alias generaliter.

FInis est propter quem fit omne quod & plus influit quam altera causa. Finem appetũt omnia sicut & bonum, & gratia finis agunt omnia, coincidunt enim ratio finis & boni. Finis præcipit alijs causis, non illæ sibi. Finis desiderium naturale non est omnino frustra, siue sit finis quo, siue finis gratia cuius. Finis autem quo, est finis quo finis gratia cuius acquiritur scilicet finis sub fine. Finis est causa secundum cuius exigentiam necesse est cætera moderari & dirigi. Finis prior est in esse vel in intentione cæteris quæ sunt ad finem tanquam media vel fines ab fine. Finis ponendus est in esse nouo, posterior est in executione, secus de fine iam posito, sicut est Deus, cui cõformari est rectum esse & simplicem oculo vel corde. Finis non adipiscitur vel acquiritur nisi per formam dictantem modum & ordinem. Sed hanc formam & hunc modum & ordinem finis iubet vel prescribit. Finis nõ acquiritur de nouo, nisi causa concurrat efficiens, cui præcipit & præscribit leges suas ipse finis, causa formali vel exemplari dirigente specialiter, Finis in actione purè naturali non acquiritur nouiter, materiali principio non præexistente & prædisposito.

Secundò de fine in ordine ad materiam.

MAteria non requiritur in actione supernaturali quin possit assequi vel acquiri sine materiali principio, quoniam finalis causa supernaturalis non indiget materia. Materia non est totalis causa distinctionis informis, quia seipsis formaliter distinguuntur & ab efficiente causaliter & ab operationibus conclusiuè vel deducibiliter. Materia cõsideratur aliter à metaphysico, aliter à mathematico, aliter à physico. Omnis itaque res creata constituitur secundum metaphysicum esse tanquam actu & essentia tanquam materia. Omnis figura & numerus secundum mathematicum constiauitur ex punctis aut lineis aut superficie tanquam materia, non considerando transmutationem. Omnis forma physica seu naturalis materiam transmutabilem præexigit & præsupponit.

A Materia non respicit potentiam obedibilem creaturarum ad Deum, sed præordinatam & propinquam. Materia si consideratur in purè esse materiali seu potentiali vel priuatiuo formæ nullum habet esse actuale, & hoc dicitur propter implicationem. Materia sic considerata non potest esse actualiter sine forma & hoc propter implicationem, nec isto modo est quid vel quale vel quantum. Materia prima non est cognoscibilis nisi in analogia ad formam, sicut nec priuatio nisi per habitum, nec potentia nisi per actum. Materia prima sicut nullum habet esse actuale, sic nec appetit aliquid naturaliter, sed potentialiter tãquam
B finem suum in potentia ad actum. Materia prima sic accepta sicut non habet esse nisi in potentia; sic nec habet modum, speciem & ordinem, mensuram quoque numerum & ordinem nisi in potentia. Et hæc sibi sunt similiter in potentia, vnitas, veritas & bonitas, quoniam talia potest accipere potentia propinqua & ordinata, quod additur propter obedibilem potentiam. Potest insuper esse pars altera compositi cum for-
C ma. Hic est enim finis vt faciat vnum cum forma compositum. Materia si consideretur cum suis dispositionibus accidentalibus aut complexionalibus aut artificialibus, est vtique aliquid & ens actu & ad finem. Et hoc vel substantialiter vel accidentaliter vel vtroque modo. Et ita loquuntur forte qui dicunt materiam esse posse sine forma, & materiam esse aliquid sine forma, & habere finem suum.

Hic tertio de fine in ordine ad formam.

D FOrma quam finis ordinat, aut tanquam ordinans est (quod dicitur propter Deum) multiplex inuenitur. Quædam diuinalis & purè abstracta & absoluta, & necesse esse, & penitus increata, nec inhærens, nec informans, nec constituens actualiter vel potentialiter, neque materiam vllam habens.

Forma creata quam dicimus actum vel endelechiã, cõuerso modo ad materiã (quæ est pura potentia) multiplex inuenitur sub forma quæ Deus
E est secundum triplicem considerationem metaphysici, mathematici & phisici, vt tactum est: Forma nulla creata est simpliciter purus actus, sed semper cum potentia permixtus multis modis, sicut ex essentia & esse & existere secundum antiquos, sicut ex genere & differentia, nec non ex actu & potentia.

Forma creata quædam est per se subsistens nec alteri quomodolibet innitens vt materiæ nisi per potentiam obedibilem. Et hæc est angelica forma seu natura vel persona.

F Forma creata quædam est actualiter non inhærens nec informans nec constituens, habet tamen aptitudinem vt informet & constituat, talis est anima humana à corpore separata. Forma talis separata dici potest secundum vnam considerationem persona, quia nulli actualiter innititur, loquendo autem propriè nõ est persona, quia naturalem habet aptitudinem ad innitendum & constituẽdum cum materia compositum scilicet hominem, sicut nec accidentia separata dicuntur substantiæ, licet habeant tunc modum eius subsistendi.

Forma maximè distans à Deo & quę minimum habet de actu, est forma inhærens simul & informans & constituens, loquendo de forma substãtiali, vt sunt formæ elementorum & brutorum. Dicitur autem inhærens, quia dependet totaliter à materia in esse suo. Dicitur informans quia dependet à materia in suo operari, & dat esse rei. Dicitur constituens, quia facit vnum tertium cum materia. s. compositum.

Forma substantialis non inhærens, sed informans & constituens est anima rationalis, quæ nõ inhæret, quia non dependet in esse à materia, sed in format, quia dependet ab eadem in operari, & constituit in esse ipsum hominem cum materia seu corpore.

Forma hominis quamuis sit immortalis quamuis insuper materia sit ingenerabilis, constituitur tamen ex amborum coniunctione homo mortalis, pro statu naturæ non primitus institutæ, sed lapsæ.

Forma accidentalis reperitur inhærere & informare, sed non constituere dum inhæret composito quod habet actu iam formatum & constitutum, vt albedo, quamuis secundum aliquos inhæreat soli quantitati, aut secundum alios soli materiæ inhæsiuè licet toti composito inhæreat denominatiuè.

Hic quarto rursus de fine in ordine ad formam.

FOrma quæ & endelechia dicitur. i. actus, habet dupliciter considerari. Vno modo vt actus primus, alio modo vt actus secundus, inter quos actus potest intelligi quodammodo mediare virtus sua, similiter & habitus.

Formæ primus actus est influxus formalis qui prorsus est alius ab efficiẽte, quia nec potest à Deo suppleri, nec suspẽdi durante informatione sicut implicat quod aliquid sit album sine albedine, vel quod albedo si sit informans & inhęrens, non det esse album, potest tamen esse & non informare, sicut in sacramento. Sic de alijs accidentibus suo modo. Et ita licet sæpe conueniant in vnũ ęfficiens & finis cum forma, non tamen eandem habent influendi rationem.

Formæ primus actus operatur & manet absque operatione actus secundi, sicut homo dormiens viuit, & sic nihil operatur animale, licet in eo tunc actualis sit vita plantæ secunda. s. vegetare.

Forma inhærens non potest subsistere naturaliter si separetur à materia, nec ita separatur quin ex principijs naturæ suæ apta sit inhærere.

Forma non inhærens sed informans, vt anima rationalis non potest in composito naturaliter agere sine subiecto suo, sicut nec informare, potest tamen agere sine organo quod sit sibi proprium & complexionatum, dum scilicet intelligit, quãuis ab organo phantasiæ suscipiat obiectum. Et ita dependet ab hoc organo tanquam ab eo vnde suscipit obiectum in intelligendo, pręsertim si intelligat modo naturali, quod dicitur propter raptus & extases.

Forma rationalis non solum informat materiã, sed constituit compositum cum ea. s. hominem & ita non se habet solum sicut motor nauis ad nauem contra Platonicos, sicut patet ex articulis Parisiensibus & determinatis per ecclesiam.

A Forma inhærens & informans non tamen constituens, est accidens materiale. Forma spiritualium intentionum vt luminis & specierum colorum in medio perspicuo vel in oculo videntur non habere propriam naturam accidentium materialium; nec dependere à substantijs suis in suo esse, & ita nec inhęrere. Sed sunt in eis vt Albertus ponit, tanquam in locis, sicut ab Aristotele dicitur esse intellectus locus specierum. Formæ huiusmodi sensibilium videntur vnum constituere cum peruio seu perspicuo. Similiter & formæ intelligibiles cũ intellectu, non quidem in esse

B substantiali, sed accidentali.

Formæ huiusmodi non impediunt se mutuo in eadem parte medij secundum traditionem & experiẽtiam perspectiuorum cum Dionysio. Sed essentia formarum huiusmodi cõseruatur in puncto vel in diuisibili sicut in speculo vel oculo vel in medio, alioquin non fieret visio vsquequaque. Hoc autem est superadmirandum in natura miraculum, si quis profundè consideret, sicut & de

C infinitate numerorum & figurarum in quantumlibet parua quantitate.

Hic quintò de fine in ordine ad efficientem.

EFficiẽs causa prima sic est generalissima quod tamen est propinquissima, secundum Parisiensem articulum. Et meritò, quoniam principiũ & finis est omnium, attingens à fine vsque ad finem fortiter & disponens omnia suauiter, vt ex verbis Sapientiæ cõcludit apud Boëtium ancilla

D philosophia.

Efficiens causa prima, secundum autorem de causis, plus effluit in effectum, quam secunda causa, quoniam nulla causa secunda quæ particularis est sufficit super totum esse causandum. Et concluditur hoc ex fine, quoniam omnia bonum appetunt, bonum autem simpliciter primum & finale necessariò ponitur Deus.

Efficiens causa secunda quæ licet necessariò subordinata est in actione sua quacunq; positiua ipsi causæ primæ, sic quod ea nõ agente & imme-

E diatè secunda nihil agere posset, alioquin oporteret cõcedere quod essent duo agentia ęquè prima circa naturales effectus, vtpotè Deus & voluntas creata. Denique quicquid est causa causæ, est causa causati, Deus autem causa est omnis causæ.

Efficiens causa secunda libera libertate arbitrij, cõcluderetur necessariò agere, si causa prima ageret necessariò in actibus ad extra. Et periret omnis libertas & religio ab hominibus. Est enim causa quælibet secunda subordinata essentialiter causæ

F primę, sit illa natularis causa sit ipsa libera.

Sumeretur ex his & alijs vnde dicuntur oriri seminales rationes vel inchoationes formarum, quia non nisi ex virtutibus actiuis naturaliter indictis à principio per comparationem ad potentias passiuas similiter inditas. Notetur hoc.

Efficiens causa secunda libera dicitur habere necessitatem agẽdi per operationem ad primam, & hoc intelligendo de necessitate cõsequentiæ, non consequentis, sicut Boëtius deducit, quia scilicet bene sequitur: Deus hoc præuidit vel voluit, ergo fiet. Sed ita valeret consequẽtia de propo-

posi-

positione scripta in pariete, Antichristus erit, quia si fuit vera sequitur optimè in consequentia necessaria quod antichristus erit. Sic intelligendum est illud Aristotelis dictum: Omne quod est, quãdo est, necesse est esse, quia scilicet hæc est necessaria: Omne quod est quando est, necesse est esse in sensu composito, non diuiso.

Efficiens causa secunda libera quamuis nihil possit agere, etiam peccando, quin ad omne illud quod positiuum est in actu, Deus positiuè concurrat. Non tamen Deus ideo peccare vel facere peccare dicendus est, quia blasphemum est, & offendit pias aures, immo impossibile est, quia peccatum sub ratione peccati, non habet rationem volutabilitatis, non quidem apud homines, quãtominus apud Deum. Innituntur autem oppositum tenentes sophisticis rationibus, quod volens antecedens, vult consequens, & quod volens ambas partes copulatiuè, vult totam copulatiuam.

Efficiens causa secunda libera libertate arbitrij qualis est anima rationalis, est causa seipsam mouens & determinans in actibus suis contradictoriè liberis. Nec determinatur abiecto, nec à Deo, quia sic eam instituit, vt eã proprios motus agere sinat. Et ad hoc influat sibi & coagat & libertas sua sufficit sibi ad suum cursum. Et ad finem potest dicere illud Satyrici: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Efficiens causa secunda solum instrumentalis sequitur influxum causæ principalis. Propterea efficiens causa instrumẽtalis videtur assumi posse à Deo ad creationem, sed non potest sibi communicari talis potentia primitiuè & ex se, quia repugnat ratio causæ finalis.

Efficiens causa virtualis secundum habitus infusos supernaturaliter aut naturaliter acquisitos, agit quidem necessitate naturæ, sed applicatur à principio libero quod est Deus. Et à libero arbitrio in homine ad contrarios actus pro voluntate dirigentis, vt ad dare nunc eleemosynam, vel non dare.

Efficiens causa prima principalior est & admirabilior dum agit in suas creaturas secundum potẽtiam obedibilem, quam dum agit secundum potentiam passiuam naturaliter inditam. Nihilominus creatio secundum potentiam absolutam attestatur maiori potentiæ, quam operatio secundum potentiam obedibilem qualis est transsubstantiatio panis in corpus Christi.

Hic sextò de fine per considerationem diuinæ potentiæ prouidentiæ circa generis humani religionem & salutem.

Deus sua prouidentia non frustra constituit in principio creare cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Sumitur ratio ex parte finis, quia cum voluerit Deus manifestare potentiam æternitatis suæ, & eminentiam maiestatis super omne creabile, voluit mundum non ab æterno producere, ne videri posset in æternitate creatura suo par esse creatori. Deus non minus liberè agit modo quam dum produxit primò mundum, & ita posset modo creare nouum sicut tunc ab initio, mutatione in eo nulla facta, quia stabilis manens dat cũcta moueri, hic est lapsus philosophorum & sapientum huius mundi.

A Deus ad ostensionem suæ libertatis voluit reseruare productionem miraculosorũ effectuum præter solitum naturæ cursum non contra, & hoc in confutationem stultè philosophantium talem potentiam à Deo tollentium.

Deus sicut non constituit vanè omnes filios hominum, sic voluit eis dare media pro consecutione finis vltimi sui, quod ipse est.

Deus sicut instituit hominem ad finem supernaturalẽ, sic adiutoria sibi supernaturalia condonauit. Est autem finis supernaturalis vltra & supra

B cætera viuentia, vt apprehendat & capiat Deum obiectabiliter per memoriam, intellectum & voluntatem. Deus voluit vt esset aliqua communitas hominum obediens legi suæ, & hanc nominamus ecclesiam catholicam, de qua in symbolo: Et vnam sanctam catholicam ecclesiam. Nam nõ est alia ad quam ire debeamus. Patet discurrendo, sicut Petrus respondit: Domine ad quem ibimus? Deus voluit vt sicut est vna fides & vnus Dominus,

C sic esset vnum baptisma, & vniuersaliter vna communio sanctorum. i. sacramentorum. Inter quæ nimirũ ponitur eucharistia, quę antonomaticè communio nominatur, quæ spectat tam ad ecclesiam, quam ad peccatorum remissionem, propterea iungi potest cum vtroque.

Deus voluit vt plus auxilio gratiæ supernaturalis inniteremur, quam subsidijs influentiæ naturalis cœli vel stellarum. Ideo non multa super his in antiqua vel euangelica lege nobis dedit.

D Deus voluit vt ad obediendum sibi meritoriè, nedum secundum voluntatem sed et secundum intellectum captiuaremus omnem intellectum in obsequium Christi, & hoc potissimè in fide & cultu benedicti eucharistiæ sacramenti.

Deus voluit vt in omni quæstione legis suæ plus valeret auctoritas sua quam alia quęuis ratiocinationum viuacitas, atque sufficeret pro ratione potestas facientis & iubentis auctoritas, dum catholicè diceretur: magister ita dicit. Exemplo discipulorum Pithagoræ, quibus non licebat per quin-

E quennium aliquid inquirere præter id an magister hoc dixisset. Voluit denique vt obseruaretur illa sententia: Quicquid agas, sapienter agas, & respice finem. Quia rerum exitus & fines sapientia metitur, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter. In cuius manu sunt omnes fines terræ. Quorum finium duo constituerunt duas ciuitates vnam babylonis, alteram Dei.

F *In septimo specialiter de fine per ordinem ad eucharistiæ sacramentum.*

Sumitur ex fine ratio institutionis sacramenti eucharistiæ. Primò ad ostensionẽ superadmirabilem per excessum charitatis diuinæ & dignationis ad homines. Et hoc propter nimiam charitatem qua dilexit nos, sicut dicit apostolus.

Sumitur iterum ratio finis propter ostẽsionem incomprehensibilis sapientiæ suæ, cuius non est numerus.

Sumitur iterum ratio finis ad manifestationem

diuinæ pietatis & bonitatis, cuius maiestas ita est inclinata, vt acciperet serui formam.

Sumitur & iterum ratio finis ad obedientiam, vt in captiuitatem redigatur omnis intellectus in obsequium Christi.

Sumitur prętera ratio finis ad carpendum fructus suauissimos huius sacramenti, qui sunt in primis tres principales. Vnus in sacrificium oblationis. Secundus in sacramentum communionis. Tertius in viaticum refectionis. Primus quoad Deum. Secūdus quoad proximum. Tertius quoad seipsum.

Sumitur autem ratio finis quoad viaticum refectionis propter tria specialiter, propter deperditi restaurationem, propter roborationem, & propter augmentationem in sensu & motu spiritus nostri.

Sumitur rursum duplex ratio principalis ex fine. Vnus finis est, vt caro seruiat spiritui, liberata à lege fomitis in toto vel in parte. Alter est, vt spiritus & mens in animæ regno dominetur.

Sumitur proinde ratio finis vt sacramentum eucharistiæ delectet & satiet. Sumitur amplius ratio finis in instructione sacramenti vt transformet & vniat.

Sumitur demum ratio finis, vt animam spõsam suam inarret hoc est vt sibi desponsationis arram assiduè donet & remouet ad consolationem contra desolationem, quam patitur in hoc exilio multam nimis.

Versus super duodecim fructibus eucharistiæ.

Sacrificat, sociat, restaurat, roborat, auget.
Sensum cum motu, caro seruit, mens dominatur,
Delectat, satiat, transformat, inarrat & vnit.

Hic octauò de fine per ordinem ad causam obiectalem.

OBiectalis causa vel ratio non videtur idem esse conuertibiliter cum aliqua causarum à philosopho positarum, quæ sunt: Efficiens, materialis, formalis & finalis, sed cõmunicat aliquãdo cum singulis, aliquando cum neutra, strictè loquendo. Nota de causa conseruatiua, si sit aliqua cum prædictis, vel omnes includat, vel ad eas reducatur.

Obiectalis causa vel ratio non est idem conuertibiliter cum causa exemplari vel ideali vel forma artis, licet in aliquo conueniant. Denique semper eadem est ratio obiectalis & finalis ipsius voluntatis propterea voluntas penetrat & intrat.

Obiectalis causa vel ratio solum attenditur per respectum ad potentias perceptiuas cognitiuè & affectiuè, quales sunt animales aut intellectuales potentiæ & non aliæ.

Obiectalis causa vel ratio non est penitus idem cum obiecto, quoniam obiectum est quasi materiale, ratio autem obiectalis quasi formale. Denique in eodem obiecto sunt obiectales diuersæ & è conuerso.

Obiectalis causa vel ratio se habet in duplici differentia. Nam aliquando perseipsam obijcitur immediatè, & aliquando per speciem seu formam suam mediatè. Exemplum primi in coloribus qui obijciuntur visui per species suas. Exemplum secundi de speciebus quæ obijciunt se per ipsas sensui communi vel phantasiæ, sed intelligibiles suo

A modo.

Esse obiectale sæpe distinguitur ab obiecto, sicut omnis res habet esse obiectale in Deo etiam dum nihil est in proprio genere vel in esse vel in existere.

Esse obiectale in suo modo essendi distinguitur sæpius à modo quo obiectum existit. Patet ex præcedente, Et quia sæpe existit materialiter, contingenter, dependenter, mutabiliter, diuisibiliter temporaliter, circumscriptibiliter. Esse verò obiectale nec materiale est, nec contingens &c. Patet

B. in Deo & similiter etiam in intellectu creato in conceptu qui vniuersalis est, non autem illud quod concipitur.

Esse obiectale magis dicit rationem relatiuam seu respectum ad aliquid, vtpotè ad potentiam perceptiuã quam dicit absolutam esse, licet omnis ratio obiectalis sit aliquod absolutũ esse, vel in a quo fundatur.

Esse obiectale dicitur aliquando vniuersaliter esse, non tamen hoc est in essendo, sed in signifi-

C cando, sicut conceptus specificus significat vniuersaliter indiuidua, qui tamen res est aliqua singularis in anima. Sic de complexè significabilibus & priuatiuè & discursiuè. Vnde Deus intelligit omnes complexiones terminorũ, sillogismos & deductiones argumentorum, non tamen componit aut diuidit. Sicut intellectus beati dum obiectaliter videt Deum, cognoscit alia complexè significabilia recta & reflexa intuitu simplici & recto. Hic est lapsus formalizantium circa Deum.

D Ecce obiectale vnicum & idem est in Deo, tam respectu sui quam respectu creaturarum. Et hoc per eminentiam & virtualem seu fœcundam continentiam. Nec oportet ad particulares obiectales rationes attendere, tanquam sint formaliter in Deo, sed tantum supereminenter, & ita nullatenus ex parte rei distingũtur in ipso, secus in creaturis. Secus de rationibus obiectalibus ab anima rationali fabricatis. Oportet itaq; omnem pluralitatem rerum vel formarum seu formalitatum reducere ad vnitatem, quoniam omnem multum

E reducitur, secundum Dionysium & Boëtium ad vnum. Quid autem erit illud vnum nisi Deus etiã cum filius & spiritussanctus reducant se (vt ita loquamur) ad congregantis patris vnitatem, dum filius dat regnum omne patri, sicut & omne quod suum est. Sic enim impletur oratio sua vt omnes vnum sint & consummati in vnum scilicet in patre qui est fontalis diuinitas, qua nihil vltra vel supra.

F *Hic nonò de fine per ordinem iterum ad causam seu potentiam aut formam obiectalem.*

ENs est obiectum intellectus & voluntatis. Et similiter vnum vel aliquid vel res, sed non sub ratione entis absoluta vel vnius vel alicuius vel rei. Sed respectiua seu denominatiua vel connotatiua, quę non est aliud ab ente, sed alio modo consideratur.

Ens vt verum seu ratio veri, obiectum est intellectus vel potius est ratio obiectalis ipsius. Ens similiter vt bonum, obiectum est vel obiectalis ratio

tio voluntatis. Ens vt verum dicit conformitatẽ ad intellectum, & ens vt bonum conformitatem dicit ad appetitum, vnũ verò dicit indiuisibilitatem à se. Aliquid autem dicitur quasi aliud quid, quasi diuisum ab alio.

Ens vt bonum simpliciter est beatitudinis ratio obiectalis, & non verum nisi bonum vel iustum, quia vt sic non dicit finem vniuersaliter perfectũ, & ita de reliquis attributis. Ens vt bonum simpliciter debet à viatoribus super omnia memoriter & fortiter teneri, continuè veraciter intelligi, perspicuè, sinceriter & suauiter diligi pręcipuè. Hic est enim finis rationalis creaturæ, hic initiatiuè in via, consummatiuè in gloria. Sic demũ colligitur veritas memorãda, quòd idẽ est obiectum voluntatis & suus finis, immo finis omnis consummationis, scilicet felicitas ipsa vel beatitudo. Et ita absque ambiguitate voluntas (vt sic) perfectior est quam intellectus qui non posset beatifica consummari sine actu voluntatis ad quem actus intellectus solum prædisponit, præsertim vbi finis boni non præsentatur voluntati, nisi per similitudinem suę formæ, non per realem obiecti boni præsentiam in seipso. Vnde si balneum materialiter esset in anima, voluntas non quæreret extra se illud. Felicitas hominis secundum philosophos præsertim Platonicos consummabatur in coniunctione intellectus cum ente primo, sed ad illa multa prærequirebantur, quæ redigit Albertus ad tria conformiter satis ad Dionysium si gratiam ille non naturam sequeretur. Hæc sunt amor pulchritudinis, secundò comparatio multi luminis, tertiò vigor subleuationis vltra continuum & tempus. Tandem sequeretur vnio perfectæ cum Deo assimulationis. Hi sunt correspondenter tres actus hierarchici, purgare, illuminare, perficere.

Felicitas à philosohis posita vel impossibilis est aut multum imperfecta, quare sic? Quia non adipiscimur tria quæ prædicta sunt per scientias naturaliter acquisibiles. Nec possumus etiam cum habitibus virtutum & donorum supernaturaliter infusis adipisci de communi lege, sed tantum in patria.

Felicitas à philosophis posita vel quæsita plus erat ad illustrationem inanem intellectus, quam ad pietatem affectus erga Deum, propterea dati sunt in reprobum sensum & passiones ignominiæ. Quia cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, nec amauerũt nec gratias egerunt, quid vltra? sciamus quid adiungit apostolus: Euanuerũt in cogitationibus suis. Cui cõcinit in cantico suo Maria: Diuites dimisit inanes. Magna prorsus philosophorum inanitas, qui post omnia dixerunt hoc vnum se scite quod nihil scirent; quippe qui veritatem vnicam & summam ignorabant.

Felicitas christianis tradita per Christum soli præcipuè charitati Dei & proximi vacat & intendit per deuotionem, quæ est pius & humilis affectus in Deum tanquam præcipuus finis in idipsum.

Felicitas christianorum sicut à solo Christo tradita est, sic ab illo solo possideri vel acquiri potest obediendo voci suæ, qua dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ecce cœnaculum refectionis. Et discite à me, A quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Ecce cubiculum requietionis & pacis. Vtrumque quærebat in Canticis sponsa: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, quoad primum, vbi cubes, quoad secundum, & hoc in meridie quoad æternitatis secretum, altum & feruidum.

Hic de decimo & centesimo in ordine toto de fine secundum ordinem processus in inquisitione veritatis.

B PRocessus à causa finali præcipuus est in qualibet inuestigatione veritatis per ratiocinationẽ & discursum. Potissimus etiam si & dum volumus insequi ordinem naturalem. Sic enim demõstratio propter quid seu propter causam dicitur potissima. Finis verò causarum obtinet principatum. Processus à causa finali generalissima quæ Deus est, non est quoad nos efficacior, nisi præsupposita fide aut multiplici philosophica demõstratione, aut simul vtroque.

C Processus à causa finali subordinata primæ causæ quanto proximior assignatur in effectibus, tãto magis scire facit, sequendo illud physicum: Scire est rem per causam cognoscere, supple propinquã & propriam.

Processus à causa finali prima, cum ipsa sit propinquissima & propria, dicendus est efficacior, & maximè faciens scire, si & dum scitur habitudo causæ primæ ad effectus, dicendus præterea faciẽs maximè credere, si & dum scitur habitudo primæ causæ per fidem reuelatam & certam.

D Processus à causa finali prima spectat ad theologiam, præcipuè sicut & processus à primo principio. Conueniunt nempe semper in idem apud Deum finis & principium, α & ω, circulo intelligibili perfectissimo. Vnde nemo venit ad patrẽ nisi per filium. Sed nec ad filium nisi pater traxerit eum, ecce circulum perfectum.

Processus philosophicus necessariò cœpit ad causam finalem ab effectibus, quia omnis nostra cognitio dependet à sensibus, & sensus ab experientia, & experientia ab effectibus.

E Processus metaphysicalis post processum naturalem philosophicum potuit incipere à causa finali, quæ Deus est, si perfectè causam primam suis effectibus adæquatam comperisset, seu magis effectus ad eam adæquare potuisset, sed non ita.

Processus à fine fuit insinuatus à Christo, dum prędicans eucharistiæ sacramentum dixit: Nolite murmurare. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui me misit traxerit eum. Est itaque pater primũ principium sine principio, & finis vltimus sine fine.

F Processus velut à fine, sub fine fuit insinuatus à Christo, dum prædicauit discipulis: Nemo venit ad patrem nisi per me. Est autem Christus minor patre secundum humanitatem & tanquam effectus eius, sub eadem consideratione dicitur primogenitus creaturæ Dei.

Processus resolutorius in inquisitione veritatis est principaliter ad finem. Compositiuus verò ad effectus à fine. Completus autem & quasi circularis processus constituitur ex vtroque. Benedictus Deus, cuius in circumitu veritas sua est. Cuius vox tonitrui magnitudinis suæ in rota. In cuius

meridie gyrat spiritus omnia lustrans. Ad quem Boëtius in persona philosophiæ suspirat. Da fontem lustrare boni. Similiter ad illam quam introduxit animam mundi, & dat hunc circumitum, dicens: Mentemque profundam circuit, longè tamen aliter quam impij ambulátes in circumitu. Sed hoc bonum finale versatur in circumitu tuo Domine vbi constituisti lucidas mansiones vbi requiescunt sanctorum animæ. Ibi vbi hic & nũc in æternitate.

DE MODIS SIGNIFICANDI PROPOSITIONES QVINQVAGINTA.



Eneratio ista quærit signum. Matt. 8. Cum omnis cognitio sit de rebus aut signis, vnde modi significandi dicuntur. Sit super significandi modis primò considerationes quinquaginta. Deinde totidem de concordia metaphysicæ realis cum logica sermocinali. Significatio nec propriè nec conueniēter accipitur, nisi per respectum ad naturam intellectualem, quæ potest vti signo per comparationē seu deductionem vnius rei ad alteram. Propterea significatio dici potest intellectus constitutio vel actuatio seu formatio vel adaptatio. Vnde significare, est aliquid intellectui repræsentare.

Significatio dicitur quasi signi factio, non quod res quæ est signum, fiat de nouo per vtentem signo, sed quia fit signum ad cognitionem alterius vel vt alterius per operationem intellectus.

Significatio non fit per aliquod signum quod non sit res aliqua. Quod enim nulla res est, nihil omnino repræsentat siue significat. Habet autem omnis res tantum de significabilitate quantum de entitate.

Significatio potest accipi per intellectũ à quacunque creata re. Ratio quia quælibet res creata signum est à primo significante Deo cōstitutum, maximè suiipsius Dei sicut effectus, sicut exemplatum, sicut via, significatiuum medium est ad inuestigandum per argumētum à posteriori causam efficientem, exemplarem & finalem.

Signum à quo significatio dicitur, non accipitur absolutè, sed ad aliquid & relatiuè, dum intelligitur vt signum, si species coloris in oculo non accipitur vt res. Signum vt signatum dictum relatiuè, magis accipit relationem istam ab actione rationis vel intellectus, rerum habitudinem considerantis, quam à rebus, vt res sunt absolutè, sic rebus vtuntur theologi per intelligentiam, & deuoti simplices per fidem.

Signum ad signatum dum comparatur per intellectum, non causatur ad extra noua res absoluta & positiua, sed bene in anima, quæ primas & secundas intentiones sibi format, quæ res in anima singulares sunt & accidentales, licet vniuersalitatem repræsentent.

Signum præsupponit ad veram sui nominis integritatem, quod intellectus rem ita consideret & comparet, sicut in re extra reperitur habitudo, quamuis aliter consideret intellectus quam res existat. Est igitur obseruanda vis logicæ in explicando, quomodo coniungantur ly aliter. Si enim intellectus consideret rem quod aliter sit quam sit, mendax est. Si verò consideret aliter apud se quam sit ad extra, potest omnino esse verus, quia cognoscit rem immaterialiter, quę consistit materialiter in se extra, necnon cognoscit vniuersalitatem, quæ in sua singularitate consistit.

A Modus significandi definitiuè, est significatio cum quadam appropriatione seu proprietate significationis ad signum.

Modus significandi maximè concernit cōstructionem, hoc est constructibilium vnionem. Cōstructibilia verò sunt partes orationis, quas octo grammaticus esse ponit. Modus significandi variatur per diuersas partes orationis, quoniam aliter nomen significat, aliter pronomen, aliter verbum, aliter aduerbium, aliter participium, aliter coniunctio, aliter propositio, aliter interiectio. Et hoc earum descriptiones manifestant.

B Modus significandi grammaticalis & logicalis differunt, quoniam grammaticus congruum respicit & incongruum. Logicus autem verum & falsum, propterea sufficiunt logico tantummodo duæ partes orationis nomē & verbum, cum apud grammaticum octo numerentur. Præsupponere nihilominus debet grammaticam logica, si ritè procedat, sicut veritas congruitatem.

C Modus significandi rhetoricus, quamuis præsupponat in multis grammaticam & logicam, habet tamen regulas suas, habet suos tropos & figuras in multis sibi proprias.

Modus significandi rhetoricus plus obseruatur in communi modo loquendi quam logicus. Fuerunt qui volentes obseruare modum significandi logicæ, vix audiebant loqui, ne mendaces essent & falsi.

D Modus significandi rhetoricus proximior est sacræ scripturæ locutionibus quam logicus, ita quod modus loquendi logicalis non est à theologo per omnia obseruandus in expositione literali, alioquin sensus literalis scripturæ sæpe falsus esset, & ita vacillaret omnis argumentatio ex sacra scriptura, quæ non valet nisi ex sensu literali. Non enim est sensus mysticus de se probatiuus absque literali sumptus. Dionysium & Augustinum testes in hoc cum ratione suscipimus.

E Modus significandi grammaticalis ampliatus est in receptione troporum & figurarum, ad proprietatem locutionis excusandam, & conueniret cum modo loquendi vulgari & rhetorico & sacræ scripturæ, plus quam modus significandi logicale, quem ad viam suam in scripturis diuinis semper quærere errare est.

Significatio metaphysicalis multum distinguitur à significatione grammaticæ vel logicæ vel rhetoricæ, quæ sunt partes philosophiæ sermocinalis. Ratio est, quia significatio metaphysicalis

F consistit in solo intellectu vel ratione, & generatur à primis impressionibus naturæ, quæ sunt transcendentes, sicut & impressio prima notitia entis, qua nulla priori, & sine qua non habetur altera.

Significatio metaphysicalis fundata primò super ens aut rem, fundatur consequenter per operationem & comparationem intellectus ad entis proprietates, quæ sunt ens vnum, ens verum, ens bonum, ens aliquid. i. aliud quid.

Significatio metaphysicalis reduci potest originaliter ad ista quatuor transcendentia, vel ad sex,

sex, vt alij voluerunt, distinguentes à concretis abstracta, sicut ens ab essentia.

Significatio metaphysicalis primò suscepta est, ac deinde communicata, ab inuestigatoribus naturalium rerum in suis proprietatibus expertis; non aliunde susceptis quam à rebus cum operatione proprij intellectus. Dicuntur propter ea cõceptus metaphysicales esse primæ intentionis, quasi intus intentionis, vel in aliud cognoscendum tentionis.

Grammaticales verò & logicales, immo & rhetorici seu morales conceptus dicuntur secundæ aut tertiæ aut quartæ intentionis per relationem ad primas intentiones vnde sumunt ortum.

Modus significandi grammaticalis respiciens congruum & incongruum, differt à logicali, qui versatur circa verum & falsum. Differt autem vterque à modo significandi rhetoriano, qui respicit aptè dicere ad persuasionem aptè scilicet delectabiliter & motiuè, vt doceat, delectet & moueat. Docere necessitatis, delectare congruitatis, mouere seu vincere felicitatis.

Modus significandi quem habet iste terminus res grammaticaliter & metaphysicaliter diuersificatur, quia res secundum grammaticum & etiam logicum dicitur à reor reris, quia sic imponitur ad significandum, aut sic imaginatur, siue sit siue non sit, siue significatur complexè siue incomplexè, verè vel falsè. Res verò metaphysicaliter accepta dicitur à rectitudine quia rem positiuam significat extra intellectum.

Modus significandi grammaticalis semper fundatur in beneplacito impositoris vnius aut plurium. Modus autem significandi metaphysicalis naturaliter repræsentat. Est enim verbum mentis ab altero nullo quam à rerum consideratione vel experientia sumptum vel abstractum. Modus significandi grammaticalis fit ab inspectione rerum exteriorum per sensum quæ prius & magis innotescunt.

Modus autem metaphysicalis, si rectè procedat, fit à notioribus, non nobis, sed naturæ. Quales sunt formæ vel res abstractæ. Significatio autem abstracti tanquam formalis dicit communiter statum respectu concreti, vt maiestas quasi magni status, deitas, quasi Dei status; quia videlicet in abstractione statur in forma.

Grammaticus in modis significandi præsupponit literam velut elementum syllabæ. Dehinc syllabam quasi elementum dictionis articulatæ. Deinde fit ex dictionibus significatiuis oratio complexa multis modis. Sic logicus ponit sonum tanquam genus vocis. Et diuidit voces in significatiuam & non significatiuam, aut in significatiuam naturaliter & ad placitum, componitur ex vocibus significatiuis ad placitum oratio complexa multis modis, vt perfecta & imperfecta, cathegorica & hypothetica, entimemathica & syllogistica.

Grammaticus definiens partes orationis per orationem quæ posterior est, non peccat in petitione principij, quia sic definitur vnum relatiuum per alterum. Consideratur dictio à grammatico, non solum vt est dictio ex syllabis composita, nec solum vt est significatiua; sed vt est dictio constructibilis. i. ordinabilis in construA ctione orationis cum alijs secundum exigentiam regiminis congruitate seruata.

Grammaticus accipiens modos significandi præsupponit dictionem quasi quid materiale; significationem verò quasi formale; tanquam ex significatione & dictione fiat vnum significabile, siue significatio distinguatur realiter à dictione & è contra, siue non.

Grammaticus in impositione nominum solet à nobis notioribus procedere, sed metaphysicus B resoluit se ad illa quæ sunt naturæ notiora. Sunt autem omnia quæ se tenent ex parte formæ notiora naturæ, quia sunt magis actualia. Sunt verò materialia magis nota nobis quibus aduenit cognitio prima per sensus & sensibilia.

Metaphysicus considerans formam deducit modum significandi concretiuum ab astracto tanquam à formaliori & principaliori, sicut album deriuat ab albedine. Grammaticus è contrà deriuat albedinem ab illo tanquam à notiori nobis. Sic à viuente vitam, à magno magnitudinem; C à iusto iustitiam; ab ente essentiam, à materiali materiam, à Deo deitatem.

Metaphysicus plus eleuat intellectum ex modis suis significandi quam grammaticus, quia plus & formalius abstrahit, quo fit vt grammaticus semper rudis & quasi materialis maneat, si non ad metaphysicam se resoluerit, sicut & legum scrutatores & rhetorici si non ad principia prima & vniuersalia resoluere se consuescant, fiunt toti literales & logici, sine metaphysica garruli red- D duntur. Metaphysicus verò logica spreta, semetipsum fallit crebro, quia logica ad omnium methodorum principia viam habet.

Metaphysicus magis propriè dicitur intelligere modos significandi, sicut melius rerum proprietates, ex quibus sumitur impositio dictionum si rectè fiat, sicut ab Adam edocto per diuinam inspirationem imposita sunt rebus nomina sua.

Metaphysicus si senserit quod modi significãdi grammaticales non rectè sequuntur aliquando rerum proprietates, potest apud se dimittere ta- E les modos, nec insequi in sensu suo, meminerit tamen illius, loquendum est vt plures.

Conquisitores veritatis ad inuicem debent in primis conuenire in modis significandi terminorum seu dictionum, secundum quos & quas versatur inquisitio. Nam sicut logica tradit, præsupponi debet quid nominis in omni quæstione.

Conquisitores veritatis & si possint adinuicem vti nominibus, secundum nouos signifi- F candi modos pro voluntatis arbitrio, hoc tamen non expedit passim fieri, quoniam stabilitas scientiarum multum dependet à quid nominis terminorum. Faciunt denique tales vt ab alijs non intelligantur in linguagio quod sibi mutuo confixerunt, qui & mutant terminos quos posuerunt patres eorũ. Et quid sequitur nisi babylonica linguarum confusio in ædificatione turris scientiæ?

Conquisitores veritatis nostri temporis in theologia sub specie subtilitatis & titulo metaphysicæ magnam nimis induxerunt confusionem, dum omissa communi logica quam Aristoteles & alij consequẽter tradiderãt & seruabãt ipsi nouos

sibi terminos assumpserunt, aut forte per ignorantium logicę, aut per negligentiam & contemptum, aut quia voluerunt sibi facere nomen ex inuentione nouitatum dum repugnantes eis vocant rudes & terministas, nec reales in metaphysica, quasi sine terminis loqui possint.

Conquisitores veritatis decet hæc modestia separans se à contentionibus, vt si senserint quod in modis significandi terminorum visitatorum conuenire non volunt aut nesciunt, cesset disputatio quæ prorsus noxia esset, & talis qualis cæcorum in tenebris pugna seu concertatio vel etiā sagittatio, nunquam enim nisi casu venirent ad punctum, hinc dici solent qui huiusmodi sunt malè apunctuati.

Theologus sicut diuersas considerat scripturæ partes, quasdam ad legum, quasdam ad morum, nonnullas ad historiarum, quasdam ad prophetiarum intellectum, sic varios debent attendere significandi modos. Docent hoc Tyconij regulæ ab Augustino commemoratæ; docent similiter expositores bibliæ literales.

Theologus in inquisitione moralium & historialium, immo & prophetiarum considerare debet & insequi modos loquendi vulgares & parabolicos simul & rhetoricos atque figuratiuos, alioquin ageret indisciplinatè quærens aptare sermones non secundum subiectam materiam. Esset denique scandalosus apud moralium præceptorum scrutatores aut doctores, quales sunt iuristæ. Theologus in inquisitione speculabilium, curiositatem euitet non plus quam expedit, moralia dimittendo. Sequatur insuper modos significādi quibus vtitur communis schola doctorum, etiam si quandoque posset inuenire suo iudicio magis idoneos. Exponat modos communes, non contemnat aut immutet, alioquin damnationem accipiat, delens (quantum in se est) optimorum libros, doctrinamque magistrorum.

Theologus plus insequens modos significādi philosophorum gentilium quam sacrorum doctorum, etiam si sententias veras habeat, culpandus est. Liberis (inquit Augustinus) verbis vtūtur philosophi, sicut Platonici qui tres personas nominant in Deo tria principia. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est. Exemplum dat aliud de vocantibus ipsum Deum esse fatum. Talis inquit, sententiam teneat, linguam mutet. De Eliu quoque apud Iob quærit Dominus: Quis est iste? inuoluens sententias sermonibus imperitis. Hinc illa surrexit saluberrima damnatio articulorum Parisijs lata, quam allegant vtentes ea sapientissimi doctorum qui sequuntur, tam religiosi quam sæculares in lecturis suis & libris.

Ex modis significandi secundæ intentionis cōposita est grāmatica & logica. Vnde consurgunt traditiones prædicabilium & prædicamentorum, suppositionum, obligationum, cum suis annexis in logica, declinationes, genera, coniugationes, & regimen in grammatica, cum adiunctis multis. Ex quibus est accipienda particularis de modis significandi notitia. Ex modis significandi circa grammaticam & logicam variatis, omnis scientia consequēter variatur, nec est facile quod salubriter & in melius commutetur. Sic enim de mutatione legum tradit philosophus, etiam si nouæ videantur meliores, non esse passim expediens. Cōsuetudo enim est altera natura quæ legibus assuetis

A dat vigorem. Ex modis loquendi grammaticalibus & logicalibus plurimæ difficultates in quauis scientia, maximè in theologia, possunt terminari, patet in aliquibus vbi minus videretur, vt eur ista negatur. Essētia diuina generet, & illa cōceditur. Pater qui est essentia generat. Hoc enim facit modus significandi absolutus & relatiuus, non oportet per omnia fallaciarum genera discurrere, quarum dissolutio etiam circa diuina facilis apparebit, si principiū syllogismos per dici

B de omni & per dici de nullo regulādi fuerit bene secundum traditionem logicæ Aristotelis intellectum. Ex modis significandi grāmaticæ & logicæ possunt intelligi sufficienter & salubriter valde prietates entis simpliciter, quę sunt vnum verum, bonum; secūdum tria in diuinis appropriata cum cæteris difficultatibus circa ista formatis. Et hoc per comparationem ad ens secundum quid cum proprietatibus suis secundum quid ad ens simpliciter. Illud autem simpliciter dicitur, quod sine

C addito dicitur, & illud est solum vnum ens verū, primum & bonum. Et istud ens secundum metaphysicum extra omne genus. Logicus verò potest vniuocationes & anologias & æquiuocationes & chimeras fabricare, prout voluerit. Vnde contentio consurgit aliquando logicorum cum metaphysicis & è contra, dum quæritur vtrum Deus sit in genere, aut si ens sit vniuocum ad Deum & creaturas, aut si sit æquiuocatio in mente.

Fundatur in modis significandi magna virtus docendi, aliter enim docet eandem sententiam

D doctus, aliter indoctus, propter modum ordinemque vocum significatiuarum cum modis pronunciationum. Nam habet visus suas interiectiones in gestu corporis, sicut auditus suas in sonis.

Fundatur in modis significandi iuncta pactione Dei, magna virtus operandi, patet hoc in sacramentalibus verborum formis.

Fundatus in modis significandi (permittente Deo) virtus operatiua in artibus magicis, plus ta-

E men ex pacto fallaci dæmonum, quam naturali virtute dictionum vel carminum seu characterum.

Fundatur in modis significandi virtus magicæ naturalis secundum configurationes vocum musicales, sicut etiam in modis reputandi per speculatores applicationes. Reducunt etiam aliqui conuersiones hominum mirabiles per exhortamenta & prædicationes ad modos significandi & pronunciationes. Denique propter

F complexiones hominum varias, habent sæpe modo significandi omnino similes, diuersissimos effectus, immo contrarios, quod si non attendant prædicatores verbi Dei, falluntur & fallunt. Sibilus idem fugat cattos & congregat canes.

Ex consideratione modorum significandi naturalium in re qualibet consistit intellectus humani magna perfectio si rectè vtatur referens ad principale significatum quod Deus est. Si autem non vult intelligere. i. intus legere sed accipit res non vt signa sunt Deum significantia, meritò dicitur hebes vel erro quasi hęrēs exterius.

Et

Et quasi somnians qui in somnio aut phantasticus qui in vigilia accipit signa phantasmatum pro rebus ipsis, quarum signa sunt reuerizat & errat ineptus. Ex consideratione modorum significandi naturalium composita est theologia symbolica, similiter & rhetorica pro maxima parte vnde prouenit quod Deus potest nomine cuiuslibet creaturæ nominari, vt leo, bos, agnus &c. propter aliquas proprietates inuentas quæ perfectius conueniunt Deo quo ad rem significatam quam creaturæ.

Sed quoad impositionem nominis è conuerso, fortitudo enim principalius conuenit Deo quam leoni, à qua dicitur Deus leo. Consurgit quoque ex hoc modo significandi symbolico, multiplex eruditio, & eleuatio mentis in Deum per deuotionem. Si verò vertatur in abusum, cōsurgit omnis impietas, fallacia, libido, scandalum, atque laqueus insipientiam, illuminat enim Deus mirabiliter à montibus æternis. Turbati sunt omnes insipientes corde qui dignoscere cum pietate nesciunt mysticos significandi Deum modos.

SECVNDA PARS DE CONCORDIA METAPHYSICÆ CVM LOGICA

propositiones quinquaginta, iungantur totidem alijs propositionibus de modis significandi in vtraque scientia.

S*I non credideris quia ego sum, in peccato vestro moriemini.* Dixit hoc Dominus noster Iesus Christus suam Iudæis ostēdere volens diuinitatem. Et hoc ex verbis legis Domino dicente ad Moysen: Qui est misit me ad vos, vnde colligitur quod qui est vel ens simpliciter dictū, est proprijssimū nomen Dei, cuius propria passio est bonum. Conformiter ad illud dictum Christi:

Nemo bonus nisi solus Deus. Et quoniam in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, constat quod sapientia quæ considerat ens, concordat cum omni scientia, de quarum numero logica est. Concordemus igitur sapientiam seu metaphysicam cum logica seu sermocinali scientia sub cōsiderationibus seu theoreumatibus quæ sequuntur. Ens quodlibet dici potest habere duplex esse, sumendo esse valde transcendenter. Vno modo ens sumitur pro natura rei in seipsa. Alio modo prout habet esse obiectale seu repræsentatiuum in ordine ad intellectum creatum vel increatum. Hæc autem distinctio non conficta est vel noua, sed à doctoribus tam metaphysicis quam logicis subtilibus inducta.

Ens consideratum seu relictum prout quid absolutum seu res quædam in seipsa, plurimum differt ab esse, quod habet obiectabiliter apud intellectum iuxta diuersitatem intellectuum & rationum obiectalium, etiam prout rationes obiectales non accipiuntur pro se ipsis materialiter, sed pro rebus quasi formaliter vt sicut significatio est quasi forma dictionis, vt modus significādi quasi forma significationis, sic res ipsa diceretur quasi materia vel substractum vel subiectum rationis obiectalis vel modi significandi. Quæ consideratio clauis est ad cōcordiam formalizantium cum terministis, si perspicaciter nec proteruè videatur: Ens reale non potest constituere scientiā aliquam si non consideretur in suo esse obiectali relato ad ipsum ens reale, sicut ad primarium & principale obiectum suum. Ratio, quia scientia vel sapientia quælibet est habitus intellectus, quamuis intellectus respiciat res, & ipsas accipiat quasi materiam vel obiectum vel substractum suæ consideratio- nis per rationes obiectales seu formales, quę se tenent ex parte intellectus. Secundum hanc considerationem dici possunt formæ rerum non reales, sed intentionales, conceptibiles vel intelligibiles. Ens non mutatur in suo esse reali, neque diuersificatur per mutationem vel diuersitatem sui esse obiectalis. Et hic est lapsus volentium formalizare vel metaphysicare de rebus in suo esse reali, secludendo illud esse quod habent obiectale, quasi si quis vellet intelligere sine intellectu, vel ratiocinari sine ratione. Res enim non ratiocinantur in seipsis, nec præscindunt, nec vniuersalizantur, nec signantur, nec abstrahunt, nec abstrahuntur, quoniam istę sunt operationes intellectus, non rerum ipsarum, quamuis sint pro rebus huiusmodi operationes secundum suppositionem personalem & quasi formalem, necnon ex parte rei, si ita placet loqui. Vnde pro maiori explicatione ab altiori repetamus exordio de quibusdam tractatis in de modis significandi, sed hoc aliter, sinéque diuerso.

Dictio si consideretur prout est quædam rȩs in se, non spectat ad aliquam scientiam, nisi sicut aliȩ res extra animam, quæ sunt substantia vel accidens, & ita continetur sub ente considerato absolutè, quia non minus sicut ipsi conceptus animæ res quędam saltem accidentales, quam lumen vel species sensibilium in aëre.

Dictio si consideretur prout est nata significare seipsam naturaliter, sic non spectat aliquam scientiam plus quam aliæ res extra animam, quarum quælibet nata est se repræsentare naturaliter potentiæ cognitiuæ. Et hoc modo spectat dictio ad passionem entis quæ est verum. Sicut & aliæ res sub tali consideratione receptæ. Dicitur enim verum per compassionem ad intellectum actualiter vel aptitudinaliter factam.

Dictio si consideretur in habitudine ad potentiam volitiuam, vt est quoddam appetibile vel ordinabile ad finem, sic non minus non spectat ad aliquam scientiam sermocinalem, vel moralem, vel physicam, seu naturalem, quam aliæ res extra animam. Et hoc modo spectat dictio ad passionem entis quod est bonum. Dictio si consideretur prout est imponibilis, vel maximè iam imposita ad significandum aliud à se, tunc spectat ad aliquam scientiam, prout ex sequentibus apparebit, nominatim de hac dictione ens, & de istis vnum, verum, bonum. Significatio dictionis voluntariè facta dici potest forma sua, ita quod in dictione significatiua ad placitum, dictio est velut materiale seu substractum, & significatio quasi formale suū. Significatio dictionis ad placitū facta pōt cōsiderari vel vt est significatiua

solum, sic in genere, vel vt habet modum significandi appropriatum hunc vel illum. Et ita modus significandi erit quasi formale respectu significationis, quoniam se habét significatio sicut genus, & modus significandi tanquam differẽtia. Significatio & modus significandi dictionis possunt considerari dupliciter. Vno modo pro seipsis & in seipsis. Alio modo per respectum ad res quas significãt, quæ non sunt ipsa significatio vel modus significandi. Iuxta primum modum accipitur suppositio materialis vel etiam naturalis, secundũ antiquos. Iuxta secundum modum sumitur suppositio personalis seu formalis secundum aliquos posteriores naturalem suppositionem relinquentes. Significatio & modus significandi considerẽtur secundum suppositionem materialem, tunc spectant vt sic ad grammaticam & logicam vel etiam rhetoricam, quæ constituunt terminum philosophiæ sermocinalis. Si verò fiat acceptio pro rebus significatis ab extra, sic spectãt ad alias sciẽtias, sicut ad moralẽ, sicut ad mathematicam, physicam aut metaphysicam. Modus significandi & obiectalis ratio cognoscẽdi, maximè per intellectum reperiũtur accipi pro eodem, & ita curreret distinctio de ratione obiectali, quemadmodum de modo significãdi. Modus significãdi seu ratio obiectalis dum spectat ad reales scientias, nõ accipiuntur pro seipsis, neque secundum suppositionem materialem, sed secundum suppositionem personalẽ pro rebus ad extra significatis. Modus significãdi vel ratio obiectalis quantumcunque spectent ad scientias reales, modo tamẽ excludũt operationes intellectus, quoniam modus significãdi vel rationes obiectales dicuntur relatiuè ad intellectum, nec esse possẽt si nullus esset vel esse posset intellectus negocians, sed nec intellectus negocians sufficeret, si nullæ res ad extra, vel verè vel intelligibiliter esse possent. Modus significãdi vel rationes obiectales si quærantur penitus excludi in consideratione scientiarum quantumcũque realium, sicut est metaphysica vel physica, cõsequitur implicatio & insana deceptio cum erroribus absurdissimis, & quãdoq; blasphemis & hæreticis, vt quod scientia esset sine sciente, & res ab extra taliter omnino essent intelligentes, sicut errabant negantes primum principium ex hac radice, quoniam res intelligitur ab vno esse & ab alio non esse. Sermocinalis scientia distinguitur à reali, quoniam sermocinalis est de secundis, iuxta commune dictum. Quid autem sit secunda intẽtio, & quid prima, colligitur ex duplici suppositione quæ dicta est. s. materiali & personali. Materialis respicit terminos & suos significãdi modos, & inde dicuntur genera, species, vel differentiæ, secundum quod varietas est in significãdo generaliter vel specificè, aut singulariter affirmatiuè vel negatiuè, complexè vel incomplexè, vnde sumũtur quæstiones istæ, quæ, qualis, quanta, in consimilibus multis. Realis verò scientia sicut metaphysica & physica res habent extra animam pro principalibus obiectis & substractis. Sermocinalis grammatica respicit significationes & modos significandi prout spectant ad congruum vel incongruum in ordinatione regiminis, & per hoc differt à logica & rhetorica, & generaliter ab omni reali scientia.

Sermocinalis logica respicit significationes & A modos significãdi in ordine ad verum vel falsum, quæ sunt in anima secundũ philosophum, & inde sumitur differentia ad grammaticam & rhetoricã & ab omni reali scientia. Sermocinalis rhetorica respicit significationes & modos significandi in ordine ad ornatum per orationes, ac per hoc distinguitur à logica & grammatica, licet hæ tres scientiæ plurimum inter se conueniunt vt sermocinales sunt. Et est grammatica generalior ad omnes scientias, logica specialior ad speculatiuas scientias vt speculatiuæ sunt. Rhethorica specia- B lis est ad moralem scientiam tanquam logica sua specialis. Subtilitas metaphysicantium si vera sit consistit in acuta resolutione entis secundum esse suum obiectale personaliter seu formaliter acceptum. Ruditas autem terministarum si consistere velint in significatis seu modis significandi solum materialiter, inde prouenit vel consurgit quod à metaphysicis rationabiliter contemnuntur. Subtilitas metaphysicantium si quærit reperire in rebus ipsis sed suum esse reale tale esse C quale habent in suo esse obiectali iam non est subtilitas, sed stoliditas & vera insania. Quid enim est insania, nisi iudicare res prout sunt in sola phantasia, quod ita sint ad extra, qualiter est in furiosis phantasticis atque reuerisantibus, qui scilicet somniant vigilando dum similitudines rerum pro rebus accipiunt. Subtilitas metaphysicantium debet attendere conditionem & naturam virtutis cognitiuæ præsertim intellectiuæ, quoniam secundum diuersitates operationum cognitiuarum, maximè intellectualium, acci- D pienda est varietas rationum obiectalium seu modorum significandi formalium, vel ex natura rei. Vnde Deus nihil intelligit materialiter, nihil contingenter, nihil mutabiliter, nihil dependenter nihil complexè, nihil falsè, nihil fallibiliter, quamuis res ab extra, quas intelligit distinctissimè secundum conditiones suas omnes, sint dependentes materiales, sint contingentes, sint mutabiles, sint propositiones complexæ, quædã falsæ, sint possibiles aliter se habere. Sic è cõuerso E intellectus creatus cognoscit Deum immutabilem & vnicum necessitate esse &c. nisi quantum iuuatur à gratia vel gloria. Patet ex hoc quod abstrahentium non est mendacium, si rectè abstrahant, quamuis intelligant aliter rem quam sit, licet errarent, si iudicarent quod res sit aliter quam sit. Et hic est lapsus logicam ignorantium vel spernentium, qui ponunt in Deo contingentias à parte rei, & formas seu formalitates quales sunt in creaturis & præcisiones & F signa, cum sit in natura sua purissimus actus & vnicus. Omnis autem creatura potentialis & multa, & vix per analogiam similis, Deo dicta. Subtilitas metaphysicantium & generaliter omnium prophetantium in inquisitione, veritatis realis in moribus, & alijs rebus practicè vel speculatiuè, sicut præsupponit (vt dictum est) philosophiam sermocinalem intrinsecam vel extrinsecã in modis significãdi & rationibus obiectalibus, sic debet diligenter aduertere quid cõueniat philosophię sermocinali vt sermocinalis est: similiter & reali, vt realis est, concordando congruitatem

rem grammaticæ, veritatem insuper & falsitatem secundum inquisitionem logicæ, ornatum denique verborum quantum facit ad sermonem passio natiuum seu moralem & motiuum ad apte persuadendum in moribus; alioquin fit in contemnentibus vel ignorantibus confusio babylonica, tam in singulis apud se, quam apud reliquos, cum quibus habent de veritate tractare speculatiuè vel practicè. Væ igitur illis qui gaudent in confusione linguarũ per cõtemptum terminorũ quos posuerunt patres nostri, qui in impositione terminorum fuerunt magni metaphysici. Non enim frustra dicitur, quod logica est ad omnium methodorum principia viam habens.

Quodlibet ens creatum dici potest habere duplex esse in comparatione ad Deum, conformiter ad prædicta:

Vnum reale, quod dicitur esse existentiæ vel naturale vel in proprio genere. Aliud verò vocatur esse obiectale à metaphysicis nolentibus vti solis terminis grammaticæ, logicæ vel rhetoricæ. Licet grammatica vocet hoc esse obiectale modum significandi, logica modum concipiendi, rhetorica modum ornandi. Et ita poterit à subtilibus nec proteruis faciliter concordia fieri. Grammatici quippe distinctionem admittunt de terminis vel distinctionibus primæ impositionis & secundæ impositionis, vel etiam tertiæ aut quartæ, & deinceps per reflectiones, aut sub alijs verbis admittunt logici distinctionem de terminis seu conceptibus primæ intentionis & secundæ & tertiæ: & in idem redit.

Quodlibet ens in esse obiectali fuit ab æterno in Deo seu diuino verbo, quod est creatrix essentia. Hoc est expressum beati Augustini verbum, cuius auctoritas maior assumitur ex dicto Ioan. 1. Quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Constat quod hæc vita non est nisi Deus seu creatrix essentia, non quidem absolutè considerata sed per respectus obiectales, quos videt diuinus intellectus sicut & seipsum, & omnes res creabiles complexas vel incomplexas, tanquã obiecta prima vel secunda. Ad hunc sensum dicitur ab aliquibus Deus componere & diuidere, non quidem simpliciter, sed obiectiuè.

Quodlibet ens creatum quamuis habuerit ab æterno esse obiectale in mente diuina, non ideo tamen sequitur absolutè & generaliter loquendo, quod res fuerũt ab æterno. Et hic est lapsus grammaticorum ve logicorum, qui non accipiunt distinctionem istam de esse duplici creaturę, sed defendunt se per ampliationes & connotationes & modos significandi quasi materialiter. Vnde negant istas: Hæc res intelligitur, ergo est. Istud ens fuit intellectum ab æterno, ergo istud ens habuit esse vel essentiã ab æterno. Sed cũ nomina sint ad placitum debebunt faciliter induci ad acceptandum quid nominis huius quod est esse obiectale, cum esse intelligibili vel modo significãdi. Quodlibet ens creatum comparatum ad Deum, dici potest habuisse ab æterno esse ideale quantumcunq; sit paucæ entitatis vel indiuiduationis. Et ita sicut sunt plures res creatæ, sic dici possunt plures ideę, & quod alia ratione conditus est homo, alia equus, prout dicit B. Augustinus. Sic saluaretur quod ab eodem inquantum idem, non procedit nisi idem.

A Quia concurrit obiectalis ratio varia respectu diuersorum effectuum. Et hæc obiectalis ratio vocatur ab alijs distinctio rei seu formalis, vel quædã non idẽtitas, sed aliqui non intelligẽtes vel excedere valentes, posuerunt ex hoc distinctiones in Deo, quas noluerunt appellare distinctiones rationis, etiam significãt intelligere dominium, & addiderunt quod plus distinguntur inter se quã homo & asinus. Vocatum est à nonnullis hoc esse obiectale apud intellectum creatũ esse quoddam perspicuũ, vel quod est res in esse perspicuo. Dixerunt alij, quod dum aliquæ rationes obiectales

B considerantur vt in Deo sunt infinitæ, nõ propter hanc infinitatem transeunt in alias rationes, sicut eiusdẽ sunt rationis albedo finita & infinita. Cõtradicũt alij cum maiori pietate diuinę maiestatis, quod infinitas trahẽs extra terminos creaturæ, facit alietatem rationis. Et ita rationes creaturarum non sunt formaliter in Deo sed supereminenter, sicut nec ratio sanitatis est in vrina vel cibo, nisi per analogiam ad sanitatem animalis. Vniuersalia realia extra animam ponere alibi vel aliter quam

C in Deo: hæresis expressè damnata per decretalem Innocentij tertij: de summa Trinitate & fide catholica. §. reprobamus in fine. Pręsuppositis glossarum testimonijs, sicut Hostiensis super illũ locum. Et Martini in chronica summorum pontificum vbi loquitur de Innocentio tertio, qui cœpit Anno 1197. Dicit igitur sic decretalis Innocentij. Reprobamus etiam & condemnamus peruersissimum dogma impij Amalrici, cuius mẽtem sic pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tam

D hæretica sit censenda quam insana. Sed qualis fuit hæc doctrina, recitat prædictus Hostiensis super istum locum, & Martinus, vbi dictum est. Primus, inquit Hostiẽsis, & summus error fuit quod omnia sunt Deus. Vnde dicit Amalricus: Motũ Deo dare non possum. Et sequitur: Cum in ipso sint omnia, immo cum ipse sit omnia. Et sequitur, nõ facile posse negari creatorem & creaturã idẽ esse. Alter error, quod primordiales causę quę vocãtur ideę, i. forma siue exẽplar, creãt & creãtur, cũ tamẽ secundũ sãctos, inquantũ sunt in Deo, idem sunt

E quod Deus. Ait Hostiensis, addens, quod Odo episcopus Tusculanus, exposuit errores singulos, & dãnauit, subdẽs causam, quare non fuerunt explicitè nominati. Martinus verò ita dicit de eodẽ Amalrico damnato per Innocentium tertium, quod asseruit ideas quæ sunt in mente diuina, & creare & creari, cum secundũ beatũ August. nihil nisi æternũ atq; incõmutabile sit in mẽte diuina. Dicit etiã, quod Deus ideo dicitur finis omnium, quia omnia reuersura sunt in ipsũ, vt in Deo im-

F mutabiliter cõquiescãt, & vnũ indiuiduũ atq; incommutabile in eo permanebũt. Et sicut alterius naturæ nõ est Abraham. Alterius Isaac, sed vnius atq; eiusdẽ, sic dixit omnia esse vnũ, & omnia esse Deũ. Dixit enim Deũ esse essentiã omniũ creaturarũ & esse omniũ. Hæc Martinus. Constat quod ad positionẽ vniuersalium realiũ prout exponũt, sequitur hęc doctrina, vel forsã insanior, vt quod sit ens vnũ trãscendẽs in re, quod nec est Deus, nec creatura, nec æternum nec temporale. Vniuersalium huiusmodi positio reprobata est plures Parisijs, tam ab episcopis Parisiẽsibus sub anathemate, quã à cancellarijs Parisiensibus cum sacra theologiæ

facultate doctrinaliter & determinatè. Patet primò per damnationem Guillelmi Parisiensi de concilio omnium magistrorum. Inter quos fuit frater Alexander de Ales, prout recitat Dominus Bonauentura in suo secundo dist. 23. circa finem, circa annum Domini 1240. quod multæ sunt veritates ab æterno quæ non sunt Deus, error supple est dicere. Alius, quod primum nunc creationis passiuè, nec est creator nec creatura, error. Vnde dicit Augustinus quod omne ens est creatura vel creatrix essentia.

Ponitur alius articulus de Theophano, & hic est contra Ioannem Scotum, in libro qui dicitur periphyson. i. de natura. Contra quem scripsit Hugo super cœlesti hierarchia qui liber, vt dicit Hostiensis damnatus fuit per magistros Parisienses: propter alios errores quos ab illo sumpsit dictus Amalricus. Est autem iste Ioannes, non ille de ordine minorum, sed aliter qui trãstulit libros Dionysij de Græco in latinum, longe ante ipsum. Prædictus insuper Odo Tusculanus, qui fuerat cancellarius Parisiensis notauerat & damnauerat errores dicti libri, Et ab hoc Odone dicit Hostiẽsis se prędictos errores accepisse.

Vniuersalium huiusmodi positio, damnata fuit per Stephanum Parisiensem de concilio omnium magistrorum, circa annum Domini 1276. articulo 52. vbi sic dicitur, quod illud quod de se determinatur vt Deus, vel semper agit, vel nunquã, & quod multa sunt æterna. Sequitur quinquagesimustertius & contra alium doctorem. Quod Deum necesse est facere quicquid immediatè fit ab eo. Ecce quod error est dicere quod multa sũt æterna, sicut tamen essent vniuersalia realia si ponantur. Fuit etiam hæc doctrina pluries reuocata Parisijs, etiam de tempore, modo & paulo ante.

Vniuersalium huiusmodi realium positio, damnata fuit nouissimè per sacrum Constantiense concilium contra Hus. & Hieronymum Pragenses combustos. Et qui vidit & audiuit testimonium perhibet de his. Ex quibus sequitur euidenter, quod assertor pertinax doctrinæ talis cũ suis sequelis, hæreticus est censendus, immo impius & insanus, scandalizans etiam pias aures quantumcunque pius haberi posset aut verus intellectus, apud exercitatos in huiusmodi positionibus. Ab omni specie mala, inquit Apostolus, abstinete vos. Et philosophus ait, loquendum esse vt plures. Et Augustinus. Ad certam inquit regulam nobis loqui fas est. Concedendum est tamen, quod vniuersalia sunt apud intellectum, non in essendo, sed in repræsentando. Nec ob hoc ponendus est vnius intellectus vniuersalis, prout impius Auerrois asseruit. Deus autem est ens simpliciter vniuersale, non mole sed virtute. Denique doctor ille se sophisticat & implicat & infamat qui concedit hanc consequentiam. Generalis est & vniuoca ratio entis, ergo ponendum est ens vniuersale extra animam. Arguit enim à parte in modo ad suum, cum additione distrahente.

Vniuocatio entium ad Deum & creaturam tolerabiliter poni potest secundum theologiam & metaphysicam si fiat sermo seu resolutio ad rationem obiectalem entis communem Deo & creaturæ, sicut accipi potest communis ratio obiectalis vniuoca ad substantiam & accidens & inter analoga.

A Vniuocatio talis si quæratur fieri per conceptus specificos & distinctos, ad rationes attributales, positas in Deo per propriam vniuocationem ad Deum & creaturam, non videtur bene tutum, vt quod iustitia dicatur purè vniocè de Deo & creatura & non analogicè, sicut antea notatũ est.

Vniuocatio non ideo synonima & quasi nugatoria dicenda est reperiri inter attributales rationes de Deo, quamuis eandem rem penitus significent, quia non significant eodem modo vel eadem obiectali ratione formaliter, vel ex parte rei seu personaliter modo prius exposito.

B Quoniam ratio obiectalis non sistit in solo intellectu aut conceptibus, sed tendit in rem extra tanquam in suum principale significatum, vel obiectum vel substractum, alioquin diceretur ens secundæ impositionis vel intentionis, vel rationis logicalis. Et ita ratio obiectalis habet quodammodo duas facies vel respectus, ad intra. s. & extra. Vniuocatio entis transcendentis ad Deum & creatorum cum

C suis proprijs seu proprietas trãscendẽtibus, qui sũt vnum, verum, bonum, plurimum confert viris contemplatiuis & intelligentibus dum tamen statim vt intellexerunt ens illud in sua communitate, confestim denudent ab omni ratione obiectali creaturæ, & transferant ad rationem propriam obiectalem generalem, puram & liquidam solius creatoris Docet Augustinus ita facere 8. de Trini. de bono & verbo. Et ita diceret de ente & & omnibus attributis diuinis. Dum audis inquit

D bonum, tolle bonum hoc & bonum illud, & vide si potes bonum non alio bono bonum, id est bonum increatum, videbis ipsum Deum, non quidẽ visione faciali, sed in speculari & in ænigmate. Sic Dionysius docet facere in mystica theologia per exemplum de sculptore, qui facit agalma pulcherrimum, id est imaginem nihi addendo sed remouendo. Sequitur eos Dominus Bonauentura in itinerario mentis in Deum eleganter valde. Erit hæc ratio obiectalis propria Deo, si possit in sua puritate consistere sine hoc & nunc & creatura-

E rum phantasmate. Erit inquam quasi margarita præfulgida, de qua Gregorius Deforme conspicitur quicquid de terrenæ rei placebat specie quia sola præciosæ margaritæ claritas fulget in mente. Sunt super hac re opuscula quædam alibi tradita. Metaphysicalis inquisitio quęritur ineptè fieri de ente & suis passionibus, si non præcesserit sufficiens notitia de ente logicali seu de logica, qualem tradit Aristoteles studiosè. Quod enim præcipiti via rectum deserit ordinem, ait Boëtius, lætos non habet exitus.

F Metaphysicalis inquisitio & subtilius non est primitus ingerenda pueris vel hominibus rudis ingenij, neque mulierculis sub specie deuotionis, qualiter inueniuntur multi facere voluisse per curiositatem, sed qualis exitus euenerit, abominandum est vel dicere vel scribere.

Metaphysicalis inquisitio non solum inutiliter, sed & damnosè quæritur fieri per homines secularibus scientijs aut officijs ciuilibus occupatos, quę non capiunt quæ subtilia sunt, scandalũ enim est illis vel irrisio, non enim est auibus paruolatus, neque par intuitus. Sic ingenia diuersa sunt multum,

tum, pariter & studia, quot capita tot sententiæ.
Metaphysicalis inquisitio surgere debet vltra
Grammaticalem vel Logicalem traditionem, sub-
sternendo eam sibi, non contemnendo, nec ab
ea contrariè recedendo: alioquin sæpe fit, vt Me-
taphysicare volentes, sint vel garruli tanquam pi-
cæ loquaces ignorantes vocem propriam vel er-
rantes: Modicus autem error in principijs (ma-
ximè circa primum) maximus fit in ingressu &
vix corrigibilis, dum fuerit imbutus à puero, vel
aliter consuetus. Denique tales iuxta verbum Se-
necæ vtilia nesciunt quia superuacua didicerunt.
Theologica perscrutatio respicit ens purum vel
ens simpliciter, hoc est sine addito cuiuscunque
potentialitatis seu non entis, quale solus & vni-
cus est Deus. Ad cuius notitiam duxit fides ca-
tholica longè altius, certius & verius quam tradi-
tio Metaphysica. Etenim Deum nemo nouit vn-
quam, sed vnigenitus qui est in sinu patris enun-
ciauit de illo. Theologica perscrutatio de ente
simpliciter ponitur (quod enim simpliciter dico,
sine addito dico) peruenit ad intelligentiam mul-
tarum sublimium veritatum, quæ traduntur cre-
dendæ, per fidem, si bona vita & humilis, si stu-
dium vehemens & pium, non proteruum neque
curiosum affuerint, qui præterea fiunt solerter &
cautè Metaphysica Philosophorum discussa se-
parando preciosum à vili, hoc est verum à falso,
qualem docent facere Parisienses articuli, ad hoc
enim singulariter editi sunt. Theologica perscru-
tatio sistere non debet in sola intelligentia vel il-
luminatione intellectus sed labi debet & lique-
fieri ad inflammationem affectus alioquin sæpe
fit illud quod terribiliter de philosophis ingratis
& malè viuentibus tradit apostolus ad Roma-
nos. 1. Theologica perscrutatio non renuit ac-
quisitiones sciẽtiarum tam speculatiuarum quam
moralium quam etiam sermocinalium vt est Lo-
gica, sed assumit eas vt ancillas sapientiæ in obse-
quium suum. Vnde per Logicam multæ & altissi-
mæ veritates circa mysterium beatissimæ Trini-
tatis, circa secretum diuinæ prædestinationis &
euentum futurorum theologia docet accipere.
Exempli gratia cur ista conceditur: Pater gene-
rat, vel Deus generat, & non ista essentia generat.
Cur præterea iste terminus essentia, non potest
esse medium in syllogismo expositorio, debitè &
completè regulato per verum dici de omni vel
dici de nullo. Qualiter præterea seruari debet
ars obligatoria, ne respondens si non consequẽ-
ter se habeat ad præconcessa, turpiter inuoluatur.
Non est dicendum per singula de suppositioni-
bus ampliationibus, appellationibus paralogismis
fallaciarum, quorum omnium ignorantia vel cõ-
temptus, causat illaqueationes errorum & nebu-
las falsitatum. Concordia doctorum negotian-
tium Metaphysicè vel Theologicè circa ens quæ-
renda est fieri per conuenientiam in sententijs
& in quid nominis terminorum, per distinctio-
nes & alias resolutiones, potius quam animosita-
te pertinaci vel superbia, nutriatur inter illos di-
scordia, qualis fuit inter cæteros conditionis do-
minus Bonauentura, qui studuit de varijs opi-
nionibus semper elicere illud quod verum appa-
rebat, & cum sobrietate magna dimittere illud
quod nimium vel parum videbatur. Concordia
doctorum sæpius impeditur in scandalum vel de-
A decus ipsorum doctorum qui nimis quæruntur
honorari, quemadmodum de Origene tradit
Hieronymus quem sui zelatores nimij plus diffa-
mauerunt, dum ipsum honorare quærebant in
præiudicium theologicæ veritatis. Si taliter eue-
nit & euenturum sit circa materiam quam agi-
mus, viderint improbi defensores, & prohibeat
deteriora Deus. Concordia doctorum, præser-
tim theologorum circa pietatem fidei sic est ne-
cessaria vt obmittendæ sint potius perscrutatio-
B nes vel dogmatizationes quarundam doctrina-
rum, etiam subtilium & altarum, quam pietas fi-
dei discordiam suorum tractatorum scandalum
patiatur apud illos qui vel intus vel foris sunt. Sic
suadebat Augustinus ad Hieronymum. Sic dice-
bat Apostolus: Si esca scandalizat fratrem meum,
non manducabo carnes in æternum. Salubrius
enim multę veritates nesciuntur vel tacentur,
quod loquendo charitas saucietur. Consulit insu-
per Seneca subtilitates aliquas magis contemne-
C re quam velle scire, exemplificans de paralogis-
mis. Concordia doctorum maximè generatur,
nutritur atque roboratur, si obseruetur illud apo-
stoli: Non plus sapere quam oportet sapere, sed
sapere ad sobrietatem, & vnicuique secundum
quod Deus diuisit mensuram fidei. Et si rediga-
tur omnis intellectus in captiuitatem in obse-
quium Christi, qui est finis legis sicut & charitas.
Non enim in subtili inquisitione veritatis, sed
in cultu charitatis consistit regnum Dei & im-
pletio legis consecutioque salutis. Concordia
D Metaphysicæ cum Logica & suis autoribus, fiet
ex consideratione præmissorum per distinctiones
aliquas vna est de duplici modo essendi rei, in re
scilicet & intellectu. Altera distinctio de ratio-
ne obiectali, & de modo significandi si ratio ob-
iectalis restringatur ad modum essendi rei in in-
tellectu, sic quod ratio obiectalis respicit duo sci-
licet intellectum, & rem ipsam ad extra, vt res
est vel natura quædam in se. Modus autem si-
gnificandi respicit rem vt res est in se, sed vt si-
E gnum est vel significatum, siue sit extra animam
siue ad intra, sicut voces & scripta sunt res signi-
ficatiuæ, & maximè ipsi conceptus animæ, qui
tamen sunt res quædam in se. Altera distinctio
sumeretur distinguendo rationem obiectalem,
quia vel respicit rem vt res est, vel respicit vt res
est signum quoddam. Similis esset distinctio de
modo significandi, quia vel significat rem vt res
est, vel vt signum quoddam. Proportionabilis
esset alia distinctio de terminis primæ intentio-
nis vel impositionis, seu personaliter acceptis
F prout significant res vt res sunt, aut prout termi-
ni sunt secundæ intentionis vel impositionis sup-
ponentes pro rebus non vt res sunt, sed vt signa
quædam siue sint extra animam vel ad intra.
Sumatur ex his distinctionibus hæc vnica, quod
consideratio rei vt res est, spectat ad Metaphysi-
cam. Consideratio vero rei vt tantummodo si-
gnum est, præsertim in anima spectat ad Gram-
maticam vel Logicam. Concordia Metaphysicæ
cum Theologia fiet si consideretur ens simplici-
ter vel ens purum, vel ens vniuersaliter perfectũ,

quod est Deus. Aut si consideretur generalis ratio obiectalis entis. Secundum spectat ad Metaphysicam, primum propriè ad Theologiam, in qua Deus est subiectum. Est autem Theologia duplex scil. viæ & patriæ. Theologia viæ respicit ens primum vt creditum cum suis attributiuis nõ excludendo intelligentiam de multis. Theologia autem patriæ respicit ens primum vt facialiter visum & obiectaliter in seipso, non in speculo vel ænigmate. Gratias ipsi qui aperuit hanc concordiam hominibus bonæ voluntatis. Vigilia suæ natiuitatis. Anno 1426.

PROLOGVS IACOBI VVIMPHELINGII IN SERMONES ET *tractatus Ioannis Gerson è gallico ab eius ore excepto, in Latinum per Ioannem Brisgoicum Theologum translatos.*



SERMONES hic sequuturos ne dubita candide lector fuisse Gersonis, nec eos despexeris propterea quod maiestatem styli sui nequaquam redolere videntur. Sermones enim istos, cum christianissimus cancellarius ad populum faceret, ex ore ipsius concionantis à pijs auditoribus excepti sunt, & licet non ad verbum, tamen ad sententiam vtcunque transscripti. Et id quidem in Gallica lingua, sed indubiè, non eo tenore, non ea dulcedine, non illo ornatu quo ipse dum prædicaret, vsus fuit. Deinde ex Gallica lingua in Latinum ab Alemano traducti sunt. Maluimus enim vel frustra vel scissas vel diffluentas particulas etiam minus eleganter interpretatas assequi, quam suauissimas illas & præstantissimas exhortationes omnino labi & prorsus interire. Quisquis igitur sanctam veritatem & diuinam sapientiam amas, quisquis Dei verbum esuris, quisquis sancti & deuoti cancellarij optima doctrina delectaris, non tibi stomachum aut fastidium moueat simplicitas translationis, quam statim visurus es. Cogita & scito, non tam verba quam sensum, non tam ornatum quam sententias, non tam aurium voluptatem quam salutiferum mentis fructum esse metiendum atque ponderandum. Si splendida verba desunt, adest electa sententiarum honestas. Si ornatus abest, offert se virtus & grauitas negotiorum. Si delitiæ & lenocinia sermonis sese subtrahunt, spiritualem vtilitatem & iocundum pastum inuenies animorum Elige potius aurum in crumena ex corio facta latitans, quam plumbũ in marsupio deaurato repositum. Elige potius phalernum in ligneo scypho, quam palustrem aquam quæ in aurea tibi patera propinatur: Lege obsecro, & labori tuo senties quæstum nequaquam defuturum. Humili stilo qualem obseruant posteriores plerique omnes sermonum scriptores, videbis multam & affluentem salutiferáque prudentiam & animarum refectionem admisceri. Vale. Ex eremitorio diui Guillelmi in suburbano Argentinensi 16. Kalend. Octob. Anno nostræ salutis 1401.

A

SERMONES CONTRA SEPTEM PECCATA MORTALIA, INCIPIENTES per thema: Pœnitemini.

Dominica prima Aduentus, primus sermo contra gulam.



SCIRE vellem si tibi placeret mater Dei gloriosa, an fueris in societate benedicti filij tui, cum audiuit Hierusalem dominica die ante
B
passionem suam, cuius Aduentus meminit hodiernum euangeliũ, & euangelium diei palmarum? Quod si aderas (quemadmodum sine periculo cogitari potest) reor te habuisse magnam lætitiam ex vna parte, cum videres talem honorem exhiberi filio tuo, & talem fieri processionem. Sed ex altera parte, amarissimo afficiebaris dolore, cum benedictam passionem quæ appropinquabat, contemplabaris, &
C
cum ob hanc causam inter alias percepisti eum flere. Dicit enim quidam euangelista, quod vidẽs Iesus ciuitatem, fleuit super illam. Quid faciemus mater Dei gloriosa, quid faciemus cum Deus intra nos vult venire, & percipit nos debere refutare eũ per iniqua peccata, & quasi rursum crucifigere, secundũ quod dicit sanctus Paulus: Rursum crucifigentes &c. peccator obligat Deũ quantũ in se est rursum mortẽ accipere, profectò si Deus & tu plorastis supra ciuitatem Hierusalem, multo-
D
plus plorare debemus super destructionem nostræ spiritualis ciuitatis quæ est anima nostra. Hierusalem enim temporalis erat, & anima nostra æterna est, vt dicit Chrysost.. Non est ergo conuenientius remedium ô deuotissimi, quam facere quod dicit thema nostrum. *Pœnitemini*, & sic Deũ recipietis per gratiam. Et vt eo modo ipsum hodie recipere possimus in religioso hoc Aduentu eumque in honore retineamus cum intrauerit, & ei humiliter seruiamus expandẽdo propria vestimenta nostra in viam suam, hoc est propriam vo-
E
luntatem nostram, & spargamus ramos nostros & flores diuersarum virtutum, & dulcia cantemus deuotarum orationum cantica, & etiam verbi Dei, te salutabimus virgo dignissima, & coram eo pro nobis intercedere digneris, hoc facere potes non amittendo eam quam in paradiso sentis gloriam. Tibi ergo dicemus. Aue Maria.

Pœnitemini &c. Priusquam descendam ad materiam meã, exponam causam ob quam accepi thema hoc, & meam dicam intentionem. Multo ante intra secretum cogitationis meæ, considerau
F
quod peccatum infidele & maledictus proditor Dei, iusti domini sui inferebat prælium asperum & mortale contra humanam naturam. Heu hoc in meipso sensi plus quam opus foret, & in alijs percipio quotidie. Ideo dicit Iob: Militia est vita hominis super terram, in qua necesse est die quolibet præliari contra omnem maledictam societatem tyranni huius capitanei peccati mortalis falsi proditoris, quæ est sine numero, contra eum se tenent pro humano genere diuina præsentia & omnis multitudo virtutum, quarum gratia

gratia Dei est regina, alioquin tota humana natura iamdudum fuisset amissa. Quis nobis dedit hoc pulchrum adiutorium virtutum? Respondeo quod supremus dominus noster & saluator Iesus Christus, mediante suo supra terram Aduentu nostram assumendo humanitatem, quem Aduentum rememorat mater nostra sancta ecclesia in hoc tempore. Deinde vidi quod prælium peccatorum multos habet satellites, tubicines, & musici concentus modulatores ad hortandum ad victoriam. Non est interrogandum qui sint; sunt omnes peccatores mundani qui per facta, per verba & pessimas exhortationes trahunt alios ad malefaciendum. Ideo ex alia parte conuenit quod virtutes habeant satellites & admonitores, vt attrahant & moueant corda ad bene faciendum & bene viuendum. Hi admonitores sunt prædicatores veritatis, qui ascendere debent, & alta voce vocare ad virtutes laudandas, culpanda vitia. Ascende tu qui euangelizas, quasi tuba exalta vocem tuam. Et quia inter alios huiusmodi tubicines; imperator noster & rex Iesus Christus, voluit indignum esse huius officij vnum, in ecclesia sua & in populo suo, volui sæpius ad huiusmodi officium exercendum exponere, sed timor deficiendi & consideratio ignorantiæ meæ ac debilitatis, & fortassis interdum acediosa negligentia me diuerterunt, cum hoc quod habeo alias occupationes permultas, & quam prius debebam superintendere mihiipsi & insultui qui intra me fiebat quam extraneis. Nemo sibi secundus. Et illud: Quid prodest homini &c. Modo (Deo sint gratiæ) non sunt mihi tot huiusmodi excusationum quæ me prius vrgebat. Idem auxilio domini nostri Iesu Christi, proposui deinceps sæpius ascendere cathedram prædicationis, nisi aliud superuenerit impedimentum. Et ad sumendum vocem meam huius prælij virtutum contra vitia, consideraui me non posse inuenire aliam magis propriam nec magis vigorosam, quam eam vocem quam etiam sumpsit imperator noster in prima sua prædicatione, & ante eum commissarius suus præcursor tubicē & buccinator sanctus Ioannes Baptista. Clamor ille vel vox est verbum propositum & primum verbum primæ prædicationis domini nostri, quod scriptum sit in euangelijs. Intelligite propter quid. Inuenio quam pœnitentia reficit, quod peccatum destruit & inficit. Peccatum interimit & occidit animas mille & mille modis mortis, non quidem temporalis sed æternæ; pœnitentia eas viuificat, resuscitat, & vitam tribuit, peccatum ligat animas & incatenat admodum amare (sicut dicam in sequentibus in mysterio euangelij) pœnitentia eas absoluit. Peccatum facit animas inimicas & odiosas Deo, pœnitentia reficit concordiam & pacem, peccatum aufert & impedit gloriam paradisi, pœnitentia eam restituit, & breui verbo peccatum adducit omne malum, pœnitentia verò omne bonum, multum itaq; congruit veritatis prædicatori ad vnumquodque verbum alta voce clamare & vociferare omni tempore: *Pœnitemini.* Et ad intelligendam hanc vociferationem, sanctus Gregorius vnus de quatuor principalibus tubicinibus sanctæ ecclesiæ, nobis exponit, quid hæc sibi velint, dicens: Pœnitentia est A præterita mala plangere, & plangenda iterum non admittere, idem est pœnitentia sicut præterita peccata plangere & de futuris cauere. Meum ergo propositum est diuino auxilio mediante, facere me formalem partem contra publica vitia, tum propter gratiam acquirendam, & veniam de peccatis meis erga Deum patrem meum, tum vt merear habere vestras orationes. O deuotè populus valde opus est eas mereri, nec aliud precium peto. Et quia non possem in quolibet sermone præliari, aut loqui simul contra omnia vitia & B pro omnibus virtutibus, sumam eas per partes. Et dicam primum de septem peccatis mortalibus, applicando septem petitiones ipsius; Pater noster, & loquendo de decem præceptis legis. Et deinde de septem donis; de septem beatitudinibus, & de septem virtutibus, quatuor cardinalibus, & tribus theologicalibus. De septem quoque sacramentis, & septem operibus misericordiæ, tam spiritualibus quam corporalibus. Ac de septem diebus septimanæ, quomodo se habendum C sit specialiter vnoquoque die, secundum quod Deus concedet, loquendo semper aliqualiter de materia diei. Et pro quatuor dominicis huius Aduentus, immorabor circa duo peccata carnalia, videlicet gulam & luxuriam; Rogate Deum, vt me confortet & conducat in hac bona voluntate & incœpto ad honorem suum, laudem & gloriam ad nostram quoque communem vtilitatem. Descendo ad propositum temporis, deinde ipsius diei propter quod scire velitis, nos celebra-D re Aduentum principaliter in honorem gloriosi Aduentus & Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi. Fit tamen mentio quatuor modis Aduentum. Vnus est secretus in animam per gratiam. Alius publicus in die iudicij vniuersalis. Alius est particularis in morte cuiuslibet hominis. Alius incarnatio Iesu Christi, cum assumpsit humanitatem nostram in precioso templo ventris Mariæ. Est & alius, qui est manifestatio Iesu Christi in terra ab hora natiuitatis suæ vsque ad Ascensionem. Quoad primum qui est pro præsenti E Dominica, recitabo vobis figuraliter euangelij textum, quia etiam statim postquam Deus dixerat: *Pœnitemini*, adiunxit, *& credite euangelio. Cum appropinquasset &c.* Iesus qui veniebat de Hiericō, & in via duos sanauerat cæcos, cum inquam *appropinquasset Iesus Hierusalem in Bethphage in monte Oliueti, misit duos discipulorum suorum, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & mox inuenietis asinam alligatam, & filium suum subiugalem cū ea. Soluite & adducite mihi. Et si quisquam vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet* F *eos. Et totum hoc factum est, vt impleretur quod dictum est per prophetam: Dicite filiæ Sion ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & filium eius. Abierunt discipuli, & fecerunt sicut præceperat eis Iesus, & adduxerunt asinam & asellum, quibus imposuerunt vestimenta sua, & desuper eum sedere fecerunt, & magna turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij scindebant ramos de arboribus & iaciebant in viam. Et turba quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine domini, osanna in excelsis.*

Non immorabor in magna huius euangelij expositione. Dicam aliquas paruas notas literales. Deinde sumam expositionem breuem & moralem secundum propositum meũ. Betphage est vicus presbyterorum legis ad medium miliare ab Hierusalem. Discipuli sanctus Petrus & sanctus Philippus. Hierusalem est appellata castellũ quia iam amiserat honorem suum. Iesus Christus non equitabat, sed sedebat semel super asellũ, & semel super asinam, potius per mysteriũ quã propter aliquid aliud. Dominus noster vidẽs ciuitatẽ fleuit, tã ob Hierusalem destructionem quã ad docendum nos, vt sic habeamus compassionem. Tertiò ad ostendendũ quod honores huius mundi sunt contẽnendi, & tunc magis recurrere debemus ad nostrã fragilitatem considerandã, & illam quæ est aliorum hominum. Quartò propter honorem suę proprię mortis. Honor iste factus fuit propter miraculũ Lazari, & principaliter quia Iesus Christus mouit ad hoc corda eorum per inuisibilem potẽtiã. Et per omnia facta sua hortabatur populum ad pœnitentiã, ac si diceret: Pœnitentia est pręterita mala &c. Quo ad moralitatem & propositũ primi Aduentus inuisibilis, qui fit in animabus nostris, scire velitis quod in statu innocentiæ humana creatura erat sicut pulchra quædam ciuitas, quę poterat cõparari Hierusalẽ, quæ interpretatur visio pacis: Anima erat regina & domina. Ibi erat pax inter omnes ciues. i. inter omnes virtutes corporis & animæ. Pax rationis ad volũtatem & pax voluntatis ad sensualitatẽ. Pax totius hominis ad Deum. Admodum fortunata erat illa ciuitas. Sed heu peccatum inuidus proditor, venit ad eam expugnandam, & commisit pro primo insultu gulã sub bono occultatam intra fructum arboris, quæ dicebatur arbor scientiæ boni & mali. Et tantum efficit quod anima humanę creaturę (quę est quasi æqualis angelis) effecta est tanquam muta bestia tanquã asina. Non quidem quod mutaret substãtiam suam, sed cecidit in ignorãtiam & impotentiam. Sic conqueritur propheta: Homo cum in honore esset &c. Homo cum in honore esset, hoc est in primo statu innocentiæ, nõ intellexit, & ad seipsum non vigilauit, ideo comparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est eis. Vorax gula cũ peccato ligauit animã diuersis ligaminibus malarum affectionum & peruersorum desideriorum, ad modum alicuius asinæ. Et erat cum ea asellus suus seu pullus, per quem possum intelligere cogitationem, quæ vaga & leuis & malè domita. Sed videte dulcedinem vel Dei summi domini nostri Iesu Christi, noluit semper dimittere animam humanæ creaturæ in tali miseria, sed voluit appropinquare illi ciuitati ad soluendam nostram animã, vt fieret ei apta ad Ascensionem vel portationem per gratiam. Et omne hoc fit mediãte bona pœnitentia, quę à statu peccati reducit ad statum gratiæ per apostolos Iesu Christi, qui sunt præsbyteri confessores, qui absoluunt animã nostram, quando propriã cognoscit miseriã, & cum aperire potest cor suum Deo. Hic notentur interpretationes Petri & Philippi. Petrus agnoscens, Philippus os lampadis. Lampas habet os apertum supra. O deuoti homines, nõne videtis quomodo gula maledicta stipendiaria peccati, redigit quotidie animã nostram in similitudinem bestiæ mutæ per nimiã repletionem vel per ebrietatem? Conspicite qualiter ligauerit eam in tantum vt nesciat quo ire debeat per bonam cogitationem & sanctam occupationem. Ebrietas in hoc laudari vult, quod magistrum suum proijcit in lutum. Fugite ergo aduersariam hanc gulam, stipendiariam. Repugnate ei, ne vos superet & vincat, & si iam victi estis ab ea, si anima vestra impedita est ligaminibus eius ego vobis clamo, pœnitemini scilicet de peccato præterito. Plorate, & de futuro cauete.

Persistemus paulisper loquendo de male, quæ nobis infert gula, vt melius ab ea caueamus. Gula aperit nobis portam ad omnem miseriam & afflictionem, quam in hoc mundo sentimus, ab eo tempore quo Adam & Eua à terrestri paradiso expulsi fuere. Et ab illo tempore potestatem habuit & dominium infernale inimicus, mediante suo capitaneo superbia, super omnem humanam creaturam. Et si pietas, quomodo pro vno pomo Deus talem fecerit vindictã? Dico quod non fuit propter pomum, sed propter inobedientiam præcepti diuini, quod tam facile poterat custodiri, & etiam ad ostendendum tibi, quid sit aspernere Deum in præceptis suis, quantumcunque parua appareant. Gula facit ex persona, quæ esse deberet ciuitas & habitatio Dei, habitationem quandam inimicorum & tanquam in speluncam latronum aut haram porcorum. Per gulam homines transgrediuntur præcepta legis, & ideo non habet pręceptum speciale quod eam prohibeat, quia omnia sunt ei contraria, & ipsa omnibus. Per gulam relinquitur Deus, ne ametur ex toto corde, ex tota vi & omni potestate. Quare? quia persona quę est subiecta gulæ, non est magistra cordis sui, imo ipsum perdit, nec vigorem habet nec potentiam quoad primum præceptum. Quid facit peierare, Deũ negare, & sepius maledicere? Gula & ebrietas, quo ad secundum præceptum. Quid facit nõ obseruari ieiunia quæ præcipiuntur ab ecclesia, & omittere seruitium dominicæ diei ordinatorumq; festorum? Gula quo ad tertium. Quid facit sæpius vilipendere patrem & matrem & superiores suos? Peruersa gula, quo ad quartum. Quid facit sæpius fieri homicidia, plagas, & alias irrationabiles violentias? Gula & ebrietas, quoad quintum. Quid facit exercere rapinas? Sæpe gula vt se nutriat, quoad sextum. Sic per gulam veniunt mendacia, falsa testimonia, & irrationabilia iudicia, quoad septimum. Sed quis ambigit quoniam gula sit porta & introitus omnis luxuriæ tã in viro quam in muliere, in senibus & iuuenibus? Et pręsertim fœmina quæ est gulosa & ebrietati dedita, prorsus est perdita & substrata omni immundiciæ, quantumuis inhonestæ, horribili & abominabili. Dicit sanctus Paulus, quod mulier vidua viuens in delicijs, mortua est. Verum est quoad animam, & sæpenumero quoad corpus. Sed vt dicit Terentius. Sine Cerere & Baccho friget Venus id est, sine pane copioso, & sine vino luxuria friget. Et per oppositum, per abundantiam panis & vini accidit horribile peccatum, propter quod deletæ fuerunt quinque ciuitates terrestri paradiso similes. Specialiter videmus in bonis ciuitatibus, vbi est abundantia vinorum & ciborum homines

homines viuere, sed sunt magis subiecti omnibus infirmitatibus. Pueri prorsus infirmi sunt & quamuis in iuuentute eorum ingeniosi videantur & subtiles, cum tamen ad ætatem peruenerint, fere totum eorum perditur ingenium. Cuius vna causarum principalium est, quia tunc nimis insequi volunt eorum carnalem voluptatem secundum consuetudinem pueritiæ suæ. Intelligo quod medici etiam prohibeant bibere vinum iuuenibus, immo verò eorum nutricibus ratione lactis quod per hoc corrumpitur, lego quod secundum Valerium vsus vini erat prohibitus Romanis mulieribus sub pœna mortis, & ob hoc fuit consuetum vt viri oscularentur mulieres generis eorum, cum obuiarent eis, vt scirent si mulieres non bibissent vinum. Mihi apparet saltem complures mulieres iam bene huius sumere vindictam.

Deinde quæres quo modo cognoscam Aduentum Dei in animam meam? Respondeo quod quotiescunque habes aliquam bonam inspirationem & bene agendi voluntatem est Deus qui appropinquat tibi, & te ad se attrahit, siue medio prædicatoris siue per tribulationem, siue per infirmitates, siue per prosperitatem, siue in camera tua fueris, siue in lecto tuo vbi solus sis, vt ad propositum de quo loquimur, si assideas mensæ & rectè iudices te nimium comedere, est Deus, qui non vult te ei claudere ciuitatis tuæ introitum, nec quod taliter alliges asinam tuam, hoc est animam tuã quin eã habere possit cùm venerit vt voluerit. Cum tu obedis gulæ, eo quo tibi dicam modo, aperis portas inimico, & eas claudis Deo, & cum abstines, aufers manum diabolo, qui te voluit capere & strangulare per gulam & guttur. Dices mihi tertiò mirabile esse postquam Deus est omnipotens, & facit omnia quæ vult cum intrare vult ciuitatem humanæ creaturæ, quod non citò intret. Respondeo Deum tibi dedisse liberam voluntatem ad recipiendum eum vel non. Ideo te non vult constringere ad vnam partem vel aliam, immo vult vt roges eum quod veniat, bellando contra superbiam, & refutando eum sicut omnia alia peccata mortalia. Quartò dices, si posses videre Deum qui ad te veniret, certè nunquam ei præcluderes introitum, immo eum cum magna recipies solemnitate, sicut habemus in hodierno euangelio, quod filij Israël receperunt eum. Respondeo quod videre debes istum Aduentum oculo cogitationis tuæ, & in claritate veræ fidei. Et dicam tibi amplius quod omne illud quod Iesus Christus fecit ad extra in isto corporali Aduentu, principaliter solum erat in doctrinam & præparando viam spiritualem. Sume exemplum familiare si firmiter crederes quod persona quam melius in toto mundo amas, ad te veniret, quoties de ea cogitares & eam videres supposito quod non videres eam oculo, certè tamen istum apparatum faceres sæpius, immo quotidie. Fac ergo sic de Deo, quia est in te quoties diligis eum secundum regulam mandatorum suorum. Si quis diligit me &c. Enitamini igitur deuotissimi, enitamini modo in tempore huius Aduentus plus quam aliàs, enitamini vt Deus ad vos veniat & absoluat animam vestram à malis peccati ligaminibus, vt possit sedere super eam

A per gratiam, & vos liberè ire possitis per mandatorum suorum viam. Sed heu conspicio hodie multos homines non pati vt Apostoli Dei scilicet prædicatores & confessores absoluant eorum animam propriam, verum eos refutant. Et quod peius est, aliqui impediunt aliquos à liberatione ipsorum. In figuram huius scriptum est in præsenti euangelio Iesum Christum docuisse Apostolos suos, quod si aliqui dicerent eis, quare soluerent asinam, vt dicerent, quia dominus ea opus habet. Eodem modo respondere debent prædica-

B tores & confessores illis, qui eos voluerint impedire. Et dicere debent quod Iesus Christus vult habere animas & his opus habet ad eas ducendas & saluandas. Sic respondere debent hi qui amant liberos suos, illis qui eos ducere volunt vt assuescant in luxuria & malicia. Alij sunt qui recipiunt Christum ad tempus, sed mox deijciunt eum in terram & in fimum gulæ, ipsumque eijciunt & eum crucifigunt. Et in signum huius fleuit Iesus super ciuitatem Hierusalem, vt dictum est, quia

C videbat quæ erant ventura super eo & illa. Si tamen millies Deum refutaueris aut reieceris, ecce remedium. Pœnitentiam age. Charissimi pœnitemini, hoc est, præterita mala vestra plangite &c. Humana creatura quid vltra facit gula &c.

Collatio eiusdem diei.

Deuoti homines bene ac salui redieritis, benedictus qui venit &c. Benedictus est & ille qui ve-

D nit in nomine domini, vt audiat verbum suum. Quemadmodum mihi apparet (gratiæ Deo) gula contra quam locutus sum continuando verba mea, & meam exhortationem non taliter ligauit & impediuit animas vestras quin veniant ad Iesum Christum. Quomodo ad Iesum Christum? Profectò Iesus Christus in eo est loco, in quo sermo habetur de eo. Vbi duo vel tres congregati fuerint &c. Velis ergo mater Dei gloriosa, velis impetrare ab eodem benedicto filio tuo, vt quemadmodum omnes venimus in hac hora, vt

E audiamus loqui de eo, de lege sua & præceptis suis, sic velit ipse venire ad nos per gratiam in ciuitatem spiritualem vniuscuiusque nostrum, mediante tua intercessione. Ad quam obtinendam te salutabimus. Postea quam declaraui hodie secundum euangelij mysterium, & de benedictis Aduentibus quomodo immunda gula impedit Aduentum Iesu Christi in nos. Continuabo illam eandem materiam in tribus punctis. Primò declarabo mala quæ facit gula. Secundò declarabo per partes & quæstiones quomodo

F cauendum sit à gula, veluti à re mortifera. Tertiò contra eam tria dabo remedia.

Gula non modo nobis induxit ea quæ patimur mala, aperiendo portam eorum Aduentui, sed facit etiam quotidie de persona.

Videtis ergo qualem sustineamus aduersarium & habeamus in gula, & qualiter nos ligat ac impedit. Sed quid nos soluit? Pœnitentia mediantibus ministris Iesu Christi. Sed heu video.

Ad sciendum quoad secundum punctum qualiter agere debeatis pœnitentiam contra gulam;

bonum est scire quando ipsa est peccatum mortale & quando non. Accidit enim interdum quod nimis vitando gulam, quis cadere potest in vitium oppositum, nimis magnæ & stultæ abstinentiæ, quæ adducit phrenesim & offendit cerebrum vsque ad incurabilem ægritudinem. Ex altera parte qui nimis vult conseruare sanitatem suam, cadit quandoque in immundam gulæ foueam. Recitabo itaque hanc materiam per partitas quæstiones & responsiones. Gula an sit semper peccatum mortale? Dico quod non, nisi illa per quam quis transgreditur, aut scienter omittit aliquod Dei præceptum, aut cum manducatur contra præceptum ecclesiæ sine excusatione. De illis excusationibus nihil dicam modo, sed cum loquor de ieiunijs vbi dicam qui excusati sunt, & qui non. Comedere vel bibere nimis scienter sine necessitate, sed ob cibi delectationem an sit semper peccatum mortale? Dico quod non, quia consensus ad peccatum veniale, solum est veniale, quod verum est, si peccatum de se veniale fuerit. Et quia non omnis voluptas in cibis est peccatum mortale, sed sæpius duntaxat veniale, patet quod dico. Comedere & bibere ad sui grauamen notabile, & sicut prius sciēter contra propriam sanitatem, est ne peccatum mortale? Teneo quod sic plerumque, quia persona amare debet corpus suum, & ipsum per mensuram gubernare, nec est discrimen aut differentia se occidere semel aut pluribus actibus scienter. Inebriari est ne semper peccatum? Dico quod si persona bene scit mala quæ per ebrietatem solet perpetrare, & se scienter inebriet, ipsa peccat mortaliter, vt si per hoc sciat se non posse facere quod adimplere tenetur, aut alium percussurum, vel non exercebit dietam suam debitè, vel non adibit missam die dominica. Sed si per impræmeditationem ad se & inconsiderationem homo à casu efficitur ebrius, non dicendum est esse peccatum mortale, quemadmodum excusatur Noë. Nota hic diuersos modos ebriosorum. Vinum compellit eos quos inebriat viuere more simearum, porcorum vel leonum. Comedere vel bibere vt quis inflammetur ad luxuriam an sit peccatum mortale? Dico quod sic, quando est extra matrimonium præsertim, immo in matrimonio, si est ad habendum aliam voluptatem quam requirit matrimonium. Species, vina fortia, & alia huiusmodi deberent prohiberi tanquam mortales stimuli contra castitatem, præsertim illis qui non sunt in matrimonio. An omnis vomitus veniens ex nimia comestione, sit peccatum? Dico quod aliquando non, aliquando verò sic, secundum comedendi modum præcedentem. Consulo tamen vt omnis talis confiteatur. Præsbyter aliquis bibens post medium noctis, potest ipse die illa celebrare? Dico quod non, & peccat, si per defectum suum parochiani perdant missam dominicæ diei, & si fit lauando os suum, consulo quod abstineat. Et si vesperi dixerit matutinas, non debet postmodum comedere. Comedere carnes die veneris absque cogitando illud, est ne peccatum mortale? Dico ignorantiam esse talem quod non, & talem quod sic. Deglutire die veneris mane carnem quæ remansit inter dentes de die iouis in cœna, est ne

A transgredi præceptum ecclesiæ? Dico quod non. Comedere carnes in his diebus in quibus comedi vetantur ad paruos enutriendos pueros, aut vt magnatum pueri ad comedendum incitentur ac moueantur, est ne peccatum? Dico quod non, si medici id consulant, vsus sit ad hoc, nec mala voluntas propter voluptatem suam sumendi superet rationem. Ad quam vsque ætatem potest puer comedere carnes diebus abstinentiæ. Respondeo quod teneatur vsus communis, nisi infirmitas aut debilitas excuset.

B Bibere aliter ad æquales haustus, est ne peccatum mortale? Dico quod si per hoc quisque alium inebriari vult, ad malum finem, vel nimis compellere vltra velle suum & suam conscientiam, est admodum graue peccatum, immunda consuetudo, & non obseruanda. Sic etiam dico, quando quis alium inebriat ad sciendum secreta sua, vel inhonorationem, vel vt malè eum ducat. Nota de cauponibus qui conficiunt vina. Mulier quæ fuerit inebriata, & in ebrietate sua eius amiserit virginitatem, fueritque

C deflorata, an ne peccet mortaliter? Dico quod in tantum peccat, in quantum ebrietas fuit mala, & si habeat aliquem consensum, poteratque percipere aut fugere malum hoc, ipsa est culpabilis. Gloriari in hoc quod quis potest plus bibere & comedere quā alij, an sit peccatum mortale? Dico quod sic, si gloria hæc inordinata fuerit. Et per hoc cognosci potest si peccatū sit optare, semper comedere posse & bibere & nō velle vt homines viuere possent absq; comedendo. Optare talē pa-

D radisum est paradisus porcorū, quem optarēt porci, si loqui possent. Et hunc stultè expectāt Sarraceni. Mulier impregnata vel alius ęgrotus comedet carbones vel res irrationabiles & discōueniētes humano corpori, est ne peccatū? Teneo quod sic interdum, non semper, quia persona debet per rationem vincere (si potest) malā suam inclinationē & si esset ei nimis nociua quo ad corpus, sicut esset alicui febricanti bibere nimiū aquæ frigidæ. Et sic in compluribus casibus respicite finem, ad quem comedere est ordinatū. Si tamē fructus per

E ipsam fortè imaginationem quā in se impregnata fœmina carperet, peioraretur, potest permitti fœminæ vt faciat ad appetitum suum, Modò factū in se non sit peccatum mortale. Quod dico propter causam. Nota hic de illis qui per iocū quandoque præbent alijs cattos aut alia comedēda. Vnde interdum mors subsequitur, vel quādo offertur potus ęgroto contra consilium medici, & ægrotus moritur. Peccāt ne parentes nutrices qui in magna abundantia eorum pueris vinum bibendum

F ministrant. Dico quod sic, & etiam si ipsę nutrices nimis bibant vini, propter quod corrumpatur natura lactis, immo potest bibi aqua cum magno peccato. An peccent domini qui nimis abundanter nutriunt eorum famulos vel aliquos pauperes. Respondeo quod hic potest cōsiderari finis & rationabilis consuetudo aut necessaria. Recitat Horatius de quodā qui sic faciebat famulis suis quibus optimos dabat morsus postea eis abeundi & abscedendi dedit facultatem. Et quia non poterāt peruersas eorū dimittere consuetudines, furabantur & per collum eorū in patibulo suspendebantur.

tur. Aliud exemplum est de filio qui ducebatur ad suspendiū, qui voluit patrem suum osculari, & dētibus nasum eius abstulit, dicens, quod ob defectū correctionis suæ duceretur ad suspendium. Debēt ergo dicere patres & matres eorum liberis: Non nobis nasum auferetis. Ad hoc est exemplum de matre sancti Augustini huic magistra eius prohibebat ne aquam biberet nisi certis horis, postmodum cum esset matrimonio copulata, non bene seruauit hanc doctrinam. Hinc factum est vt ab ancilla sua ebriosa diceretur, propter quod se abstinuit. Ideo dicit sanctus Augustinus plus ei profuisse hanc irrisionem, quam alias qualscūque laudes. Aliud exemplum de quodā qui ferebat escas delicatas, gustauit, & mox arreptus fuit tali luxuria quæ publicè nec dicenda nec nominanda est. An sit peccatum emere pisces aut carnes magni precij, ad deliciosius manducandum? Respondeo quod status, diuitiæ & personæ conditio considerari debet, & malum quod est hoc sumitur exemplum ac subsequens paupertas, præcipuè ecclesiastici debent esse magis sobrij in celebrandis talibus prandijs. Bona enim quæ exponunt, sunt tanquā bona eleemosynæ, ad quæ quilibet subiectus suum posuit denarium & obolum. Debent quoque mōstrare alijs bonum sobrietatis exemplum, & succurrere indigētibus. Artifices etiam quibus sunt vxores & liberi, non debent in huiusmodi superfluitatibus quod habent exponere. Dicam latius in materia stultæ largitatis seu prodigalitatis & auariciæ. Si quisquam vouerit se non comesturum carnes in die veneris, & natiuitatis domini venerit die Veneris, poterit ne comedere carnes? Consulo quod non sine speciali prælati sui facultate. Si sciam aliquam escam esse furatam vel malè acquisitam per vsuram, & sine culpa mea, possum ne comedere? Hæc materia magna esset qui vellet omnia dicere. Teneo quod si persona aliud habet quod manducet pro tunc bonum est abstinere & securius, licet fiat alteri verecundia modo per hoc nō reueletur alteri secreta res proximi sui. Posset fieri sermo de his qui capiunt racemos in vineis vel fructus, quia secundum prohibitionēs & damna peccatum est mortale vel veniale. Duo sunt in periculo moriēdi fame, vnus habet panem vnum, alter non, potest alter alteri panem suum auferre? Teneo quod non, cum alius sit in simili necessitate, aliàs peccatum non est, aliunde pro illa hora in tali casu mortis victum suum sumere. Ægrotus erit sanus, si quotidie dem ei bona fercula & carnes, aliàs morietur, obligor ne eum regere? Teneo quod non, hoc enim esset difficile factu, nec scio quando moriendum sit. Aliquis vouit nunquam se comesturum caput piscis vel bestiæ, accidit eum nil aliud habere quod manducet, & moritur fame, violabit ne votum suum comedendo? Dico quod non, immo peccaret si non comederet. Acuere appetitum suum & famem sale vel condimento ad plus comedendum & bibēdum, est ne peccatum? Dico quod sic, quando est ad faciendum proprium aliquid vel dānum. Acuitur cultus animæ ad citius guttur abscindendum, est tamen aliquando necessarium comedere cum voluptate ad sustentandum naturam. Regulariter melius esset expectare famem suam, nullum enim condimentum est quod fami æquiualeat. Hic dici

A posset si coci peccent, apparando nimis curiosè & delicatè cibos, & hic diceretur si Iesus Christus vteretur condimentis. Nota de paradiso terrestri, & ante diluuium. Quod eligibilius est comedere bis, qualibet comestione paulalum comedendo, aut vnica comestione tantundem comedendo sicut in duabus? Respondeo hic quod secundum complexiones & secundum ea quæ homo habet exequi, vel est obligatus per votum, ieiunium, vel religionem. An audienda sit missa die dominico ieiuno stomacho? Dico hoc pertinere ad honestatem, non ad necessitatem regulariter.
B Si aliquis adiudicatus fuerit ob delictum suum vt moriatur fame, potest ne si comestibile inueniat comedere? Dimittam solutionem huius quæstionis pro alio tempore. Certate vos ad eam disputādam. Potest comedi caro porcina, aut pulli occisi cum sanguine suo. Videtur enim quod in principio ecclesiæ hæc res fuerit prohibita? Respondeo hanc prohibitionem factam fuisse propter paganos qui cum Iudæis conuersabantur, qui quidem Iudęi rem talem in abominatione habebant.
C Est ne crudelitas occidere pulchros pullos vel agnos ad nostrum ventrem replēdum? Dico quod non, & est stulta compassio, contrarium opinari, quia Deus hæc nostræ subdidit potestati. Et hoc intelligo quoad eos qui principaliter ordinati sunt ad hoc exequēdum, vt carnarij, coci, famulæ & famuli, pueri malam assumerent consuetudinem. Persona aliqua vocata fuerit ad prandium. Si non ierit, reddet indignatum hospitem suum. Si ierit, scit quod nimis comedet ad grauamen corporis sui & animæ, quid
D faciet? Respondeo quod in hoc casu plerunque eligibilius esset non ire, dici solet quod de hoc citò fiat pax. Item si haberes febres, esses excusatus, æquè bene te excusare debet febris animæ. Considerate igitur quantum malum sit facere huiusmodi diuersos excessus. Nam faciens eos tempus perdit & bona sua & pacem suam, sæpe hi qui veniunt ad huiusmodi conuiuia ex hoc peiores efficiuntur, & vellent absolui ne irent, quia necesse est postmodum vt tantundem faciant vel amplius.
E Veniunt quoque alia complura inconuenientia in detractionibus, & comedendo carnem viuam vicinorum suorum, & in superfluitatibus & alijs peccatis, tanta inquam eueniūt huiusmodi peccata, vt mirandum sit. Nota de Agesilao qui nunquam voluisset adire prandium vel cœnam (secundum quod dicit Seneca) nisi æstimasset hospitem suum multum obligari sibi cum veniebat ad manducandum. Quod plerunque in religionibus magis est vitandum scilicet aut dare nimium ciborum aut minus quam neces-
F se sit. Teneo excesū plus nocere & sæpius quam sobrietatem. Defectus tamen talis esse posset, & taliter lęderet ac euacueret cerebrum quod peius esset in minori cibo nimis pauco quam in superfluo, quia ieiunia irrationabilia quæ fiunt proprio motu & secundū caput proprium, non credēdo cōsilio, periculosiora sunt quam nimis comedere. Est ne peccatum comedere & bibere mox postquam receptum est corpus domini nostri? Dico quod sic, in pluribus casibus, præsertim quoad præsbyteros epulones, qui mox post celebrationē adeunt cauponam, quantumuis mane fuerit. Hic dici posset de excessu gulæ, qui sæpius fit & maior

in magnis feſtis quam alio tempore. Et de famulis qui exponunt vna die quod lucrati ſunt in tota A ſeptimana. Nota hic de comeſtionibus quæ fiunt ante feſtum purificationis in eccleſijs corizando, Deum irridendo more idololatrarum. Perſona aliqua habebit in voto vel pœnitentia non comedere carnes die Mercurij, poterit ne comedere ius aut offam de carnibus confectam? Similiter ſi ieiunare debeat perſona in pane & aqua, poterit ne bibere ceruiſiam aut ſiceram, vel comedere panem ſuum cum ſale? Conſulo quod in talibus caſibus perſona quærat autoritatem à prælato vel B curato ſuo, & faciat quod ei dicetur ad tollendos omnes ſcrupulos. Dico quod communis obſeruantia & conſuetudo in his rebus principaliter eſt inſpicienda. Qui tamen quæreret opinionem meam, præſertim in caſu voti & perſona mihi dicere neſciret intentionẽ quam habebat vouendo, nec eueniret aliud malum habẽdo ſingularitatem in ſocietate ſua. Conſulerem tenere eum ſecurius. Tene certum, hoc eſt ſecurius & magis obſeruandum.

Inſuper & poſtremò poſtquam cognoſcere po- C teſtis quomodo pœnitentiam agere debeatis & confiteri de gula præterita pro tertio puncto, bonum eſt docere quomodo tibi cauebis in prælio gulæ, vt obedias ſecundæ parti noſtræ adiunctionis vbi dicimus, & plangenda amplius non committere, ſeu & de futuris peccatis cauere. Primum remedium eſt ſæpius habere in ore vocem quæ fieri debet in omni prælio ſpirituali. Quæ eſt hæc vox? Eſt, ô Deus tuam gratiam, ô domina noſtra tuum auxilium, angele mi tuum auxilium, omnes D ſancti & ſanctæ veſtrum iuuamen. Et hoc poſtulamus & petimus cum dicimus Deus in adiutorium meum intende. Et ſi particularius orare vis dic pater noſter tuum præcipue primam petitionem quæ huic eſt accommodata. Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum, hoc eſt quod recipiam & videam nomen tuum ſanctè, ſine terra, ſine immundicia peccati, & ſpiritualiter ſine terra gulæ. Secundum remedium eſt, diligenter intra te ire, imponendo ori frenum rationis, ne ſit tanquam beſtia muta, ſed exemplo auium quæ E iam euaſerunt laqueos quos timent, ſic homines timere debent laqueos & hamos quos ponit inimicus in cibis, cogitando mala quæ proueniunt ex gula, & bona quæ ex ſobrietate proueniunt. Quomodo pro vna hora voluptatis quam capit guloſus, refarciendo ventrem ſuum dolet tota nocte & tota die ſequente pluſquam ſitis patitur mane & ei caput dolet. In infinitas quoque cadit infirmitates & facit Deum ex ventre ſuo, ſicut dicit apoſtolus. Et habendo bonum tempus, vt gu- F loſus dicit, certè omne bonum tẽpus ſuum amittit. Guloſus maiori afficitur pæna poſt gulã, quam voluptas ſit, ſuam deglutiendo eſcam, plures occidit gula quam gladius, nemo negat. Et per oppoſitum admodum pauci moriuntur per nimis paucã comeſtionem quemadmodũ à medicis intellexi. Et cõtra eos qui ſunt nimium faſtidioſi ciborum, vel qui non poſſunt vllum inuenire ſaporem, nullum eſt remedium niſi famem expectare. Ratione famis bonus apparet panis, nec habes condimentum, nec ſaltem, cui valeas cõparare famem. Nonnulli contra talem & nimiũ ardentem appetitum iuri vel offæ ſuæ frigidam aquam impoſuerunt. Alij cineres, alij prius guſtauerunt paululum aquæ frigidæ. Tertium remedium eſt quod perſona obliget ſe ad aliquam abſtinentiam ſub certa pæna. Vt dicendo quod ſolum comedet vnum ferculũ, aut ſolum bibet de vno vino certo tempore. Vel quod non cænabit ſi ordinationem hanc prætereat & tranſgrediatur, vel quod perſona talis dabit quatuor denarios propter Deum. Vel aliquam talem obligationem, non quidem ad ſemper, ſed pro aliquo paruo tempore. Cogitandum eſt non admodum prouidendum eſſe, nec diligenter cõſiderãdum à perſona aliqua quo cibo repleat ſaccum ſtercorum & nutriat vermes, quódque quotidie iterum inchoandum eſt. Et qualis res ſit de ventre facere Deum ſuum, vt dicit apoſtolus, ac impedire aduentum domini noſtri in ciuitatem noſtram ſpiritualem. Aſſumamus ergo pœnitentiam bonam ancillam, quæ nos liberabit de tempore præterito & cuſtodiet futuro tempore à laqueis gulæ, vt habeamus Deum per gratiam in hoc mundo, & per gloriam in altero, quam nobis concedere dignetur &c.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS, SERMO CONTRA LVXVRIAM.

Pænitemini.

IN Aduentu domini Ieſu Chriſti, qui fiet in poſtremo iudicio, tu glorioſa mater Dei, iudici in ſua aſſiſtes maieſtate ſicut aſſiſtebas cum in magna pateretur pœnalitate, non quidem ad rogandum eũ principaliter, quemadmodum ſolitum eſt te depingi cum ſancto Ioanne ex altero latere. Sed ad malos iudicandos & bonos ſaluandos, in quantum ſpectat ad reginam mundi & ſupremi iudicis matrem. Et quoniam loqui debemus de tremendo hoc aduentu, & de aduentu etiam qui fit in morte cuiuſlibet perſonæ (tunc enim apparet Ieſus iudex) ſupplicamus nos pauperes creaturæ dignæ condemnatione, tibi: Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe. In illa hora cum aliud non fuerit nobis refugium & in vltima noſtra neceſſitate, veliſque vt in præſentiarum dicere poſſimus talia de duobus iſtis tremebundis aduentibus generali & particulari, quæ ad noſtram ſint ædificationem ſalutem & ſecuritatem. Ad quod impetrandum te ſalutabimus, dicentes. Aue Maria.

Apud ſanctum Germanum poſtremò poſtquam adhortatus ſum præliari cõtra gulam, quæ inuadit quotidie humanam creaturam ſæpiſſime, & oſtẽdit deceptiones ſuas, fraudes & medium quo ſibi quiſque ab ea cauere debeat, venit & oſtendit coram oculis cogitationis meæ ſe odioſa quidam figura cuiuſdã alterius vitij, quod nominatur fæda luxuria. Ipſa ſumit cognomen gulæ matris ſuæ, vach qualis abominatio, nunquã vidi porcũ magis cænoſum quantumcunque eſſet in fimo, luto vel morario deturpatus. Eã inſpiciẽdo timui valde & fremui, nec hoc mirãdũ, videbatur enim omnino inſana & rabie plena, ob hoc quod taliter dixeram cõtra matrẽ ſuam & nutricem, ſpurcã gulã, ſpurca mater, ſpurcior filia. Maledicta ſit talis nutritio.

Et

Et quomodo (inquit luxuria) sic nos reris à mundo expellere extra possessionem nostram, extra viros & mulieres? cum demus eis omnem lætitiam, omne solatium & consolationem, & cum sine nobis, breuissimè mundus desineret? Certè rectè nominari potes vanus conatus, perdis enim operam tuam & verba tua, quia non exibimus. Si Deus non vellet homines comedere, quia ordinasset eos & cibos? Si non vellet quod ego luxuria regnarem inter viros & mulieres, non eos sic fecisset & formasset. Ideo tacere poteris deinceps & aliud inceptum cogitare. Nam nullo pacto mouebimur, nec mundum relinquemus. Luxuria hæc fœda quę sic me videbatur affari, sola non erat, id vobis affirmo. Magna quædam caterua vitiorum immundorum & spurcorum eam associabat cum parte totius mũdi, nec ipsa se eodem gestu & in eo habitu tenebat, sed tam diuersimodè se mutabat vt horror sit duntaxat cogitare, tam in extrarijs factis, quam per signa diuersa. Non est pars in homine, quin hoc modo vel illo introitum suum quærat per eam, vt per oculos vidẽdo, per aures audiẽdo, per os loquendo & ridẽdo, & sic de alijs partibus. Et quoniã semel omnia dicere nequeo & simul, dicam primum de factis luxuriæ quæ se manifestè mala declarant, & sunt veluti sex filiæ deformes & monstrosæ: Fornicatio, adulterium, sacrilegium, raptus, sub quo comprehendo virginum deflorationem, incestus, & abominabilis immundicia, quæ nominanda non est, & sunt contra hoc præceptum, non mœchaberis. j. non peccabis in factis luxuriosis. Secundò in alio sermone de signis per quæ hæc peccata sese ad extra monstrant diuersimodè & occultius quæ sunt potius contra aliud præceptum: Non concupisces, per malam luxuriam vxorem alterius. Tertiò respondebo querimonijs, quas faciunt falsi amatores aut luxuriosi contra Deum & rationem, & cõtra eos qui ipsos arguunt, dabóque solutionem ad luxuriæ allegationes.

Contra hanc proditricem quæ tradit animam ad condemnationem. Adduco vobis pœnitentiã quæ est bona aduocata liberans animam. Clamo vocem meam, vocem spiritualis belli. *Pænitemini. &c.* Fugite magni & parui, fugite malam bestiam hanc infernalem fœdam luxuriam, cum maledicta societate eius, proijcit ignem gratiæ, immittit tela incensa, quibus comburit & vrit cor, corpus & animam & quicquid attingit, per luxuriam venit diluuium super terram quod submersit humanũ genus paruos & magnos vsque ad numerum octo personarum, propter luxuriam fuerunt confusæ & destructæ igni cælesti vsque in abyssum quinque ciuitates, Sodoma & Gomorra & aliæ tres cũ circumiacente regione. Luxuria in ignem posuit & flammam pulchram ciuitatẽ magnam Troiam. Nota de pluribus quam triginta duobus millibus occisis de Beniamin. Et de consilio Balaam ad decipiendos Iudæos per adorationem fœminarum suarum. Et Salomon & Dauid &c. Luxuria breuiter loquendo fecit & facit quotidie homicidia, latrocinia, proditiones & alia mala plura quam dici possint aut recitari. Quia de animabus quæ sunt filiæ Dei, facit filias diaboli. Et illæ animę quę esse deberent templum Dei sacratum & spiritussancti hospitale ipsa vrit & fætentem imponit flammam.

A Luxuria adducit sui obliuionem cõtẽptum amicorum suorum, furiosam lætitiam, infidelitatem de Deo, & incredulitatem de iudicijs eius. Luxuria occupat & stringit taliter cor, animã & corpus hominis, qui se dedit, quod est velut excæcatus & stultus obliuiscitur sui & aliorum. Inspici personam stolidè amantem ipsa non intelligit, non credit, nec magni facit quamcunque rem quæ ei dicitur, quantumcunque dicentes sapientes fuerint parentes sui aut amici, vel quantumuis magnum fuerit periculum, inhonestas, pudoris amissio & flagitium. Ipsa se dat prorsus suæ miseriæ, & hoc

B sæpius scit & dicit, nec tamen propter hoc cauet & abstinet. Malè ago (dicit persona illa) & id scio & cognosco, sed non faciam secus. Stultus amor aut immunda voluptas trahit personam ad mortẽ infernalem, & in fine ad mortem corporis quemadmodum carnarius trahit vitulum ad occisionẽ saltantem & lætantem, ostendo ei paruum quendam viridem ramusculum. Demum mala luxuria ducit in obliuionem Dei & iudiciorum eius ac mortis, quæ tamen adeò certa est. Sicut habe-

C mus de generis. i. maritis filiarum ipsius Loth qui iudicabant fabulam omne illud quod dicebat eis Loth de Sodomæ destructione. Vnde factum est quod illa nocte perirent per terræ deglutionem cum alijs, fatuus non credit quousque capit. Et quia incidi ad loquendum de iudicijs Dei quorũ luxuria facit obliuisci, volo recitare euangelium hodiernum quod facit ad hoc propositum. Et per hoc loquar de secundo aduentu, qui est quando Deus iudicat & iudicabit humanam creaturam

D generaliter in vltimo die, & particulariter in morte vniuscuiusque. Dicit Euangelium: *Erunt signa in sole & luna & stellis, ac pressura gentium erit in terra propter confusionem sonorum & fluctuum maris, & cadent omnes propter metum & expectationem quæ superueniet vniuerso mundo. Virtutes enim cæli mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis veniẽtem in nube, cum potestate magna & maiestate. Cum hæc incipiẽt fieri, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquabit redemptio vestra. Et Iesus dixit eis similitudinem: Considerate ficum & omnes alias arbores, cum ecce produ-*

E *cunt fructus, scitis quoniam prope est æstas. Sic cum videritis hæc fieri, sciatis quoniam appropinquabit regnum Dei. Amen. i. verè dico vobis quod non desinet generatio ista quoadusque hæc omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non deficient.*

Immorabor parum in aliquibus notis literalibus. Primò considerate quod mox post hoc euãgelium quod scribitur Lu. xxj. cap. Iesus Christus dicit: Superintendite vobis ne forte grauentur corda vestra gula & ebrietate & curis huius seculi,

F ne veniat contra vos & fulgur subita hæc dies. Docuit etiam semper vigilare, & orare. Et omne hoc sumo pro documento ad propositum nostrum quod consideratio & timor iudicij Dei, nos retrahere debet & peccatis carnalibus gula & luxuria, sicut in sequentibus latius exponam, & quemadmodum oratio est necessaria. Oratio est continua cum non est rupta per peccatum mortale, & appellatur talis continuitas moralis vnitas, mundus in fine suo turbabitur, tum ad ostendendum mala ventura peruersis hominibus, tum ad puniendas personas in omnibus rebus per quas peccauerunt, & ad mundum renouandum,

Signa in sole, luna, & stellis erunt, quod sol retrahet claritatem suam. Luna erit vmbrosa & tanquam sanguinea & rubea, sicut quando eclipsatur. Stellæ amittent claritatem earum, & sic dicentur veluti cadere, vel per stellas quæ casuræ sunt, intelliguntur hæ quæ fiunt inflammationes. Iesus Christus erit iudex in forma humana, & apparebunt plagæ suæ ad damnatorum confusionem. Eritque altè in aëre tanquam supra nubem quandam, & apparebit Iesus Christus lætè & hilariter bonis, & cum magno horrore malis. Exemplum de inuido, qui peius se habet cum alteri succedit melius. Vixque tenet, &c. Boni lætari debent in tribulationibus, quia sunt pro redemptione eorum. Tribulationes mundi sunt signa peccatorum nostrorum & damnationis iniquorum, & purgationis bonorum. Ideo nõ est aliud remedium, quam se emendare & in patientia eas acceptare & suscipere & eis emendari, alioquin incipitur infernus in hoc mundo. Possent fieri multæ curiosæ quæstiones. Quando veniet iudicium, & si ipsum aut debeat inuestigari? Dico quod nõ, secundum autoritatem Iesu Christi Act. j. Et ad hoc est Augustinus. An in hieme, an in æstate, an nocte, an die? Si Enoch, Helyas, & antichristus venient immediatè ante finem, vel si post hoc erit tempus mille annorum ad pœnitẽtiam agendam. Si quindecim signa præcedent, videtur quod non, sed quod subitò bibendo & comedendo, &c. Si antichristus erit homo aut diabolus corpore humano? Teneo quod erit homo plenus inimico. Nota de Athila. An habiturus sit angelum? sic. In initio. Quare non erit fides adhibenda suis miraculis? Quia prius homines sufficienter sunt præmoniti & auisati per scripturas. Si ignis iudicij erit talis, qualis est ignis quem videmus, & si comburet mare? Et quare finietur mundus per ignem? Et quomodo loquuntur Seneca & Ouidius. Dico ignem fore talem quemadmodum pertinebit ad executionem diuinæ iustitiæ. Hi qui morientur in gratia, non faciendo eorum pœnitentiam, an ne sint damnandi vel in purgatorio, vel quomodo? Dico quod purgabuntur omnino de gratia speciali. Si mali videbunt Iesu Christi diuinitatem? Dico quod non. Si tubæ angelorum erunt materiales? Teneo quod sonus vnus erit sensibilis, & alter spiritualis. Si sententia dabitur per vocem sensibilẽ? Teneo quod sic, & per vocem intellectiuam. Si vnusquisque videbit secreta cuiuslibet, & præsertim si vnusquisque videbit peccata quæ fecerunt saluati, sed sunt absoluti? Dico quod charitas & pœnitentia cooperuerunt peccata saluatorum, nec apparebunt ad confusionem aut verecũdiam. Vbi erit locus iudicij, & cuius magnitudinis, & quomodo Iesus Christus videri poterit ab omnibus in aëre supra vallem Iosaphat, & erunt ibi miracula multa? Si apostoli in iudicio sedes habebunt? Si post iudicium cessabit omnis motus cælestis? Dico quod sic secundum doctores. Si postea futuræ sint & erũt bestiæ & aues? Dico quod non. Et quod in inferno non sunt huiusmodi bestiæ. Si cælum & terra deficiunt esse? Dico quod non, sed renouabuntur. Si damnati resurgent in corpore immortali cum his defectionibus quos habebant in mundo claudi, cæci, & huiusmodi? Dico quod corpus eorum deformius erit A & abominabilius ipsi animę quam cadauer quodcunque &c. Quid dicetur de his qui nati sunt mortui? de non baptizatis? Dico nos non habere specialem reuelationem &c. Si sancti habebunt compassionem de damnatis? Dico quod non. Deuoti homines omittamus has & alias curiosas quæstiones, quæ non spectãt ad populum, immo verò nec ad theologos quoad multos eorum. Sed hæc referenda sunt ad sapientem Dei ordinationem, quia nil aliud scimus nos, nisi quod ei placuit B reuelare nobis. Nec habemus reuelationes per scripturam. Vel aliter de multis huiusmodi quæstionibus, quæ possent formari.

Redeamus igitur ad primam nostram materiam pro ædificatione nostra, & quæramus à fæda luxuria quid factura sit, quid dictura quo se absconsura quando veniet postremi iudicij dies. Quomodo apparere audebis ô deformissima deformitas coram oculis totius mundi, coram Deo & omnibus angelis ac sancti paradisi? cum etiam hi qui te acceptant & amant in hoc mundo verentur te C apertè monstrare ad visum alicuius honestæ personæ, immo nec coram extraneo famulo aut stabulario. Exemplum de sancto probóque homine, qui petiuit societatem cuiusdam stultæ fœminæ in pleno foro, & ipsa facere non est ausa, éstque per hoc conuersa quod cõsiderabat esse rem multo magis pudendam hoc exercere coram oculis Dei & angelorum. Alia dixit non esse locum tam secretum quin Deus videret. Nota quod multæ abominationes fiunt in calore & furore, quæ D postmodum videntur tam pudendæ, quando persona ad se redijt quod vix ipsamet crederet, nec alij qui huiusmodi res exercerent, & hinc accidunt damnationes pluriũ qui nunquam audent confiteri. Et ideo bonum est in iuuentute confiteri de iuuenilibus illis stulticijs. Postea enim pudor est multo mirabilior quam æstimetur. Sed si tu persona luxuria forsitan paruipẽdis diem iudicij vniuersalis, quia videtur tibi multũ longinqua, quemadmodum dixit latro honestæ matronæ, quando dixit ei quod rationem esset redditurus E in die iudicij. Bonus & prolixus inquit, est terminus, loquar tibi de iudicio tuo particulari. Reducam ipsum ante oculos tuæ memoriæ, de quo iudicio est miraculum valde euidens, per quod fundati fuerunt Carthusienses. Iusto Dei iudicio &c. Ostendam tibi mortẽ tremendam (quæ est porta & introitus huius iudicij) quam nec euadere potes, nec fugere, nec protelare. Non potes euadere, quin mors te vincat suis telis, quin te in terram prosternat, quin te languere faciat, & totum corpus F tuum reddat pallidum, quantumcunque fuerit pulchrum, tibi placens forte potens aut agile. Vides ne mortem, inspicis eam? Considera quæso quomodo te sequitur proximè, quemadmodum ei quotidie facis dietam, quomodo quotidio concomitatur te sicut vmbra, corpus insequitur, quodcunque ingrederis &c. Heu ô miserabilis creatura luxuriosa, si ad solum nomen, ad solam memoriæ mortis fremis, times, aut contremiscis? Quid facies cum de facto eam senties, cum per eam dentes tibi constringentur, verrentur oculi in capite tuo, aures surdescent, vniuersum corpus capietur. Voca tunc, voca fædam luxuriam, cui

cui seruiendo omne tẽpus tuum exponis, sensum tuum, corpus tuum, cor tuũ, possessionem tuam, famam tuam, omnem vitã tuam præsentem & futuram. Voca eam, voca, dicque illi vt ad tuum occurrat auxilium, te cõsoletur, te liberet ab amarissima mortis hora. Vides ne bene modo qualem habeas magistram, cuique seruies magistræ quo precio tibi satisfaciat & luserit te falsæ societatis ludo. Relinquit te in necessitate. Quid inquam relinquit, non relinquit, immo verò te concomitabitur sine fine. Non quidem ad consolandum te, quemadmodum proditoriè facere solebat, sed erit ad deijciendum te in ardentem infernalẽ ignem, vt ibi sine fine ardeas, & sine morte moriaris, & sine reuelamine vel liberatione in rabie & furore, in maledictione Dei & sanctorum & sanctarum eius, & desiderabis mortem, quam tantopere modo refugis, quæ refugiet à te. Hic forsitan excusationes aliquas habent & consolationem iuuenes homines, quibus stulta iuuentus & stolida spes longam vitam promittunt, promittũt pœnitentiam agere ante tempus, promittunt mirabilia. Magni promissores interdum videntur deceptores, huiusmodi promissiones reuera posuerũt & ponent mille & mille, immo verò centum milia in puteum infernalem. Sed tu, senex persona siue vir sis siue mulier, tu in quo signa mortis, signa iudicij tui apparent, & nihilominus semper putrescis in immundo fimo abominabilis & spurç luxuriæ, tu inquam vetus bestia quid meditaris, quam spem habes? Vides signa iudicij tui per vniuersum corpus tuum & animam tuam, caput tuũ floret, vt sit canum, lumen oculorum debilitatur, memoria deficit, ingenium induratur, attamen tenes hanc proditoriam luxuriam quæ te ligat, & catenis vincit, téque ponit in immundum sepulchrum vt statim te reponat in sepulturã infernalis cœmiterij. Et si dicas quod tã citò moritur vitulus, sicut vacca, vt respondit quædam domicilia Romana cuidam antiquo postulanti eam, & illud alleganti, dixit ipsa: Antiquum mori posse, nec diu posse superuiuere, sed iuuenis mori potest & diu viuere. Cogita quæso, quod tunc in dicto mortis articulo, in vltimo suspirio vitæ, apparebit Iesus Christus miseræ animæ tuæ ad faciendum iudiciũ tuum. Tunc accedent ex opposito boni angeli & mali, & quidem subitò, nec opus erit longo processu ad dandam sententiam & cõdemnationem, quia misera anima inuenietur & capietur in facto omnino euidenti & manifesto. Nec dicẽdum est te pœnitentiam acturum. Si enim oblitus fueris Dei in vita tua, nõne credis quod obliuiscetur tui in morte tua. Opinaris ne etiam, quod maxima rabies doloris ipsius mortis te sinat de te cogitare, cum tu qui es omnino sanus & securus hoc cogitare non vis? Est nimis stultus intellectus. Dicitur quod latro damnari fecit mille animas propter suum exemplum &c. Nota de scholastico qui noluit confiteri &c. Quid faciet ergo tũc miserabilis hæc anima tua? Hæc rapta præda inter rabidos canes inferni, qui toto posse eorum nituntur eam rapere. Quid faciet ô boni homines? Respõdete mihi. O Deus iudex omnipotens, quò se vertet ipsa? Extendet ne manus suas ad te patrem benignitatis, petet ne misericordiam? Heu nimis tardum est. Certè ipsa non petet misericordiam. A Nam hoc dedignaretur, immo omnino desperata maledicet Deo, quod vnquam formauerit ipsam. Dicit opprobria omnibus sanctis, immo etiã tibi mater Dei gloriosa, propter magnam rabiem sui maleficij, propter inimicorum terrorem qui eam circundabunt sine posse aut spe liberationis suæ, huc boni homines deduxit proditrix & fæda luxuria, quam nonnulli tam paruum reputant peccatum.

Eleuo igitur vocem meam huius certaminis. *Pænitemini*. Aliud remedium non est, *pænitemini*, B hoc est, præterita peccata vestra plangite, & à futuris cauete. Cogitate semper ad hunc Iesu Christi aduentum, cuius meminit euangeliũ nostrum, qui fit in morte cuiuslibet hominis, vel ad gloriã, sicut in bonis & nouiter natis baptizatis pueris. Vel ad horribilem damnationem, quoad malos, immundos & luxuriosos. De hoc remedio dicit Sapiens: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Hoc quia nouissimum tuum iudicium. Nota de sancto eremita petente spacium pœnitentiæ. Nota de altero, de quo dicit sanctus C Antonius, quod non potuit impetrare nouem dies pœnitentiæ. Nota de sancto Francisco. Et si dicas, quod si quis semper memoraretur mortẽ, non esset bene habiturus. Respondeo omnino contrarium, quod facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum. Multa alia remedia sunt contra luxuriam, bene scio, sed modo sufficit mihi illud, quia volo me conuertere ad declarandũ vobis per quæstiones & interrogationes quomodo & quando aliqua persona peccat per luxuriam, & modò dũtaxat dicam de sex filiabus luxu- D riæ, quę apertè se ostendunt esse peccata mortalia, quemadmodum dixi in principio.

Prima filia aut ramus actualis luxuriæ est fornicatio, hoc est opus carnale quod perficitur à viro & muliere, quia non habent ligamen matrimonij, nec aliquam aliam dignitatem religionis vel consanguinitatis vel sacerdotij. Et de hoc peccato do vobis pro regula, quod est peccatum mortale, & dicere contrarium error est in fide. Sed de hoc peccato quæro aliquas quæstiones. Stolidę mulie- E res an ne sint in statu salutis? Dico quod non, nec debent recipi ad sacramentum. Debet ne ecclesia earum recipere offertoria seu oblationes? Dico quod non publicè, licet bene secretè. Est ne earum quod lucrantur? Dico quod sic, nisi exerceant rapinas aut fraudes. Sed de mulieribus matrimonio coniunctis & religiosis est aliud dubium. An bene sit factum ipsas pati in communitate? Dico quod sic, in aliquibus casibus ad peius euitandum. Potest ne concubinarius pœ- F nitentiam habere, non expellendo sociam suam? Dico bonum propositum requisitum esse eam expellendi quam citò conuenienter id fieri poterit, quod fieri debebit ad iudicium sapientis prælati sui vel confessoris. Quod pono propter aliquos casus qui possent accidere. Quod peius est, aut ire modo ad vnã, modo ad alterã, vel tenere propriã? Dico quod in malo non est bonum. Et secundum diuersos casus vnam interdum est peius altero. Concubina est periculosa, quia vix patitur vt pænitentia agatur, tum propter scandalum eorum qui hoc vident. Si vir coniungatur mulieribus communibus vel publicis, quæ sine scitu suo sint

maritatæ vel religiosæ vel suæ progeniei, vel quod habuerint rem cum aliquo sui sanguinis. An ne vir ille tam grauiter peccet acsi sciret? Consulerem vnicuique qui sic agit, quod faceret conscientiam acsi casus essent tales, & confiteretur sicut de casibus reseruatis. Est ne absoluendus vel paschate dandum sacramentum concubinario, qui non vult concubinam dimittere? Dico quod non, si casus in parochia sit notorius. Si autem sit secretus, præsbyter quamuis eum non absoluat, debet ei dare sacramentum suum si publicè petat. An audienda sit missa sacerdotis qui est concubinarius? Dico (non omnino implicando materiam.) Si scirem aliquem huiusmodi præsbyterum, mallem non audire missam quam eam audire, si possem alibi inuenire missam. Et si crederem quod per hoc quod vitarem eum deberet habere verecundiam, & se aliqualiter retrahere. Si aliquis non habeat propositum castè viuendi, potest ne tamen adire confessionem, & suscipere pœnitentiam? Dico quod sic, sed non absolutionem, & debet omnino denuo incipere. Adulterium est corrumpere vxorem alterius. Nec ambigendum est quin hoc sit peccatum mortale adeò magnum, quod huiusmodi persona in antiqua lege lapidabatur. Et est casus reseruatus, præcipuè si est notorius, & hic violatur fides, & committitur rapina, quia corpus matrimonio copulati vel copulatæ non est suum, & dat ipsum vel vēdit inuito altero vel altera, qui vel quæ quoad hoc ius habet. Formo hic aliquas quæstiones. An in tantum peccet maritatus qui delinquit eo modo sicut fœmina? Dico quod sic, immo plus quoad aliquas considerationes, debet enim magis præditus esse virtutibus ad resistendum. Sed alio respectu mulier grauius peccat, in quantum maiora pericula accidunt progeniei per vxoris peccatum. Si quisquam credit se esse cum sua, & est cum alia? Dico quod ignorantia in aliquibus casibus potest eum excusare, quamuis difficile sit quin possit percipere. Casus accidit Iacob. Persona matrimonio coniuncta, solum quærens voluptatem suam per opus carnale sine alio fine, an peccet mortaliter? Teneo quod non, si non vellet appetere talem voluptatem extra matrimonium, & si seruet matrimonij honestatem, hoc dico propter aliquas inhonestates & adinuentiones peccatorum, quæ interdū mererentur ignem, & sunt peiores quam in mulieribus extraneis. Habetur copula carnalis in matrimonio ob quatuor causas. Ob progeniem contra progeniem, pro iustitia contra iustitiam, ad euadendam incōtinentiam, ad inflammandum. Propter solam voluptatem, hoc dupliciter. Vel sicut vna altera persona, vel intra matrimonij limites. Potest ne maritus cognoscere vxorem suam impraegnātem sine peccato. Teneo quod sic, modò fructus non lædatur, aut efficiatur peior. Posset haberi sermo de aliquibus alijs temporibus in vxorum infirmitate & aliàs, sed sileo modo, & nihil dico. Debet ne persona coniuncta commisceri carnaliter alteri quæ est leprosa? Teneo quod sic, si hoc facere potest sine euidenti corporis sui periculo. Si vna persona coniuncta petat ab alia inhonestatem, debet ne consentire? Non vsque ad mortem, & potest conqueri, primò secretè præsbytero suo vel amicis suis, & deinde iudici

A si aliter non inueniat remedium. Si persona coniuncta fecit votum castitatis, an peccet in qualibet copulatione carnalis matrimonij? Dico quod non, præsertim cum est ad petitionem expressam aut designatam partis suæ, puta huius personæ quæ sibi est coniuncta. Tamen persona coniuncta matrimonio, non potest vouere castitatem sine consensu partis suæ in cursu communi, & post matrimonium completum & consummatum. Si persona coniuncta cogitat & desiderat aliam personam quam suam partem quæ est cū ea,

B an ne peccet? Dico quod sic. Si persona matrimonio coniuncta delinquit, debet ne pars sua petere diuortium. Vel si melius est, omnino celare in patientia & dissimulatione? Hic opus esset magna distinctione diuersorum casuum, & de spe emendationis, & qui dedisset occasionem, & si etiam altera pars esset culpabilis. Teneo quod vt in plurimum melius est omnino celare & cogitare, vt pars sua trahatur ad emendationem quātum fieri possit potius quā diffamare casum. Potest ne persona copulata in quocunque casu impedire, ne habeatur fructus in matrimonio? Dico quod sæpe

C hoc est peccatum peius quam homicidium, & interdum est peccatum quod meretur ignem, & breuiter omnis modus qui est se impedire à sobole in societate viri & mulieris, est inhonestus & reprobandus. Persona alliqua matrimonio coniuncta quæ cōfitetur debet ne dicere secreta matrimonij partem suam tangentia? Dico quod sic, si aliter peccatum suum dici nō possit, sed bonum est per fauorem curati sui confiteri tali presbytero

D qui non cognoscat alteram partem. Qui autem talem inuenire non potest, nihilominus suo confiteatur curato. Confessor debet ne admonere alteram partem cū venerit ad confessionem, & non dixerit illud peccatum quod scit per cōfessionem alterius? Dico quam non, nisi valde in generali, & dicere poterit ei, quod melius adhuc examinet conscientiam suam. Multæ aliæ quæstiones sunt tangentes matrimoniū, quas reseruo quoadusque loquar de septem sacramentis. Tertia filia sacrilegium est in personis religiosis vel habētibus ordinem sanctum, aut cum fit in loco ecclesiæ, nec du-

E bium est quin sit peccatum mortale valde magnū. Violat ne persona votū suum, quando non seruat castitatem suam, vel etiam præsbyter aut religiosa persona? Respondeo quod regulariter votū castitatis fit, quod nunquam vouens contrahere velit matrimonium, & per hoc cōsequenter quis obligatus est ad castitatē. Ideo nō violat votum suum is qui non trahit matrimonium quamuis peccet grauissimè, sed interdum promissio fit aliter super

F hoc quod est de præcepto, licet nō sit votum propriè loquendo, immo est alia obligatio. Quis plus peccat, an præsbyter, an maritatus, quando vterq; fore facit? hic secundū diuersos respectus & scandala peccata sunt diuersa, & vtrunque malum est. Inspicite in casibus particularibus, cum eos volueritis comparare, à quo peccata emanant, omnibus modis peior effectus. Præsbyter habet societatem cum filia sua in confessione, vel cuius audit confessionem. Dico quod esset deponendus, si hoc sciretur, & si moueat ad malum personam confitentem, persona illa non debet amplius confiteri

fiteri ei, immo pôtest & debet reuelare illis qui possunt ponere remedium. Præsbyter potest ne celebrare in crastinum, postquam habuerit copulam carnalem, quantumcúque confiteatur? Dico quod non sine magno & nouo peccato, nisi casus necessitatis esset euidens, vt si in die paschæ parochiani aliunde missam habere non possent. Et hic verba fieri possent de illusionibus & fragilitatibus quæ acciduntinter dormiendum, qualiter impediant à celebratione.

Hic potest notari exemplum de sancto Ludouico & suo capellano, qui noluit celebrare, eò quod habuerit copulam cum fœmina vesperi. Quarta filia raptus filiarum aut fœminarum contra earum voluntatem vel parentum eorum, cum sunt in tutela ipsorum, & virginum defloratio, vbi optimè sciri potest, maximum est peccatum mortale, & est casus reseruatus, si est cognita est casus criminalis, & tenentur tales ad restitutionem & satisfactionem, secundum quod fieri potest. An sit raptus abstrahere filiam per suum consensum à domo parentum suorum, ipsis quidem parentibus inuitis? Dico quod sic, si filia sit minoris ætatis. Filia deflorata ipsa inuita, perdit ne erga Deum præmium suum, & si pôtest aut debet quoad Deũ consecrari, & quoad principalem gloriã paradisi? Dico quod nihil amittit, sed quoad consecrationem si casus cognitus est, non debet consecrari ad scandalum euitandum. Mulier an possit occidere virum qui vult eam violenter opprimere, vt ipsa suam tutetur castitatem? Teneo quod sic, si aliud non videt remedium, tamen temperantia bona est. Et notatur exemplum de illa quæ eruentari facit præsbyterum volentem eam osculari, & confessor consuluit ei & iniunxit, vt aliàs erueret & excæcaret oculum, nisi abstinere vellet. Persona debet defendere castitatem suam sicut vitam corporalem, & amplius. Filia fingit se esse virginem, aliquis illud credit, an ne tantumdem peccet, acsi filia virgo esset? Dico quod sic. Quinta filia, corruptio sobolis est peccatum bestiale & caninum. Canes enim non seruant ordinem quamuis dicat Aristoteles equum non cognoscere matrem suam, nec vllo pacto coniungi ei. Hoc peccatum reseruatum est, siue soboles spiritualis sit, vt patris spiritualis ad filiam suam, siue carnalis. Et eo peius est quanto progenies est propinquior. Et de hoc dicam amplius in alio sermone. Est etiam de sexta filia abominabili immundicia, quæ nominanda non est. Omnis adimpletio luxuriæ, hoc est quando voluptas est cõtinuata vsque ad finem extra ordinationem, quã natura ordinauit inter virum & mulierem ad sobolem procreandam, est peccatum contra naturam. Tamen inter fæda hæc peccata aliqua sunt multa maiora alijs. Et dicit quidam sanctus eremita, quod inimicus tentat aliquas personas potius de hoc peccato quam alio. Primò, quia non habetur tanta verecundia & timor mundi. Secundò ob grauitatem eius. Tertiò, quia persona difficulter ad modum ipsum vult confiteri, & tamen necesse est confiteri tale peccatum, ac si aliquis comedisset carnes in die veneris sancta. Nec sufficit generalitas. Veruntamen est discretionem requisitam esse, & in confitente, & in confessore. Velit Deus illuminare omnia corda, & dare fortitudinem ad pœnitentiam agendam, absque hoc quod expectetur hora postremi iudicij vniuersalis aut particularis.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

SERMO CONTRA LVXVRIAM.

Pænitemini, &c.



PER admirabilem & charitatiuum aduentum domini nostri Iesu Christi, cum assumpsit carnem humanam die annunciationis intra templum preciosi corporis dominæ nostræ, & postea per gloriosam natiuitatem suam, per prædicationem suam, passionem & resurrectionem multa miracula facta fuere, de quibus loquitur hodiernum euangelium inter quæ miracula inuenio, quod surdi audierunt, & pauperes ignorantes facti fuerunt sapientes, ac claudi recti facti fuere. Nec fecit hæc dumtaxat quoad animam mediante pœnitentia. Te ergo rogitamus virgo dignissima vt tua intercessione & medio per eam quoque dignitatem quam in te recepisti, adducendo nobis Deum nostrum, medicum nostrum, & supremum nostrum doctorem, velis nobis impetrare sanitatem spiritualis auris nostræ, vt possit audire dignè, fructuosè & viuaciter verbũ Dei modo & aliàs. Non est enim peior surdus quam anima quæ surda est, nec audire vult, velis nobis etiã impetrare sensum & sapientiam intelligendi euãgelium, & omnem bonam doctrinam, vt etiam semper sine claudicatione rectè ambulemus à peccato per viam bonarum virtutum, nec renuimus intercessionem cognati tui Ioannis Baptistæ, in cuius sumus ecclesia cuius hodiernum meminit euangelium ad tam magnam laudem, vt nominaret benedictum filium tuum agnum Dei, qui tolleret peccata mũdi. Placeat ergo tibi vt tua intercessione nostra tollat peccata, & nobis tribuat gratiam. Ob quod te salutabimus, dicentes. Aue Maria gratia &c.

Pænitemini. Erigendo cogitationis meæ oculos, & videndo veræ fidei lumen gloriosum, & misericordem aduentum domini nostri Iesu, tam in te mater Dei gloriosa per incarnationẽ, quam in nos & in mundũ per manifestam natiuitatem suam & prædicationem, verũ inuenio esse hodiernũ euãgelium, tum in sensu literali, tum morali, secũdum materiam quam dicturi sumus contra fædam luxuriam, & pro purissima castitate ei aduersante. Dicit sic Euangelium: *Quod cum audisset Ioannes Baptista in carcere opera Iesu misit duos ex discipulis eius dicens eis. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et Iesus respondit eis dicens: Ite & renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur,* hoc est, docentur diuina doctrina. *Et benedictus est is qui in me non scandalizabitur. Illis autem abeuntibus, cæpit Iesus dicere turbis & populo de Ioanne: Quid existis videre in deserto, arundinem ad omnem ventum agitatam? Sed quid existis videre, hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre, prophetam? Dico vobis, plus quam prophetam. Hic est certè de quo scriptum est: Ecce mitto angelũ meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

Sumamus hic aliquas notas literales. Nota de mirando iudicio Dei, qui permisit sanctum Ioannem in carcere, &c. Quid dicet luxuria, &c. Sanctus Ioannes misit suos duos discipulos principaliter vt instruerentur à Iesu Christo sermone & opere, non autem quam anceps & dubius esset de aduentu suo. Alia causa, ad nunciandum illud sanctis patribus Limbo. Per hoc quod Iesus Christus fecit miraculosa opera quæ in hoc euangelio scripta sunt, concludẽdum est ipsum fuisse Deum & hominem, & quod fuit Christus Messias promissus in lege antiqua, qui facere debet huiusmodi miracula, licet quæstio esset prolixa, ad lõgum eam tractatu vltimo locutus sum in materia miraculorum antichristi, quare pauperes citius recipiunt doctrinam euangelij. Nota de pauperibus theologis, & quod dicit sanctus Dionysius de diuinis nominibus. Quid est scandalum, & quare Iesus Christus hic loquitur de scandalo? Scandalum est obstaculum vel impedimentum in via virtutum. Et notate quomodo fit duobus modis per similitudinem viæ materialis. Dominus noster laudabat sanctum Ioannem post abscessum discipulorum suorum, vt nobis daret exemplum non adulandi alijs, vt etiam hi qui audierant fieri quæstionem sancti Ioannis, non crederent eam factam fuisse per ignorantiam. Deus commendauit sanctum Ioannem de quinque, de constantia, de abstinentia, de sapientia, de hoc quod erat angelus, & quod præparabat viam suam. Sanctus Ioannes est dictus plus quam propheta, quia mõstrauit id quod alij solum denunciauerunt. Et dicitur angelus ratione officij, fuit enim nuncius Dei. Et omnis persona quæ alicit ad bonum, dicitur angelus, & quæ attrahit ad malum, potest dici diabolus. Etiam sanctus Ioannes dicitur Helias per imitationem & officium & per figuram, quemadmodum de docto viro dicitur quod est Aristoteles. Accedamus moralitatem secundum inchoatam nostram materiam, & dicamus, quod luxuria fœda & immunda facit humanam creaturam solum delirare, & recipere omnes imperfectiones & infirmitates, quæ figuratæ sunt in nostro euangelio quoad animam semper, & sæpe quoad corpus. Et sunt duodecim mala, luxuria excæcat, facit claudicare, dat lepram, reddit surdum, occidit, impedit bonam doctrinam, dat scãdalum contra Iesum Christum, dat incõstantiam, aufert abstinentiam, tollit sapientiam, facit officium diaboli, defœdat viam Dei. Luxuria excæcat oculos animæ, & interdum corporis. Ideo fingunt poetę, quod Cupido quem vocat Deum amoris, est stultus puer qui nihil videt, & trahitur à casu. Et Ouidius dicit. Quid deceat non videt vllus amans non videt quod bonum est & venturum. Et propheta: Supercecidit ignis, & non viderunt solem. Ignis luxuriæ dum cadit excæcat animam ne videat solem iustitiæ, de hoc sunt historiæ innumeræ. Et de iniquis duobus senibus iudicibus, qui accusabant Susannam. Et de Samsone ad literam, qui occasione huius priuatus est oculis corporeis. Luxuria facit claudicare & delirare in via virtutum, habet enim sinistrum pedem nimis magnum, qui graditur super affectiones carnales, & dextrum pedem nimis breuem. Omitto fugam de Iacob, & quomodo per humores intrinsecos ab aliquibus guttas appellatos, A aliqui efficiuntur claudi &c. Sed insuper quid adeò reddit personam leprosam & ægrotam quoad animam, & interdum quoad corpus, sicut luxuria? Non sunt tam magna bona quin cogitatio eius maculet. Quid facit hominem magis surdum ad audiendum & credendum bono consilio parentum & amicorum suorum sicut luxuria. Inspicite hoc in aliquo stulto amatore, aut stolida amatrice. Certum est etiam quod luxuria occidit animam per peccatum. Et sæpe corpus in languidis tormentis per hoc quod acquirit podagram, ptysiam aut furiam. B Nota quod luxuria abbreuiat vitam. Apparet in equis &c. Nota si persona moreretur si non vteretur luxuria, esset martyr. Exemplum de virginibus. Demum nõ est vitium quod est magis impediat credere sanæ doctrinæ spirituali euangelij & suæ salutis sicut facit luxuria, cui apparent omnia esse fabulæ aut irrisiones, tam audiendo loqui de inferno quam de paradiso. Et iurat per bonos deos suos se non vel iam esse in paradiso, quæ etiam si damnari deberet, C tamen amabit. Per hoc videtis quod persona luxuriosa est scandalizata & omnino turbata in Iesu Christo & in factis suis. Et quomodo scis quod Iesus Christus verbo & facto puritatem præcepit? Commendat virginitatem in se & in matre sua, docuit sustinere frigus & calorem, facere pœnitentiam, non timere humanam verecundiam, heu quid magis scandalizare potest quam luxuria, & magis eam turbare? Ipsa quærit omnino contrarium, deflorationem, gaudium, solatia, honores, D voluptates dissolutas & mundanas. Et impedit timorem, iuramenta. Vinum & mulieres apostatare &c. Voluptas furata est & intellectum ipsius sapientis Aristotelis &c. Nota de his qui loquuntur contra fidem. Sed præterea quid facit personam instabilem, & moueri ac flecti ad omnem ventum sicut arundinem, iurando, promittendo & perierando absque hoc vt quicquam seruet? ipsa luxuria, mulier bacchare, conditio iuramentorum mox se reddit victam, facit eam desiderare mollia vestimenta & curiosa ob tres E fines, aut ad euitandum singularitatem & pudorem sui aut ob voluptatem, aut ad placendum alteri. Ipsa aufert donum prophetiæ, etiam illis qui prius ipsam habebant. Secundum enim doctores, propheta pro eo tempore pro quo adimplet opus carnale, etiam cum vxore sua, non potest prophetizare. Et scitis Salomonem hac de causa perdidisse scientiam suam, qui fuit omnium sapientissimus. Dauid propheta amisit spiritumsanctum, donec pœnitentia eum sibi restitueret. Sanctus F Augustinus dicit, nihil esse quod adeo impediat veræ sapientiæ cognitionem, sicut opus carnalitatis, etiam in matrimonio, sed longè magis extra ipsum. De quo dicit Tullius cum interrogaretur, quare non denuo matrimonium contraheret? Quia inquit non possem vacare vxori & philosophiæ. Hinc est quod tam pauci sunt cõtemplatiui, & verè videntes Deum. Beati mundo corde &c. Tales ægritudines, talia damna, talia mala adducit luxuria personæ quæ ei adhæret. Sed tu dulcissime saluator Iesu, vt sanitatem nobis adduceres, dignatus fuisti ad nos venire, tam per incarnationem, vt dictum est, quam per prædicationem &

redemptionem

redemptionem & si quasi ob luxuriam dimisisses ad nos venire sed tua bonitas vinci non potest per nostram maliciam & modo fecisti domine in hoc iocundo aduentu mediante castitate, quæ omnino pulchra est & pura. Fecisti inquam idem, scis officium inimici esse, nocere alteri, & hoc quærit luxuria mille modis. Nota de Tarquinio & his qui delectantur seducere pueros. Et quæstionem quod eos reducere debent & quomodo, & de confessoribus. Et notate de Berengario. Finaliter certum est, quod facit immundas vias Dei & fætentes quibusdam inimicis &c. quæ reparantur per pœnitentiam. Ideo multi stulti amatores & amatrices à statu cæcitatis ad claritatem peruenerunt, de mõstrosis impotentibúsque facti sunt fortes ad bene ambulandum, de immunda lepra peruenerunt ad mundiciam, de surditate ad auditum clarum, de morte ad vitam, de ignorantia ad sapiētiam, de horrore tuo ad tuum amorem, de inconstantia ad stabilitatem, de vestimentorum delicijs ad hirsutas vestes & aspersas, de carnali scientia ad prophetiam, & sublimius quam ad prophetiam vsque ad diuinitatem tuam contemplandam, de officio inimici ad officium angeli, & à via turpi ad viam pulchram & nitidam. Ad omnia hæc bona recipiendo nos videre facit viā domina pœnitentia, quæ est figurata per sanctum Ioannem Baptistam.

Incipio ergo vocem meam, & clamo alto sonitu: Pænitemini &c. quale Christus vix omisit. Fateor difficile esse vel impossibile, condignam de luxuria agere pœnitentiam, qui ipsam non cognoscit, & quoad omnia facta eius omnino completa & manifesta, vnusquisque satis cognoscit eam esse peccatum mortale, & reprobandum & confitendum esse secundum quod in alio dixi sermone.

Sed luxuria quæ se abscondit, celat & velat, vel solum in corde, vel per signa extranea in vmbra & cooperimento ludi ac recreationis, non est tam facile eam perspicere, suámque considerare maliciam. Discooperiam ergo immundam bestiam & venenosum serpentem, qui se occultat in herba viri mundanæ voluptatis, faciámque nonnullas quæstiones, & loquar de sex sensibus, quinque exterioribus, & vno interior qui est cor, qui nobis dati sunt, vt eos gubernemus tāquam sex scholasticos. In primis cor interrogat rationem &c. Cor, os, oculus, tactus, odoratus, auditus. De corde. Qui cor suum custodit, animam suam seruat. Luxuria est abuti, vel voluntas abutendi mēbris pudēdis ad generationem ordinatis. An omnis cogitatio carnalis sit peccatum vt si vir cogitat de muliere aliqua, aut mulier de viro per aliquam voluptatem? Respondeo, cogitationem fieri posse quatuor modis. Primum primò insultu, aut primo respectu aut vt theologi loquuntur primo motu, & sic sæpe non est peccatum, vel est veniale. Secundò retinetur ad aliquod tempus dicta cogitatio, quoadusque ratio consideret, deliberet & iudicet, & tunc eam repellit pro posse suo, & ibi est peccatum veniale quoad initium. Sed resistentia quam facit ratio eam repellendo, est magnum meritum & opus studiosum. Suppesito etiam quod cogitatio illa vinci non possit toto die, dato etiam quod corpus taliter captum esset, vt sequeretur pollutio. Intelligo quod ratio semper præliaretur & respueret omnem immundam voluptatem. Sciendum est contra scrupulosos & eos qui fortiter tentantur & præsertim quoad aliquos modos pollutionum, qui fiunt tanquam sine voluptate, & magis per fragilitatem quandam & ægritudinem quam aliter, veruntamen bonum est, iuxta posse cuiuslibet cauere sibi. Tertiò cogitatio adhæret animæ per expressum rationis consensum, quæ se delectat, fricat & iungit carnali huic delectationi, sicut in amplexu & osculatione, quamuis nullo modo vellet exercere opus luxuriæ ad extra. Et hoc difficilius est iudicare. Si hæc cogitatio & voluptas non fiat nisi per conditionem seu conditionaliter, vt dicendo si Deus non prohiberet mihi hoc & hoc, facerem ipsum, & sumerem meam voluptatem sic agēdo. Et credo esse peccatum curiositatis. Et si caro inflammetur, fiat multum calida & inordinatè, & ratio id bene percipiat continuet tamen, apparet mihi rationem se ponere in periculo mali consensus. Et sapiens dicit, quod qui amat periculum, peribit in illo. Si autem ratio conetur ipsam repellere, incipit habere meritum, & præsertim inquātum bene iudicat, quod postquam Deus prohibet huiusmodi immundiciam, ipsa obediet. Pariformiter dicam de his qui audiunt confessionem, aut prædicare habent de hoc vitio. Si cogitatio placēs respiciat rem quæ de se non sit peccatum mortale ipsi personæ. Teneo quod non est peccatū mortale, quantumuis consentiat ratio, si per hoc non se impediat ab alia re, quam tunc facere debet aut cogitare, vt si vxor cogitet de mariro suo, & ipsum desideret & suam societatem, nec alterius cuiusuis vllo modo. Si cogitatio immunda & deliberata est in rebus prohibitis personæ, vt si mulier matrimonio coniūcta cogitet aliorum peccata, vel virgo ad facta coniunctorum. Dicam pro se securiori consilio, quod vna persona confiteatur de illo tanquam de peccato mortali. Quartò cogitatio est per consensum in opus carnale ad extra, quod est prohibitum, vt si mulier vellet & desideraret societatem alterius, si ipsam habere possit, vel ad hoc conaretur per diuersa signa aut operationes. De hac cogitatione non dubium est quin sit peccatum mortale, quia volūtas reputatur pro facto, sicut dicam statim. Notate exemplum de regina erga nuncios inimici domini sui. Notate hic de pisce, qui potest capi quatuor modis, & deinde duo sequuntur mala &c. Si persona desiderat societatem alterius in casu reseruato, vt si cognatus cognatam desiderat, an sit casus reseruatus pœnitentiario? Dico quod nō, & dico etiam esse multum difficile cogitationem esse adeò fortem, inflammatam & malam, sicut esset in facto etiam multa damna de facto euenirent, de quibus opus esset satisfacere, que non eueniunt ex sola voluntate. Attamen de his confiteri oportet, dicendo progeniem quam cogitabat quis desiderando.

Quid faciendum est de aliquibus cogitationibus blasphemiæ, immundis & execrabilibus, quæ veniunt interdum contra cor & voluntatem hominis? Respondeo eas melius vinci non posse quam eas contemnendo, & in corde suo ridendo, ac dicendo inimico qui eas immittit: Blasphemia tua tibi sit, nec confitendum est de illis nisi alicui sapienti & experto confessori, ad petendum con-

filium ad omnem casum. Et pro maiori securitate semel, nec amplius quanto enim magis cogitares A & conareris, peius esses habiturus, & dares scandalum simplici confessori tuo. Si autem consensum habeas in huiusmodi abominationibus, confiteri debes tali qualem dixi tibi. Exemplum esset de cane allatrante, & de incutiente timorem paruis pueris, & de historia de vitis patrum &c. Nota quomodo tentationes mittuntur ab inimico, & de personis quæ dicunt se nũquam habuisse cogitationes. Et de Adam, de Iesu Christo, & de sancto Ioanne, &c. & quomodo tales mentiuntur. Notate si tentatio prosit. Si fœmina aliqua B certo credit curatum suum malè ædificari ex ea, & moueri ad stultè & libidinosè desiderandam eam, si confiteatur ei omnes cogitationes suas carnales deliberatas quas habuerit, & forsitan de ipsomet curato, quid faciet ipsa? confitebitur ne? Respõdeo, quod debet petere facultatem, vt possit alibi confiteri, & si curatus illi facultatem neget, nihilominus ire debet. Tamen persona non debet facile huiusmodi certa iudicia facere. Sic etiam dicerem in pluribus casibus & materia confessio- C nis. An oporteat personam dicere omnes malas cogitationes suas & numerum earum. Respõdeo, quod cogitationes quæ sunt peccata mortalia, si dici possent & numerari, securius esset eas dicere, sufficit tamen in bona quadam generalitate & humilitate se accusare vt dicẽdo, totiens in hoc peccaui, vt nesciam numerum. Et taliter vt confessor bene intelligat quod confitens dicere intendit, non texendo longas fabulas nil proposito conducentes. Quoad cogitationes quæ non sunt pec- D cata mortalia, & aliquando plures mouẽt ad malum quam ad bonum, non est opus dicere in particulari, immo melius est interdum eas subticere. An persona possit perdere virginitatem suam per solam cogitationẽ? Respondeo quod sic, quãtum ad virginitaté animæ & erga Deum, & hoc sic per malum cõsensum ad opus carnale. Et quoad corpus, persona per se sola virginitaté soluere potest. Quoad primumcasum pœnitẽtia restituit statum virginitatis, non autem quantum ad secundum, si E corpus est violatum, mulierem non tetigi, virgo non sum, ait Basilius. Solent vocari omnes mulieres virgines, quæ non habuerunt coniunctionem viri? Notate, quod malè cogitare est sicut coluber aut testudo, quæ omnino intrat caput suũ. Beatus qui tenebit &c. Est tanquam congeries fili, & tanquam Didali labyrinthus, tanquã carbo viuẽs &c. Pepigi fœdus &c. Contra carnales cogitationes sũt remedia, puta occupatio, cogitare de mortuis, se offendere, vel cogitare de se, vel spuere, loqui alteri, vel proijcere aquam frigidã, surgere subitò F de lecto, cogitare pænam infernalem aut tẽporalem, quam persona sibi infliget, vt hispidum vestimentum, non bibere vinũ, non habere argentum, lecto carere, aut re quam persona diligit & erit meritorium &c. Considerate quid post modum sit habitura. Et incipiendum est obligare se prius ad dicendum semel Miserere, vel ter Pater noster. Quod cor non videt, de hoc non dolet, oculus meus deprecatus est &c. Videre personam aliquam pulchram, & sumere delectationem, est ne peccatum mortale? Dico sæpenumero est periculosa curiositas, & sæpe causa malæ æstimationis ipsi merito aut matri. Et sæpe causa faciendi peccare in superbia vel luxuria personam quæ inspicitur, supposito quod non desideretur, & secundum illos fructus bonos aut malos iudicate, quale sit peccatum, & secundum radicem cogitationis vestræ, & malum quod infertis alteri. Cognosco personam quæ centies & centies omisit inspicere alios propter aliquas supradictas causas potius, quam ne ipsas peccaret. Notate de bonis personis, quæ ne videantur, cauere debent &c. Et de basilisco. Videre se omnino nudum & nudam, vel delectabiliter speculari se, est ne peccatum? Respondeo vobis, quod respiciatis finem qui accidit, & intentionem quam habetis, & secundum hoc iudicate de casu. Notate de Pigmalione. Notate de basilisco aut de tigride. Videre res ad extra in bestijs, in picturis, vel alibi, quæ sunt inhonestæ, est ne peccatum? Respondeo vt prius. Difficile est præsertim legere libros mouentes ad luxuriam quin sit peccatum mortale. Et hi qui eos retinent, deberent compelli per eorum confessores ad comburendos eos aut lacerandos ne ipsi vel alij amplius peccarent, sicut Ouidius est, vel pars Romancij de rosa, vel circuli vel choreæ, aut cantus nimium dissoluti. Iudicate ergo qualem pœnitentiam agere debeant illi qui eos faciunt & publicant, super quo plenius scripsi. Eodem dicerem modo de picturis fœdis & inhonestis. Videre aut se ostendere in balneis vel termis coram pueris eiusdem progeniei, est ne peccatum? Respondeo, quod regulariter est res à qua abstinendum est, si pueri habeant vltra duos annos quamuis enim illi qui sunt quatuor vel sex annorum, ibi tunc non cogitant malum, tamen postquam peruenerint ad ætatem, memoria eorum quæ viderunt, redit, & grauiter eos tentat. Adhuc amplius dico, quod homines matrimonio coniuncti vel alij, non dicant nec faciant rem quamcunque inhonestam, videntibus vel audientibus paruis pueris, non amplius quam in præsentia angeli. Notate quosdam indulgentiarum modos. Videre choreas est ne peccatum? Dico quod si persona malè mouetur tunc vel postea, & bene aspicit, videndum est vel si per aspectum suum vel assistentiam videatur dare audaciam & approbationem dissolutioni, est periculum peccati, & abstinendum, sic debent facere prælati, curati, & religiosi. Notate de Aristotele, qui præcipiebat Helenam expelli, notate de Pericle, notate de Dauid & Dina & Samsone, notate de sancta Moniali, quæ misit oculos suos &c. Notate de illis, qui non vellent videre matres suas. Audire verba dissoluta vel præceps stultorum amantium non consentiendo, est non peccatum? Dico quod sic, & fœmina quicquid dicat, casta non est, quemadmodum esse deberet, si eas libenter audiat, & rogari permittat, aut loquatur immoderatè. Notate quomodo persona facere potest signa quod casta sit, & quomodo non. Audire seculares cantus, choreas & fistulatores, est ne peccatum? Sumere potes responsum per hoc quod dictum est, videre etiam vel audire secreta coniunctorum matrimonio vel aliorum. Considera etiam quod intra periculum luxuriæ est mala curiositas, & fit alteri quod quis nollet sibi fieri, videlicet audiendo secretum alterius. Notate de bubonibus,

nibus, de sirenibus, & de muliere illa quæ dicebatur Cyrce. Notate de aspide. Notate quod mulieres hortatæ ad malum ab alio, debent reuelare, parentibus eorum vel marito, etiam de confessore earum. Oscula sunt ne semper peccata? Respondeo, quod oscula quæ fiunt inter maritos, in quibus seruatur honestas talis qualis est osculum pacis in ecclesia, aut in aperto sunt sine peccato, possent tamen fieri tali inordinatione quod esset abominabile, valde peccatum mortale. Non dico amplius. Si oscula fiant inter extraneos & in publico, & per consuetudinem patriæ & per amicitiam generis sine immunda cogitatione, ibi non est peccatum, sed voluntas talis esse potest, & tale patet sequi malum, quod eligibilius esset habere puerum ex cognata sua germana. Et præcipuè hoc locum habet in hominibus religiosis & in personis eiusdem progeniei, aut sexus, & in loco secreto, & diu. Remitto vnamquamque personam ad conscientiam propriam. Notate de Didone, quam Virgilius fingit cecidisse in amorem Æneæ per hoc quod osculata est Ascanium Æneę filium. Hic fide caret qui non vult fidelitatem tangere, rationem aut legem, sed matrem suam. Amor spiritualis facile labitur in nudum carnalem amorē. Verba quæ fiunt inter chorisandum cantando, & inter stultos amatores iurando & peierādo, & per irrisores & irridentes vtriusque sexus decipiendo, sunt ne peccata? Respondeo quod hoc scire potestis per hoc quod dictum est, & videndo mala quæ inde procedunt, & inhonestationes, ac contra Deum & contra fidem errores qui dicuntur. Et quod est proprium diaboli officium? attrahere & monere alios ad malum. Iuramenta stultorum amatorum sunt ne seruanda? Dico quod aliqua seruanda sunt, & aliqua non, secundum bonū aut malum quod eueniret. Si iuramētum est honestū & possibile, debet seruari. An obligetur persona reducere ad bonam viam aliam quam decepit per factum suum vel verba? Respondeo quod sic, secundum totum posse suū. Et hoc ei iniungi debet in pœnitentia, quod fiat in omnibus personis.

Nota, opus est hic loqui contra Romancium de rosa, qui vult in persona rationis, quod dicantur dissoluta talia verba ad luxuriam incendentia. Et est ratio quare dicta eius sunt prohibēda, similiter huiusmodi verba. Notate Senecam. Turpia, &c. Noe & Cham, Tullius, sanctus Augustinus. Notate periculum Romancij & similium &c. Et turpitudinem finis &c. videatur finis. Notate de puero qui bene retinuit malum Romancij. Notate quod est damnatus nisi pœnitentiam egerit. Notate quod pæna sua crescit, pæna quidem accessoria & accidentalis. Odorare bonos odores, vel aliam rem quamcunque delectabilem, est ne peccatum? Dico quod hic inspiciendus est finis & intentio, & honestas vel inhonestas, & malū quod hinc accidere potest aut accidit. Dicamus finaliter de tactu diuersimodè. Scribere literas amatorias viri ad mulierem, aut mulieris ad virum, an sit peccatum? Respondeo, quod respiciatis finem & intentionem, & hic nescio quid dicam, si melius sit mulierem scire scribere & legere, quam non ob bona ex vna parte, & mala ex altera quæ possunt contingere. An chorisare semper sit peccatum? Dico quod non, in pluribus casibus quantum est de se, sed fragilitas hominum talis est, quemadmodum

A difficulter fiūt choreæ, sine diuersis peccatis. Certū est quod qui propter choream omittit perficere quod est faciendum, aut facit scienter alterū peccare, peccat grauiter. Et cū choreæ sunt inordinatæ omnino publicæ, & sine rationis mensura, aut quando mulieres impregnātæ perdunt fructū earum, sicut accidit. Nota quod omnia peccata chorisant in chorea &c. Tangere pueros in facie & alibi, est ne peccatum? Dico quod melius est se abstinere, & cadere potest vel accidere maius

B peccatum quam habere decem pueros de sua propria cognata germana. Per hoc etiam quod pueri tangant se mutuo, vtinam cōsuetudo esset in Gallia, vt pueri separatim dormirent in paruis lectis quantumcunque essent fratres & sorores vel alij, sicut in Flandria ea est consuetudo. An possit fœmina sese ornare & monstrare publicè capillos suos? Respondeo hic quod maior sobrietas in vestimentis & talibus ornamentis melior esset & securior. Inspicite breuiter finem & intentionem, & quod ex hoc cōtingit, ne tamen omnino dam-

C nem omnes mulieres quæ sic se ornant & copiosè se parant secūdum statum earum, maritorum suorum, & secundum consuetudinem patriæ ad capiendam aliqualiter consolationem suam. Dico quod ad hoc dabant antiquitus Romani tales habitus mulieribus, ad eas honorandas, & sustinēda mala quæ in matrimonio filios portando patiebātur. Et certè fieri non potest quod fœmina se eo modo habeat quin stulti inspectatores earū damna faciant. Et interdū plus inspiciendo simplicio-

D rem, quam eam quæ est magis adornata, sicut dicit Ouidius de Lucretia respectu Tarquinij. Sunt tamen aliqui gestus qui excusari nequeūt à peccato, & aliqui habitus tam stricti sunt vt fructus minus bene se habeat vel moriatur. Parui pueri qui non norunt esse peccatum id quod alij iubent eos facere, debent ne postmodum confiteri, quando cognoscunt malum quod tūc fiebat, quemadmodum sæpe accidit? Consulo quod sic. Habetis in sancto Gregorio quod puer quinque annorū fuit factus vesanus inter brachia patris sui, quia inimici

E apparebant ei, & mortuus est propter peccata quę alijs iubentibus faciebat, peierando & maledicendo, & fortassis etiam aliter. Habetis quoque quod in diluuio & destructione zodomæ, parui pueri simul perditi sunt. Et interdum accidit quod cōburitur bestia propter peccatum hominis, quāuis bestia nesciret quid faciebat. Et qui impediret pueros ne hoc facerēt, sed celarent, vel alio quouis modo, is non esset in statu salutis. Et scias quod pueri non celant alibi vbi opus esset celare, sed ce-

F lant vbi necessitas esset dicere, & per hoc mille & mille damnantur. An confitendæ sint illusiones & turpia somnia quæ inter dormiendum contingunt? Consulo quod sic, quia ignoratur ex qua causa eueniat talis fragilitas, vt pollutio si per gulā vel malam cogitationem, vel per inordinatum gestum, vel per nimium ieiunium & magnam debilitatem, si post factum lætaris delectatione quam sumpsisti, incipies peccare.

An cōfessor debeat facere vt promittat is quem absoluit, se non velle in peccatum relabi vel recidiuare. Si peccatū est valde inordinatum & cōtra omnem honestatem potest præsbyter interdum

facere vt promittat ipse culpabilis non velle recidiuare, ad ostendendum & magis inordinationē & obligationem quæ iam ipsum & obligat.i. præceptum Dei. Et hoc propriè non est votum quia quælibet persona quæ confitetur debet habere firmum propositum & expressum non recidiuandi, cum tamen peccata sunt communia, vel si cogitat confessor quod per huiusmodi promissionē persona non citius abstinebit, non sunt requirendæ huiusmodi promissiones & iuramenta. Et quia difficile est scire illas circunstantias, securius est de cōmuni cursu abstinere ab huiusmodi promissionibus faciendis & postulandis. Hic erit finis rogando dominum nostrum per gloriosum aduentum suū, & mediante oratione dominæ nostræ & sancti Ioannis quod nos defendat & protegat à malis & incommodis quæ luxuria solet adducere, &c.

DOMINICA QVARTA ADVENTVS, SERMO CONTRA LVXVRIAM.

Pænitemini.

IN benedicta hac die ad te recurramus mater Dei gloriosa in hac die quæ est vigilia sacratæ solemnitatis quando benedictum filium tuum cum gaudio & consolatione genuisti, cum gaudium diffusum fuit per vniuersum mundum, cum clarum lumen descendit ad illuminandam obscuram noctem errorum & vitiorum nostrorum, cum venit Deus noster & visibiliter nobis apparuit, domina virgo dignissima per illam dignitatem, excellentiam & nobilitatem quam ea die recepisti, concede nobis gratiam per tuam intercessionem taliter præparare viam operationum nostrarum, taliter purgare corda nostra per integram pœnitentiam secundū quod cognatus tuus sanctus Ioannes Baptista, cōsuluit & præcepit in quarti huius aduentus euangelio, & gloriosus filius tuus ad nos dignetur venire, dignetur in nobis manere in hac consecrata die, ad quod impetrandum te salutabimus dicentes: Aue Maria &c.

Si tribus transactis dominicis diebus vos hortatus sum in pœnitentiam cōtra gulam & luxuriam, in quibus de tribus locutus sum aduētibus, hodie specialis in hac vigilia vobis dicere debeo, vt ponatis manum ad opus, vt compleatis facto bona proposita quæ in voluntate habuistis vt confido. Deuotī homines, pænitemini, quia per hoc obedietis huic propter quod sanctus Ioannes Baptista fuit missus ante dominum nostrum vt hortaretur ad præparandum & mundas faciendas vias coram facie domini, quæ sunt viæ bonorum operum. Scitis qualiter gula & luxuria præsertim faciunt immundas, lutosas & fætidas omnes operationes nostras, corpus quoque & animam. Pænitemini ergo hodie citò. s. obediendo sancto Ioāni Baptistæ, de quo dicit hodiernum euangelium: *Miserunt ab Hierosolymis sacerdotes & viros de tribu leui, vt interrogarent eum. Tu quis es? Et confessus est et non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogabant eum quis ergo? Helias es tu? Respondit non sum. Propheta est tu? Respondit non? Dixerunt ergo ei, quis es? vt responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de teipso? Qui ait: Ego sum vox clamantis* A *in deserto, parate viam domini nostri sicut dicit Esaias propheta. Et qui missi erant, erant ex pharisæis & interrogauerunt eum & dixerunt: Quare ergo baptizas si tu non es Christus, nec Helias, nec Propheta? Respondit ei Ioannes dicens: Ego baptizo vos in aqua, sed in medio vestrum est quem vos ignoratis, hic est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius non sum dignus vt soluam corrigiam calciamenti sui. Hæc trans Iordanem facta sunt in Bethania vbi erat Ioannes baptizans.*

Quoad sensum literalem non requiritur magna B expositio. Notabo aliqua hic de tribu leui ad quos spectabat officium sacerdotale, & legis cognitio bene cognoscebant tempus aduentus Iesu Christi appropinquare per scripturas eorum, tam per Danielem quam per hoc quod dominatio eorum mutata erat in manum extraneam secundum prophetiam Iacob. Miserunt ergo ad sanctum Ioannem, propter magnam famam eius vt scirent quisnam esset. Dicūt vlterius quidā expositores quod Iudæi de tribu leui, maluissent sanctū Ioannem reputatum fuisse messiam, quam Iesum Christum, C quia sanctus Ioannes erat de tribu eorum & magis cognitus. Iam autem cōtra Iesum Christum inuidiam habebant, & præcipuè pharisæi qui erant inter Iudæos, quales iam sunt religiosi in fide nostra quoad hoc quod extrinsecè sanctius viuebant, & in maiori obseruantia quam alij. Considerate igitur qualis sit malicia vnum habere inuidiam contra alium ratione diuersorum statuum in lege nostra, vnusquisque qui bene agit, debet recipi ab vnoquoque simili & eodem modo sine partiali D odio vel inuidia. Hic formant nonnulli quæstionem, si Iesus Christus habuerit calceos & sanctus Ioannes, & qualiter dixit sanctus Ioannes se non esse prophetam, nec Heliam, cum Iesus Christus videatur dicere contrarium? Relinquamus huiusmodi quæstiones scholis & redeamus.

Considerando hunc aduentum natiuitatis Dei, multæ irrepserunt quæstiones &c. sed eas omitto vsque ad diem crastinum, vt veniam ad materiam meam in qua loqui debeo contra luxuriam. Et certè vna filiarum eius mihi tam deformis ap- E paruit, quod sanctus Augustinus dicit, quasi Deus propter eam ad nos venire dimisisset. Dixit prius & de alijs modis, congruit quoque vt adhuc dicā, sed prius inter cogitandum occurrit mihi quod audierim tanquam multas querelas quæ fiebant à stultis amatoribus & amatricibus, quemadmodum ipsi vani sunt & stulti. Vna querela erat, quare inquiunt Deus nobis prohibuit luxuriam, præcipuè simplicem fornicationem? Alia querela erat quod (vt in summa dicatur) non esset in F potestate eorum castè viuere. Tertia querela erat, quod vellent quidem castè viuere, sed non tam citò, verum necesse esset iuuentutem elabi, & quod esset minimum peccatum quod perpetrari posset. Quid hic dicam? Respondebo ne stolidis illis querelis? Respondebo. Exēplo enim apostoli satisfactionem debeo stultis, quemadmodū & sapientibus, tanta dicendo quāta dici possunt. Aperite aures vos oro, qui facitis querelam hāc primā expellite saltem modico tempore stultū amorem, qui ipsas aures vobis claudit & impedit, atque intelligite qualis sequerētur malā, si Deus vestrę petitioni satisfaceret vt traderet vnāquāq; mulierē nō coniunctam

coniunctam cuilibet viro. Primò petitio vestra stulta est, lingua enim, manus & pedes non cohiberentur quin eis abuteremini. Videte insuper quod matrimonium periret & vilesceret. Quid vltra? per hoc mulieres impraegnatae malũ haberent tempus nõ enim proprium haberent virũ qui adiuuaret eas. Et quoniam scitis opus carnale viri & mulieris solum fuisse ordinatum ad soboles habendum & successiones, finis ille magnopere impediretur. Mulieres enim infructiferae fierent, mulieres etiam cum se pauperes sentirent & sine auxilio aut consolatione, occiderent pueros in natiuitate vel ante, cõsideratè qualis horror. Praeterea cogitate ad vosmetipsos, & sumite cor alterius ad vestrum. Vos interrogo si haberetis iuuenes filias sorores vel cognatas nondum matrimonio coniunctas, an velletis eas esse communes omnibus viris, & liberos vestros omnibus mulieribus vel propriam matrem vestram si vidua esset? Quid dicetis? Certus sum vos iudicare, nullo modo pati vos velle talem immundam foeditatem & spurcitiam in parentibus vestris. Quare ergo velletis alios sic facere? Ratio etiam hoc dictat, dato quod Deus non praecepisset oppositum, quod minimè est. Deus enim facere potest de creatura sua, & eam secundũ beneplacitum suũ obligare, & sufficit pro rationabili causa vt dicat, sic mihi placet. Est tanquam si miles interrogaret, quare ei non daretur honor sine certamine, & nõne potest retinere aliquod signum dominij supra creaturam suam? nõne potest prohibere animab[9] quae sunt filiae suae, ne immundè viuatur? quemadmodũ rex vel princeps terrenus vult de suis fieri. Esset stulta interrogatio si quis diceret principi, quare non pateris quod filiae tuae possint sine peccato se dare vnicuique viro nondum coniuncto? Et reuera Deus fecit vtilitatem humanae creaturę hoc prohibendo, tam in pueris qui non nutrirentur nec instruerentur, quã in mulieribus quae paterentur omnia mala, quam etiã in viris qui adeò dediti essent huic carnalitati vt obliuiscerẽtur Dei & propriae salutis, caderẽntque in mille & mille languores & aegritudines. Vita quoque eorum breuior fieret. Exemplum de Sarracenis, qui abutũtur plusquam alij, & ratione huius, &c. Exemplum de guloso. Aegritudo quae prouenit ex combustione per non tactum, ad suam prouenit sanitatem.

Accedo ad secundam querelam, non possum viuere castè dicunt aliqui: Te rogo qui sic dicis non intelligis cum dicis, non possum viuere castè? Vis ne dicere Deum praecepisse tibi aliquid quod adimplere non possis? hoc dicere est error in fide & bonis moribus, nullus enim peccat in hoc quod in sua potestate non est. Cognoscis etiã per vitam sanctorum sanctarum quod personę ad finem vsque illibatam conseruauerint castitatem. Si dicas te nõ posse, id est non velle, non est excusatio. Si intelligas esse difficile & poenale, admitto & in hoc tecum sto, est enim grauis poena & immodica tentatio, verumtamen patiendum est vt habeatur melius ad saluandum se, ac ad paradisum acquirendũ ipsi Deo obediendo. Considera diligenter, considera quas poenas, quos dolores & fatigationes sustinẽt famuli alicuius domini vt parũ pecuniae lucrẽtur, qualia pericula? quales iniurias, & qualia interdũ verbera. Et sic mercator & stultus amator, martyres sunt diaboli. Exemplum de illa quae mortua est. Si autem in culpa, &c. & propter Deum supremum tuũ dominum, & pro praemio perpetuo tu nihil sustinere velles? hoc nec potest nec debet fieri. Esses miles sub camino. Nota si tentatio prosit, & an sit optanda & qualiter se sit habendum. Hoc etiam certò scias? quod si tibi ipsi velis esse auxilio, Deus tibi auxiliabitur absq; fictione vlla, & erit tibi leue & iocundum, quod modo in magno pateris dolore. Exemplũ de duobus eremitis. Et quod malè, &c. Si per vnũ mensem te castè haberes ob aliquod praemium, vel ob timorem amissionis alicuius rei, vel propter aliquam verecundiam, potest illud idem facere propter amorem Dei, & per considerationem praesentiae eius in omni loco, quemadmodum adduci potest exemplum de illa quae dicebat, Deum videre vbique. Si autem per mensem abstinueris, facilius secundo abstinebis, & sic deinceps. Finaliter tu abstinere non potes, quia es assuetus. Nota de societatibus & gulositatibus.

Tertia querela, quanto est communior tanto plus ducit in perditionem. Poenitentiam agam dicis tu, ita cum voluero verè amice mi: Ages ne poenitentiam cum volueris? Velis ergo modo & potius cito quam tardè, quia saepenumero qui non vult cum potest, non potest cum vult, non dices mihi, volo iuuentutem transigere. O summe iudex mundi quot videmus qui sic proponũt in iuuentute, qui in senectute non se emendant, sed cadunt aut labũtur semper de peiori in peius. Quod si corpus deficiat, volũtas & malus animus, malum cor semper est recens & versatile, plusquam infans natus propè mortem. Dic mihi quaeso quis tibi securitatem tribuit te cras emendandi, vel postea non modò te emendandi, sed viuendi.

Si modò non relinquere vis peruersam tuam carnalitatem, quo pacto tibi postmodum Deus conferat gratiam, sine qua tentationem illam vincere non potes? Proponis facere aut exhibere Deo peius quod potes, & speras quod cum eum omnino iuxta voluntatem tuam offenderis, ipse melius tibi facturus sit quam modò, videris non bene intelligere quid sit de mala consuetudine quam ponderosa sit, quod personam in infernum vsque contundat more cuiusdam ponderosi molaris, quantumuis homo velit aut conetur in altũ ascendere, hoc certò teneas quod si hodie non es aptus & voluntarius ad te abstinẽdum at minus eris cras & minus perendie. Qui non est hodie cras minus aptus erit. Incipe ergo citò, & si mihi credis hodie. An sit minimum peccatum quod facit violari fidem matrimonij, &c. Succedere illegitimos, furari corpus &c. Incarcerari, se occidere, mori per desperationẽ, occidere filios? Nota de Archita Tarentino, quod faciat violari & defoedari sacramenta, quod facit personam bestialem, quod facit insanos, & interdum mortẽ inducit? Quod facit obliuisci Dei & iudiciorũ eius, per malam quoque consuetudinẽ in infernũ prosternit. Dicit Romãcius de rosa quod est minimũ peccatũ quo foemineũ corp[9] sit maculatum, &c. Ratio, quia omnibus alijs malis se subdit ac dedit. Nota de illis qui vertunt in errores mulieres vt abutantur eis, & faciunt eas

hæreticas. Capite pœnitentiam festinanter dum tempus est, eligite certius & securius, &c. Pœnitemini. Incepi postremò ostendere qualiter ratio bona magistra docebat sex suos scholasticos aut discipulos, vt sibi cauerent à luxuria, quæ se occultat in specie sub vmbra ludorum & recreationum, & dixi de corde, oculo & auditu. Dicam hoc de naso ore & tactu. Ratio dicit discipulo odoratui ne sit nuncius aut adiutor aliorum odorando aliquid quod verti possit ad gulam vel luxuriam. Et odoratus quærit si odorare bonos odores sit peccatum. Respondet ratio quod sic si finis malus sit, & est interdum nimis magna curiositas, & causa luxuriæ, sicut dicit scriptura, habitus eius prunas ardere facit. Ideo prohibetur quod in confessione non fiat aspectus, nec vna persona alteram sentiat, eò quod odoratus in nobis minor est quam in canibus, nos parum odoramus & somniamus multũ. Nota de illo qui morte sua noluit odorare odorem fœminæ. Ratio dicit os bene se gubernare Deum laudando, quia per ipsum homo differt à bestijs loquendo, per ipsum laudatur Deus, per ipsum effertur omnis immundicia de schola, & intrat Deus cũ peccati fœditas est expulsa, nisi mala verecũdia in cõfessione ipsum claudat. Cauere debes dicit ratio ori, ab osculis & vanis locutionibus, &c. Os quęrit si omnia oscula sint peccata. Osculari fit vel propter consuetudinem, sicut inter nobiles eiusdem progeniei, propter honestam voluptatem vt inter sponsum & sponsam & in Ecclesia, vel propter amorem naturalem vt si deosculor filium meum aut propter inordinatam concupiscentiã. In primis tribus casibus potest fieri osculum, salua honestate, & vitando malam occasionem, & non in quarto. Et sciendum est quod inimicus tendit laqueos suos & glutem sub specie boni, taliter vt peius eueniat interdum quam esset comedere carnes in die magnæ veneris. Exemplum de Didone quæ osculando filium Æneæ cecidit in amorem Æneæ, &c. Notate quod sunt incensoria sulphurea. Notate de illo qui nec matrem suam tangere voluit vbi nuda esset. Dico vlterius quod non minus abstinendum est ab osculando in loco secreto, præsertim pueros seu filios masculos quam fœminas vel filias. Dico quod puer debet recusare vt teneatur ab alijs & osculetur, quod si aliter fecerit, debet in omnibus casibus confiteri. Et dico quod possunt interrogari in confessione de eorum voluntate. Supposito enim quod non cogitarent malum & alius abuteretur, potest esse culpa & pœna in eis. Exemplum de bestia quæ comburitur propter peccata hominis. Primum, quia citius ibi fit deceptio. Secundò malum est grauius. Tertiò, quia nouit luxuriam in se nec fidem habet nec legem. Inimicus quoque ad huiusmodi instigat recreationes. Quis si quisquam non confiteatur de illis plenariè, vix vnquam habebit pacem conscientiæ si bonus sit in iuuentute sua, &c. Vidi pueros flere de malicijs quibus fuerant instructi à quibus abstinere non poterant. Et si quæras, quid vocem honestum osculum? Dico tale sicut est hoc quod fieret in publico vel in Ecclesia. Notate quod bonum esset pueros separatim cubare. Notate de filio qui secundum sanctum Hieronymum in nono anno habuit puerum. Notate in miraculis nostræ Dominæ de matre quæ habuit puerum de filio suo quem occidit, sed pœnitẽtia operuit eam. Pœnitemini ergo, &c. Prælatus vester potest absoluere.

Os interrogat si cãtilenæ sint licitæ? Ratio discernit vel ipsæ sunt honestæ & tempore & loco aut fœdæ & luxuriosæ, falsæ vel hæreticæ vel extra tempus & locũ & ad damnum alterius sicut in Ecclesijs. Tres vltimi modi sunt peccata & prohibẽdi. Notate quod vox mulieris est tanquam syrenes quas transiuit Vlysses obturando aures suas. Os quærit si propriè loqui de membris pudendis & de omnibus sit peccatum & irrationabile, & arguit quod non. Primò authoritate Romancij de rosa. Secundò per rationes ibidem contentas, quia verba de se non sunt propria. Et si res sunt turpes est propter peccatum, estque æquè bene peccatum in homicidio & furto de quibus tamen licitè dicitur. Respondet hoc ratio, quia loqui propriè de rebus potest fieri in primis per vanam delectationem in aperto, vel ad inflammandum se ad luxuriam, vel per modum personarum vel per modum doctrinæ inter homines sapientes & discretos qui nil quærunt nisi rerum veritatem. Primo modo fieri non debet, & dicere contrarium est error, quemadmodum qui dicere vellet quod nudè incedendum esset, vt qui vellet excusare Cham quod non cooperuit patrem suum. Est error Philosophorum qui ob hoc dicti fuerunt cinici, id est canini. Hoc prohibet Aristoteles 7. Politicorum. Seneca dicit: Turpia ne dixeris. Turpe dictum attrahit turpe factum, Augustinus dicit. Errorem esse à seipso abscedere. Tullius in de officijs, vocat verba turpia & illota. Sanctus Paulus dicit multa fieri in secreto quæ nominanda non sunt. Corrumpunt bonos mores, &c.

Hi qui contrarium dicebant vellem quod ipsimet instruerent filias eorum secundum rationem loqui. Secunda ratio & modus excusari non potest, quia etiam inter coniunctos honestas obseruari debet. Tertium fieri non debet in publico propter supradictas causas, & etiam debet seruari veritas ac honestas in personis. Quartus modus & quintus fieri possent in aliquibus casibus, quẽadmodum ægrotus ostendit se omnino nudum medico vt eum sanet. Et si magister Ioannes Meldunensis sic intelligebat, verum dicebat. Sed in hoc errabat quod per rationes stultum effinxit amatorem. Secundò in hoc quod hortabatur omnes communibus & nudis loqui sermonibus. Tertiò in hoc quod publicauit librum suum nondum perfectæ ætatis hominibus qui abutebantur. Quartò in hoc quod suæ etiam rationes monstrabat nudè incedendum esse. Dico ergo pro responsione, quod verba sunt turpia, ob malum quod euenit & quod intenditur sicut etiam sunt aspectus mulierum nudarum, propter peruersum quod sequitur desideriũ. Nota sanctũ Augustinum de nuptijs & concupiscentia, & vulgatum prouerbium: Non est malum, si non intendatur. Tollite boni homines hos libros à filiabus & filijs vestris, alioquin accipient malum & relinquent bonum. Exemplum de puero, &c. Notate quis sit finis. Notate de Ouidio qui missus fuit in exilium.

exilium. Notate de Matheolo fatuo. Dico tres assertiones. Prima si esset mihi liber Romancij de rosa qui esset vnicus & valeret mille pecuniarum libras, comburerem eum potius, quam ipsum venderem, ad publicandum eum sicut est. Secunda, si scirem ipsum nõ egisse pœnitentiam, non potius rogarẽ pro eo quam Iuda, & augmentant hi qui in malo eum legunt pœnam suam, si est damnatus vel in purgatorio. Tertia si audirẽ confessionem personæ quæ abuteretur, præciperem ei vt multa deleret vel prorsus eum abijceret. Sic de fœdis picturis & quæ inflammãt vel factæ sunt pro amatoribus & amatricibus stultis. Os quærit de illo qui non poterit loqui. Ratio dicit quod confiteatur per signa. Difficillimum autem est de mutis à natura. Et qui etiam surdi sunt, inspiciendus est sensus quem habent. Nota de Sigano, qui distorsitos contra sacramentum in lecto mortis, &c. Hic esset quæstio, si fistulatores sint in statu gratiæ. Teneo quod sic, si humiliter vtantur, &c. Secunda causa potest habere locum in iuuenibus hominibus, vt religioso ludente ad palmam, vt dicit Seneca. Fœmina si sola est mala cogitat, supple facile, hoc debet esse tempore & loco honesto & parum, non omittendo officium Ecclesiæ, & præsentibus amicis suis, & sine societate hominum extraneorum non honestorum. Tertia causa etiam bona est subdictis conditionibus, & si aliqui abutantur, etiam homines alieni omnibus abutuntur, & abusus fit de omnibus, sicut dicebam pridie. Inclusa etiam in monasterio aliquo appeti potest. Præterea manus & alios tactus, de vestimentis & ornamentis, quia potest fieri per hoc quod dictum est de osculis. Et dixi alias quomodo habendum se sit in omnibus tactibus manuum & alijs rebus, qui sunt facti ad incitandum ad carnalem voluptatem perficiendum, omnis enim huiusmodi tactus prohibitus est in matrimonio & extra matrimonium. Honestas enim vbique seruari debet. Tactus quærit de pollutionibus nocturnis si facienda sit conscientia cum eis resistere non possumus. Ratio dicit quod veniunt vel ex nimia repletione aut per præcedentes cogitationes, aut ex fragilitate, aut inimici tentatione. Et peccatum est secundum præcedentem vel subsequentem consensum. Et confitendum est pro maiori securitate de talibus quasi conditionaliter. Et notate si completio est inter vigilandum & voluptas, eò quod natura purgata est, &c. Ratio dat remedium primum sobrietatem cõtra species, fortia vina & alia huiusmodi. Nota de mulieribus maritatis, si possint agere pœnitentiam sine facultate mariti vel filiæ maritandæ. Ratio dicit, vbique seruandam esse mensuram, & ne corpus omnino perdatur. Notate si vti possumus medicina? Dico quod sic. Etsi aliquis potest sibi auferre aliquod membrum, vt se deformem reddere vel castrare, sicut Origenes. Requiritur distinctio de deformatione, & si per diuinam inspirationem sicut de Moniali quæ misit oculos suos, &c. Secundum remedium est de occasionibus litterarum, donorum, sermonum & tactuum. Nota de illo qui proiecit rosas in latrinas. Quid faciet iuuenis persona, si quisquam eam per iocum tangere velit? Debet refutare. Nam & post modum laudabitur. Si vis

Gerson. Quarta pars.

non sit sua vt se possit defendere, debet clamare. A Si vero timeat mortem si clamaret, non tamen ob hoc se occidere debet, sicut fecit quædam paulò ante & Lucretia, nec perdet præmium suum. Nota de sancta Lucia. Notate si confessor debet prohibere omnes occasiones & quales, & si debeat facere vt aliquid promittat ea persona quæ confitetur. Fiat hic distinctio & bene discernatur promittendi modus, & quid prius quã fiat, & ad quid obligat, & quid prosit. Notate quod primũ sciendum à cõfessore est scire quã societatem habuerit B confitens. Tertiũ remedium est efficere vt paucissima fiant peccata, & interea multa bona facere. Notate quod sit in secreto & extra festa & loca sancta, cum personis sine vinculo. Notate quod proponatur quotidie velle agere pœnitentiã, nec hoc est peccare in Spiritũ sanctum, sed est cũ quis credit sine pœnitẽtia se saluandum. Notate de illo qui nõ peccabat die Sabbati, alius in vigilia Magdalenæ, alius propter angelos, &c. orationes ieiunia, eleemosynæ. Finaliter pœniteamus sæpè petendo vt regnũ Dei nobis adueniat. Nõ sit ô bone C Domine bone pater noster talis confusio in spirituali regno tuo quod in nobis est, vt tu sis exclusus, & inimicus dominetur ac ratio substracta sit pedibus sensualitatis, quæ est tanquã asina nostra, & exẽplo mulieris quæ petiuit castitatẽ in honorẽ natiuitatis & partus virginis Mariæ dominæ nostræ, &c.

DOMINICA PRIMA POST D NATALEM DOMINI. SERMO EXhortatorius ad castitatem.

POENITEMINI.

Castitas pura diuturnior est in præsentia. Quotidie in hoc mundo Deus miscet amicis suis tristitiam cũ gaudio, vt eos probet tam in prosperitate quam in aduersitate, hodiernũ euangelium quod incipit vbi illud de purificatione & hoc nobis significat, quia in pulchra illa processione quæ tũc facta fuit, E erant Maria, Ioseph, puer Iesus. Symeõ & Anna, domina nostra portabat puerũ Iesum ipsum amplexando, & veluti dicendo, dulcissime fili cordis mei quis es tu? & quæ sum ego? sum ancilla, tu es benedictus in æternitate, tunc cum gaudio quod tibi nunciatum fuit purissima, etiam tibi nunciata fuit cordis tui tristitia, videlicet quod gladius passionis filij tui pertransiturus esset animam tuam. Quid illi dicere poteras? bone fili si fieri potest non habeas hanc passionem, verumtamen fiat F voluntas tua. Osculabaris eum & plorabas tenere. Non ergo expectare debemus nos peccatores quin pati habeamus, vel nobis inuitis per damnationem, vel volũtariè per pœnitentiã. Si enĩ Deus nõ pepercit matri suę purę & innocẽti, quomodo speramus eũ nos liberaturũ absq; pœna sustinẽda? & scitis quod pœnitere est displicentiã habere de peccatis præteritis, contra quæ præliũ inchoaui. Exhortatio mea & aduocatio est sibi deinceps cauẽdo à peccatis, ornãdo se virtutibus, ad quod sciendũ & facere volendũ cõgregati sumus in postrema hac die anni, quæ est vigilia primę pœnę Christi. Quoniã autẽ gratia nobis necessaria est (quãuis quotidie

inchoari possit annus) vbi melius eā inueniemus quam in Maria quæ est mater illius gratiæ, inuenitur Iesus cū Maria, sicut apparet in hodierno Euāgelio & alibi in multis Euangeliorū locis. Recurremus ego ad te ô Maria mater, & petemus bonū (vt dici solet) nouum annū gratiæ vel encœnia, meliora encœnia habere nequimus, tibi nō est superstitio nec stulta credulitas & obseruatio. Nos eā à te postulabimus in memoriā crastinorum encœniorum, cum dulcis filius tuus tibi encœnia dedit de suo nomine & præcioso sanguine suo, & quoniā non fuisses mater talis filij si nō abhorruisses omne peccatū, & nisi fuissent peccatores, &c. Ideo te salutabimus, &c.

Valde ad propositū recitatum est nobis hodiernum Euāgelium, quamuis principaliter spectet ad diem purificationis: In hoc Euāgelio tanquam in speculo quodā pulchro & claro sese mihi ostēdit pura & munda castitatis virtus quę dulci suo & sapido aspectu me recreauit, sicut contraria sua pœnā intulerat & tormēta. Video castitatem sumere tria hospitia secundum tres status & secundū hoc tria habet nomina. Hospitatur in statu virginitatis, & est virginalis castitas, matrimonij & viduitatis. Castitas est integritas corporis & mentis seu cogitationis nunquam habendi consensum probandi, vel experientiam faciendi carnalis voluptatis, quæ sequitur ad tactus pudendi membri ad generationem ordinata. Castitas matrimonialis est abstinentia ab opere carnali, nisi inquantum matrimonij termini ipsum patiuntur & requirūt. Exemplum de homine qui ieiunat, quamuis in prandio manducet. Castitas viduitatis in generali est continentia quæ seruatur in corde & corpore, postquam persona fuerit in matrimonio vt domina nostra, vel postquam expertus est carnalē voluptatem, siue in matrimonio, siue extra. Et hoc modo sacerdotes possunt dici habere castitatem vidualem, qui viuūt castè post eorum corruptionem. Et hæc tria hospitia sunt secundum tres vitas vnam contemplatiuam, aliam actiuam, tertiam ex duabus mixtam, modo vnā seruando, modo alteram. Simili modo vita contemplatiua ad virginitatem spectat, actiua ad matrimoniū, mixta ad viduitatem & prælatos. Castitas pulchra & pura est in statu virginitatis sicut clausura argentea in statu matrimoniali, sicut clausura auricalcea aut stannea in statu viduitatis est tanquam clausura mixta ex auro & argento. Puer Iesus fuit de solo statu virginitatis. Ioseph de duobus. Maria & Anna de tribus. Dicit Euangelium: *& erat &c. Pater Iesu & mater eius mirabantur super illis rebus quæ dicebantur de illo, & Symeon benedixit eis, & dixit Maria matri Iesu, hic positus est in ruinam & resurrectionem plurium in Israël, & in signum cui contradicetur, & gladius tuam ipsius pertransibit animam, vt reuelentur cogitationes multorum cordium. Et aderat Anna prophetizans filia Phanuëlis de tribu Aser, quæ iam erat annosa, & vixerat cum marito suo septem annis post virginitatem suam, & erat vidua vsque ad octuagesimum quartum annum, quæ non exibat de templo seruiēs Deo in ieiunijs & obsecrationibus diebus & noctibus, & in illa hora superuenit & confitebatur Domino, & loquebatur de eo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Qui cum complessent omnia secundum legem Dei, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem eorū Nazareth,* A *& puer confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.*

Ioseph dictus fuit pater per curam & gubernationem. Et quia corpus dominæ nostræ aliqualiter suum erat per matrimonij translationem, vt vteretur eo secundum Sancti spiritus volūtatem. Notate quod votū dominæ nostrę nō impediuit, nā erat factū ab ea reseruando semper sapientē Dei ordinationē, & ideo puer est aliqualiter ipsius Ioseph. Et hic apparet sua excellentia. Nominabatur etiā pater in appropriatione & antiquitate. Exemplū de prælatis & senibus. B Deus autem pati voluit hoc matrimonium tam ad celandū incarnationis mysteriū, quā ad auferendas omnes causas Iudęorū contra dominā nostram. Notate ꝙ Ioseph nutriebat Iesum seruiebat ei, tenebat eū, osculabatur eū, Ioseph erat custos dominæ nostræ & aliqualiter caput ei⁹. Vir caput, & per hoc habuit aliquod ius authoritatis paternalis in Christo Iesu, & etiam ad dominā nostram. Admiratio Mariæ non procedebat ex ignorantia, sed ex cōsideratione sublimium iudiciorum Dei de sua humilitate & de sua C dignitate. Notate qualia mirabilia & contra eos qui volunt ea comprehendere, & qualiter plura sciri possent. Exemplum de pulchra imagine & abysso, quam vnus quidem inspiciet & alter duntaxat loqui audet. Symeō benedixit dominæ nostræ in hoc quod erat presbyter legis, nec fecit crucē, sed verbis benedixit. Notate de excellentijs sacerdotum, & quod esse debent sicut Symeon iusti, pleni timore sancto, Spiritu sancto, & sanctorū desideriorum. Et quod in spiritu veniant ad tem- D plum, tunc Deus manifestabit se illis in sacris. Nota de stultitijs festi stultorū. Notate de malis presbyteris. Iesus fuit signum cui quotidie contradicitur, viuendo contra legem eius. Et notate quod mali de omnibus faciunt eorum incommodum, nec tamen ob illud prædicatores cessare debent. Exemplū hic est de pluuia quę facit crescere malas herbas sicut bonas. Notate de tribus generibus hominum qui audiunt sermones, malis, bonis, mediocribus, quemadmodum infirmi sunt respectu medicorū, aliqui peius se habent quam prius, alij E non egent medicis, mediocres proficiunt. Si virtutes animæ Mariæ virginis nō confortassent cor eius, per earū dilatationem mortua fuisset in passione, sed faciebant eam stare. Stabat, &c. Aliter fuit in Iesu Christo, quia sensualitas per miraculū remansit sine confortatione felicitatis ipsius animæ. Vt capitur ibi consecutiuè, non causaliter. Hic tangitur sacramentum confessionis. Notate quod est tanquam miraculum de aliquibus peccatis bene posse confiteri. Anna hic lauda- F tur, de qua loquar in tertio puncto. Et postquam inquit Euangelium, peracta essent omnia, & hic laudabo perseuerationem & obedientiam legis contra eos qui dum missam audiunt, impediunt, & extra templum in particularibus oratorijs. Notate de illis qui celebrant eorum nuptias extra Ecclesiam & de missis in locis particularibus.

Conclusiuè, nos ingredi debemus templum ad nos purificandos per pœnitentiā, & nutriendum per gratiā Iesu, & redire in Galilæā, hoc est in memoriā mutabilitatis nostrę, & in Nazareth, hoc est in sanctum desiderium, floridum sursum in cœlis. Nostra conuersatio in cœlis est. Pœnitemini.

In hoc euangelio audistis castitatem esse vbique & in tribus statuum modis, præcipuè virginitas A manifestior est, de qua principaliter hic dicturus sum, de viduitate inquantum cum hoc statu participat. Et deinde in alio sermone dicetur de matrimonio & de viduitate, in quantum ipsa aliqualiter est de vita actiua ratione filiorum suorum. Quomodo te laudabo virginitas pulcherrima, purissima & mundissima? Digna es laudari puriori ore quam meum sit, digneris tamen vt te laudem & dignitates tuas recenseam, non omnino, nec omnes, quia hoc fieri non posset, sed aliquas. Et præcipuè duodecim quæ te valde no- B biliter coronant sicut duodecim stellæ lucentes & claræ ad exemplum & figuram illius fœminæ, quam vidit sanctus Ioannes in Apoc. quæ erat amicta Sole, & Luna sub pedibus eius in cuius capite erat corona duodecim stellarum. Et etiam Anna huius Euangelij in figura octoginta quatuor annorum, qui faciunt septies duodecim. Aliquid ad hoc confert numerus septenarius, qui significat perfectionem & septem dona & numerus duodenarius significat has duodecim dignitates C quæ perfectæ sunt in virginitate. Notate hic quod virginitas vel castitas non impedit vitam corporalem, immò ipsam prolongat. Sanctus Ioannes Euangelista vixit nonaginta nouem annis, & Sanctus Antonius centum & quatuor annis. Tu virginitas eleuata fuisti vt carnaliter Dei mater esses, & adhuc paris spiritualiter quando virtus Dei superuenit in te, & facit quod mūdissima pars toti⁹ animæ quæ non corrumpi potest, & imprægnata Deo per amabilē cognitionē & saporosum amo- D rem, hæc pars vocatur spiritus, vt si densis, &c. Et sic tu paris, amplexaris, tenes & oscularis puerum Iesum exemplo virginis huius inuiolatæ dominæ nostræ, qui eū portabat & amplexabatur ad modū tenerè & amicabiliter. Et velis modo sic facere, &c. Caue virgo ne imprægneris vēto superbiæ, aut inflationibus iræ & inuidiæ, aut māmona auaritię, aut cogitationibus ad intra carnalibus, quæ quidē cogitationes mali sunt humores, sicut solet accidere. Fac te tanquam puerū cum hoc puero, sicut facit mater vel nutrix, & hæc sapiens stultitia pla- E cet ei. Si quis videtur in mundo, &c. sicut Deus factus est puer pro te in hoc mundo. Sic te fac puerum pro eo. Notate hic contra superbos pueros qui pulsant humile ostiū qui est Iesus propter hoc quod caput eorum intellectuū nimis est eleuatum. Facis mori aut migrare sine dolore corporali, hoc apparuit in domina nostra & in sancto Ioanne Euangelista & specialiter tu adducis bonā mortem quæ separat vitam spiritualem à carnali vita, moriatur anima mea morte iustorū. Preciosa F &c. Et Bernard⁹: O bona mors &c. Notate quod Rachel obijt pariendo Benjamin. Facis animā esse familiarem Dei amicam. Etiam corporaliter apparuit in sancto Ioanne Euangelista, qui propterea dictus fuit Apostolus quem diligebat Iesus. Notate de amore sancti Petri & sancti Ioannis, propterea dedit ei ad custodiam spiritualem thesaurum suum dominam nostram & Ioseph qui erat virgo secundū sanctum Hieronymū, ad Thesephōtem. Adhuc habes tu dominam nostram in custodia & familiaritate & familiarius ad Deum potes recurrere, sicut fecit sanctus Ioannes in cœna. Qui diligit cordis, &c. Benjamin amantissimus, &c. Impetras quod secreta Dei magis tibi reuelentur, apparuit in sancto Ioanne & Sibyllis. Per contrarium autem est de carnalitate in maleuolam animā, &c. Beati mundo corde, &c. Nota duplicem modum cognitionis. Vnum intellectus, alterum affectionis. Vnum siccū, amarum, diuitem, inflatum, turbatum amore indignationis, plenum inuidiæ & iræ sibi placentem omnibus passionibus & vitijs seruientem. Alterū timentē, pacificum, saporosum, humilē, amicabilē, benignū, sibi displicentem, Deo placentem super omnes aduersas affectiones dominantē. Nota de duplici modo stultitiæ. Vna quidē stultitia bona est, alia peruersa. Scientia inflat, charitas ædificat. Potens es in miraculis, patuit in sancto Ioanne Euangelista, & in cōpluribus virginibus viris & fæmellis. In feruenti oleo malæ carnalitatis mansisti frigida. In exilio à Deo consolationem habes. Et bibendo iniquæ cogitationis venenum non grauaris, quia non sapis per consensum. Es in igne & non ardes. Es pulcherrimus flos lilij, nec violaris. Es tanquam sola aduersus omnia vitia, nec tamen te vincunt. Facis animam martyrem inquantum moritur omnibus carnalibus desiderijs, & stultæ voluptati mundanæ, quod interdū difficilius est quam decollationem sustinere. Vnus modus naturæ est virginitas in iuuentute. Tu cognata es angelis, & incipis vitam cœlestem plusquam cōmendanda es in humana natura, quam in angelis quoad meritum, secundum sanctos. Cātas nouos cantus secundū dictum sancti Ioannis, quos alius canere non potest. Nec omnino incredibile est quin voces sensibiles sint in paradiso. Coronaberis quadam corona diuina in paradiso vltra alios hoc est, vna gloria & diuino gaudio accessorio in signum excellentiæ status tui, sicut etiam coronati sūt doctores & martyres, pro alia causa aliaq; facta. Dixi quæ virgines perdant hanc coronam, & quæ nō, si corruptio facta est per violentiā, nō perdunt eā, sed augmentatur, sicut dicebat sancta Lucia. Si volūtas sola corrupta sit, potest recuperari, sed nō si etiam corpus corruptum sit & violatum per suū consensum, potes cōsecrari in sancta Ecclesia & portare agnū aureum in signum excellentiæ & incorruptionis. Notate quod alij portant agnum, sed nō sic per modum authoritatis & consecrationis Episcopalis, sed vel per vanitatem, vel propter aliquam memoriā boni sui propositi, vel voti. Est signum quod tu es sponsa Dei, serua igitur ei fidē & legalitatem, ne in lecto tuo iaceat alius, hoc est in cogitatione tua ne sinas te rogari ab alio. Non sis periculosa & superba ex amore, & repelle immundas cogitationes quemadmodum repelleret regina famulum suum aut despectum hominem qui eam sollicitaret aut postularet de amore & turpitudine. Notate de illis qui mox post cogitationes de Deo, alias recipiunt cogitationes, & cum illis colloquuntur. Tu es (secundum quod dicit sanctus Cyprianus) optima sanctæ Ecclesiæ portio & mereris fructum centesimum, cum viduitas solum mereatur sexagesimum, & matrimonium tricesimum. Tu es regina terræ in cœlos per igneum currum contemplationis eleuata. Exemplo Heliæ qui virgo erat, & ibi esset prolixa materia.

Sed opus est vt respondeam carnalitati mundanæ vanæ & versatili, quæ contra te virginitatem loquitur, quæ etiam diuisionem nititur ponere inter tres status illos, sicut fingunt poëtæ de inuidia, quæ posuit se inter Iunonem Palladem & Venerem per contentionem de pulchritudine earũ. Dicit mundana carnalitas, quod si quælibet esset virgo, mundus deficeret. Primò casus minimè dubitandus est, & si eueniret, mundus deficeret, quemadmodum nescio, quando esse desinet. Secundò necessitas alicuius status non arguit suam excellentiam supra alios, patet de artificijs & in corpore hominis de oculo. Tertiò fieret prouisio per publicam ordinationem. Dicit præterea carnalitas matrimonium valere melius virginitate propter bona filiorũ & reipublicæ. Nec volo hic nec aliàs culpare matrimoniũ, sed dico quod cæteris paribus status virginitatis quantum est de se & de virginitate & pro tempore præsenti, perfectior est. Dico quantum est de se, quia interdũ persona melius se saluare potest in matrimonio aut propter conditionem suam, aut propter aliquod aliud grande bonum quod inde contingit. Dico pro tempore præsenti, quia in antiqua lege aliter erat ad populum Iudæorum multiplicandũ, sed modo possumus augere Christianitatẽ ex omnibus hominibus. Nota dictum sancti Augustini de Abraham & sancto Ioanne Baptista, & dicunt quod opera bonarum virginum sunt meliora & sæpius magis meritoria. Nota quod matrimoniũ pueris solum corpus ministrat. Notate quod virginitas generat spirituales filios inter se, & per preces. Notate de prædicatione quę multiplicat filios Dei, nõ ergo requiritur hic diuisio inter status, quia etiam possunt esse aliæ virtutes non æquales, sicut nupta sustinebit potius mortem propter Deum quam virgo, & sic de plurimis alijs cõditionibus. Propterea dixi cæteris paribus quod est donum à Deo, &c. Tertiò dicit mundana carnalitas virginitatis statum esse nimis difficilem & periculosum & tanquam impossibilem siue in religione siue extra religionem. Respondeo ipsum in initio esse difficilem, nisi bene gubernetur, sed postmodum est facilior quã matrimonium, quoad castitatem seruandam, & quoad alias occasiones peccati, vt sunt auaritia, ira, dissensiones, zelotypiæ, & alia mala quæ regnant in matrimonio nisi caueatur. Et ad hoc assigno quatuor causas pro sanatione quæ virgini contingit & non nuptæ. Exemplum de fœmina sese affligente propter spiritualem cõsolationem habendam. Notate quod dicit sanctus Augustinus propter verecundiam quæ ei dat in suis meditationibus auxilium, propter bonam cõsuetudinem quæ abscedere facit hunc humorẽ ad locum alium. Notate per hoc sicut apostolus cõsentit quod melius est nubere quã vri, & tribulationẽ habebunt huiusmodi. Nota de manducãdo temperatè. Vidua in principio habere potest maiores tẽtationes quã virgo ratione experientię, aliquando per contrariũ virgo propter curiositatem desiderãdi res nõ cognitas. Notate ꝙ medici iurant non se consulturos fornicationem. Notate de Amodo qui postea odio habuit Thamar. Est de illa quæ permisit se violari, & deinde pœnituit. Nota quod impeditur status perfectionis aut ob timorem ne melius valeat, aut propter timorẽ fragilitatis, aut ad probãdum constantiã, aut propter malam societatem, &c. Concludo quod parentes vel alij peccarent qui impedirent statum virginitatis per malitiam. Iusta de causa potest quis cõsulere amico suo vel amicæ suæ vt eligat melius pro salute sua quia diuersi homines saluãtur in diuersis statibus, & per hoc sciri potest quando est peccatum impedire ab ingressu religionis vel à tentatione status perfectionis, sicut impedire studium theologicũ, vel assumere prælaturam, & quando non. Dicit deinde finaliter contra has res carnalitas in immunditia esse contradictionẽ, statum virginitatis esse faciliorem & cum hoc perfectiorem, quia virtus est circa difficile. Distinguite aut difficultas prouenit ex opere in se quod est graui⁹, aut ob naturalem fragilitatem personæ & suæ cõplexionis, aut propter malã societatem aut propter iniquam inclinationem suæ cõsuetudinis. Prima & secunda difficultas faciunt ad meritum cæteris paribus. Tertia non potest & debet excusari, nec etiam quarta. Ad bene seruandam virginitatẽ aut viduitatem, inquantum habet statum similẽ virginitati ad vacandum Deo. Euangelium hodiernũ nos docet, quod virgo habere debet. Exemplo Annæ quæ fuit de tribus statibus. Primò nutricẽ, quam nomino, sobriam disciplinam, ieiunijs & obsecrationibus. Nunciam, quam voco orationem. Vnam ancillã pro camera sua secreta, quam dico sollicitudinem in templo. Sobria disciplina vel pœnitentia liberat animam & corpus ab omnibus malis occasionibus in quantum fieri potest. Cor ab euagatione cogitationis, oculum à vano aut curioso aut luxurioso aspectu, linguã à nimia loquela & blanda impudentia adulatoria vel ficta vel lasciuia, nisi fortassis in confessione & in necessitate se laudandi vel culpandi. Notate duo exempla de illis quæ se culpabant, & deinde irascebantur quando dictis eius alij consentiebant. Aures ne audiant noua hinc inde. Gustum, ne nimis comedat, præcipuè simul & escas nimis calefactiuas. Manus, de impudicis tactibus sine necessitate, vel ob malam voluptatem. Pedes, ne eant inordinatè vel nimis citò vel nimis tardè. Corpus à vestimentis nimis indecentibus aut nimis breuibus. Nec affectatę sordes, &c. Breuiter sobria disciplina format & componit taliter corpus quod est imago, format & exemplar virginitatis quæ ad intra habitat, vt vnusquisque qui eam viderit, dicat. Ecce personam Dei.

Et si interroget aliquis vbi possit hoc melius seruari & perfectius? Respondeo in religione, si bene seruata sit & cum bona societate, alioquin totum est frustra. Quod melius est in seculo seruare virginitatem, vel cum voto vel sine voto? dico quod cũ voto, si modo discretè factũ sit. Nota de illo qui dedit pira & piros. Notate quod seruitus religionis est libertas, vt heles, &c. An oporteat facere duo alia vota, paupertatis & obedientiæ? Dico quod non immò est periculum, nisi sit in manu alicuius prælati & per bonam circunstantiam, prælatúsque ordinet de loco eius qui votum emisit, de societate sua, & de victu eius. Potest ne facere virgo votum illud contra parentũ eius voluntatem? Dico quod sic, si sit in ętate apta matrimonio. Nũcia est oratio, ipsa est

est quæ fert & refert noua ab amico ad amicum, quod significat statum amborum. Notate quomodo & de periculis. Notate qualiter oratio fit superba de sua pulchritudine vel humilitate. Nota de modis petedi. Quomodo potest virgo semper orare nocte & die, sicut dicit textus? Dico quod intelligendum est in prosperitate & aduersitate. Vel illa conditio intelligitur moraliter quando, scilicet, nō est rupta per peccatum mortale. Quod meli⁹ aut ipsam orare aut laborare? Dico vtrūque esse necessariū & in principio magis operandū est ad tollendas otiosas & vagas cogitationes. Quid faciet de lucro suo. Dico quod se nutriet. Lucrum fœminæ paruum est, etiam viuere debet ipsa & contentari pauco, & de residuo dabit propter Deum, si est extra religionem, & per manum alterius aut secretè, ad euitandum superbiam & adulationem, stultamq; reputationem. Notate quod vitare debet capere & dare plus quam possit sub titulo eleemosynæ aut benefaciendi alteri. Eleemosynæ eius potius esse debent spiritualiter quam corporaliter. Notate de illo qui proiecit rosas ad latrinas. Ancilla est solitudo, fugere mundum, quantum potest discretionē & bonum consilium expertorum. Nam aliter incidere posset in phrenesim vel in peius. Fugere societatem dissolutam, & generaliter omnes recreationes quæ tendunt ad carnalitatem sicut choreas, nec sit nimiū cum iuuenibus hominibus, pueris vel alijs, ipsa dimittere debet puerorum voluptatem nuptis, statim tentaretur etiam velle habere pueros vel de peiori, vt faciunt magnæ illæ dominæ quæ ipsos deosculantur. Vellem pueri spuerent eis in faciem aut eas moderent vsq; ad sanguinis effusionem, & adhuc peius est, si sint nudæ. Nec sufficit dicere nullam adesse malam cogitationem, hoc bonum esse non potest. Sciat virgo finē esse duntaxat placere Deo sicut nupta tendit vt placeat sponso suo. Syluestres aues pulchriores habent pennas, hoc tamen non sit in contemptum secularium, ipsa dicere debet in secreto suo quod Deus sit ei sponsus & ad recreationem vt sit sancta, &c. Aliqui mundani mirantur quid facere possit persona in solitudine, præsertim si nihil sciat legere vel scribere. Otium suum est habere, &c. Dicit S. Augustinus multos esse saluatos per hoc quod legerunt in libro trium virtutum theologicarum. Saluati inquam, sunt per solam fidem, spem & charitatem. Notate de Marso Remensi qui in vigintiquatuor horis duntaxat quatuor horis dormit, & adhuc nimis breue ei tempus est ad meditandum, absque dicendo horas suas, nunquam minus solus sum, &c. Est ala tibi, te duc. Ipsa facit processionem suam per vniuersum mundum, per totum cœlum & totum infernum. Affectio deuotam ipsam ducit. Hi qui deuotionem non habent, languent malo inuidiæ. Etiam inter laborandum vel cantandum in Ecclesia. Notate inclusionem esse periculosissimam, quia si fuerit extra bonā vrbem non reperit consilium, & nimis decipitur per illusiones & superbiam aut phrenesim. Si est in bona vrbe, nimis visitatur ratione illius singularitatis. O virginitas sancta & pulcher flos Ecclesiæ sanctæ. O apis quæ deuotionis mel producis. O flos lilij albissimi & pulcher, satis laudari non potes ob dignitatē tuam nec sufficienter hortari aut consuli propter fragilitatem vasis in quo es, habemus thesaurum, & cæt.

A Et reuera nisi Deus speciali gratia ipsam seruauerit, nihil est quod eam conseruare sufficiat, sed ipse eam custodit in illis qui bono corde & integro eius implorant auxilium faciendo quod in eis est, & singulariter semper per humilem pœnitentiam propter defectus eorum & pericula & pro alijs. Si ipsa humilis non est, omnia superuacanea sunt, ipsa perdita est. Ipsa fatua virgo est quæ intra se non habet deuotionis oleum, nec æstimare debet se minus obligari Deo qui eam præseruauit quam alia. B Scire debet amissam virginitatem nunquam redire. Cogitare debet exempla sanctarum virginum præteritarum quæ potius permiserunt se occidi quam perderent earum virginitatem: Agnes, Cecilia, Agatha, & aliæ. Et notate si sese occiderent potius quam viri oppressionem sustinerent? Dico quod non, nisi per reuelationem. Nota de exemplis sancti Hieronymi & sancti Augustini ac S. Ambrosij. Et finaliter habeat semper oculum ad finem & præmium, cum fuerit bene & fortunatissimè desponsata in regali palatio cœli, in quo nu- C ptiæ durabunt æternaliter sine tristitia vel dolore.

ALIVS SERMO EODEM DIE AD DIEM.

Pœnitemini, &c.

BENE ad rem nostram & propositum recitatum est nobis sanctum hodiernum euangelium ad prosequendam materiam meam dudum inceptam quæ est culpare vitia carnalia, gulam & D luxuriam, & commendare virtutes contrarias, ad quas pœnitentia viam facit & introitum per eiectionem peccati, peruersi, scilicet, hospitis qui dudum domum nostram inhabitabat. Et quoniam dixi in quatuor sermonibus aduentus contra gulā & luxuriam hodie se offert & præsentat materia vt loquar de sobrietate & castitate, quibus virtutibus singulariter amatæ fuerunt personæ quarum meminit nostrum euangelium, quod dicit in hunc modum. Flectendo oculos considerationis meæ super hunc textum ad trahendum eum ad morali- E tatem & nostram instructionem inuenio in hac pulchra processione ad minus quinque fuisse personas, Ioseph, Mariam, puerū Iesum, Symeonem, & Annam. Et considero quod secundum tres nobiles status qui sunt in sancta Ecclesia & qui erant illic. Castitas inimica luxuriæ cum bona sua seruatrice sobrietate, quæ contraria est gulæ, recipit tres pulchra habitationes, tres placentes domos vel hospitia & secundum hoc tria sumit nomina. Primum hospitium in virginitate. Secundum in ma- F trimonio, & tertium viduitate. Nam interdum dicitur castitas virginalis, interdum castitas matrimonialis, interdum castitas vidualis. Castitas virginalis est integritas corporis & cogitationis seu mentis nunquam consentiendi ad experiendum vel probandum illam delectationem carnalem quæ sequitur tactum membrorum ad generationem ordinatorum. Castitas matrimonialis est abstinentia quædam ab opere carnali, nisi in quātum termini matrimonij & honestatis ipsum patiūtur aut requirunt. Castitas viduitatis in generali est continētia quæ seruatur in corde & corpore postquam persona fuit in matrimonio, vel carnalem

experta est delectationem. Et si illa experientia fuit in matrimonio, nominatur propriè castitas viduitatis quæ modo est extra matrimonium. Si tamen aliter aduenerit per peccatum, non habet nomen proprium, ideo propriè nominatur illo nomine castitas viduitatis. Et inuenio sanctam Annam (de qua loquitur euangelium nostrum) fuisse de illis tribus statibus, & adhæsit illis tribus modis castitatis qui sunt veluti tres suæ filiæ pulchræ & placentes. Nam ante matrimonium seruabat virginitatem. Deinde fuit septem annis in matrimonio, & post mortem sponsi sui vidua permansit Deo seruiendo. Domina nostra etiam licet nunquam amiserit virginitatē suam, nec vnquam experientiam habuerit illius fœdæ delectationis, nec in matrimonio, nec extra, possum tamen dicere (modo rectè me intelligatis & sanè) ipsam habuisse has tres filias vel species castitatis, quæ re ipsa non erant in ea nisi vna, scilicet, castitas virginalis, sed secūdum diuersos status, diuersa sortitur nomina. Non enim oportet ad hoc quod castitas aliqua dicatur matrimonialis opus matrimonij secutum fuisse, sed peccatum contrarium non affuerit. Et hic est quæstio contra stultum probrum quomodo matrimoniū Ioseph & dominæ nostræ fuit verum, cum domina nostra obligata fuit per votum nunquam cognoscere virum, nec per copulam matrimonij, nec aliter, & Ioseph sponsus suus erat virgo, vt dicit sanctus Hieronymus contra stultum opprobrium quorūdam hæreticorum in Epistola ad Thesephontem. Respondeo quod in omnibus votis semper retinetur Dei ordinatio siue dicatur siue non. Et quia ordinatio Dei fuit quod domina nostra nuberet, & de hoc facta fuit reuelatio dominæ nostræ, ipsa potuit & debuit consentire. Et si quæras vlterius per curiositatem, si Ioseph postulasset societatem dominæ nostræ, an consensisset? Dico quod non, nisi specialem habuisset reuelationem, quemadmodum habuerat de suo matrimonio. Domina nostra post mortem Ioseph sponsi sui habuit castitatem vidualem, ad intellectum modo dictum. Ideo cōcludo Ioseph fuisse mortuum ante Mariam quia commendata fuit sancto Ioanni Euangelistæ in cruce. Benedictus puer Iesus erat virgo, quia nunquam in matrimonio fuit, nec vllum habuit præter virginitatem statum, quāuis approbauerit alios status, eò quod de omnibus testimoniū habere voluit & laudem, sicut in hodierno apparet euangelio. Deuotæ personæ cum cogitarem pridie ad hanc materiam, sensi intra secretum cordis mei moueri disputationem quandam, quænam castitas magis esset commendanda, an virginalis, aut matrimonialis, aut viduitatis. Sed ante omnia suppono quamlibet harum filiarū bonam esse & laudandam. Scio namq; aliquos hæreticos virginitatis statum condemnare voluisse, alios statum matrimonij. Alij paruipendebant omnem castitatem, immo luxuriā laudabant, & dicebant viuendū esse secundum luxuriā secundū quod Romancius de rosa introducit dicere genium qui dicitur Deus naturæ. Et deinde persona actoris in fine adhuc dicit turpius illud idem. Et post hanc suppositionē posui illam propositionem, quod virginitas pro hoc tempore est magis laudanda quantū est de se, deinde viduitas, & demum matrimonium. Alia cōclusio est quod

A quælibet istarum castitatum debet laudare & honorare alterā sine superbia. Aliquæ enim personæ melius se saluāt in matrimonio quam aliæ aliorum duorum statuum. Vultis ne aperiam vobis modicum rationes quas facere solebant hæretici, & adhuc sunt aliqui contra hos tres status, & cōtra eam quam posui suppositionem. Credo vos bene velle & faciam intelligibilius quo potero, & valde breuiter vnam rationem contra vnamquemque statum. Quid prodest virginitas dicebāt aliqui, cum mundus deficeret si vnusquisque virgo esset? B Respondeo non timendum esse vnumquemque se tenere in statu virginitatis. Et sic casus Deo volente contingeret, tunc verè esset finis mundi, quandoque enim finietur mundus. Vlterius dico non oportere si matrimonium necessarium sit, virginitatem maledictam esse aut culpandam. Quid est magis necessarium quam sunt aliqua artificia, vt opiliones aut sartores aut fabri lignarij, si tamen persona eligit se esse clericum aut ciuem? non dicendum est ipsam malè agere, vel ipsam non facere melius. Sic est in proposito nostro. Tertiò dico C quod pro tempore gratiæ & pro hac lege ad quam possunt adduci omnes alij populi per baptismum, matrimonium non est tam necessarium, sicut in principio mundi aut in antiqua lege quę duntaxat Iudæos complectebatur. Contra matrimonium arguebant specialiter hæretici, & præsertim Manichæi dicentes generationem fieri non posse sine peccato mortali & sine damnatione, cum sic infans incurrat peccatū originale. Respondeo quod fides & fidelitas sacramenti matrimonij excusat D opus illud à peccato tam propter finem habendi sobolem quæ seruiat Deo, quam per hoc quod teneant sibi fidem & legalitatem durāte vita eorum adinuicem. Et si dicas omnes matrimonium contrahentes non habere illam intentionem. Dico eos debere eam habere. Et ob hanc causam inter alias causas contingit vt inter coniunctos matrimonio tantæ sint miseriæ calamitates & varij casus mali, quia principium & intentio peruersa fuit & corrupta, quid mirum si peius medium & amarissimus exitus sequatur, semper de peiori in peius. E Nota exemplum de Thobia & Sara. Contra viduitatem & generaliter cōtra omnem castitatem extra matrimonium arguunt aliqui, quia videtur eis naturam velle & consentire ad societatem viri ac mulieris, & hoc Deus præcepit. Etiam aliter credendum non est castitatem seruari, quicquid dicant aliqui non maritati se esse castos, sed sunt peiores & peius faciunt vt dicunt isti. Quid dicam hic deuoti homines. Negabo ne naturā & Deum concedere societatem viri & mulieris? Certè nunF quam inficias ibo. Dico quod in omnibus rebus concessis necesse est habere modum & ordinem, alioquin stultus fiet abusus. Exempla sunt innumera in corpore nostro & alibi de manibus de pedibus, & cæteris. Sic etiam oportet coniunctionem viri & mulieris fieri per matrimoniū propter rationes alias dictas. Quoad hoc quod adijciunt castè viuendi impotentiam, mentiuntur, & dicunt iniurias sanctis qui hos status tenuerunt in statu clericali & extra matrimonium æquæ benè, sanctè & integrè. Et contra hunc errorem aliàs sum argumētatus in postremo sermone. Dicamus modo in quo & quare virginitas excedit duos alios status.

Dixi

Dixi in conclusione virginitatem, & cæt. Notate quod pono tempore præsenti, quia in antiqua lege A erat aliter, quemadmodum dicit sanctus Augustinus, quod tantum laudandum fuit Abrahæ matrimonium sicut sancti Ioannis Baptistæ castitas. Et intelligitur quod vnusquisque status erat bonus & permissus, & non quod simile sit omnino in perfectione. Adiunxi quantum est de se propter aliquos particulares casus qui faciunt statum matrimonij esse meliorem, sibi quia etiam aptior est ad vitam actiuam.

B

DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIÆ, SERMO AD IDEM docens modum viuendi coniugatorum.

POENITEMINI.

POENITEMINI, quia pœnitentia matrimonium seruat & bona. Non est homo qui comprehendere possit dignitatẽ quæ est de qualibet anima, quæ C potest esse mater pueri Iesu per legitimum matrimonium Dei & ipsius secundũ quod ipse dicit in Euãgelio, ꝙ qui adimplet præcepta sua, est mater sua, qui fecerit, &c. Marc. 9. Et crescit sẽper magis magisque quod plus proficit anima. Interdum est in aliquibus ætatis vnius diei, in die Natiuitatis, in alijs octo dierũ in Circũcisione, in alijs vnius mensis in Purificatione, in alijs duodecim annorum, secundum quod habemus in historia hodierni Euangelij Iesum natũ fuisse annos duodecim cum D remansit in Hierusalem in templo. Sistamus hic & interrogemus dominam nostram vbi sit puer Iesus, dixi enim aliàs quod semper inueniretur cum ipsa. O dulcissima domina quod est os potẽs exprimere, aut cor concipere dolorem tuum, angustiam tuam & laborem tuum, cum percepisti puerum Iesum dulcem filium cordis tui alijs pulchriorem (speciosus enim forma) tecum non esse in regressu à Hierusalem in Nazareth, tunc certè rectè verificari incepit prophetia Symeonis quod doloris gladius tuam pertransiret animam. Tu Sy- E meonis bene verba ponderasti, cum percepisti quod Ioseph solus domũ redibat sine puero Iesu. Heu dicebas, heu Ioseph vbi ipse est, vbi est dulcis puer Iesus: Alia ex parte sic te interrogabat Ioseph. Qui maternum cor habet, meditetur hunc dolorem, verba enim me deficiunt ad eum describendum aut exprimẽdum. Tunc haud mora eum inuestigare cœpisti, & durauit dolorosa & angustia hæc inuestigatio tribus diebus integris, sicut dicemus postea. Et nos deuoti homines quid fa- F ciemus si perdiderimus puerum Iesum. Quomodo perdiderimus? per peccatum, vel per iram, ita quod declinauit à nobis declinatione dura sine valedictione. Non declines in ira à seruo tuo, aut propter aliquod mysterium, secundum quod in hoc ostenditur euangelio. Aliquando enim perditur & declinat per amorem ad magis inflammandum desiderium, vel ad tenendum in profundiori humilitate & ad quærendum eum ardentius sicut mater filio facit &c. Faciemus sicut tu pulchra & dulcissima domina. Eum quæramus in ploratu & gemitibus excurrendo pedibus affectionum nostrarum per tres dies, videlicet per contritionem, confessionem & satisfactionem. Figura de Helia. Spiritus grandis & fortis subuertens montes & conterens petras in cõmotione, in igne in vento sereno & dulci. Est pœnitentia quæ continet has tres dietas. Ideo moneo vos modò & dico. Pœnitemini, ad quod faciendum nos iuuare velis in memoriam huius desiderij, ô virgo Maria quod habuisti inueniendi ipsum quæ tunc auxilium habere volebas quod te doceret inuenire Iesum. Fac nobis quod volebas tibi fieri in tua necessitate. Ostende nobis puerum Iesum, & nos iuua per intercessionem tuam & medium vt ipsum inueniamus. Et reuera omnino parata es ad hoc faciendum, nisi in nobis steterit in nostra peruersa iniquitate aut acediosa negligẽtia. Pœnitentia ipsum inuenit. Et in reuerentiam & recognitionem illius te salutabimus &c.

Vniuersum Euangeliũ & præcipuè hodiernum, sublimibus refertum est mysterijs, quæ comprehendi non possunt, ideo ipsa, scire omnia nequimus, nec dicere sat fuerit nobis aliqua enarrare. Et quoad præsens propositum meum, considero in præsenti hoc Euãgelio pulchram coniunctionem matrimonij & preciosam cohabitationẽ quæ erat Mariæ Ioseph & pueri Iesu. Et videtur mihi magnopere matrimoniũ hic laudatum esse & instructum. Laudatum inquam inquantum dominus noster Iesus noluit nasci nisi in matrimonio & subijci. Instructum in tribus conditionibus quas habere debent sponsi & sponsæ. Debent fidem Deo, fidem sibijpsis, fidem progeniei ipsorũ, obedientiam religiosam, fidelitatem amorosam, disciplinam ratiosam, & tres custodes, videtis Mariam & Ioseph religiosos fuisse ad Deum, amorosos ad se, diligentes ad puerum ipsorum. Tria bona matrimonij, sacramentum primum, fides secundum, proles tertium. Sic dicit Euangelium: *Cum factus esset Iesus annorũ duodecim, & Maria & Ioseph ascenderent in Hierusalem secundũ consuetudinem diei festi, & completi essent dies vt rediret vnusquisque in domum suam. Puer Iesus remãsit in Hierusalem & non cognouerunt hoc parentes eius, credebãt ipsum esse in societate, & venerunt iter diei vnius & quærebant eũ inter cognatos eorum & cognatas. Et cum non inuenirent eum, reuersi sunt in Hierusalem quærentes eum. Et factum est post tres dies inuenerũt eum in templo sedentẽ in medio doctorum audientem & interrogantẽ eos, & omnes qui audiebant eum stupebant super prudẽtia & responsis eius. Et vidẽtes cũ mirati sunt. At mater sua dixit ei. Fili quare sic fecisti nobis? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et dixit eis: Cur me quærebatis? Nonne sciebatis quod in his quæ patris mei sunt oportet me esse, & non intellexerunt sermonem quem dixit eis, & descendit cum eis, venitque in Nazaret, & erat subditus eis, & mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Iesus autem proficiebat sapientia, ætate & gratia coram Deo & hominibus.*

Sicut incepi dicere, hic commẽdatur matrimonium & instruitur. Nonne admodum commendandum est matrimoniũ, cum Deus voluerit matrem suã in matrimonio esse. Secundò cũ voluerit nasci in matrimonio est palliũ sub quo occultauit se Iesus Christus, & voluit subijci matrimonio. Tertiò cũ in terrestri paradiso ordinauit primum sacramentum matrimonium. Primum miraculum in formatione Euæ & aliud in nuptijs. Quartò

cum virginitas quæ tantopere est laudanda, sicut in postremo dixi sermone procedit & nascitur ex matrimonio. Quintò cum amicitia generatur & conseruatur per totam progeniem vel in tota aliqua patria, interdum per matrimonium. Sextò cum Deus voluerit interesse nuptijs, & primo suo miraculo matrimoniũ honorare Aquã in vinum mutando. Septimò cum carnalis delectatio quæ vitiosa esset & mortalis, excusata sit per matrimonium. Octauò cum preciosissimus fructus qui fit quoad corpus est pulchra proles quæ venit & nascitur de matrimonio. Et habent parẽtes filios qui orent pro eis. Nono cum omnia mala quæ cõtingũt per peccatũ carnale extra matrimonium (vt sterilitas & maledictio) euitẽtur per matrimoniũ. Decimò cum vnum septem sacramentorũ sit matrimoniũ, quod non minus est in puritate seruandum & mundum quã aqua baptismatis qua baptizatur. Sacramẽtũ hoc magnũ est dicit Paulus &c. Vndecimò cum sola benedictio Euæ ante corpus domini nostri est facta in matrimonio. Noluit benedictione &c. Duodecimò quod Deus voluit tempore diluuij duntaxat saluare illos & illas qui erant in matrimonio. Hic sunt duodecim excellẽtiæ matrimonium coronantes, quæ in figura notantur per duodecim annos, quos natus erat Iesus Christus, cum dicit Euangeliũ ipsum fuisse subditum matrimonio. Et erat subiectus illis. An præsumptio quæ per violentiam suam desiderare vult hoc matrimonij pallium, cõtra matrimoniũ dicit omnia mala ei inesse. Respõsio nihil est tam bonũ quin homines abutantur eo. Ideo necesse est docere exemplo matrimonij Ioseph & dominæ nostræ, quale ipsum esse debeat. Matrimonio coniuncti supradictos tres habere debent custodes. Primò habere debent fidem ad Deũ, hoc est, quod sint religiosi ad Deũ. Videtis de Ioseph & domina nostra, quæ ibant singulis annis in Hierusalem in paschate secundum legem. Tres solennitates principales erant Pascha Pentecostes & festum tabernaculorum, de duobus dispensabatur, nec obligabantur mulieres ire nisi per deuotionẽ, sicut fecit domina nostra nec Ioseph impediuit hoc. In signũ quod maritus non debet impedire vxorem suam à benefaciẽdo discretione seruata. Item reperio viros multos & mulieres multas nõ matrimonialiter coniungi in Deo secũdum Deũ in principio ideo mediũ malum est & finis interdum peior. Auaritia maritat aliquas personas, quę solum despõsant pecuniam & est interdum violentia Auaritia est spinosa. Notate de iuuenibus fœminis quę accipiunt senes viros, aut è diuerso iuuenes viri vetulas accipiunt, & ex hoc contingit zelotipiæ malũ. Deinde notate bonum esse quod mariti habeant aliquid ad matrimonij onera portanda. Notate de pauperibus qui se maritant. Paupertas est molesta. Maria filia Catonis &c. Superbia desponsat aliquas personas appetentes Burgensem statũ, & de Burgensi nobilitatem. Superbia est rixosa & dedignãs omniáq; perturbans. Notate quod natura se sociat suo simili. Notate hos qui contẽnunt se despõsare Ecclesiæ & dominæ nostræ, luxuria violat matrimonium, similiter aliæ delectationes luxuriosæ statim transeunt & rixa permanet. Notate de illis filiabus quæ in matrimonio amicos & earum amatores, qui prius eas dominas vocabant, modò ipsas contemnunt. Notate de Tobia & Sara. Primã nocte
A & secunda in oratione. Desponsare nimis iuuenes nimis citò surgere ad negotia domus expedienda est in dura seruitute dominium. Primum ergo & principale fundamentum debet esse religiosa intentio ad Deum, & residuum bene succedit. Notate de Zacharia & Elizabeth ibant in omnibus iustificationibus, & cæt. Notate de parentibus sancti Nicolai. Notate de deuotis mulieribus, magna bona acciderunt mundo vt rex Clodoueus fuit conuersus per vxorem suam, & consequenter totum Franciæ regnum. Per con-
B trarium est de peruersa muliere apparuit tempore sancti Ambrosij. Et de Eua quæ erat facta in auxilium Adæ, ipsum fefellit &c. Filij Achab sexaginta. Debet ne persona maritata sustinere aliam si sit hæretica? Dico quod non, si ipsa hoc sciat, & quod ipsam seducere velit in errorem suum. Et hoc probare possit. Aliud est quando duo infideles personæ maritatæ sunt, quarum vna est conuersa, alia non vult cõtrauerti, & tamen ipsam non impedit, tunc cohabitare debet secum, non autem aliter.
C Debet ne vxor obedire marito in quacumque re quæ sit contra Deum? Dico quod non, vsque ad mortem, vt si peteretur de inhonestate vel cogitaret ad vsuram. Et remedium est, primò per secretam monitionem, deinde dicendo confessori suo ad habendum consilium eius & faciendo postea secundum bonum eius consilium. Notate de viris qui patiuntur vt deosculentur eorum vxores. Notate de principe qui monstrauit vxorem suam nudam, quæ postmodum eum interemit. Notate de
D his qui vendunt vxores eorum. Notate in quo consistat honestas matrimonij in copula carnali secundum quod natura ordinat ad prolem habendam. Notate etiam de maritis qui se damnant per hoc quod obediunt ditando vel parando vxores eorum. Potẽstne vxor facere votum castitatis vel adire Ecclesiam, aut facere abstinentiam, vt vestire hirsutam camisiam sine consensu mariti sui? Dico vxorem vouere posse se nũquam copulam sui mariti petituram, quamuis non sit res secura, sed non potest vouere quin sit obligata marito suo postu-
E lanti corpus suum. Pariformiter dico de marito, & adhuc amplius. Notate de loco præcedenti, & intelligitur hoc post carnalem copulam vel post duos menses transactos, ante hoc enim tempus persona maritata intrare posset religionem. Quoad abstinentias, vel ipsæ notabiliter grauant fœminam, faciuntque eam debilem turpem & marito displicentem. Et tunc maritus potest prohibere, & ipsa debet abstinere nisi fortasis per consilium inueniret animam suam valde inde peiorari
F si non faceret tales abstinentias. Vel abstinentiæ sunt faciles & sine magna singularitate, & tunc fieri possunt. Quoad hoc quod est adire Ecclesiã. Dico quod Dominicis & festis diebus præceptis, maritus non potest rationabiliter inhibere vxori suæ quin adeat Ecclesiã integram audiat Missam. Alijs diebus potest inhibere secundum necessitatem eorum quæ domi fieri debent. Vna persona matrimonialiter coniuncta potest ne peregrinari vel eleemosynas dare sine consensu alterius? Si peregrinationes sunt lõginquæ videtur mihi quod non, si sint propinquæ mulier vitare debet omnem suspicionem, & debet habere consensum mariti

riti

riti sui & petere societatem & locum: Notate quomodo fœmina cauere debet ne maritus eius habeat causam zelotypi, sic etiam facere debet vir, nec debet quis facile coniecturare sed suspicio nocet ad mortem. Quod ad eleemosynas, vel ipsæ sunt paruæ, vel ipsæ sunt de bonis quæ sunt communia dispositioni vnius partis. Et secundum hoc fieri potest eleemosyna vel sunt de rebus magnis & talibus quod si pars altera sciret ipsa nullo modo consentiret, & tunc præsertim fœmina hoc facere non potest.

Collatio ad idem.

Ad continuandum materiam meam clarè ordinatè & feruenter, vt intelligatur, retineatur & in opus ponatur ad matrimonij honorē. Tu pulchra maritata Maria, da nobis gratiā ob honorem filij tui quem non habuisses, si non fuissent peccatores, nec abhorre &c. Gratiæ Deo, ostendebas te castitatem habere & honorare hospitium suum quod est matrimoniū. Dicamus ergo de secunda custode fidelitate amorosa. Notate de fidelitate Susannæ propter maritum suum? Et Lucretia. Quando progenies aliqua, aut patria iuncta est in amore per matrimonium, multo plus sese amare debent duæ ipse personæ sic coniunctæ. Notate quomodo Iesus Christus sponsam suam vsque ad mortem dilexit. Notate vxores dissimulare debere patienter aliquos defectus maritorum, sicut laudat hoc sanctus Augustinus in matre sua. Notate de illis quæ patiuntur verbera ab amatoribus & amasijs tuis, & nihil à maritis. Contumaces & rixosæ vxores faciunt rixosos maritos. Nota de Abigail quæ admonuit maritū suum Nabal mane, sic facere debent vxores, non quidem cum mariti sunt irati vel dicendo iniuriam pro iniuria contumeliam pro contumelia vt fateantur se victos. Sed mariti ex alia parte sustinere debent vxorem fragilitatem si sint iuuenes, mariti eas castigare possunt primò verbis dulcibus, deinde virgis. Exemplum de illo qui inter se & vxorem virgam posuit, &c. Custodia debet esse secundum communem modum. In muliere enim nihil nimis strictū prodest, est bona non nimis strictè aut rigide teneri debet. Si est mala non potest tam præcisè seruari quin sufficienter inueniat modos. Notate de illo qui voluit custodire vxorem suam per quendam puerum qui omnia ei reuelabat. Fœmina custodiri nō vult, bona non debet, mala non potest. Adhuc multo minus animaduertere debet fœmina super his quæ facit maritus suus in hunc modū. Maritus cauere debet introducere quādam cōsuetudinem vxori suæ quam introducere non potest aut non debet, nec facere debet inhonestatem, ob quam vxor eius postea eū non tantifaciat. Nota de vxoribus & viris qui se mutuo inebriant vel petunt inhonestatem, & postea sese abhorrent. Nota quod amorosa fidelitas in domo magistrā suam duo docere debet artificia, prudentiam discretam quæ est pro vita actiua, benignè supportare & admonere, onera diuidere & amicos se mutuo amare. Vir habere debet curam grandium negotiorum ad extra non multum dicendo vxori suæ. Et vxor manu tenere debet domum in sobrietate, honestate, castitate & frugalitate, nō nimis cōmouendo maritum vel vespere vel mane. Nimia in vxore largitas est magna in ea vituperatio. Mulier subiecta esse debet

A viro coram hominibus & socia in mēsa, & in lecto sponsa amata, scilicet, quod habitandū est & viuendum est ea nō tanquā serua vel ancilla sed in omni honestate, & ipsa se habere debet in omni amore erga maritum suū quemadmodum vult maritum eam benignè tractare coram hominibus, parum loqui, humilitas, sobrietas & castitas, opera sunt quæ faciunt vxorem placere marito, dulcedo verò seu benignitas, & mariti fidelitas facit maritum vxori placere. Et etiam quod vnus amet amicos alterius, hilaritatem ostendendo absq; tamen suspicione.

B Notate omnia hæc in Ioseph & Maria qui concorditer adibant Hierusalem, & quærebant filium eorū &c. Notate quod cubabant in diuersis lectis, nec videbant se nudos, quemadmodum recitat sanctus Hieronymus. Fœmina dicit se esse indispositam, debet ne credere maritus, nec postulare eius societatem? Dic quod sic, nisi appareret esse fictionem. Si mulieri non adhibeatur fides & maritus petat corpus fœminæ, nec ipsa eum retrahere possit, ipsa obediet sine peccato &

C maritus peccabit. Sic etiam dico si sit impregnata, modò puer non pereat. Et si vxor receperit corpus dominicum vel sit magnum festum. Dico pariter quod obediet. Et propterea bonum est vxorem, vel virum vnum non recipere corpus dominicum sine facultate alterius & conuētione nolle simul habere carnalem copulam. Si fœmina forefacit, quid melius est aut ipsam secludere aut eam retinere? Dico quod si maritus habet spem emendationis suæ, potest ipsam retinere, si non, debet separari per iudicium, si factum probari possit,

D non aliàs. Securius est in multis casibus dissimulare. Secundum leges aliquas ciuiles, maritus posset occidere vxorem suam si inuenta esset in facto, sed Deus & ratio hoc prohibent. Si vna partium nunquam cōsenserit nisi per vim, an ne sit factum verum matrimonium? Dico quod non, nisi nouus adueniat consensus, sed Ecclesia iudicabit quod sic. Et si votum solemne aut progenies impediens inueniatur. Dico quod separabuntur partes quantumcumque fuerint simul, nisi Papa dispenset. Quid dicetur de parte, quæ ante matrimonium

E simplici voto vouerat castitatem, poterit ne habere carnalē copulam sine peccato. Dico quod sic, si sit ad petitionem partis suæ, sed non ad suam petitionem. Si votum esset de castitate seruāda principaliter, & non de hoc quod nunquam contracturus esset matrimonium, tunc enim votum est violatum per matrimoniū & post matrimonium potest bene reddi & postulari carnalis copula. Et apparet votum castitatis nō aliud importare, quia votum est de re quę de se esset licita nisi impediret

F votum. Si maritus esset excōmunicatus, posset ne vxor manere cum eo? Dico quod sic, sed ipsum admonere debet, non impedire nec cōsentire debet crimini. Notate opus misericordiæ quod est mai⁹ ad maritum suum seruandum, &c. Et si maritus est leprosus per exēplum de Libia. Quam magis amare debet maritus, an vxorem suam, an matrem suam? Respōdeo quoad plures res debet habere matrem suam in honore & reuerētia, sed similiter vxorem, quia ipsa est corpus suum. Et in articulo mortis tam matris quā vxoris si solam vnā liberare posset, scilicet alteram earum, liberaret vxorem suam & perire permitteret matrem. Videtur etiam mihi

magis eum amare debere vxorem suã quam filios suos,& sic de vxore ad maritũ, cui magis obedire debet vxor, an patri, an matri, an marito suo, an naturali & temporali domino suo? Responsio secundum diuersas dominationes requiritur distinctio. Nam quoad factum matrimonij fœmina magis obligatur spõso suo, quoad aliquas reuerẽtias matri suæ quoad hoc quod respicit rempublicam domino. Quis magis amat aut pater aut mater? Mater ardentius, pater amat constantius. Et puer magis diligit matrem in iuuẽtute, & deinde patrem cum effectus fuerit maior, nisi consuetudo hunc mutet amorem. Quid magis amant aut parentes filios, aut filij parentes? Dico parentes magis diligere filios. Personæ in matrimonio existentes habere debent tertiam custodem sollicitã disciplinam, quæ castigat benignè, sanctè & sanè, habetis pulchrum exemplum in hoc euangelio: *Fili.* Et notate de illo qui mordendo abstulit nasum patris sui. Notate de Hely qui non correxit filios suos quos debebat destituere ab officio non modo admonere. Notate pœnam alicuius pueri qui erat contumax & inobediens lex præcipiebat eum baptizari. Et notate Iesum Christum potius mansisse per mysterium quam propter aliam causam. Et habuit domina nostra meritum inustigãdi eum, fuitque per specialem dispensationem quod habuit illam non cognitionem amissionis Iesu Christi. Et ad nos docendum. Notate quod bene viuere potuit tribus diebus sine comedendo. Notate qualiter reuerentia debeatur pueris, quomodo, scitum est tunc quis esset ille puer. Parentes debent instruere liberos sanctè ad bonam religionem & bonos mores per fidem & alia. Notate de spiritualibus parentibus & de fidelitate hoc apparet in Euangelio. Notate quare dominus noster remansit in templo in significationem quod pueri possunt & debent studere & addiscere bonam doctrinam, etiam sine scitu vel facultate parentum eorum nisi causa rationabilis fuerit ob necessitatem aliam. Notate de quo Iesus Christus loquebatur. Notate contra personas quo exemplo & verbis nocent eorum pueris in auaritia, in ebrietate, in luxuria, in pompa, in lubricitate, in tantum eis applaudendo & ipsos tangendo, in iuramentis, ad luxuriam, in superbia, in stulta credulitate. Et illis faciunt pueros eorum matrimonialiter coniungi: Parentes debent habere sufficientem benignitatem ad eorum liberos, non regendo eos nimis asperè, nec nimis delicatè, mater pia &c. Benignitas melior est quam rigor, debent habere cor humanum. Notate de aue ad prædam apta quæ ob dulcedinem, & asinus ob verbera. Notate exemplum de filijs qui non poterant proficere, quia nimium vapulabant. Virga eum cæde &c. Nota quomodo domina nostra benignè loquebatur: fili, & cæt. Notate de Quintiliana qui non volebat pueros cædi. Notate de malectionibus parentum & benedictionibus. Notate de Helisæo & de pueris vsque ad quadragintaduos quos duo vrsi deuorarunt. Verecundia est ornamentum pueri. Nota de conditionibus puerorum. Sunt pueri parui puti modico saciati. Ludum concordant, citò dant, citò pacificantur. In infantia præcipuè, & postmodum debet conseruari puerorum sanitas & eis fieri thesaurus per artificium, &c. Contra hoc est dare peruersas nutrices, ebriosas, stultas, & A malorum morum in carnalitate. Notate de matre sancti Bernardi. Contra hoc est habere sobolem tempore ægritudinis, vel per nimium exercitium operis carnalis, aut in leprositate. Contra hoc est dare nimium ad potandum & comedendum pueris, mala societas & consuetudo. Contra hoc est impedire prolem vel prius abutendo matrimonio, vel post quando fit abortus per vestimenta aut per choream, aut per verbera vel per pocula aut aliter. Expedit habere consilium commune & B confessorem. Quid fiet de filio illegitimo, si mater ei dixerit illud, non credet, si dicat marito suo, ponit se in periculum mortis, si permittat succedere puerum, alij decipientur, & exhæredabuntur, si consulatur illi vt efficiatur Ecclesiasticus aut ingrediatur religionem, forsitan non obediet. Casus est periculosus. Apparet mihi in generali. quod mater potest dicere in secreto sola soli puero conditionem suam, quod si ipse non curauerit, videtur mihi matrem nil aliud facere posse & esse potest in statu salutis nisi mater daret alijs filijs per C modum donorum. Tres modi dubiorum soluuntur per has tres custodes quando interrogantur, primum quare vna mulier non potest habere duos maritos, quemadmodum vnus maritus solebat duas habere vxores vel plures? Respondetur hoc esset contra bonum matrimonij, & præsertim quoad prolem. Nam mulier melius generat pueros ex vno viro quam ex pluribus. Alia causa est, quia hoc esset contra amorosam legalitatem. Exemplum de Socrate habente duas vxores quæ D continuè rixabantur. Et notate de duobus responsis Socratis. Vnum erat quod addiscebat domi quomodo patientiam habere deberet in ciuitate. Aliud quod bene sciebat post talia verborum tonitrua venire pluuiam, videlicet vrinam duarum vxorum in eius deorsum, &c. Notate historiam quam de Papirio recitat Macrobius, quod quælibet mulier voluit habere duos maritos &c. Tertia causa est quoad Deũ, quia hortarentur ad omnem auaritiam & propter luxuriam mariti eius (sicut Salomon) obliuiscerentur Dei. Secundum du- E bium, quare melius est post matrimonium permanere in viduitate, vt seruiatur Deo, & cogitat vnusquisq; de se ipso. Notate de viduis quæ viuere volunt in delitijs & libertatibus quę mortuæ sunt, sicut dicit Apostolus, & sunt curiosæ, ignominiosæ, ebriosæ, superbæ & superstitiosæ, contiuuè addiscunt, & nihil sciunt. Semper discẽtes &c. Contemnunt presbyteros tanquã eorum famulos propter pecuniam &c. Hypocritæ pauperes, in talibus nil potest viduitas, nec etiam sępenumero ma- F trimonium. Notate responsum Socratis cuidam interroganti si vxorem ducere deberet. Quicquid (inquit) consuluero tibi pœnitentia duceris, hic solitudo displicebit, illic iurgia. Notate ꝙ sanctus Ambrosius dedit S. Augustino tria documenta, ad non consulendum matrimonium, ad statum præsbyteri, & stipendarij famuli diuersi. Secunda causa est amor & memoria spõsi sui defuncti, qui aut fuit bonus, & stultitia est ponere se ad fortunam probandi aliquem malum, vel fuit malus & adhuc poterit ipsa habere peiorem. Dido sese interemit vt fidem seruaret defuncto Sicheo. Vxor Hastrubalis ducis Carthaginensis se misit in ignem cum duobus

duobus suis filijs. Isti ex India multas habent vxores, & melius amata viuit, ac moritur cum marito suo &c. Portigina filia Darij, occidit ancillam suam quæ ei consuluit secundas nuptias. Libia desponsata Tullio, dixit se opinari omnes viros ora habere fœtida. Maria Catonis filia dixit nullam esse quæ adeò amaret maritum suum sicut ipsa. Marcella matri suæ interroganti si læta esset quod virum haberet. Respondit sic, in tantum vt nolim amplius. Notate exemplum de turture. Tertia causa est propter pueros, solent duræ strenæ eos adducere, qui Gallicè dicuntur *paratre* vel *maratre*. Tertium dubium, quare præsbyteri non ducunt vxores? Prima causa est vt seruiant Deo mundè. Notate quod præsbyteri legis veteris pro tempore mysteriorum eorum abstinebant ab vxoribus ad sciendam sacram scripturam & eam exponendam. Et notate quod dicit sanctus Augustinus nihil esse quod adeò hoc impediat. Notate de Tullio qui dixit se non posse intendere vel vacare vxori & philosophiæ. Nota de irregularitatibus in Græcia. Notate quæ scientia acquiri possit cũ fœmina, & quæ nõ &c. Notate de Græcis qui secundũ Bonauenturam perdiderunt scripturarum intellectum. Notate quod fiunt nimis multi præsbyteri & nimis multi domini. Vnusquisque calceator vult habere suum capellanum. Notate de sancto Innocentio. Notate quod bonis possumus abuti, vt sermonibus. Notate quod essent mercatores. Secunda causa propter sponsam ipsorum ecclesiam, quam spoliarent & ei furarentur propter eorum liberos & vxores. Notate de Iuda. Notate de nepotibus & de stolidis mulieribus, & quomodo sunt peiores furibus. Notate quid faciat naturalis amor ad promouendum filios. Exemplo bestiarum quæ se faciunt occidi vt filios suos nutriant. Et per hoc multi damnantur & malè ducuntur in hoc mũdo scienter. Notate de illis qui nutriunt concubinas & quomodo. Tertia causa ob nutritionem filiorũ ipsorum spiritualiũ, carnalis amor eos timere faceret magnos, adulari mediocribus, contemnere paruos. Ideo ordinati fuerunt mendicantes vt nihil timerent, sed parum prodest extrinseca paupertas, & nocet si nimis lateat cupiditas, ideo non recipiuntur in testimonium. Nota quod sit expedientius vel eos habere vel non? Notate de sancto Paulo qui nihil capiebat, specialiter de audientibus confessionem, paupertas, iuuentus, mali mores, errores, sicut vt capiunt decimam. Notate prædicatorem magis proficere si nihil capiat & nihil det; per dãnationẽ enim faceret hypocritas, & per captionem dissimularet vitia &c. Quod rapere à mortuis quod nihil est & minus existimaretur. Notate de illis qui allegant impotentiam castè viuendi, hoc est, quia non fugiunt occasiones. Notate qui peius agat, præsbyter concubinarius, aut &c. Notate de theologis non vxoratis. Notate quare in primitiua ecclesia erant vxorati, quia erant pauci, & ante conuersionem eorum vxores habebant. Et sobriè vtebantur matrimonio, nec adhuc ecclesia dotata erat. Notate quod si ecclesiastici non seruent fidem Deo nec etiam seruarent in matrimonio. Et multi sanantur castéque viuunt, qui sic in principio vxores ducerent &c. Notate de sacerdotibus Ægypti & Athenarum Gerson. Quarta pars.

quibus mille erãt pœnæ. Notate si sacerdotes cõcubinarij absoluant. Notate si debeãt audiri missę eorum. Fiat recollectio & finis.

A

O dulcis Iesu qui es verus virginitatis sponsus & legitimus castitatis amicus, dulcis Iesu sine malicia, sine ira, sine inuidia velis per intercessionem matris tuæ mundissimæ & puræ conseruare pulchram virtutem castitatem in omnibus statibus qui modò eam habent, & renouare in illis qui eam amiserunt, quomodo renouare? per pœnitentiam. Pœnitemini. Castitas pulchra per pœnitentiam renouata facit vt adueniat nobis regnũ

B

Dei secundum tertiam ipsius orationis dominicæ petitionem, alioquin est deuastatio & horribilis confusio. Regnum hoc decorè est ornatũ, in quo est Maria Ioseph & Iesus. Ioseph est intellectus, & Maria voluntas. Iesus est gratia mediante qua Iesus est tanquam subditus aliquo modo intellectui nostro & voluntati, in quantum impetrat concedit omne illud quod rationabiliter voluerit postulare. Felix est persona quæ in se habet tale regnum talem supellectilem, quam nobis concedere velit pater filius & spiritussanctus. Amen.

C

DOMINICA I. POST OCTAVAS EPIPHANIÆ EX EVANGELIO: *Nuptiæ factæ sunt. Contra Auaritiam Sermo. Pœnitemini &c.*

POENITEMINI, quoniam auaritiæ vitium pœnitentia occidit. Cognitum vobis est, & per sermonem & per picturam, miraculũ de mutatione aquæ

D

in vinum in nuptijs quibus intererant Iesus, Maria & discipuli. Quod ad mysticum sensum. Si vinum deuotionis & sanctæ consolationis deficiat in domo nostra & in habitatione nostra, ac in spiritualibus nuptijs, quæ continuè celebrari debent inter Deum & animam deuotam in Galilæa, hoc est in memoriam nostræ mutabilitatis & transitus. Galilæa transmutatio vel regressio interpretatur, & in Cana hoc est in magno & singulari amoris desiderio, qui nec vult nec potest pati alterius amoris saltem contrarij societatem. Si vi-

E

num inquam, nobis defuerit per nostram culpã aut auaritiam. Quid faciemus? Audite quid dicat misericordiæ mater & totius dulcoris & pulchri amoris benedicto filio suo Iesu: Vinum non habent, hoc durum est nunciũ. Nam vbi tale vinum defuerit non adeò iocundum celebratur festum. Vinũ lætificat cor hominis. Maledicta sit auaritia quę tale nobis aufert vinum. Obediamus dominę nostrę faciamus quęcunq; dominus noster Iesus dicet nobis. Quid dicet nobis; vt repleamus hy-

F

drias & vasa cordis nostri aqua. Hæc aqua est aqua compunctionis & lachrymarum quæ hauritur ex corde pœnitentiæ, vasa fidei, & corda aut fune spei, & effunditur per diligentem meditationem & memoriam nostrorum defectuum periculorum & finis nostri. Pœniteamini igitur, hoc est dictum, de præteritis peccatis ploremus, & à futuris caueamus sperantes quod pia illa mater conqueratur filio pro nobis, & nobis impetret vinum hoc deuotionis vt audiamus libenter & fructuosè verba fieri contra vitia, præsertim contra maledictam auaritiam. Et nos

te salutabimus virgo dignissima &c.

Si habuerim forte & prolixum contra gulam & luxuriam certamen, velit Deus quod fuerit ad profectum & victoriam, superest aliud non minus certamen aduersus cupidam auaritiam, malā & insatiabilem bestiam, quæ os habet simile, sicut maris abyssus vel infernalis puteus, nihil enim ipsum replet, nihil apparet quicquid imponitur. Ipsa auaritia est turpissima & liuidissima & admodum monstrosa. Quærit tamen nihilominus matrimonium contrahere cum pulchra Dei imagine humano spiritu, ô infaustum & maledictum matrimonium, ô humanæ creaturæ spiritus, qui tam nobilis es, tam pulcher tam dignus quare & quomodo auderes te iungere & contrahere cum crudeli hac raptrice, cum hac damnata vetula, cupida sc. auaritia. Certè alio matrimonio dignus es, nec aliud obstabit nisi tu quo minus ipsū habeas. Sed quid facit mōstrosa hęc bestia auaritia, vt cooperiat turpitudinem suam & deformem figuram, se parat & superinducit pallium, quod appellatur iusta necessitas, & vitæ ac status honestas, quodque oporteat securè, honestè & sufficienter viuere. Ipsa tamen tollit omnem honestatem, sufficientiam & securitatē. Sed quid facit proditrix illa: se in varias mutat figuras & species. Modò dicens se esse fidam mercatricem, modo alicuius artificij fœminam, interdum ecclesiasticum assumit habitum, aliquando videtur aduocata vel procuratrix, vel iudex, deinde se mutat in formam dominij & dominationis, sicque fascinat humanas personas in singulis statibus nisi caueant & nisi infortunatum eius fugerint matrimonium. Infortunatum rectè dico ipsum, & in bona fide ipsum valde est fugiendum, omnia enim bona matrimonij & omnes custodes de quibus postremò locutus sum, ibi desunt, non adest sacramentum, non fides, non bonum prolis, sed sacramenti loco est execratio, in loco fidei deceptio, in loco boni ipsius prolis, iniqua generatio, Iesus certè ibi non est, nec Maria, nec discipuli Iesu. Et aqua non mutatur in vinum, nisi vt sint falsa testimonia, immo semper abundat tribulationis aqua, & vinum deficit sanctæ consolationis, verum est has nuptias fieri in volutatione & rotatione secundum interpretationem huius dictionis Cana quod interpretatur zelus. Notate de Ixione qui in rota vertitur secundum poëticas fictiones, & secundum verbū euangelij de duobus qui sunt in molendina. Exemplo Samsonis. Contra hanc monstrosam bestiam clamo vobis? Pœnitemini. Nam plus pro media parte iam decepti estis si eam susceperitis. Pœnitemini.

Priusquā descendam ad declarandū illud quod proposui, audite quid hodiernum dicat euangelium, & qualiter post sensum literalem ipsius sumpsit sensum meum moralem & dicta mea.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & ibi aderat mater Iesu. Iesus quoque vocatus fuit ad nuptias & discipuli eius. Et cum vinum defecisset, mater Iesu dixit ei: Vinum non habent. Iesus autem respondit ei: Quid mihi & tibi mulier? Dixit mater ministris, quæcumque dixerit vobis, facite. Ibi erant sex hydriæ lapideæ secundum purificationem Iudæorum, quælibet duas aut tres continebat mensuras quas nominabant metretas. Iesus dixit eis: Implete hydrias illas aqua & ipsi impleuerunt vsque ad orificium. Iesus autem dixit eis: haurite iam & date architriclino, id est, magistro domus. *Dederunt ei, & cum gustasset architriclinus vinum ex aqua factum, & nesciret vnde esset. Ministri autem nouerant qui aquam hauserant. Architriclinus vocat sponsum, & dicit ei: Omnis homo primum apponit vinum bonum, & cum inebriati fuerint, tunc illud quod non tam bonum est, & tu bonum vsque modò reseruasti. Hoc fuit initium signorum Iesu in Cana Galileæ, & ostendit gloriam suam, discipulique eius crediderunt in eum.* Cana est iuxta Nazareth, Iesus adesse voluit ad humanitatem suam communicandam & ad matrimonium approbandum. Hæ nuptiæ secundum nonnullos fuerunt sancti Ioannis euāgelistæ. Et propterea domina nostra aderat tanquam de progenie illa. Nec tamen credendum est quod aliqui cogitarunt quod in matrimonium duceret Mariā Magdalenam, quoniam ipse pauper erat, Maria virgo Magdalena diues, nec etiam Iesus fuit causa peccati sui impédiēdo suū matrimonium, & discipuli quorum meminit hoc euāgelium, non erant duodecim apostoli sed aliqui discipulorum sancti Ioannis. Iesus Christus sic respondit dominæ nostræ, vel ad demonstrandum diuinitatem (ad quam spectabat facere miracula) non ei scilic. matri esse subiectam, vel quasi diceret defectum esse in ministris, non in Iesu, nec in Maria, vel ad ostendendum ne nimium trahamur per carnalem amorem matris vel cuiuscunq; alterius personæ progeniei nostræ. Notate qualiter Deus non respondet non rogantibus, interdum tamen facere debemus quæcunq; præcipit Iesus Christus. Domina nostra appellatur mulier sicut Eua appellata fuit in creatione sua, & est nomen perfectionis & sexus, non autē corruptionis, quēadmodum aliqui hæretici dicere nisi sunt, & propter hoc dominam nostram non esse matrem Iesu Christi, cū tamen præsens euangelium prorsus asserat contrariū. Domina nostra confisa est de Iesu Christi bonitate. Et fuerunt vasa repleta aqua vt miraculum esset clarius & notabilius, & tenebant vasa illa veluti viginti aut triginta sextarios vnumquodq;. Et vinum bonum fuit, quia Dei perfecta sunt opera. Nec factū fuit vinū illud ad inebriandum sed ad succurrendū paupertati vel verecundię spōsi & architriclini, qui erat magister domus, & erant tres ordines mensarū aut habitationum. Quod dicit omnem hominem bonum vinū prius dare ad inebriandū, non est intelligendum quod bene factum sit, sed capit ebrietatem pro exhilaratione discumbentium, & pro liberalitate, vinū in iocunditatem creatum est non in ebrietatē. Auaritia malo poculo inebriat. Iesus fecerat prius aliqua signa, sicut in natiuitate alibi, sed euāgelium intelligitur de signis factis per fidem publicam & in aperto. Nuptię illæ factę fuerunt in die epiphanię in anni reuolutione. Reuertamur ad materiā nostram, & omittamus omnes alias modò morales aut mysticas expositiones quæ fieri possent secundum diuersos nuptiarum modos. In nuptijs auaritiæ cum humano spiritu, pro sacramento est execratio & maledictio, fidei loco deceptio, in loco bonæ sobolis peruersa generatio. Dicamus primum in generali. Quid est auaritia? Auaritia est voluntas & desiderium hominis acquirendi vel retinendi aliter vel aliam rem quam ratio det aut

aut permittat. Et potest ista voluntas duntaxat esse ad intra, vel sese ostendere per opus. Voluntas ad intra si simplex est & sine conditione habendi bona alterius, vel retinendi præter rationem aut per media non conuenientia, vel aliter quam aptum sit aut dignum, vel per nimiam curiositatem & cupiditatem; ne permittat seruitium fieri Deo & cogitari de eo, est peccatum mortale, vel ob malum finem, postquam consensus est omnino deliberatus. Notentur partes & declarentur. Sunt quidam qui dant & rebus semper abundant, sunt quidam qui rapiunt & semper esuriunt. Auaritia quæ se non declarat ad extra, est in operibus quæ reduci possunt ad quatuor species tanquam ad quatuor filios vel filias. Quando cupida auaritia se iungit humano spiritui, præsertim sub specie alicuius bonæ mercatricis loco benedictionis sacraméti, execrabilis datur maledictio per os creatoris, scripturæ & creaturæ. Deus maledixit serpenti in hoc quod comederet terram nec se in altum erigeret, humanus spiritus auaritiæ iunctus istam incurrit maledictionem, quia dentibus acutis cupidorum desideriorum terram comedit. Nonne terra est omnis terrena substantia, aurum, argentum, & res similes? Certè ita, has res auarus deglutit per desideria & deuorat, & retinet per ardentem & rapidam cupiditatem in stomacho spirituali animæ suæ, quæ potest dici memoria sua aut recordatio. Et de hoc capit sæpe huiusmodi escas terrenas ad eas ruminandas vel rodendas denuo per cogitationes ferè continuas ipsum auarum quiescere non sinentes. Tales auari assimilantur talpæ, quæ viuit in terra, & terra cooperitur, nec videt quicquã saltem in die, hi sunt maledicti ter in Apocalypsi per os angeli, væ væ væ habitantibus in terra, quemadmodum sunt cupidi, & quamuis cupidus nihil videat in bonis spiritualibus, est tamen securus & cautus tanquam serpens in factis suis terrenis, sicut aliqui dicere volunt talpam videre in terra. Filij huius seculi &c. Lupus implet se terra ad deijciendam vaccam vel bouem, & auarus terrenis cogitationibus ad confundendos alios & deuorandos, non est mirandum si talis inflatus sit ponderosus & indispositus, nec quicquam cognoscere possit bonorum spiritualium.

Secunda maledictio est à sacra scriptura quę procedit ex ore Dei, & quamuis tales maledictiones sæpius repetantur & causentur, sufficit mihi de illa quod maledictus qui partem suam facit deteriorem. Et iterum: Væ qui prædaris, quia prędaberis. Pars spiritus est Deus, nulla est alia portio quæ eum satiare possit. Domine fecisti nos ad te & inquietum est cor nostrum &c. Aug. lib. de confes. Est pulchra & magna pars, nimis cupidus est is cui pars talis non sufficit, vel nimis infelix qui eam recusat, & tu auare refutasti eam &c. Interdum pro vno denario quem fortassis nunquam habebis. Deus ad te venit sine auro vel argento, tu eũ recusas, diabolus tibi aurum apportat & argentum vel solum vanam spem, tu ipsum mox recipis, tu recusas portionem preciosorum ciborum spiritualium propter fimum & terram. Paulus qui erat tam sapiens nonne iudicabat omnia terrena sicut stercora? Omnia inquiens arbitratus sum vt stercora: ad Phil. 3. Et accidit sæpenumero vt comedere compellatur auarus, hoc quod acquisiuit per spoliationem vel aliter. Etiam quandoq; illud deuorare cogitur exemplo imperatoris qui vtebatur officiarijs suis sicut spongia, mittebat eos impleri, deinde eos constringebat tollendo ab eis quæ malè acquisiuerant vt cederent in pauperum acquisitionem. Illud etiam apparet in ludis taxillorum. Exemplũ de sanguisuga quę sugit malum sanguinem, & inde moritur. Vbi sunt opes &c. Diues spoliat & spoliatur, comediturque, vel per dominos suos aut domesticos, aut per vxorem, aut per taxillos, aut per adulatores, aut per fures. Facit thesaurum suum de ira Dei; & malus est thesaurus. Thesaurizas tibi iram Dei &c. Captat se in laqueis, in retibus & captiunculis quæ auaricia ei ita terra abscondit ac ponit in sua putredine, qui quidem laquei tam subtiles sunt, vt interdum vix etiam doctus eos cognoscere possit & iudicare de eis. Et ducuntur in desperationem in confessione auari propter restitutionis modum, vt quia nullus opinatur, aut percipit se esse auarum.

Tertia maledictio est per seipsum, sæpè maledicendo sibijpsi per impatientiam aut ob lucrum. Hoc patuit de Theophilo qui propterea se dedit inimico, pauperes, & alij ipsi maledicunt. Etiam interdum omnes creaturæ ipsi maledicunt inquantum auaritia cõtra earum est naturam. Omnis res naturaliter desiderat expandi & communicari, vt consilium, ignis & alia omnia, propterea dum cantat auarus: Benedicite omnia opera domini domino. Omnia opera Dei respondere possunt, id facimus, sed tuipse maledicis & dictis & factis propterea te maledicit & nos te maledicimus. Pœnitemini de prædicto matrimonio, nõ libẽter, quis comederet escam maledictã. Hic fieri potest repudiatio qua melior est cita quam tarda & melior tarda quã nulla. Auaritia prętereanec fidẽ seruat, nec fidelitatẽ marito suo cui desponsata est, humano videlicet spiritui. Promittit primũ sufficientiam, securitatem, potestatẽ, libertatẽ, requiẽ & iocunditatem, affert tamen omnia in cõtrariũ. Nulla est in auaritia sufficiẽtia, quãto plura habet auarus, tanto magis cupit, more hydropici qui quãto magis bibit, tãto magis sitit. Ignis quãto plus habet lignorũ tãto magis ardet. Aqua salsa quo magis gustatur eo ampliorem sitim adducit, quo plus sunt potę, plus sitiuntur aquæ, ait. Ouidius. Exemplum de Tãtalo qui vsque ad mentum est in aqua & tamẽ bibere nequit. Exẽplũ de quodam serpente qui dipsas nominatur, qui vritur siti in medio fontis. Et quidã alius mori facit siti. Exẽplũ de Myda qui optabat quicquid tãgeret, omne id fieri aurũ, & mortuus est fame. Cor quod sitit argentũ ad extra, & tamen solũ est ventus & res vana, & sic de omnibus rebus, quæ nõ replent neq; satiãt, sed secum suã afferunt indigentiam, hoc apparuit in diuite qui volebat granaria sua ampliare propter præcedentis anni fertilitatem, inopem me copia fecit, dicit Tantalus. Et qui multa habet, multis indiget. Quia auaritia ignis est, & bona sunt ligna. Notate quod qui assumit equum opus est sibi famulo, deinde opus est eum nutrire & audire eius rixas &c. Qui sunt famuli, sunt oblocutores, sunt simeæ, sunt ama-

ti rasores, ad minus multi. Vis habere sufficientiam, opus est vt tollas peruersi desiderij sitim. A Non ditaberis per plus habere, sed per minus desiderare. Cupiditatibus detrahendum dicit Seneca &c. Notate de Alexandro. Notate de multis beneficijs. Et quomodo de superfluitate fit necessitas. Exemplum de illo qui ridendo duntaxat duos lucrabatur denarios.

Sed quoad securitatem accidit sępius quod qui magis habet, minus est securus, homo vacuus & pauper cantat per nemora sine timore latronum, vt ait Iuuenalis. Diues timet omnes, timet dominos, timet amicos suos, timet & inimicos. Exemplum de quodam calceorum refectore qui cantabat, cui diues quidam adiecit sacculum argento plenum, qui postea fuit melancholicus, meditans quid nam acturus esset. Notetis de duobus muribus. Accedamus secundam promissionem quā facit auaritia, pollicetur & iura & libertatem. Est ergo per fidem meam decaptio ingens, nam seruitutem adducit grauissimam verecundamq; & onerosam quæ tantopere constringit & incarcerat cupiditate, vt pauper humanus spiritus plerumque non inueniat euadendi modum. Interrogate (vt dicit sanctus Bernardus) aliquem diuitias habentem (malè loquor, sed quem habent diuitiæ) viri diuitiatum, interrogate si hi qui dimittunt omnia vt seruiant Deo in religione benefaciunt, dicit quod sic. Fac igitur eo modo dices ei. Ipse se fricabit & dicit se non posse hoc facere. Quomodo si es magister diuitiarum tuarū, tu percipere debes & ipse obedire. O auaritia quam dura es magistra, nihil tam asperum est, aut tam difficile quin ipsum præcipias & facias quod obediatur tibi. Dicis vt eatur per terram, per mare, per calorem, per frigus, extra domicilium, dimittendo vxorem & liberos, facis vt obediatur tibi:

Impiger extremos currit mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Pręcipis non bibere non comedere, viuere modico vestitu, mori frigore, spinis affligere pedes ad parcēdum calceis, facis etiā ne consumātur calcei. Curas vt tibi obediatur, præcipis vt seruitium præstetur inimico crudeli, qui paratus est in infernum rapere per peccati seruitutem. Ah quam vilis seruitus, facis tamen vt tibi præstatur obedientia. Præcipis adulari diuitibus, & complacere omnibus qui conferre possunt diuitias, & timere omnes qui ipsas tollere possunt, facis vt tibi obediatur. Auaritia dicit, itur, dicit veni, venitur, dicit iura periura, vende Deum sicut Iudas, fit, dicit quod ponatur super collum spiritus sui ingens molaris terrenarum occupationum pondus ad obligandum magis, magisque animam suam diabolo, Et fit. Dicit vigilate vsque ad diem. Quare vigilate, ad labendum profundius in inferni foueam, fit, hæc est admodum parua libertas, immo verè durissima & admodum verecunda seruitus. O mihi dic quid sit seruitus, si eius commoda facere sit libertas? Dicamus finaliter de tertia promissione, quæ est promissio requiei & iocunditatis. Cum habueris (inquit auaritia) diuitias quiesces, & Deo seruies. O ciues ciues quærenda pecunia primum, virtus post nummos &c. Mentitur deuotum hominem, ipsa mentitur, non ei fidem adhibueritis, potius Iesu Christo credatis, qui vocat huius mundi diuitias spinas, propter duras punctuas curarum, solicitudinum & melancholiarum, quæ perfodiunt animas vsque ad viuam carnem immo vsque ad dolorosum languorem, immo verò vsque ad amaram mortem deducunt. Et certè miser est pręsertim christianus, qui tibi credit ô auaricia in promissione tua, cum Iesus Christus contrarium affirmet, & experientia ad oculum declaret. Qualis stultitia est (vt dicit Horatius) esse semper miserum & in tribulationibus propter spem vt aliquando sis otiosus & sine tribulationibus. Quilibet homo requiem desiderap, & nullus eam adipiscitur, quia ab auaritia aliorsum trahitur. B

O Deus optime & potentissime quid hoc sibi vult quod auaritia à mundi initio nunquam mentiri cessauit & suam violare fidem. Et stultitia hominum talis est, quod ei credant, quod se ei per matrimonium coniungant, quamuis videant certissimè quod omnino ad nudum spoliat, saltem in exitu, scilic. in morte, & tradit omnes illos qui de ipsa auaritia pœnitentiam non agunt inferni C patibulo, & ignis perennis damnationis, hoc saltem expediret ne deinceps aliquis tali credat magistræ, nec eam sibi in sponsam assumat quæ sufficientiam promittit & securitatem, & timorem adducit atque indigentiam, promittit potestatem & libertatem, reddit seruitutem & impotētiā, & demum pro requie & securitate ducit animam ad amaritudinem omnem miseriam. Confidite ergo, immo confidere nolite. Violat enim fidem, non illi ergo fidem seruaueritis. Deuoti D homines, nonne sufficere deberet vt vobis videtur quod dictum est ad fugiendum maledictum & illegitimum matrimonium humani spiritus cum auaritia? Ita profectò. Sed adhuc peius est quod ipsa nec fructum affert, nec bonam, prolem, quantum ad tertij matrimonij bonum. Vtinam sufficeret hoc vt maledicta hæc sponsa sterilis esset, taliter vt nihil boni afferret, nec etiam quicquam mali, sed heu concipit dolorem & parit iniquitatem, quemadmodum dicit propheta. E Est peruersa generatio, ipsa mater est omniū turpium deformiumque vitiorum. Credite non mihi, sed apostolo qui eam vocat radicem omnium malorum. Ipsa parit præcipuè spiritui qui cum ipsa iungitur, damnabilem infidelitatem, quoad intellectum, insatiabilem concupiscentiam, quoad voluntatem, & miserabilem terminum, quoad omne id quod est humana creatura. Apostoli autoritas nominat hanc triplicem maledictam prolem auariciæ, cum inquit. Quam multi &c. Postquam ostendimus harum nuptiarum miseriā (mi- F nistri sunt adulatores) auariciæ scilic. cum humano spiritu, ibi quoque nec esse sacramentum, nec fidem, nec bonam sobolem. Loquamur paululum de harum nuptiarum apparatu. Mimi sunt adulatores qui ducunt notam verborum suorum secundum desiderium sponsi. Et qui falsa dicendo & mentiendo incantatione ludunt taliter, quod de turpi auaritia apparere faciunt magnam excellentiam aut sapientem iusticiam. Famuli sunt proprij pueri aut illi de progenie quos desiderant aut cupiunt ditare, ideo vident auaritiā tanquam pulchram, honorabilem, delectabilem &

& vtilem quantumcunque sciant ipsam esse turpem & inhonestam. Præsbyter qui sponsalia facit, est miserabilis inimicus cum omni sua vi & caterua quæ adest. Architriclinus est superbia scil. magister domus. Superbia enim omnes superare vult & præ omnibus se ostentare Iesus Christus, Maria & discipuli non intersunt festo nuptiarũ, nisi inquantum maledicuntur, exprobrantur & negantur. Puer loco benedicite, dicit maledicite, & in loco gratiarum est sæpe subsannatio. Ecclesia sæpe est caupona in parochia inferni vbi est sepultura. Sepultus est &c. Tibi sunt pauperes personæ & omnia bona eorum quæ sunt comesta & corrosa per auarum, sicut solet dici. Isti vsurarij comedunt me & bona mea, equum aut vaccam meam. Est ibi horrenda comestio similis polyphemi comestioni, qui viuos deuorabat homines, & Busiridis qui eos equis suis dabat, & isti nutriunt equos eorum. Et hæc comestio quo condimento instructa est? Condimento inferni. Et sunt cibi illi vsque adeò salsi, vt malus ille diues diu post arderet mala siti in inferno & adhuc ardet. Intermixti cibi sunt immundi porci carnalitatis referti immundis & indecentibus verbis. Gallinæ macræ & siccæ inanium verborum vel subsannationes & colubri iræ & inuidiæ. Canes sunt qui allatrant & detrahunt vnicuique bonæ personæ. Bonum quoque deest vinum, quod est spiritualis consolationis vinum, & abundat aqua turbulenta ac limosa carnalium voluptatum. Cõtingit bonam sapientiæ aquam præsentari & sanctæ scripturæ panem, sed panis conuertitur in fel, puteus & aqua in modum quendam aceti per miraculum inimici qui adest talibus nuptijs, & per exhortationem matris suæ iniquitatis, quod est hoc vinum? Fel vinum eorum & venenum aspidum insanabile, vinum draconum aspidum insanabiliumque serpentum, vinum hoc inebriat, soporem inducit, & intoxicat vniuersos accubentes in aula. Est vinum errorum contra omnes bonos mores sanctamque religionem. Omnes ipsorum trium statuum, magni, mediocres & parui bibunt, interdum nullus euadit, nec sapiens, nec stultus, nec senex, nec iuuenis, te omnes sunt cognati. Vinum hoc bibitur in calice babylonicæ confusionis, & procedit de racemo qui est ex fele & de botro amarissimo, sicut dicit Moyses. Et qui non bibit multum de tali vino, irridetur tanquam stultus & futilis, vos videtis ad literam. Vinum hoc & hi cibi obliuisci faciunt fraternitatis atque amicitiæ. Notate mihi fratres duos germanos qui optimè mutuo se prius ament, date illis bibere de vino hoc in diuisione hæreditatis eorum, statim videbitis fraternitatem deficere. Sponsa est domina auaricia quæ est magistra, vt dictum est. Sponsus est seruus miser seductus & execratus, semper edens, & continuè maiori fame affectus. Exemplum de rege Sutrio, quia insatiabile ibi est fames & facit edere tanquam inter dormiendum velut si comedat dormiens &c.

O deuoti homines vos oro, nonne est somniũ quoad omnia quæ facimus in hoc mundo, si ea non vertamus ad Deum amandum & honorandum. Hac comparatione vtitur propheta cum dicit, quod viri nuptiarum dormierunt somnium suum, & postea nihil inuenerunt in manibus eorum A cum fuerunt experrecti, hoc est in morte, hoc accidit in illis qui somniauerunt diuitias perpetuò esse suas, sed tunc vident contrarium, sed hoc tardè est. Notate de corona regis Caroli. Expergiscamini igitur boni homines, expergiscamini per pœnitentiam, non dormiatis tam fortiter sicut glacies in hyeme quam excitare oportet ardore. Certè mihi credite duntaxat somnus quidam est quod cernitis, omne respectu veritatis & Dei quæ est in paradiso. Quid aliud nisi vmbra est & vanitas. Veræ diuitiæ quas quærere debetis B in Deo sunt, nam ipse omne bonum nostrum est, & solum est vmbra de supradictis mundanis rebus. Ideo stultum est velle vmbram colligere & veritatem relinquere. Exemplo cuiusdam fatui in quodam horto existentis, qui vidit solem vmbrã dare cuiusdam antiquæ arboris fructibus oneratæ super vrticas & spinas sub arbore existentes. Fatuus ille opinabatur capere vmbram fructus illius, ipsumque comedere & se satiare, sed læsus fuit à spinis & vrticis ad grauem vsque dolorem, C nec tamen se satiare poterat. Hæc historia profectò nos tangit, stultiores sumus tali stulto cum quærimus verum fructum in huius mundi spinis & relinquimus arborem quæ verum dat fructum. Consilio stultæ auariciæ quæ stultos facit omnes se ei dedentes. Pœnitemini &c. Burgensis Status panem comedit benedictum. Labores manuum tuarum &c. Vsura se coniungit statui Burgensi & soror est mali contractus, & tripliciter sese variat. Interdum tota est denudata, interdum D fucata & palliata, interdum occulta & celata. Vsura denudata est, vsura quæ clare se ostendit, ita quod vnusquisque eam cognoscit. Est quandoq; mutuando pecuniam ipsa restituere facit plus argenti indies secundum quod vsura maiorem aut minor. Hęc vsura reprobata est, nec opus est immorari, quia Deus, totus mundus, fides Christiana, & antiqua lex, lex quoque naturæ, & omnia iura ipsam reprehendunt, quia sumit vtilitatem magnam ad alterius damnum de hoc quod suum non est. Verè suum non est argentum quod E mutuat alteri vt vtatur eo, quia vsus separari non potest à dominatione vel possessione. Vsura talis separari debet ab ecclesia quo ad hoc quod non recipiat absolutionem suam quo ad hoc vt vsurario negentur sacramenta vel extrema post mortem sepultura, nisi vera pœnitentia ipsam expellat. Vera dico quæ restitutionem includit. Tabelliones vel notarij literas super his contractibus facere non debent sub pœna amissionis officiorum suorum, nec domini eorum sigillare debent literas per leonis facultatem, nec sustinere eos F debent in terra ipsorum sub grauibus pœnis. Notate de famulis vel illis qui accipiunt eleemosynam aut oblationem ab eis. Si vsura se iungat cõmunicati danti ad vsuram, omnes qui consentiũt & participant sunt extra statum salutis. Homo obligare se non potest, quin postulare possit hoc quod nimis dedit vsurario. Sed non debet postulare fructum qui inde prouenit per alterius industriam, nisi clarè ostendat damnum suum, perditionem suã, & suũ interesse, interea quod alter habuit pecuniã suã. Hęc vsura omnino restitui de-

bet principali cuius est damnum vel suis hæredibus si mortuus sit, vel ad bona & pia opera dari debet per consilium prælati vel pœnitentiarij si habeat facultatem. Recipere ad vsuram potest fieri sine peccato in casu necessitatis, bene vtendo peccato alterius, cum ponere pecuniam suam in manum alterius de se malum non sit, sicut malū non est reuelare argentum suum latronibus ad sibijpsi succurrendum, ne ipse occidatur. Ad hoc tamen nemo alius inducendus est. Vsura occulta est quę duntaxat in cogitatione & intentione est, quæ se occultat in tali secreto, nec se ostendit nisi per conscientiæ relationem. Emere frumenta adhuc in herba, vel vina ante vindemias pro precio paruo propter alterius indigentiam, estne peccatum? Si hoc fit eò quod alius vendere vult frumenta sua insufficienti precio, & ad succurrendum venditoris indigentiæ, vel propter familiam ementis, hoc bene fieri potest, & intentio iudicat totum in hac secunda vsura. Emere ad soluendum in certo termino & carius, fieri potest, propter certam quæ habetur lucrandi intentionem & sine hoc vt venditor quicquam perderet per hoc quod suo careret argento. Si verò vēditor potius vellet modo habere decem francos quam in pascate duodecim, propter suum interesse, hoc fieri potest. Emere frumentum nouum ad reddendum vetus cum fuerit carius secundum communem cursum malum est, nisi excuset intentio. Commodare aliquid ad habendum obsequium aut seruitium alterius, vt labores vel vadiorum vsum ad vtilitatem, sicut alicuius vestis aut equi, vsura est, si intentio peruersa sit, potest tamen satis intelligi quod is cui commodatur, obligabitur commodanti secundum amicitiæ fidem, sed non ad certas res quæ in prouisione iacent. Commodare ad terminum sub certa pęna: de se licitum est, nisi intentio corrupta sit, hoc est, nisi commodās potius amaret pœnam euenire quam argentum suū prius sibi restitui. Habere vaccā & oues cum aliquo & ad perditionem & ad lucrum, fieri potest. Sed omnes contractus claudicantes de se reprobati sunt. Vocatur contractus claudicans, cum vna pars est in securitate lucrandi quicquid eueniat, non autem alia, vt dare vaccam pro decem solidis singulis annis, & semper vaccam restitui debere, etiam si moriatur, vt dare decem francos pro centum in vno anno, & in fine anni centum francos. Sicut reditus ad vitam & in fine omne argentum suum. Secus est si à casu contractus fit, quamuis postea bona æquitas compensare debet si videatur notabiliter recipi vltra argenti valorē, potest commodari alteri res ex qua perdit vtilitas & quæ peior efficitur aut deuastatur vtendo, & à qua vsus separari potest à possessione, vt equi, oues, tunicæ, mantilia, argentea vasa, vel stannea. Potest haberi societas in mercimonijs lucrando & amittendo, vnus quidem dabit argentum suū, alter verò penum faciet. Palliatam vsuram voco falsam mercantiam aut commutationem, siue in vna re fuerit siue in alia. Et cognoscitur vno trium signorum.

Primum per hoc quod res quæ venditur alia est quam ipsa esse dicatur, aut quam appareat. Est auricalcum & venditur pro auro, est plumbum & venditur pro stanno, est simplex calcius & venditur pro calcio ex corio Cordubensi. Est liber aliquis & pro alio venditur libro, est vna herba & venditur pro alia.

Secundum signum est in qualitate, vendes malum aurum & durum ac factum per artificium aliquod vel mixtionem, pro auro bono & puro. Ostendes mihi bonas litteras ad librum aliquē mihi scribendum deinde scribes malè, bonum piscem vel bonum vinum & postea malum dabis. Vendes mihi equum aliquem pro bono, sano & integro, & ipse tussim patitur. Tamen hic sciēdum est aliquos esse defectus qui se declarare possunt ad extra vnicuique, & tales dicere non oportet, modo remittatur ob id iustum precium. Alij defectus qui secreti sunt, secundum Deum & conscientiā dici debent, ac secundum leges ciuiles. Et etiā pro fortiori ratione, non quærendæ sunt cautelæ plus æquo postulando, vel in tenebris, vel per celationem rei venalis, aut ostendo omnia esse talia. Pro regula generali tenendum, quod quotiens vendis carius quam iustum expostulet precium, peccas, & ad restitutionem teneris. Bonus famulus, iustum precium quod tenet librā & compensat res venales ex vna parte precium ex altera, & desponsauit iusticiam Dei filiā gignitque bonum ac probum hominem, legalem acquisitionem. Iustum precium est secundum bonæ fidei & æquitatis æstimationem, quod ponere potest dominus vel prælatus. Estque res secura habere consiliū, quod intelligitur tam de vendente quam de emente. Notate historiam & exemplum sancti Augustini de Trini. Omnes carè vendere volunt, & emere vili. Et de illo qui restituit precium, hoc deduci potest in factis & in familia quæ interest mercimonijs, potest quoque compensari vnum lucrum per aliud. Exemplum de pigmentario qui habebit prouisionem multarum rerum quæ sumentur in fine anni, hoc deduci potest. Si defectus est propter ignorantiam tuam & negligentiam, non debes decipere alterum, nec deducere illam perditionem, sicut in equis & falsis monetis, fœtentibus piscibus. Si domus tua combusta sit: si res facta fuerit melior per industriam tuam & laborē, vel per tua pericula quod ibi non est tanta abundantia pannorum, sicut in loco ex quo venis, potest compensare hoc, & carius vendere. Hic sunt sex casus reprobati per probum hominem legalem acquisitionem, quando res non est facta melior per suam industriam, & quando eam sine dāno seruas, & nihil prodest reipublicę, imo ei obest, sicut hi qui faciunt adinuicem conspirationem vendere ad certum quoddam precium, vt vnus qui emet omne ferrum, aut omnes libros vel frumenta alicuius ciuitatis vel patriæ, vt vendat in precio quo ipse voluerit. Vel quando est persona ecclesiastica & debes & potes aliter victum tuū acquirere. Cū in locis sanctis prohibitis & in festis præceptis facis contractus tuos. Vel quādo homo facis principaliter ad cumulādū sine necessitate in aggrauationē & grauamē aliorū. Tertiū signū est in quātitate, vt in mensuris vini, aut frumentorū, aut malicijs, vel faciendo per maliciam rem aliquam ponderosiorem quam sit, vt madefaciendo lanam, & simili modo, vel cum sartor furatur pānum, aut tucetarius carnes vel caseum, vel pellium artifex pelles. Facere falsa opera, falsas res in

in singulis artificijs. Cognosci potest per hæc tria signa si quis habeat artificium quo malè vti possit vel bene. Aliter fieri potest si intentio bona est,& si ecclesia patiatur de illis qui inueniunt inuentiones nouas & consuetudines in habitibus.

Mercatura quærit de iuramentis, si omnia sint mortalia & tenenda, si non sit efficiendum vt imminuatur precium postea quam venditor iurauerit certum precium, si in festis diebus & in ecclesijs fieri possint vēditiones, sicut fiunt multæ mercimoniæ. Respondeo tibi, aut cum iuras existimas te dicere veritatem,& ita sentis in corde tuo,& si iuramentum est de rebus præteritis vel præsentibus, non peieras nisi fortassis tua te accuset negligentia. Si sit de re futura, honesta & tibi possibili, eam tenere debes, & cum primum nō eam tenere vis, peieras. Si scias te mentiri, nec te habere intētionem in corde tuo Deum vocandi in testimonium nec te obligare in corde per iuramentum, peccas grauiter, quamuis quoad Deum periurus nō sis, nec obligatus per iuramentum seruare quod solo ore iuras. Si intelligas conditionem in corde tuo vt dicendo, tantum dabis pro hoc, intelligo si tu vis, est aliqualis excusatio, sed non sufficiens, propter extrinsecum scandalum. Notate de directione intentionis sicut gubernator nauis, per hoc quod iurans exponat & dicat iuramenti sui cōditionem. Dico vlterius bene actum esse si nihil post talia emeretur iuramenta,& præsertim si iurans non exponeret intentionem suā, sed nolo emētem ad emptionem obligatum esse. Bonum est etiam non inducere iurantem, vt citò iuramentum suum faciat, sed quod diceretur postea quam iurasti, non tibi loquar amplius. Remedium esset contrarium ducere in cōsuetudinem, & tunc emeretur & fides adhiberetur tali personę sine iuramento, præcipuè bonæ fidei homines illi crederent, hoc patet in aliquibus bene vendentibus. Aliud remedium, quod rebus precium esset constitutum.

Quoad festa & loca sancta, hæc quæstio locum habebit in tertio legis præcepto, saltem missa audiri debet, humanus spiritus qui se percipit deceptum & seductum falsam per auaritiam, interroget remedia vt sine illa honestè & sufficiēter præsentem transigat vitam. Non procul eundum est nobis, vt ea inueniamus remedia, interrogemus sanctum Ioannem qui bonus animę fuit medicus & auaritiæ contrarius, quid remedij nobis det in præsenti euangelio secundum moralem sensum. Et video tria secundum personas quæ intersunt his nuptijs, Iesus, Maria & sui discipuli. Considera Iesum, considera Mariam, considera discipulos. In Iesu diuinam prouidentiam, Iesu saluator. In Maria, amaram pœnitentiam. Maria interpretatur amara, in discipulis magnam eorum sufficientiam, hoc exemplū est per tres respectus. In schola tribulationis in qua positus erā ad patientiam addiscendam, coram me venit remedium super omnia alia remedia, siue esset contra paupertatem, siue quodcunque aliud malum, sumere Iesum, recurrere ad Iesum, quia per gladium cōsiderationis diuinæ suæ prudentiæ omnia expulit mala, Iesus dicit & promittit quod habeamus spē in potentiam suam, sapientiam & bonitatem. Et ipse nos nō deseret, præcipit vt reijciamus omnē sollicitudinem exēplo auium & florum. In bona

A fide mentiri Iesus non potest, decipere non potest. Et quid? Video quod si modò rex aliquis vel princeps veridicus & potens diceret, quod in eū sperares nec vllo modo timeres, quoniam te derelicturus non esset putares te admodum securum. Multo securiores esse debemus de Deo. Si sit tibi familia & possessiones tribuis tibi securitatem, & expelles omnem melancholicam sollicitudinem, & tamen omne illud deficere potest mille modis. Deus autem neminem deficere potest, cur ergo Deum non habes in securitatem?

B Vlterius Deus bonus pater noster est, quemadmodum ipse dicit, qui nos multo plus diligit quā mater filium, cum ergo sit tam diues, tam sapiens & tam potens, non nos deseret in necessitate nostra, & secundum quod sciuerit opus esse nobis. Sæpius enim dicere debemus: Inclina cor meum Deus in testimonia tua. Sed hic melancholica sollicitudo in corde deficienti ac timido replicat, & dicit Deum velle vt quis seipsum iuuet, alioquin Deus eū non iuuabit. Verū est, labora & fac iuxta

C posse tuū, iuxta statū tuū, modo hoc sit ꝙ per ipsū Deus non ad iracundiam prouocetur per peccatum mortale, hoc enim se iuuare non est, sed destruere, pete quod licitum est ad hoc quod paternalis sua voluntas fiat in te, & tua temporalitate, sicut scit & vult illud tibi conducere conducit, & sicut fit in cœlis superioribus, vel in cogitationibus iustorum qui cœlum sunt, in quo Deus habitat. Notate de hortulano qui cumulabat thesaurum. Notate de muliere quæ interro-

D gabat si aliqui vellent ei tollere gubernatorem suum. Si status tuus tibi minor apparet quam tua exigant merita, considera gratias quas Deus tibi super alios fecit, vno modo vel alio. Si enim consideres illos qui sunt ditiores te, & tu inuideas: teipsum destruis & affligis. Notate de eremita, si habeas victum in vno statu, non quæras ipsum augere & facere de necessitate superfluitatem. Si pati habeas pro te vel pueris tuis, accipe fidem bonam,& hoc argue modo, vel hæc paupertas est pro peccatis meis, vel non. Si sit pro peccatis meis

E pœna proderit mihi, quia habeo patientiam. Si est sine peccato meo, Deus me remunerabit debitè hic, vel alibi, sicut fecit omnibus amicis suis. Quid scis, si hæc paupertas sit ad ad humiliandum te, vel vt castus fias, vel aliter te excitandum ad Deum & auferendum de peccati periculo. Et si necesse esset mori fame, si placeret Deo, ignoro quando moriendum sit, ideo habere deberem patientiam. Exemplum de pueris qui verberantur, & deinde irridentur, quia est vtilitas eorum.

Voca secundò Mariam.i. mare amarum, hoc est

F considerationem grauaminis & difficultatis quæ est in pœnitentia huius peccati, præsertim cum ventum fuerit ad satisfactionem & restitutionem. Est baculus spineus nimis inuitè restituitur, vel quia expensa est pecunia, vel ob magnum qui inchoatus est statum, aut propter auaritiam quæ nimis strinxit in laqueis suis personam, proponēdo ei timorem paupertatis, indigētiæ & verecundiæ. Notate de instrumentis illis vel rebus quæ dicuntur Gallicè *tirelire sagedde barbee & nassee*. Vide quod per hoc amittis Deum, paradisum, gratiam totum mundum & infernum acquiris, omne

quoque bonum amittis, si aliquid malè acquisiueris, hoc fuerit restituendum, aut suspendium ferendum. Non igitur malè quicquam acquiras, ne labaris & decidas in huiusmodi pericula, aliquid à pueris tuis expectando. Tertiò discipuli Iesu Christi hanc eijciunt auaritiam per boni exempli eorum baculos & eorum sufficientiam. Exi immunda ac fœda meretrix nimis diu ibi morata es. Quis sperauit in Domino & derelictus est ab eo? & si dereliquerit eum secundum vitam hanc miseram, magnopere recepit eum, & honorauit & retinuit in felicitate gloriosa. Vitemus peruersos duos masculos, qui in primis amant auaritiam, & magnas expensas per ædificationem, & iuris prosecutionem, & hominum opinionem, quæ duntaxat variatio quædam est expensæ, præsertim in iuris prosecutione magis sunt nociuæ, & ædificatione familiaritas hominum qui practici dicuntur, solum commoditatem quærit, & diuersa sæpius probra. Sumamus cum magnis expēsis frugalitatem, & parum curabimus vitam nostram. Parum enim eam sustentat, habentes alimenta & quibus tegamus &c. nihil intulimus in hunc mundum. Item non comittamus vitam nostram aliorum opinioni, sed veritati & Deo. Prudens &c. Nihil est tam fragile, nihil tam mutabile sicut hominum loquela. Mihi crede, qui viuit ad alterius opinionem, nunquam pacem habebit, nec gaudium nec sufficientiam, qui te reprehendunt de paruo statu, non vellent apponere quatuor denarios ad eum augmentandum. Stultum ergo est velle ascendere altius, quam homo possit, ad satisfaciendum sermoni & loquelæ talium hominum. Notate historiam vel narrationem de viro & filijs suis & asina sua, quam quidem asinam nullo pacto ducere poterant quin à prætereuntibus arguerentur. Duc asinam tuam secundum æstimationem tuam, fuge pericula omnibus modis, imitari non poteris omnium opinionem, sume pro re tua domestica & familiari frugalitatē contra prodigalitatem & dissipationem, sume possibilitatem contra vanam vulgi opinionem.

DOMINICA IN SEPTVGESIMA CONTRA ACEDIAM, SERMO.

Misit operarios in vineam suam.

POENITEMINI dicit Dominus Iesus Christus & secundum quod sequitur in mysterio hodierno euangelij) cui fidem adhibere debemus) vos hortor & clamo facite bonum fructum pœnitentiæ in in vinea conscientiæ. Quid dicemus in exhortatione ista: sed in principio hoc ô deuoti quomodo obediemus, quomodo adimplebimus? Nos sumus pigri, languidi, debiles, & confricati per onus peccati, quemadmodum conquerebatur rex Dauid. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sum &c. Et rursum: miser factus sum & curuatus sum &c. Iniquitates inquit, meę grauatę super me sicut onus graue, ideo miser factus sum & curuatus ad terram. In tali statu quomodo laborabimus, quomodo faciemus dignos fructus pœnitentiæ in vinea conscientiæ? profectò gratia nobis necessaria est, quæ nobis det & restituat vigorem nostrum, fortitudinem & virtutem, efficiatque pluuiam prædicationis nostræ cum profectu, & recipiatur in hac vinea nostrarum conscientiarum, alioquin non veniret vsque ad viuam animæ radicem. Et quoniam illa quæ portauit benedictum fructum vitæ & veram vineam, videlic. Dominū nostrū Iesum Christū, qui sic se in euangelio nominat. Illa inquam quæ est laborantium auxilium & mater pœnitentium, nobis hanc impetrare potest gratiam, & ideo ad eam conuertemur, ipsam salutabimus &c. Pœnitemini &c. Eijciamus omnem vanitatem, omne dissolutum gaudium mundanam voluptatem omnem, vt accipiamus dolorem, angustiam & laborem cum bona matre nostra sancta ecclesia quæ hodie incipit lugubres induere vestes, mutare cātus lętitiæ, videlicet alleluya in ploratus, suspiria, gemitus & planctus &c. Circundederunt me dolores mortis &c. Secludatur omnis pigritia stulta, contra quam locuturi sumus, & valde ad propositum secundum totum mysterium prętentis dominicæ, & huius temporis quod septuagesima dicitur, quia in memoriam reuocat captiuitatem filiorum Israel in babylone, & duram nostrā peregrinationem transitoriæ huius & pœnalis vitæ, vita comparata est in hodierna epistola, modo cuidam luctanti aut campo prælij vel alicui curiæ, & in euangelio ipsam innuit per verbum vineæ, secundum quam formaui meam exhortationem faciendam, &c. Dicit sic euangelium:

Simile est regnum cœlorum patrifamilias, qui exiuit primo mane conducere operarios in vineam suam, & conuentione facta cum operarijs de diurno denario misit eos in vineam suam. Et cum exisset hora tertia, vidit alios in foro stantes otiosos, quibus dixit: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis, & illi ierunt. Exiuit autem iterum circa horam sextam & nonam & fecit similiter. Et circa horam vndecimam & inuenit alios stantes, quibus ait: Quid statis tota die hic otiosi? At illi dixerunt ei, quia nemo nos conduxit, quibus ait: Ite etiam & vos in vineam meam. Cum factum esset vespere, dixit Dominus vineæ procuratori suo. Voca operarios & redde illis mercedem suam, incipiendo ab vltimo vsque ad primum. Cum ventum esset ad illos qui venerant circa horam vndecimam, receperunt singuli singulos denarios. Quod videntes primi, sperabant se amplius recepturos, & receperunt singulos denarios. Inter recipiendum autem murmurarunt contra patremfamilias dicentes: Postremi hi laborauerunt hora vna, & fecisti eos æquales nobis qui portauimus pondus diei & æstus. Qui dixit vni ex eis: Amice non facio tibi iniuriā: nunquid ex denario diurno conueni tecum: Accipe quod tuum est & vade. Volo dare & huic vltimo tantum quamtum tibi, nonne licitè facere possum quod volo? nōne oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Et sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi sunt vocati & ostensi non autem electi.

Hæc parabola & similitudo docet qualiter Deus à mundi initio vocauit homines tanquam bonos operarios vt mereantur denarium videlicet paradisi mercedem. Homo enim nascitur ad laborem. Et vsque ad finem & vnaquaque hora vocabit, & ad eos mittet per prædicationem & inspirationes atque modos alios, tam in prosperitate quam in aduersitate. Sed hic est dubium quoddā literale:

Si

Si seruiendum sit Deo propter spem mercedis? Dico quod hoc fieri potest quando quis pro labore suo non expectat principaliter aliam mercedem quam Deum qui est & erit gloria nostra. Dico principaliter quia potest bene desiderari gloria paradisi, & quis timere potest pœnam inferni, vt ob hanc considerationem à malis abstineat operibus, nec iudicetur quod quis malè agere vellet etiam si non esset infernus nec paradisus, quia Deus pręcipit qui dignus est cui adhibeatur seruitium. Excellentius tamen seruitium est cum fit ex amore & sine mercedis consideratione, aut timore pœnæ, sed ex solo amore & causa propter quam isti in hoc euangelio qui sine mercedis promissione laborauerũt in vinea, habuerũt in breui tempore tantã mercedem quãtam mercenarij in longo, quoniam si talis aliquis sciret se victurũ ad mille annos, non peccaret, sed Deũ diligeret &c. Aliud dubiũ est quare Deus nõ vocat omnes vna hora? Respõsio, non omnes nati sunt vno tẽpore, quo autem ad vnam eãdem quę personam, hoc intelligi debet secundũ ętatum diuersitatẽ. Nã dico secundũ diuersitatem ætatũ sẽper Deũ vocare & mittere, quantum in se est, sed non obedit homo qualibet hora. Aliqui obediunt in infantia, sicut sanctus Nicolaus, quæ perdurat vsque ad septennium. Alij in puericia seu ætate puerili, & durat vsque ad decimumquartum. Alij in ætate adolescentiæ, quæ durat vsque ad vigesimumprimum annum. Alij in iuuentute, quę durat vsque ad vicesimumoctauum vel tricesimum annum. Alij in statu perfecti hominis, qui durat vsque ad quinquagesimum annum. Alij in statu senili durante ad septuagesimum vsque annum. Alij in statu deficienti & antiquitatis, qui certum terminum non habet.

Aliud dubium. An merces sit æqualis? Respondeo quod sic, quoad durationem, non quoad magnitudinem vel perfectionem. In domo patris mei mansiones multæ sunt &c.

Aliud dubium: quare inchoatur in nouissimis? Primò ad ostendendum quod omnia veniunt ex misericordia Dei. Secundò ad ostendendum quod interdum hi tardius cõuertuntur, maiorem adipiscuntur mercedem propter ardorem. Sicut solet dici, bonum operarium non nimis tardè ad opus venire posse. Tertiò ad dandum nobis humilitatis exẽplum. Si videamus vnum pręcedere alterum, siue fuerit in religione, siue alibi, in quacunque fuerit ætate, & ne nos iudicemus quemcunque hominem ad damnationem. Nam qui malus est modo, is secundum Dei prædestinationem gloriosè saluabitur, sicut sanctus Paulus, & latro. Aliud dubium, quomodo intelligitur hoc murmur? Respondeo per hunc modum parabolę Deus monstrare vult non murmurandum esse de hoc quod facit. Sicut sæpe mouetur aliquod dubium, & deinde per responsionem ostenditur nõ esse rationabile. Sic dicere vult hoc euangelium, quod si quis murmurare vellet, posset ei dici quod esset causa sua, quia omnia sunt in voluntate donãtis & remunerantis. Hic tractari posset inuidia quæ est inter aliquos de statu Burgensi contra ecclesiasticos, quia ecclesiastici non laborant (vt eis videtur) & gratis manducant, lucranturque mercedem eorum fere sine pœna. Sed omittam hanc materiam quoadusque loquar de inuidia in quadragesima.

A

Aliud dubium, quare Deus saluat tam paucos? Respondeo quod hæc est curiosa quæstio. Notate de sancto Antonio, cui dictum fuit vt cogitaret de propria salute &c. Per hoc nobis ostendit ex pura gratia nos saluari. Et vos videtis omnia preciosa in paruo esse numero. O altitudo diuitiarum sapientiæ &c. Nec iudicemus alium. Sed dices non laborandum esse. Respondeo quod immo laborandum est vt vnusquisque faciat debitum suum, vt hic habeat vel lucretur paradisum, quemadmodum ægrotus recurrit ad medicum, supposito quod dubitet si sanabitur, vel non.

B

Qui vellet exponere præsens euangelium secundum sensum mysticum pro contemplatiuis, loqueretur de vita spirituali & noua secundum has ætates & incrementa, sicut & Augustinus in libro suo de vera religione. Supra sensum euangelij literalem sicut super fundamentum quoddã possent ædificari multi modi moralium sensuum pro instructione nostra de diuersis loquendo vineis per signum & mysterium & parabolam, sicut saluator noster Iesus Christus nos facere docet in hoc euangelio & compluribus alijs. Sunt enim parabolæ tanquam specula, tanquam naturales libri & picturæ pro simplicibus hominibus, vt per hoc quod ad extra res noscunt sensibiles, citius eleuentur ad intelligendum spirituales res & diuinas. Tota ecclesia sancta generaliter est vinea quędam mystica, vt habet sanctus Gregorius. Ego plantaui te vineam eius, quasi vitis fructificaui. Vinea coram me est. Alia est religionis specialiter. Alia diuinæ sapientiæ. Quarta vniuscuiusque scientiæ. Vinea conscientiæ magis ad propositum meum est ad applicandum statum Burgensem cum principaliter loquor. Hæc vinea in initio plantata fuit & ordinata per supremum vinitorẽ Deum, qui sic se nominat & fuit hoc factum in terra creaturæ sine defectu quocunque & sine admixtione aliarum malarum plantarum. Affectiones enim (quæ principales sunt huius vineę ipsius conscientiæ sepes) puræ erant & mundæ, vt citò producerent & portarent bonum deuotionis vinum. Hoc habes in Aristotele appellante virtutẽ. Bonus ille viticola huius vitis sub Deo nominari potest desiderium aut benefaciendi talentum. Quemadmodũ dicit Boëtius. Omnibus incerta est veri sũmiq; boni cupiditas. Desideriũ, inquit, boni veri & summi naturaliter datum est vnicuiq; creaturæ. Bonus famulus adiunctus fuit probo huic viticolę, quem nomino vigorosum laborem. Est iã in statu innocentię. Est textus qui hoc dicit, vt operaretur & custodiret &c. Famulus ille tunc non habebat repugnãtem stultam acediam, sicut dicam in sequentibus & sicut habet pro tempore præsenti peccati, ratione malorum surculorum & plantarum quæ creuerunt in vinea nostra, & in terra conscientiæ, propter maledictionem Dei factam in punitione peccati, maledicta terra &c. negligens acedia recurrendi ad Deum, omnia mala adduxit. O grauis maledictio, ô dura mutatio cum bonæ vineæ & bonæ sanctarum affectionum plantę mutatæ sunt tãquam in contrarium, sicut in labruscas vel syluestres vineas, spinas & cardones concupiscentiarum malarum, & inor-

C

D

E

F

dinatarum passionum. Grandia sæpe quibus &c. ait Virgilius in bucolicis. In hac vinea est turris quædam quæ facit custodiam, quam nomino rationem & prudentiam. Et ratio sapiens est gubernatrix, seps & murus qui claudit hanc vineam factus est de præceptis Dei, & ianitrix vel custos est obedientia cum angelorum auxilio. Quod si obedientia abierit, mox porci & syluestres bestiæ diuersorum peccatorum omnia frangunt & dissipant. Maiora ligna hanc sepem sustentantes, quę circundat vineā nostram, virtutes sunt acquisitæ & infusæ, bonum est gratia stabilire cor. Pressorium est patiētia quod premit fructum pœnitentiæ. Ita affertur fructus in patientia. Vinum hoc in principio est tāquam mustum solum, deinde bullit & se purat per deuotionem. Et cernitis quomodo in principio homines peruenientes ad veram pœnitentiam habent sufferre, & quomodo sunt in motu, ideo maior impendenda est opera vel feruor vt bene seruentur & ligentur obedientiæ & disciplinæ circulis. Qui enim eos fineret secundum feruorem eorum agere quod eis bonum videtur, omnia frangerent & perderent. In hac vinea. s. conscientia laborare debet & operari, benefaciendo & lucrifaciendo talentum auxilio vigorosi laboris, vt videatur perfectus pœnitentiæ fructus, qui quidem fructus pro præsenti hac vita vinum deuotionis nominatus, & in paradiso vinum glorificationis, de quo dicit Christus: Amodo enim non bibam &c. donec bibam illud nouum in regno meo. Vinum hoc deuotionis nascens ex pœnitentia non subitò ad dulcedinem suam & perfectionem peruenit. Nemo repente fit summus. Necesse est prius bene colere conscientiæ nostræ terram, & tollere malas herbas & plantas crescentes. Magnopere custodienda est vinea hæc in nouitate sua, hoc est in statu infantiæ conuersionis primariæ ad Deum, quia mox in hac vinea, mala peruersæ tentationis pruina vel pestifer ventus irrisionis impediret hunc fructum pœnitentiæ, & deuotionis vinum vel omnia verteret in oppositum. Maledicta sint ora talia talem ventum detractionis vel oblocutionis mittentia, qui mirum in modum grauat nouas has vineas, cum germinant botrosque emittunt, hoc est cum incipiunt benefacere, nominantur begutti &c.

Contingit quod carnalitatis pluuia deprimat illas vineas cum iam incipiunt florescere bonosque producere flores per sanctas operationes. Hoc sensibiliter videmus in pueris. Notate contra eos qui dicunt ex iuuene angelo, senex diabolus. Notate quomodo in iuuentute deuotio resumenda est, quando. s. ipsa facta est per fictionem aut melancholiam sine discretione & iuxta propriam opinionem, sicut dixit sanctus quidam pater. Si videris iuuenem qui à seipso paradisum ingredi velit, iam pedem vnum in paradiso habentem, trahe eum per alterum. Notate hic contra eos qui volunt esse eremitæ & quod aliquorum gratiam & sancti Benedicti, sancti Ioānis, trahere nō debemus ad commune exēplum. Notate ꝙ diabolus postmodū fortius tentat tales pueros propter malum exemplum. Vinea hæc sæpe incidi vult falce contritionis. Et sarmenta comburenda sunt igni charitatis, recognoscendo gratiam quam Deus fecit nobis & veniam postulando. Fimus imponitur huic vineæ, per memoriam nostrorum A defectuū & peccatorū. Exemplū de parabola fisci & vineę &c. fiunt foueæ magnæ ad sumendū & recipiendum rorem cœli, hæ foueæ sunt humilitatis profunditas, & est illa quæ viam fecit rori gratiæ quodque & radij solis iustitiæ radicem affectionum secundum hāc parabolam possint attingere. Notate insuper quod si huius vineæ radix corrupta fuerit vel violata per venenum peccati, omne quod inde producitur corruptum est. Radix intentio & truncus est consensus. Et notate qualiter aliqui ramusculi nascuntur circa hanc vitam, B sugentes bonum humorem, & impediētes fructum & comparantur peccatis venialibus. Non enim transeunt per consensum perfectum, & habent interdum delectationem sine fructu. O Burgenses hoc est ciues, facite, comparati sitis mulieri quę manibus suis vineam plantauit, & facite bonum fructum &c. Noë inebriatus est per deuotionem, & denudatus per terrenarum rerum abnegationem. Cham irrisit vt mundani &c.

Tertia sermonis pars. Acedia stulta in primis cō- C traria est viticolæ nostro & suo famulo. Nec dici potest quomodo eos impediat, quantumcunque ipsa languida sit stulta & compressa in se, ad nocēdum tamen magni est vigoris. Est stulta pigritia, stulta est ipsa reuera, quoniam sibi soli loquitur res stultissimas. In desiderijs est omnis piger. Mulier si sola cogitat, malè cogitat. Ipsa pigritia occidit seipsam, desiderio occidunt pigrum, nil operari vult tamen concedere. Qui non laborat, non manducat, & ad sumendum præmium restat ei D maxima via, vt ad paradisum vsque & in breui quidem tempore, ac inter latrones, nec tamen festinare vult. Expectat quærere hospitium & domicilium vsq; ad noctem mortis, nullam præmittendo prouisionem, ideo malè hospitatur sæpius. Ipsa in spinis est & foueis, & videt vineam suam destrui, ex qua se nutrire debet, nec tamen leuare manum vult, vt sibijpsi sit auxilio. Grauabitur si &c. semper moritur fame & dissipat, seque comedit ac destruit more vesani, modò comedi linguā suam, modò aures, modò manus, deinde cor suū E per malum desiderium & mala opera. Stultus ipsius operis honorem expectat, nec tamen quicquam operari vult. Nullus bonum habet nisi ipsum sibi comparet. Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit 2. ad Timoth. 2. Stulta dissipat omnia quæ Christus fecerat. Insensati hominis actus est opera sua dissipantis, dimittit vineam suam, ibique nascuntur vrticæ acutæ carnalium desideriorum, & pungentes spinæ diuersarum curarum. Et omne munimentum, ac murus dissipa- F tur.

Tres aculei sunt ad mouendum naturam nostrā pigram ab benefaciendum & bonum fructum pœnitentiæ in vinea conscientiæ afferendum, & & capiuntur in hoc euangelio. Et sunt hi, honor, valor, timor. Honor in quantum Deus nobis pręcipit laborare. Misit illos &c. Cui seruire regnare est, non est melius quam regium seruitium. Sācta Agata testis est & Boëtius. Quis est qui non magnum assumeret laborandi animum si videret regem sibi id pręcipuè & videre? hoc maius est, quia vltra hoc quod Deus nos mittit & videt, sancti angeli nos vident, & etiam aduersarij ex alia parte ad

ad irridendum nos si ficti simus. Duplex igitur hic est stimulus, honoris & timoris. Immensum gloria calcar habet, ait Ouidius. Valor patet in mercede, quia dedit illis singulos denarios, denariorum spes laborem minuit & vim flagelli. Hoc cernimus in mundanis præmijs aut argento, aut honore, aut voluptate datis. Non sunt condignę passiones huius temporis &c. Notate de illo qui dicebat se missum in sella sua, & responsum fuit ei, eum non vidisse infernales pœnas. Quod si sella eius plena esset vermium, adhuc moraretur, notentur historiæ de Romanis, & Tito Liuio. Valor etiam est in hoc mundo, bene enim operando dulcedo quædam acquiritur, quando fit ex bona consuetudine. Optima forma viuendi est eligenda, quam iocundam reddet consuetudo. Nihil tā durū est quin id faciat cōsuetudo facile, & leue. Hæc dulcedo non tam citò percipitur. Exemplū de viridi nuce porrecta simiæ &c. Hæc dulcedo interdum tam magna est in seruitio Dei, quod esse potest tētatio illis qui alibi protunc laborare habent. Præterea satisfit pro peccatis. In labore cogitandum est quod sit sua pœnitentia, sit pars satisfactionis &c. Item nati sumus ad laborem. Item in vnoquoque statu est labor etiam piger laborat, & quandoque plus alijs. Exemplum de illo qui patitur podagram, vel dormire nō potest. Item sumus de natura ferri, & efficimur validiores & clariores per laborem, per otiositatem verò pleni sumus scabie ac ægritudinum. Primum magis est honestum. Item omnes sancti & sanctæ laborem habuerunt sicut filij Dei. Si extra disciplinam estis, adulteri non filij estis. Heb. 12. Item labor nos tutatur à peiori, prodest quoad corpus & quoad animam, & labor vnius horæ paradisum meretur. Maius illo natura facere non potest, vt videtur. Et nisi spiritus custodierit terram suam, sensualitas superabit eum, vt amittatur tempus in quo nullum fit bonum. Exemplum de Tito, diem perdidi. Item si socij simus tribulationum, socij erimus & consolationum cum Iesu Christo secundum promissionem suam. Notate de milite qui voluit habere partem suam ipsius lucri. Et socius suus dixit: Habebis igitur & partem verberum quæ sustinuimus. Item quod otiositas & acedia deducit ad omnia superius tacta mala, ad pauperiem &c. Tertius stimulus est timor. Multi vocati, pauci verò electi, pedibus timor addidit alas. Notate exemplum de sancto Gregorio de tribus mulieribus ei amicitia coniunctis. Notate de pœnis inferni. Notate quod dicit sanctus Gregorius in fine homiliæ super hoc euangelium de illo qui vidit draconem in infirmitate eius &c.

Collatio contra acediam.

Heu ô deuoti homines ita est, euangelium hoc dicit. Necesse est credere, multi sunt vocati, pauci verò electi & saluati. Nam hi soli saluati sunt qui sunt baptizati, & post baptismum non peccauerunt mortaliter. Vel si peccauerūt, faciunt bonos fructus pœnitentiæ in vinea conscientiæ. Video pulchram multitudinem hic in hac ecclesia & inter considerandum occurrit mihi prophetæ dictum: vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ &c. Burgensis status est hic tanquam vinea abundans in domo

A Domini, hoc est sancta ecclesia. Sed vt dicit sanctus Gregorius in homilia hodierna. Quis scit de hac multitudine qui homines sint saluandi, & qui non? Quis scit quæ personæ facient vtilitatem earum de prædicationis pluuia quæ quidem prædicationis pluuia cadit in vineam conscientiæ. Accidit enim quod cum pluuia prædicationis incidit in conscientiam plenam malis herbis, hoc est peruersarum affectionum plenam, eò plus crescūt & peiorem efficiunt vineam. Attamen meliorem spem de vobis habeo ô popule christianæ. Deus

B potēs est quod omnes nos de numero simus tam paucorum qui saluabuntur respectu damnatorū. Ideo te rogo verè Deus & saluator vniuersi mundi. O supreme viticola totius vineæ eccesię sanctæ. Vide & visita vineam istam Burgensem & eam perfice. Nam ipsa per te plantata est, tu ipsam transtulisti de Ægypto per mare rubrum in terrā promissionis, hoc est de tenebris peccati originalis per aquam baptismi, qui virtutem suam habet per rubrum Iesu Christi sanguinem. Plan-

C tasti hanc vineam in terra christianitatis & bona fide, da illi pluuiam & irriga eam gratia tua. Alioquin verba mea parum proficerent, nec plantatio. Et occurrit mihi in vinea nostra nihil nos posse habere in signum timoris quo citius effugentur malæ bestiæ, vel aues cœli, hoc est inimici, secundum eos nominat euangelium nisi signum crucis cum memoria nostræ Dominæ. Et vt faciamus deuotæ orationis sonum. Ideo sic faciemus virgo dignissima, & te salutabimus &c.

D Pœnitemini. Diligens vester aduentus arguit acediam facto, quemadmodum ego eam reprobare debeo verbo. Cōcedat Deus quod sit ad cōmodum, & perseueranter &c. Quid facit stulta acedia? Tentat grauare tripliciter vigorosum laborem, & quoniam vt ipsum superare non contendit, vincit malitia, & subtilitate per parum laborare labor languidus, per malum laborem labor vitiosus, per nimium laborem labor immodicus, quemadmodum per paruum laborē ducit vitam iocundam & recreationes ad extra sub herba vi-

E ridi vanæ & mundanæ delectationis in diuersis locis, cauponis & diuersis modis, vt per ludum taxillorum, aut per choreas aut magna conuiuia, vel alias res quę sunt delectabiles aspectu & sensu. Timorem incutit de malis quæ nunquam fuerūt nec erunt, per quæ labor vigorosus cum huiusmodi videt, illas voluptates desiderat, deinde se iungit & fricat, adeò vt tepidus efficiatur & remissus, ad aliquid recipiendum mollis & deficiēs, ad hoc quod assuefiat mutabilis & inanis ad perseuerandum. Decipitur, quia non percipit malas

F bestias sub herba viridi mundanarum delectationum latentes, videlicet malam consuetudinem quę adhęret & se fortiter iungit labori vigoroso tanquam malus serpens, ipsam non percipiendo malam consuetudinem, nisi postquam est iam multum prolapsa, nec tamen tunc conatur euadere. Deinde est paupertas mater latrocinij, comitata angustia & melācholia. Deinde est ira, impatientia, inuidia, murmur contra Deum, tristitia, languēs tędium de statu suo & vita propria, quod tędiū per chordā desperationis suspēdit vigorosū laborem, & eum strangulat, omniaque prosternit

in infernalem foueam. Ad has miserias & calamitates deuenit labor studiosus, quando se immiscet pigritiæ, & solum considerat præsentes delectationes, non considerando mala quæ contingunt, & quæ occultata sunt inter huiusmodi delectationes. Hic cum studiosus labor quicquam debet incipere, acedia eum aduertit iuxta posse suum, vt faciat eum tepidum, remissum & somnolentum, ad coruium quoque cantum dormientem. Crocitat coruus, cras cras, nec vnquã cras illud eueniet, nunquam omnia illa cras, ad vnum deuenient hodie, nec vnum hodie constituent. Aliquando dat stultam spem. Recipieris inquit ad laborandum in vinea Domini, & bene eam ordinandũ quotiens volueris. Adhuc iuuenis es, satis prolixus superest tibi terminus & tempus longum. O stulta pigritia, loqueris pro parte vna, & omittis aliam. Ponis rationem mortis cum tunc celas ventura mala per te & malam consuetudinem euenientia. Malæ enim herbæ & plantæ crescunt semper & indurantur, vineáque syluestris efficitur infructifera, fugitque tempus quod recuperari non potest, fugit irreparabile tempus. Exemplum de auibus quę non tollere volebant semen canabi, & deinde ex eo facti fuerunt laquei quibus aues illæ captæ fuerunt, vt dicit Æsopus libro primo fabula 20.

Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi,
Et tu si incipias ire resistat equus, nã mora dat vires &c.

vt dicit Ouidius. Quandoque prigritia hominem ponit in desperationem, neque quicquam possit incipere boni, propter eam quam in opere ostendit difficultatem, quamquam finis attingeretur. Dicit piger, leo est in via, &c. Responsio est hic per exemplum patris, qui misit filium suum tollere spinas campi. Et cùm vidisset tantam multitudinem dormiuit nihil faciendo. Deinde pater præcepit vt quotidie tanto spatio spinas tolleret quantum temporis occuparet dormiendo. Pugnamus contra vitia non vt vincamus sed ne vincant. Item qui obseruat ventum numquam seminabit. Exemplum de naue ex qua continuè extrahitur aqua. O studiose labor noli credere quæso pigritiæ quæ te disturbare vult, nec quicquam incipias. Incipe, quia bonum initium est quasi magis difficile totius operis, dimidium cæptique bene cæpit, habet, ait Horatius. Ad literam videmus quod difficillimum est pigro & somnolento incipere induere indusium vel camisiam suam. Etiam videtis difficilius esse inchoare motum campanarum vt sonent, quam ipsum motum continuare, difficilius est inchoare motum, quam continuare. Pulli iumentorum difficulter incipiunt plaustra trahere. Aliqui dicunt, expectabo diem lunæ ad benefaciendum &c. Notate qualiter fieri possunt huiusmodi obseruationes, & qualiter non. Vel propter naturalem dispositionem, vel propter superstitionem, vel propter religionem, vel propter acediosam dilationem. Quæstio: an teneat facere semper melius quod possum: Respondeo vel hoc intelligis de rigore iustitiæ si Deus hoc postulare vellet vel de congruitate, hoc est de consilio, aut de necessitate salutis & de præcepto. Quoad primum Deus solum nos obligare vult ad certa præcepta tempore & loco. Quoad secundũ, bonum consilium est facere semper melius quod fieri potest, habita ratione circũstantiarum personæ tẽporis, loci, medij & finis & etiã modi, secundũ enim

A illas circunstantias res quæ melior est de se, erit interdum minus bona vel grande malũ. Exemplum de illo qui tunc adiret Ecclesiã, cùm seruire deberet domino suo in sua ægritudine &c. Quoad tertium, non tenetur quis aliquid incipere vel facere nisi in quantum Deus præcipit, si sciat quod sit necessarium de præcepto, nec ignorantia ex acedia proueniens excusat. Et per hoc scietur quando acedia erit peccatum mortale, vel non. Similiter de negligentia. Pigritia est tædium boni, & venit tædium hoc aut ratione cõplexionis, aut ratione

B peruersæ consuetudinis, aut per tentationẽ. Et in omnibus illis non est peccatum quod sit mortale, si non omittatur per illud tædiũ adimpleri aliquod præceptum Dei. Et potest esse tædium hoc interdũ causa maioris meriti. Notate de hoc quod est seruire Deo propriis expensis. Et quid eligibilius sit, & quid de consolationibus sit. Pariformiter dico de negligentia, quæ est quando non fit opus iã integrè & perfectè sicut deceret, per hoc quod omittuntur bonæ aliquę circũstantiæ quæ non sunt

C de præcepto, negligentia non est mortalis. Secundum hoc scietur quando dormire est peccatũ vel non, secundũ bona quæ quis omisit facere, & malas cogitationes quæ contingunt atque ægritudines.

Si non intendas animum studijs & rebus honestis,
Inuidia vel amore vigil torquebere,

dicit Horatius Epist. 2. Septem vel octo horæ sufficiunt. Gula amat pigritiam, ideo melius est Burgenses surgere mane. Notate de malis quæ fiunt

D manendo in lecto sine dormiendo. An persona Burgensis obligetur laborare, prȩsertim si aliunde habeat vnde viuat, sicut habent hi qui vocantur liberi, ciues vel Burgenses. Respondeo per distinctionem, aut ille vel illa Burgensis omittit laborem & luctum ad seruiẽdum Deo liberius, vel hoc facit ad viuendum quietius in deliciis huius mundi, sicut dicebat stultus diues: Ecce anima mea habes plurima &c. Vel hoc facit ex debilitate cõplexionis, vel ex ignorantia, seu quia non scit aliquid artificiũ. Primum fieri potest, secundũ non. Regu-

E lariter tertium & quartum fieri possunt. Modo otiositas non conuertat personã ad peccatum, quẽadmodũ homines ætatis iuuenilis mox versi sunt. Ideo peccant parentes cum nõ docent pueros laborare vno vel sel alio modo. Aliud periculũ est, futuræ paupertatis periculum, & de malis quæ eueniunt prȩsertim in senectute. Non se ponendũ est ad periculum. Notate etiam bona acquirenda esse pro liberis suis. Parentes &c. In labore hominum non sunt &c. Notate hic honorabiliorem ti-

F tulum esse Burgensi statui ipsum esse laboriosum quam otiosum quamuis varij sint laborum modi, vt magister aliquis dictator & prospector negotij magis proficit sine magno labore. Persona fortis & quæ victum lucrari posset an possit mendicare? Respondeo inquantũ tangit Burgenses, quod nisi bonus finis aliquem excuset hominem sic mendicantem mendicitas talis est peccatum & tanquam furtum. Nam intentio dantium est, quod pauper sit & impotens, & sub intentione ei confertur eleemosyna, nõ autem aliàs. Cum autem opposito modo sit, est hic fictio quæ rapit bona & eleemosynas quę esse deberẽt pauperũ. Notate hic contra

illos chaymos.

illos chaymos. Dixi nisi bonus finis excuset, quoniã in habitu seculari homo aliquis posset habere talem intentionẽ mendicandi, sicut habere debẽt religiosi mendicantes ad ostendendã humilitatẽ, & seruiendum Deo magis sine cura: Dicebam insuper pigritiam facere vigorosum laborẽ mollem & deficientem ad continuandum opus suum, hoc est quando persona mox dimittit opus suum inceptum, quando reperit aliquam pœnam vel fatigationem. Exemplum de illis qui dimittunt orationes suas si se non senserint in deuotione & tamen tanto magis eas continuare debent. Notate exemplum de illo qui vult illuminare ignem ad calefaciendum se. Notate exemplum de miluo, qui de peiore in peius progreditur. Notate de moniali, de leopardo &c. De illo qui grauatus fuit ab alio qui laborabat. Quæstio: Est ne homo de statu Burgẽsi vel ciuili? &c. Notate quomodo ciuilitas otiosa est in foro. Notate totum illum psalmum, quã bonus Israel Deus, & de malis quæ faciunt hi qui non laborant. Quæstio: si laborator fingat se laborare, & non laboret secundum totũ posse suũ an ne peccet? Respondeo quod si faciat secundũ quod solitum est fieri plerumq; de bona æquitate, satisfacit, supposito quod sibi parcat inter laborãdum, propter bonum corporis sui. Præterea si sibi parcat ad ieiunandum, vel Deum adorãdum, & propter hoc opus suum notabiliter imminuatur, deuotionem habet sine discretione, & peccat, nisi sit per facultatem magistri sui vel per obligationem ecclesiæ persona aliqua fortis. Dixi demum quod pigritia facit hominem mutabilem & instabilem quoad non perseuerare. Perseuerãtia virtus quædam est quæ coronat. Inimicus per tædium interdũ vincit illos quos non potest vincere per insultus. Et insidiatur vno tempore fortius quam alio. Insidiatur calcaneo quoniam nouit optimè quod si tunc deficiat, se perditurũ prędam suam. Stulti igitur sunt qui expectãt præliari contra eum vsq; ad horam illam. Notate exemplũ de ludo scacorum. Si homo fineret amitti viros &c. Quæstio, si persona aliqua bene egerit fere vsque ad finẽ, & non continuet, perdet ne quicquid egit? Respondeo casum hunc rarò contingere, quod is qui bene vixerit, malè moriatur, bona vita, bonum attrahit finem. Nihilominus tamen dico benefacta præcedẽtia amitti quoad gloriam paradisi habendam, sed non quoad hoc quod est minus damnari. Quæstio, quæ conditio periculosior est, aut inconstantia, aut obstinatio? Obstinatio peior est & periculosior, nulli credidit cõsilio. Notate de filijs incõstantiæ, clerico, logico, astrologo, aduocato, mercatore, milite, desponsato, asino, in vno quoq; statu est aliquod malum quod difficulter attentatur, nec tamen sine attẽtatione cognoscitur. Quæstio, si tædiũ habeat de vita sua &c. vt postea per quid magis peruenit persona ad perseuerantiam? Respondeo quod per ponendo modũ & frenum in omnibus suis operationibus. Exemplum de muliere quæ pedibus adibit sanctũ Iacob per continuationem &c. Exemplum de auriga cui dictum fuit eum satis tẽpestiuè posse vrbẽ attingere si non festinaret & festinãdo fregit currum suum. Per hoc quod dictũ est facile percipere possumus quomodo acedia impedit studiosum

A laborem dupliciter. sci. per malè laborare & nimis laborare. Inimicus semper hanc habet cautelam, quod cum nõ potest vna via impedire, labitur in aliam. Si videat personam multum inclinatã esse ad laborandum, non tantum conabitur eam tentare per acediam sicut per malum laborem scil. ad malum finem, aut malam intentionẽ, vel per mala media, quemadmodum cernimus aliquos seculares, & alios qui non possent persistere, nisi continuè aliquid operentur, ideo diebus festis se occupant in malis operibus, cum cogitandum esset de Deo aut adeundus sermo, sicut in ludo taxillorũ,

B in cauponis &c. vel volunt & impediunt se & alios. Notate de ludis & hastiludijs quæ fieri possunt, notate de illis qui nimias dicunt orationes. Quando denuo incipiendum sit & quando non. Cum inimicus aliud efficere non potest, hortatur ad indiscretè laborandum, & taliter vt persona postmodum est pigra velit nolit, quia incidit in ægritudines & alia inconuenientia. Exemplum de eremita scindente petram &c. Exemplum de illis qui nimium cogitando ad eorum mercimo-

C nias, & vt acquirant stulti efficiuntur. Exemplum de pueris quibus nulla dimittitur recreatio. Exẽplum quod laboris varietas bona est. Exemplum de his qui occidunt equos eorum per nimium laborem. Ideo non tantopere hortandum est ad laborandum, quin etiam dicatur qualiter laborandum sit. Notate quomodo vnum idemq; exemplum aut doctrina nocebit vni, & proderit alteri, vt exemplum parui animalis in muro absconsi & formicæ, & exemplum de musca & doctrina Iesu Christi, quod non esse debeamus nimis curiosi

D per exẽplum auium. Videamus igitur quomodo cura aut sollicitudo fieri possit? Respondeo posse fieri ipsam quatuor modis. Aut propter desperationem de diuina prouidentia, aut nimium se occupando in talibus occupationibus & amittendo rationem suam in alijs negotijs, vel per mẽsuram secundum bonam prudentiam pro se, aut quartò pro republica, duo vltimi fieri possunt, & nõ duo alij modi. Fac quod debes & Deus supplebit residuum, ideo rogamus eum in quarta petitione:

E Panem nostrum &c. quotidie victum petimus, per hoc patet quando & quomodo fieri potest thesaurus. De secũdo puncto. Omitto quæstionẽ quis status sit melior, an illorũ qui laborãt corporaliter, aut illorũ qui non laborant, sed occupati sunt in Dei seruitio? Et quare illud ordinatum sit, & etiam quomodo laborare possimus in festis vel non, & ob quam necessitatem. Et quæro si tædiũ de vita propria est peccatum mortale? Respõdeo quod tędium vitæ propriæ contingit vel per acediam & languorem desperationis de Dei auxilio,

F vel propter desiderium ad paradisum perueniędi ac euadendi huius mundi pericula, vel per ęgritudinem, vel per tentationem. Secunda causa bona est, prima non. Lãguor iste tolli debet aut per medicinã, aut per societatem bonã, aut per orationẽ & cantum spiritualem, aut per cogitationem de fide sua, & quod nihil est de hoc mundo. Nota quod recreationes carnales non tollunt illud tædium, verum potius ipsum inflammant vt redeat. Exemplum de cane quam quis fugat iaciendo os pingue, deinde redit sæpius & acrius.

DOMINICA SEXAGESIMÆ SERMO DE IRA, INCIPIENS *per thema Pœnitemini.*

Exijt qui seminat. Luc. 8. Veni secundum mysterium hodiernæ parabolæ seminare Dei auxilio semen bonum verbi Dei. Habeamus igitur pœnitentiam & patientiam, quemadmodum enim declarabo per pœnitentiam & patientiam bonam in cordibus nostris acquirimus scientiã. Velut Deus quod hoc semen bene cribretur, vẽtiletur & purgetur, & sine mixtura stipulæ vanitatis, quodque fecerint diligentiam, vt sit sine mixtura cuiuscunque mali seminis falsitatis. Velit insuper Deus quod terra nostrorum cordium bene sit disposita ad recipiendum semen hoc vtiliter & ad commodum, ne habeat illa impedimenta, de quibus postmodum sumus dicturi sine hoc scilicet quod terra nostra sit calcata, petrosa, spinosa. Et quia terra nostra ex se maledicta est, necesse est quod Dominus det benignitatẽ in terra nostra, & terra nostra dabit fructum suum, mediante tua intercessione virgo mater puella, quæ fuisti & es virginalis terra sine corruptione & sine maledictione, quæ germinasti & attulisti benedictum vitæ fructum & saluatorem nostrum. Rorate cœli desuper &c. Ad quod impetrandum &c. Pœnitemini, & credite euangelio, vbi prius. *Exijt qui seminat.* Luc. 8. Et secundò secundum euangelij mysteriũ sic dico, quod per pœnitentiam & patientiam crescit in cordibus nostris bonum semẽ, de bono semine quod seminatum fuit in diuersis partibus terræ loquitur hodiernum euangelium per parabolæ modum. Dicam igitur in primis textum, deinde sumam moralem expositionem secundum vitium contra effrenatam iram quæ non affert fructum in patientia, secundum quod dicit finis euangelij, quod tamen fieri debet.

Exijt qui seminat seminare semen suum, & inter seminandum aliquod semen cecidit iuxta viam, & volucres cœli comederunt illud. Aliud cecidit supra petram, & postquam germinasset, aruit. Non enim habebat humorem. Aliud cecidit inter spinas & spinæ simul crescentes suffocauerunt illud. Aliud cecidit in terram bonam, quod crescendo fructum attulit centuplum. Et dum hæc diceret Iesus, clamabat dicens: Qui habet aures audiendi, audiat. Discipuli interrogauerunt qualis esset hæc parabola. Vestrum est inquit cognoscere mysterium regni Dei, & vobis datum est sic cognoscere. Alijs autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Semen est verbum Dei, hi qui sunt iuxta viã, sunt qui audiunt ipsum, deinde venit diabolus & aufert verbum hoc à cordibus eorum ne per fidem saluentur. Hoc quod cecidit supra petram sunt hi qui cum gaudio recipiunt verbum Dei, sed non habent radicem, quia ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt. Semen quod cecidit intra spinas sunt illi, qui audiunt & euntes suffocantur sollicitudinibus, diuitijs & voluptatibus huius vitæ, nec vllum afferunt fructum. Semen quod cadit in terram bonam hi sunt qui corde bono & optimo audiunt verbum Dei, & ipsum seruant, fructumque afferunt in patientia.

Per hunc finem videtis quod per pœnitentiam & patientiam crescit bonum semen auscultando hoc euangelium, ꝙ est: cor si interiores ad intra apertas habeat aures, nulli dubiũ quin valde timere debeat & tremere, præsertim propter tres causas aut res quas pręsens continet euãgelium. Vna est paruus fructus boni seminis, dũtaxat enim quarta pars cadit in terram bonam, & facit fructum bonum, quod spectat ad aliud euangelium, vbi dicebatur quod multi sunt vocati, pauci verò electi & saluati. Hic est doctrina pro prædicatoribus, qui cessare non debent cum aliqui proficiunt, licet alij multi non proficiant, quamuis malitia talis esse posset vt prorsus foret tacendum. Alia causa est mirabile iudicium Dei, & expauescenda ordinatio, cum permittit quod multi audiant & videant extrinsecè quoad corpus quid facere debeant, sẽper tamen intrinsecè animæ aures clausas habent & surdas in punitionem defensionis eorum. Propterea accidit quod non conuertẽtur ad benefaciendum per bonum consensum quantumcunq; audiant sermones vel videant scripturas & exempla coram eis, immo semper eunt de peiore in peius, nec quicquã eos ad hoc potest retrahere, sicut hic dicit Deus Iudæos non fuisse dignos, vt clarè & intelligibiliter fieret sermo coram eis quo conuerterẽtur. Et hoc manifestè ostẽditur nobis gratiæ necessitas & metuendus peccati horror, cum homo per peccatum ad talem ducitur cæcitatem aut surditatem, vt etiam irrideat illos qui eum ad bonum nituntur conuertere. Dantur in reprobũ sensum, patet de Pharaone & de nobismetipsis qui cernimus quoslibet mori &c.

Tertia causa est quod patientia est necessaria ad faciendum bonum fructum. Et patiẽtia solum est in aduersitate absq; hoc, vt semper habeamus in hoc mundo gaudium. Et quia patientia solum est in aduersitate, quam quasi semper habebimus in hoc mũdo vel in altero vel in vtroq; tetra & dura res est hoc cogitare vel intelligere, sed durior vt sustineatur. Melius tamẽ valet hic hoc pati quam alibi hic nãq; est curia misericordiæ. Nota exemplum de sãcta fœmina quæ ad patientiã acquirendam postulauit à sãcto Athanas. ancillam litigiosissimam. Nota de Posthumio & accusatione eius dicamus igitur quoad sensum moralem, quod si vnaquæq; bona terra portare debeat fructũ suum in patiẽtia, secundum quod hodiernum euangelium concludit, necesse est impatientiam esse aduersam omni bono semini ad bene fructificandũ. Et reuera sic est. Impatiẽtia omnia vastat quę procedit & nascitur ex rãcore & ira. Et inuenio iram tribus modis diuersificari. Vna est subita, secunda prolixa: tertia grauãs. Et secundũ hæc tria ira facit terrã cordis nostri esse sterilẽ boni fructus pœnitẽtiæ propter vnã triũ causarum quę tanguntur in euangelio. Ira enim subita facit terrã cordis nostri esse calcatam. Ira prolixa vel lõga nimis facit eam esse petrosam. Ira grauans facit eam esse spinosam & damnosam, secũdum hoc tres erunt in hoc sermone partes. Ira subita est in hominibus qui facile irascuntur & inflammantur. Et tunc omne id aperiunt quod in corde habent, propterea Horatius eam vocat tortam.

Secretumque teges & vino tortus & ira.

Ideo dico ꝙ cordis terra per hanc irã est veluti in aperto, & pòt inimicus auferre omne bonũ quod

seminatum

seminatum erat in illam terram cordis irati, & sæpius crescunt spinæ iniuriarum, maledictionum, iuramentorum & periuriorum, minarum, reuelationum ipsorum secretorum per verbum aut signum. Hæc ira assimilatur tonitruo, quod subitò facit magnum sonitum, & mox cessat, vel alicui magno igni stuparum aut puluerum machinatum, vbi fit magnus sonitus ante paruum ignem. Quæstio: An omnis ira subita sit peccatum? Responsio: Vel ira venit per causam complexionis & naturaliter, vel ex mala consuetudine, aut tentatione sumendi propriam vindictam. Illa ira quæ aduenit naturaliter ex primo motu, non est peccatum vel est veniale peccatum, sicut aliqui qui sunt calidæ choleræ citius irascuntur, quia sanguis citius circũdat cor eorum. Et illi monstrant, signa ad extra efficiunturque rubei in facie, & inflammati in oculis & omnino tremunt manus & pedes eorum & totum corpus, vel constringunt dentes, nisi mox ratio eos coërcuerit. Ira quæ venit subitò per malam consuetudinem est magis reprobanda.

Exemplum in artibus & iustis, quia ars perfecta non deliberat. Et est cum homines tam sæpe irascuntur vt efficiantur ferè furiosi. Furor fit læsa sæpius patientia, & mox deliberant malefacere ac vindictam expetere. Ira duobus alijs modis potest esse sine peccato mortali. Ira quarta etiam, sicut dicetur in tertio puncto. Quæstio est de malis quæ eueniunt per iram subitam? Responsio: Aut iniuriæ aut damna sunt in magno excessu vel non. Si non, minimè dicendum fuerit hæc esse peccata mortalia, vt leuis maledictio, aut parua iniuria verborum vel signorum per displicentiam quandam, vel ferire supra mensam, aut facere leues minas vt certè duceris pœnitentia, &c. Si aliter, difficile est illas excusari à peccato mortali. Signum enim est deliberationem & consensum adesse, nec rationem fecisse diligentiam resistendi de facto sine causa, nec considerasse ideo non debet ferire, aut eis dicere notabilem iniuriam & publicam vel reuelare secreta, vel peierare, aut mortem minari. Est hic quæstio si huiusmodi iuramenta debeant teneri? aliàs locutum est. Bonum est de omnibus his casibus confiteri & eos emendare secundum qualitatem personarum & dãni. Dominus magister vel pater non debet quærere veniam, sicut subiectus aliquis. Non oportet principem repercuti. Hoc posset esse stultitia & contra Domini autoritatem. Nota de mamatribus quæ adulantur filijs post verbera. Item dubium est si blasphemia contra Deum dictæ per talem iram sint carpendæ sicut hæreses aut idololatriæ. Quæstio de remedio contra hanc iram. Responsio: Interdum medicina potest prodesse. Ratio debet ponere modum, sæpius cogitãdo iræ turpitudinem, se respiciendo in speculo. Vel per aliud, aut considerãdo quod aliquis peior ex hoc efficitur. Vel per hoc quod irridetur & minoris existimatur, tunc & postmodum. Vel minus bibendo vina fortia, nec escas calefactiuas sumẽdo, vel vitando luxuriam, quæ homines reddunt impatientes fugiendo occasiones. Nec quis ponat se nimis prope viam. i. ad publicum officium, vel in aliena iurgia. Non misceas te rixæ alienæ, quod tunc non loquatur aliquis. Turbatus sum & non

A sum locutus & silui à bonis &c. Et etiam ne ostẽdantur signa vilipẽsionis, hoc enim interdũ peius esset quã loqui. Nota signum iræ in Socrate erat tacere. Sexto ne tunc fiat quæcunq; vindicta, aut ne sumatur supplicium de aliquo, quoniam iudicium rationis est perturbatum, impedit ira animũ &c. Quod habeatur aliquis qui pro tunc hoc pati possit, & quod post iram suã eum animaduertat, & in memoriam reuocet, si opus est vt ipse pariter alios in subita eorum ira supportet, cum ipse non fuerit iratus, sitq; facilis ad parcendum, quodque quilibet diligenter cõsideret defectus suos & nostram fragilitatem.

B Ira lõga nimis facit terram cordis nostri durã & petrosã. Ira hęc quę nõ cessat facile, donec dura sumpta sit vindicta, est reprobanda. Admodum enim repugnat charitati, & facit Deum aduersari homini eam habẽti. Nec facere potest in statu illo bonum fructum pœnitentiæ, quia tenet rãcorem suum & odium, nec sufficientem habet patientiã. Quæstio si talis ira longa nimis semper est peccatum mortale? Responsio per distinctionẽ & prius.

C Hæc enim ira est quãdoq; per cõplexionem, sicut lignum aliquod quod difficulter incendi potest, post quam verò accensum fuerit, calorem suum retinet diutius quam aliquod aliud. Et si persona non habeat consensum malè faciendi, sed displiceat ei talis ira, potest habere magnum meritum resistendo. Si deliberatio plena fuerit, opus est distinguere tunc vindictã quæ desideratur, vel ipsa est secundum formam iuris & rationis, & vt quis habeat quod suum est, vel quod honor suus reparetur, & hoc fieri potest, quamuis perfectius sit

D omnino parcere (sicut dicetur postmodum) quã perdere amorem, tempus, bona, & lætari de dãno alterius, vt causa coram iudice agebatur, vel desiderare notabile malũ alterius via facti & irrationabili, & per malas intentiones quæ sunt contra Deum & rationem, peccatum est mortale. Et grauius quidem, saltem secundum malum quod desideratur vel procuratur. Vt peius est verberare clericos quam alios, propter excommunicationẽ, & mutilare quam verberare. Nota de pueris &

E fœmina, qui maledicunt propter hominem qui interimitur &c. quomodo fieri debeat restitutio? Quæstio: An obligetur quis loqui & conuersari cum illis contra quos irascitur? Responsio. Vel tales fecerunt iniuriam, & se eam offerunt emẽdare omnibus modis rationabilibus & secundum ius vel arbitros, tunc obligatur recipere emendam in hoc quod malefactum est duntaxat restat emẽda, & monstranda sunt reconciliationis signa. Personæ tamen tales esse possunt per consilium melius vitari deberet eorum conuersatio, quã eas fre-

F quentare quãuis ametur. Exemplũ de arbore spinosã ferenti bonos fructus &c. Si iniuria proueniat ex ira, peccat dupliciter. Si hi qui intulerunt iniuriam non sunt parati eam reparare, auferẽdus est rãcor quoad Deũ, hoc est is qui iniuriã recepit, velle debet bonum eorum inquãtum prodest ad eorũ salutẽ, & postulari potest reparatio ac denegari conuersatio, donec totũ fuerit reparatũ, licet hoc sit difficile factũ secũdũ bonã charitatẽ, quin inimicus nutriat odiũ de peiori in peius. Si lætari quis debeat de malo alterius dicã inuidia? Secũdũ hoc quod dictum est scitur quomodo intelligitur

dictum Iesu Christi: Qui dixerit fratri suo fatue &c. Est intelligendum secundum tres modos iræ & iniuriæ. Vnus est in primo motu. Alius per deliberationem quæ adhuc exigua est. Tertius est magnus per deliberationem .f. magná. Scitur vlterius quando dimittenda est oblatio Deo, vt prius quis se reconciliet proximo suo. Et quomodo sol nō debet occidere super iram nostrum. Quæstio, quod remedium contra hanc iram? Responsio: Est reddēdo molliorem terram petrosam, exhortatiōne bona & oratione deuota. Quis es qui omnimodam expetere tentas vindictam. O pauper & miserabilis creatura, in quo statu te iudicas, quę in nullo habere vis patientiam, veluti iam esses similis Deo & saluatis. Sed quod peius est, quam tibi vsurpas autoritatem? tu qui vindicandi autoritatem sumi, quam Deus summus iudex sibijpsi reseruat? Mihi inquit, vindictam & ego retribuā. Sume exemplum in pueris scholæ, qui de eorum iure intus faciunt, cum alij socij eos percutiunt, & ipsi sese defendunt absq; hoc vt à præceptore eorum punitionem quærant, sis saltem intantum subiectus Deo, sicut cernis puerum tuum subiectum esse præceptori suo. Nota exemplum de sācto patre qui dixit, Deum nobis non esse necessarium, quia homines vindicare vellent omnia. O humana & stulta impatientia si omnibus resistere nitaris. Resiste frigori vel calori quæ te affligunt vel pulicibus in æstate, cum te in lecto tuo quiescere sinunt minimè. Videte qualem indignitatem, vnus homo iram suam seruat alteri, & vult quod Deus sit sibi dulcis, clemens & misericors, licet sciat & scire debeat grauem sententiam contra humanam impatientiam, quod si non pepercerimus, nec Deus parcet aut remittet nobis. Si non velis parcere propter compassionem patris tui, proximi, fratris, nec propter amorem Dei tui, nec bonis patris communis, qui sic præcipit, time saltem duram eius sententiam & vindictam, quod sic vt feceris alijs, sic fiet & tibi. Si remiseris, remittetur & tibi. Sin minus condemnaberis. Nec prodest quicquam hic dicere, non deliqui cōtra Deū, non egeo venia nec remissione. Qui hoc modo diceret, mentiretur, & stultè seipsum deciperet. Postea quam ergo opus est tibi remissione, sume medium acquirendi. Da veniam, & iam habebis bullas omnino sigillatas à summo iudice, quod veniam sis impetraturus. Non est similis eleemosyna, quia fit de bono proprio. O qualis securitas conscientiæ erit in illo qui dicere poterit Deo: Domine remisi ad cōplendū præceptum tuum, supplico iuxta promissum, renuntiate & mihi. E diuerso verò quali audacia audebit eleuare ad Deum oculos, & postulare veniam, qui in nullo huic qui sibi similis est voluit dare veniam, qualiter non intelligit duram hanc euangelij responsionem: serue nequam &c. Insuper qua conscientia dicet talis aliquis suum pater noster, orando Deū ꝙ sibi dimittat omnia debita, sicut dimittimus debitorib. nostris. Videtur maledictio cōtra se, & imprecatio loco orationis, sicut per talem loquendi modum dici solitum est, Deus mihi sit in auxilium sicut dixi veritatem, vel sicut hoc modo feci. Heu libenter remittere vellem, sed non valeo, humana dicet impatientia. Noli dicere quæso te non valere remittere, sed te secundum rationem dimittere non velle, & quamquam in te sentis rebellionem & dolorem in sensualitate, satis est & sufficit desideriū hoc & talia velle reputabitur pro facto. Dicere poteris Deo: Domine volo remittere iniurias alterius contra me, simili modo remitte mihi, & certè de facto mihi omnino parces. Facis enim omnia quæcunque vis vel desideras. Da igitur mihi potentiam secundū voluntatem meam, & scientiam adimplendi hoc desiderium. Nota quod sic potest dici pater noster, nomine ecclesiæ sine periculo absque hoc vt quis se maledicat. Sed dices deinde iniuriam esse nimis magnam, nec te posse dare veniam. Etiam quod irrideris ab alijs veluti leuis & impotens. Respondeo tāto te facturum magis commodum tuum, tribuendo Deo hanc vindictam. Paruipendere quoque debes stultam loquelam istorum mundanorum si amorem habes ad laudem Dei tui. Ipse te sciet defendere honorare & remunerare. Et multo plura remittet tibi quam tu possis alteri remittere. Considera etiam si expectas emēdam vtilem aut honorabilem, Deus tibi hāc dare poterit multo maiorem sine comparatione, & eā ibi dabit, quam homo mortalis tibi conferre posset. Fac ergo propter Deum & æternam paradisi gloriam quod faceres ob paruam temporalem cōmoditatem vel honorem mundanum & vanum. Tribue hoc Deo. Fac eum debitorem tuum, obliga eum tibi. Si rex aliquis te rogaret, condonares ei hanc emendam. Da ergo eam regi regum. Si quæras punitionem de eo qui offendit te, refer ad Deum. Et si iniuria tua duret absque hoc quod is qui eam intulit, pœnitētiam agat, horribilius punietur quam optare posses & cogitare, & plusquā desiderare debeas, vt ante alium damnetur. Respice (te rogo) quis furor sit occidere hominem in anima, ad habendam vestem vicini sui, videlicet corpus suum aut bona. Et etiam quod homo intantum seipsum inquietet & malam tribuat pacē, ad auferendum pacem alterius. Te rogo etiam, nonne vnquam alteri iniuriam intulisti? Nonne volueras habere veniam, respondebis quod sic. Fac ergo alteri quod tibi vis fieri. Quisquam oblocutus est tibi, & tu alteri sæpius. Mala dicta sunt de te. Est mos hominum immo verò infirmitas, non potest abstinere amplius quam homo, non tremere qui torquetur febribus.

Mala feruntur de te, caue ne nimium leuis sis ad credendum, & fac quemadmodum fecit Plato de Xenocrate suo discipulo. Nota historiam. Homines obloquuntur tibi, caue ne merueris, Quod si minus merueris, exemplum sume à Iesu Christo, qui cum malediceretur, non maledicebat &c. Factæ sunt tibi aliæ iniuriæ. Vide excusationes quæ possunt adduci, aut ratione æui, aut ignorantiæ, aut debilitatis, aut leuitatis. Item quam laudem haberes erga Deum si nunquam vlla affectus fuisses iniuria? Remittes omnia. Remissio est & esse debet vbi & quando inuenta est iniuria. Postremò expetere vindictam propria autoritate vndequaq; fugiendum est, quoad maiorem, quoad ęqualem, & quoad minorē. Verberare ęqualem periculum est, maiorem amissio, minorem verò turpe.

Talis suam emendaret iniuriam, qui iniuriam augmentat? Iniuria non vincitur iniuria, sed patientia.

tientia. Qui patitur, vincit, sed punitur spinis qui à pungentibus non abstinet spinis. Nota de rana quæ sese inflabat vt se vindicaret de tauro, qui ranunculas pede suo contriuerat, & dictum fuit ei quod etiam si creparet, non posset esse æqualis ei. Nota de lupo vel de canibus, qui non dignantur capere minus &c. Et de canibus Alexandri. Nota de Dionysio tyranno, cui non erant verba cum hominibus, nisi sonitus vteri hominis aut alicuius vesicæ. Nota quod homines vindicatiui reputati, vsque ad mortem persecutionem patiuntur ab alijs, quia homines eos timent si ad prosperitatem redeant. Demum bene cõsidera quod odium est spina quædam quæ spiritualem impedit sanitatẽ. Et nisi ante mortem amota fuerit, erit materia ignis tui perpetui, qui te comburet absque vllo remedio. Voco iram grauantem, iram quæ sub vmbra iustitiæ & boni mala perpetrat plurima. Zelus non secundum scientiam cuius specialiter sunt tres modi, per bellum inter regna & regna, & inter progeniem, aut per campum belli, propter instructionem suorum subditorum, propter punitionem malorum in republica. Hæc ira facit terrã cordis nostri spinosam, hoc est quod sub apparentia boni & iustitiæ nascuntur & crescunt diuersa vitia periculosa, quæ expellunt omne bonũ quod ibi esse potest. De prælijs quomodo suscipi debeant, & quo titulo, & qua necessitate & de campis prelij nil hic dicam. Quantum ad prælium quod fit vnius progeniei ad alteram propter iniuriam, non opus est magna distinctione, postquam domini eorum ordinati sunt ad faciẽdam eis iustitiam. Et contra omnem rationem naturalem, diuinam & ciuilem, expetere huiusmodi vindictas & dissensiones incitare autoritate propria. Nota de domino qui abstulit huiusmodi malas consuetudines, occidendo eos qui repugnabant & dando ordinatum precium. Nota Burgis bonam esse ordinationem, quod si duo visi fuerint discordes post certam admonitionem factam, intruduntur ad carceres, donec facta fuerit concordia. Secunda quæstio: An sit licitum verberibus afficere per iram & commotionem suos subditos, vt suos scholasticos vel addiscentes vel famulantes? Respondeo per distinctionem. Aut ira transgreditur rationem, & eam notabiliter facit excedere, & hæc plerumque est per peccatum mortale & plerumque excommunicatio in clericis. Vel punitio suscipitur rationabiliter quamuis ira punientem inuaserit, & hic est peccatum veniale. Nota de Platone, qui noluit verberare suum discipulum & famulum quamdiu erat iratus, sed iussit quendam alium verberare eum. Nota quod contra se vel contra peccata propria, potest quis habere inordinatam iram quæ prouenit ex quadã superbia & impatientia, cum quis non se omnino subdit ad rogandum Deo & humiliter propriam fragilitatem recognoscendam. Tertia quæstio. Si iudex seruare posset iustitiæ rigorem sine misericordia? Responsio appellatur rigor iustitię, facere secundum textum legis in generali. Et misericordia est considerando particulares circunstantias, vt debilitatem, ignorantiam, aut coactionem eius qui forefecit. Lex vna est, ne quisquam transiliat muros noctu sub pœna mortis, superueniunt inimici ex insidijs & ciuitatem intrabunt, nisi duo

Gerson. Quarta pars.

A vel tres qui ibi adsunt, ascendant & transiliãt muros. Dico quod hic seruare legis rigorem, esset cõtra misericordiam, & iniquum facinus. Terẽtius: Summum ius summa iniustitia. Factus es sapiens, noli esse iustus nimis. Ipse etiam leges cupiunt vt in iure &c. Multo autem peius est si iudex hoc faciat ob propriam vindictam quam per ignorantiam, sicut fecit abbas quidam, postmodum patiẽter obediuit in hoc quod eũ monachi sui pati volebant. Nota quomodo literati qui sunt sine magna ratione, omnia destruunt interdum per eorũ rigorem. Et per oppositum hi qui volunt omnia

B ad proprium iudicium inuenire, & textũ flectere. Item omnia destruunt ideo bona est mixtio iustitiæ & misericordiæ. Psalmus: Misericordiam & iustitiam cantabo tibi Domine. Nota de stulto qui dixit regi quod occidisset hunc qui fuerat interemptus à quodam qui prius à morte fuerat per regem liberatus. Ira debet vrere in oleo misericordiæ. Exemplum de Iesu Christo, qui cum vidisset ciuitatem Hierusalem, fleuit &c. Ex altera parte misericordia sine iustitia crudelis pietas est

C contra rempublicam, & etiam ad iniurias Dei. Chrysost. &c. Per hoc patet quod prælatus vel princeps non semper remittere debet iniuriam suam. Nota de difficultate bene hic tenendi medium. Priuata etiam persona non debet remittere iniuriam in sui status præiudicium, vt clericatus vel in peiorationem huius qui intulit iniuriam, vel ob malum exemplum aliorum. Nota aliquos velle esse misericordes magis quam Deus sit misericors. Omnia volunt remittere sine iustitia. Terentius: Nihil homini melius humanitate atque

D clementia. Augustinus de Ambrosio. Maxima etenim est morum patientia virtus benignitas sine adulatione. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Patientia est tribula quæ separat & purificat bonum granum quod reponit in paradisi granario. Nota exemplum de seruulo, quod recitatur à sancto Gregorio in euãgelio huius homeliæ, qui fuit tempore suo cuius morti affuit quidam monachorum sancti Gregorij quam suauissimus odor duraret &c. Erat paralyticus. Et ei

E erant libri quos coram se legi iubebat.

SERMO IN DOMINICA QVINQVAGESIMÆ CONTRA *inuidiam per idem thema.*

Pœnitemini & credite, &c.

F POENITEMINI inquit, Dominus noster Iesus Christus, & causam apponit secundum materiam quam prosequi debeo pertinẽtem ad hodiernum euangelium, quia inuidiæ malum per pœnitentiã est mortificatum. Nihil est quod magis aduersetur verbo diuino, nec quod plus ipsum impediat quam mala inuidia. Nã & ipsa accusauit & morti tradidit summũ veritatis prædicatorẽ Dominum nostrũ Iesũ Christũ. Ob quã causam? quia inuidia excęcauerat maiores iudęorũ. Ideo mihi apparet quod nos omnes christiani multum odio habere debemus malam inuidiam, & ipsam per pœnitentiam bonam mortificare.

Maledicta sit ipsa inuidia, quia prodidit Dominũ nostrum, quia est contraria gratiæ, secundum dictum apostoli in hodiernæ diei epistola, sine autem gratia non est aliud bonum quod valeat, fides ne? Non: idioma? non, sententia? non, eleemosyna? non, Si linguis hominum loquar &c. Pœnitentiam igitur agamus vt inuidiam mortificemus, & gratia illuminemur. Ad quod faciendum vocabimus in auxilium Dei matrem gloriosam, quæ super omnia odio habet inuidiam, & meritò quidem, quia inuidia occidit ei benedictum filiũ suum, fecitque eam esse dolorosissimam & mœstissimam ratione mortis illius. Deprecemur eam vt ego possim communicare, vos verò audire sine inuidia diuinum eloquium exemplo sapientis & dicentis, quam sine fictione didici, & sine inuidia communico. Ad quod impetrandum te salutabimus &c.

Pœnitemini, & credite euangelio &c. Quicunque legit, audit, vel intelligit hodiernum euangelium, videtur mihi quod vltra alia mysteria quę in eo sunt, considerare debet malam inuidiam maximo odio esse persequendam ac fugiendam. Ipsa enim principaliter intulit Domino nostro mala, quorum meminit euangelium hoc in initio, per hoc quod excæcauit Iudæos secundum figuram cæci, de quo loquitur secunda pars euãgelij, quod dicit sanctus Lucas:

Sumpsit Iesus duodecim discipulos suos secreto, & dixit eis: Ecce ascendimus hierosolymam, & omnia perficientur quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis, tradetur enim gentibus ad illudendum, flagellandum & crucifigendum. Et postquam eum flagellauerint, occident ipsum, & tertia die resurget. Ipse verò nihil horum intellexerunt, verbum enim hoc latebat eos in his quæ dicebãtur. Et factum est cum appropinquaret Iesus Hiericho? cæcus quidam sedebat secus viam, qui cum audiret turbam prætereuntem, quæsiu t quid nam esset, qui dixerunt ei: Iesum Nazarenum transire, & exclamauit, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei, & qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse verò multomagis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Stetit Iesus & iussit eum adduci coram se, & cum appropinquasset interrogauit eum dicẽs: Quid vis faciam tibi? Et ille ait: Domine vt videam. Ait Iesus: Respice, fides tua saluum te fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum, magnificans Deum. Et vniuersus populus cum vidisset hoc, laudem dedit Deo.

Libenter scire vellem si domina nostra præsens fuerit, cum filius suus duodecim apostolis suis passionem suam denunciauit, & credi potest sine periculo quod sic, & quod eam docebat, & semper cum eo in eius conuersabatur societate. Et si præsens eras pulchra & dulcissima domina, quis est homo qui solum cogitare possit angustiam benignissimi & amantissimi cordis tui materni, cum loqui audiebas de ignominiosa illusione & morte quæ in breui glorioso filio tuo erat superuentura? Si verò permãseras in Nazareth vel Bethania, facile credi potest filium tuum te cõmendasse Deo, nec eum celasse ea secreta tibi quę dixit suis apostolis. Et hic reuera miserãda erat diuisio & durum vale, cum cogitares eum ire & appropinquare ad passionem suam. Sed quid dicemus de Iuda qui erat vnus ex duodecim, quibus Iesus Christus suã prædicebat passionem. Intelligite hic, vnusquisq; enim exẽplum capere debet magni timoris & tremoris metuẽdęq; admirationis. Iudas qui erat in tãta societate electus vnus duodecim quibus Iesus Christus secreta sua communicabat, prædicebat & faciebat miracula sicut alij apostoli, fuit deinde dãnatus & reprobatus. Videte hic & profundè cogitate, ô altitudo incomprehensibilis iudiciorum Dei terribilis in consilijs super filios hominũ. Aut Iudas tũc proposuerat prodere magistrum suum, aut non. Si proposuerat, quare non retraxit seipsũ. Longo enim tẽpore post fuit cũ Domino nostro, & vidit miracula, præsertim istud huius euangelij, cum cæcus fuit illuminatus, quare eo tẽpore nõ se emẽdabat? Si non cogitabat eum prodere, sed existimabat esse bonus & saluari. Heu deuoti homines quis nostrum securus erit? quis nõ timebit de futuro tẽpore, quantũcunq; se sentiat bonum & deuotum in præsenti tẽpore. In bona fide sapiens non est qui non tremit & fremit, cum bene hæc cogitat & memoratur. Quãuis autẽ cupida auaritia causa fuerit Iudę, vt suam faceret proditionem, Iudæorum tamen inuidia ei erat auxilio ad ipsam perficiendam. Certè tu mala inuidia meritò odio es habenda & reprobanda. Es enim cõtraria Deo, mundo & tibijpsi secundum tres sermonis partes.

Prima pars, mala inuidia quid mirum si Deo aduerseris. Es enim filia superbiæ illegitimi proditoris Dei iusti Domini sui, qualis pater, talis & filia. Hoc adhuc & semper ostendis in omnibus damnatis inuidis. Per inuidiam enim persequuntur Deũ secundũ furiosam eorum potentiã. Et quia ei nocere non possunt modo, nec secundum humanitatem, nec secundum diuinitatẽ, persequuntur omnes illos & illas qui Deum volũt amare & honorare. Quid mirum? quia dederunt Deum in hoc mundo neci pro tempore illo, pro quo acceperat & retinuerat nostram mortalitatẽ. Quis tradidit Dominum nostrũ Iesum Christum Pilato? Inuidia; hoc testabatur Pilat⁹. Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Quis eũ fecit cędi & percuti alapis, colaphis & virgis & cruciari? inuidia. Quis eum fecit irrideri & turpiter ac ignominiosissimè conspui? inuidia. Demum mala inuidia posuit Saluatorem nostrũ Iesum Christum ad amarissimam, & pro tunc ignominiosissimam mortem crucis. Sed ad melius intelligendum dicta & dicenda inquiramus in primis quare procurauerit inuidia veluti falsa proditrix Saluatorem nostrum tali affici morte? Respondeo quod Iesus Christus propter prædicationẽ suam habebat laudem quod esset gloriosus sine pompa & vanitate, sapiens sine adulatione vel falsitate, bonus & studiosus sine fictione vel duplicitate. Iudæi verò & præsertim presbiteri & magistri ibi existentes habebant omnino se contrario modo, sicut Iesus Christus sæpe improperabat eis. Quærebant enim gloriam per pompas & vanitates, per vestimenta, per honorabilia loca, erant sine bona scientia, & iã amiserant legis intellectum, volebãtque vt homines adularentur eis, & honorari etiã volebant tanquam sapientes. Erant hypocritæ, quia alij apparebãt extrinsecè, quam ad intra ad similitudinẽ monumentorum. Quoniam ergo Iesus Christus omnibus modis erat contrarius eis, & maiorẽ habebat honorem quam ipsi, inuidia quę præcipuè honorari vult, sicut pater suus superbia, taliter eos excæcauit, quod & si priùs cognouissent tempus & aduentum

& aduentum Iesu Christi, iuxta illud: Ecce hic est hæres. Matth. Postmodū tamen refutauerunt eū, negauerunt, & morti tradiderunt ac intremerūt. Sed quæret deinceps aliquis, quare dicam inuidiam tradidisse morti Iesum Christum? Ipse enim semetipsum tradidit, immo vero tota Trinitas eum pro nostra tradidit redemptione? Respōdeo quod Iesus Christus bene & sponte & per magnā charitatem morti fuit traditus secundum ordinationem totius Trinitatis. Iudæi verò tradiderunt eum per malam inuidiam & falsam intentionem. Ideo dico Deum bene scire vti malis aliorum, sicut fecit de tyrannis, & adhuc facit quotidie. Ideo patet non bonū esse argumentum. Deus vult hoc fieri, ergo hi qui hoc faciunt sunt laudandi. Faciūt enim hoc mala intentione & per execrationē inuidiæ vel alterius vitij. Nota de latrone qui dixit mercatori, æquè bene alius te spoliasset. Sunt virgæ quæ comburuntur &c. Postremò quoad primam hāc partem tale quæri potest literale dubiū, Quomodo apostoli nō intellexerunt quod Iesus Christus eis de passione sua prænunciabat tam apertè? Responsio, hoc fuit aut quia credebāt eum loqui per parabolas secundum suam consuetudinem, aut quia nunquam credebant Iudæorum inuidiam fuisse talem vt auderent morti tradere talem veritatis prædicatorem? qui tam sanctam habebat intentionem, & tam potens erat in miraculis. Domini apostoli malè cognoscitis maledictā & proditoriam inuidiā cum nō opinamini quod audeat tam validum prædicatorem iniurijs afficere. Certè multo citius inuadebat eum, quia multo efficiebatur odiosior & furiosior & effecta est tā cæca vt nihil cogitaret aut videret quod esset futurum, nisi duntaxat vt non videret amplius tam magnum bonum sicut erat in Iesu Christo, vnde dicere cogebantur ex inuidia: Tolle tolle &c. Grauis est nobis etiam ad videndū &c. Ouidius eam describendo dicit: Vixque tenet &c. Flet quia nihil videt deflendum. Fugite ergo inuidiam, quæ tantopere cōtraria est Deo. Deus enim omne bonum est, & inuidia solum bonum odit. Nescit ergo quid sit Deus, & ei displicet quod mittit & cōmunicat has litteras alijs. Domine nos pœnitet, quia malam inuidiam pœnitet &c. O mala inuidia si mortua fuisses, cum per te ex tua procuratione Deus mortem sustinuit, præsens tēpus nostrum valeret melius, sed nō, semper enim regnas, quia autem Deo amplius nocere non potes nocere vis omnibus his qui coguntur eis assimilari, siue in bonis factis & studiosis, siue in sapientia, bonitate aut deuotione. Et sicut secundum fabulas & poëtarum fictiones diuisionem posuisti inter tres deas, mediāte aureo quodam pomo inter Iunonem, Palladem & Venerem. Vel alias tres sorores secundum Ouidium, simili modo video te diuisionem ponere velle inter tres mundi status, qui sunt militaris, ecclesiasticus & ciuilis seu Burgensis. Clarè nouisti quod quamdiu hi tres status forēt in pace, magna bona futura esse. Militia daret defensionem, ecclesiasticus status sciētiam, & Burgensis subsidium & pecuniarum elargitionem, ideo omnia bene se haberent. Et quia nihil magis odio habes, quam bonitatem, pacem & vnionem, niteris sæpius per aliquos ministros tuos ponere diuisionem inter tres illos status, mouēsque varias detractiones ne vllus sit contentus statu suo quoque vnus noceat alteri. A Nonne videmus aliquando quomodo aliqui Burgenses murmurant contra ecclesiasticos quia non laborant, & tamen magnos habent reditus. Ecclesiasticus status vt eis videtur, reditus habet & prouentus sine labore, ideo inuident & murmurant, videturq; eis quod ad nihil prosit. Altera ex parte aliqui ipsius status ecclesiastici interdū murmurant contra ciuilem statum, quando vult tractare aut scire aliquam rem, in qua nihil ipsum scire opinātur. Optimè enim eis apparet quod status eorum B laborandi vel mercandi comparandus non est ecclesiastico statui, qui factus est ad sciendum cognoscendum & docendū. Insuper accidit vt multi de statu militari contemnāt vtrumque aliū statū, ratione potentiæ & nobilitatis, qui est in militari statu. Propter quod accidit ex altera parte, quod aliqui aliorum statuum murmurent contra statum militarem, loquendo interdum probosè, tam apertè quam occultè. Quid prodest talis diuisio cui comparatur? Certè est quædam destru- C ctio, est talis dissipatio, quemadmodum si pedes vel membra eiusdem corporis se roderent, rumperent & dilaniarent more alicuius furiosi. Eijciamus malam inuidiam, quæ talem diuisionem & horribilem dissipationem facit aut facere conatur. Sciamus omnes hos tres status esse necessarios reipublicæ, ecclesiasticum tanquam oculos, militarem tanquam cor vel stomachum & Burgensem vel ciuilem tanquam manum. Burgensis contra ecclesiasticum murmurare debet minimè si manibus non laboret, officium enim suū aliud D est. Officium suum est dirigere ad bene operandum, vt veniamus ad finem nostri principalis premij sc. paradisum. Et quia ecclesiasticus hoc facere non posset & simul laborare, necesse est Burgensem & militarem eum supportare & sustentare, dando reditus vel decimas, aut similes huiusmodi subuentiones. Cum verò status Burgensis laborat, militaris ad defensionem & tuitionem superintendit. Ecclesiasticus autem intendat ad scientiam, religionem, & Deum videndum, pro omnibus & pro se gratias reddendo, & consiliū E dare sciendo, tunc omnia in bono erunt moderamine. Notate igitur exemplum de decem oratoribus, qui postulati fuerunt ab inimicis Atheniensium. Et quomodo responsum fuit per exemplū luporum, canum & pastorum. Militaris status etiam non laborat sicut ciuilis, habet tamen laborem alium, alij æquiualentem, gubernat enim & ordinat omnem rempublicam in fide, & eā contra extraneos tuetur. Ideo notate exemplum per quod quidam reduxit ad pacem in Romana vrbe F Burgenses cum militibus. Fuit vsus exemplo mēbrorum quæ coniurarunt aduersus stomachum, quod nisi amplius ei darent ad manducandum &c. Mala inuidia quæ clarissimè videt aliorū mala & non bona, nec proprios defectus. Videt (vt inquit Iesus) in oculo proximi festucā, & in proprio oculo trabem non videt. Mala hæc inquam, inuidia murmurat contra ecclesiasticorum defectus, eū inter Burgenses, & eos arguit de simonia, luxuria, superbia & auaritia. Murmurat etiā contra principum defectus, eos reprehēdendo de superbia, pompis & iniustis extorsionibus. Simili

modo facit quando est inter dominos vel principes, aut quando est inter ecclesiasticos. Murmurat etiam contra Burgenses, & eos arguit de vsura, inobedientia & compluribus alijs vitijs, non habendo rationem loci nec temporis. Nō autem ad proficiendum aut corrigendum, sed ad detrahendum, odio habendum & persequendum. Accidit malam inuidiam murmurare aduersus aliquam totam patriam vel progeniem, dicendo: omnes illius patriæ sunt tales & tales, & hi de ista progenie sunt tales. Sed amarior inuidia & manifestior est contra personam singularem, quæ aliquam habet excellentiam inter eos inter quos cōuersatur; sicut dicit Aristote. quod figulus inuidet figulo, & medicus medico. Nominate mihi aliquem bonum operarium, aut bonum aliquem artificem, subitò inuidia immiscebit se inter illos eiusdem artificij ratione suæ excellentiæ, sic quod reputatio & lucrum aliorum per hoc imminuitur. Inter doctos etiam quo ad scientiam aut famam sanctitatis. Inter milites quoad strenuitatem. Nō est nisi gloria talis, quæ omnem superat inuidiam, quod est difficillimum, secundum dictum Salustij de Iugurtha, qui inuidiam superabat. Burgensis status specialiter non debet esse inuidus contra ecclesiasticum, supposito quod aliqui sint alij quā deceat. Aliqui Burgenses interdum sunt causa huius, quia ponunt pueros eorum ad scholas, ecclesiam vel religionem, ad malum finem, malam intentionem, & per iniquum medium, vt sc. solummodo victum eorum habeant, vel opulentiam aliquam, abbatiam aut ecclesiam, quorum Burgensium procuratione fiunt falsæ promotiones de malo introitu malum medium & sæpius peior finis. Questio. An omnis inuidia sit peccatū mortale? Respondeo per distinctionem. Inuidia quæ est tristicia de bono alterius, & lętitia de malo, aut accidit propter subitum motum magis quā in alijs & hoc non est nisi peccatum veniale. Nullum autem peccatum est si ratio non consentiat, sicut per corruptam complexionem, per quam aliqui sunt inuidi, vel venit per deliberationem, propter vnam trium causarum, videlicet propter bonum quod habet alius, siue sit bonum fortunæ, siue naturæ. Aut propterea quod is qui inuidet nō habet talia bona, licet velit alium habere illa. Aut propterea quod bona aliorum vertantur in præiudicium reipublicæ, vel contra alium iniustè, vel cōtra propriam eorum salutem, & nominatur bona zelotypia aut inuidia bona. In prima est peccatū mortale, tanto peius quanto bonum contra quod est talis inuidia, magis est ad laudem Dei aut bonum spirituale, vt est inuidia de hoc quod bene instruitur populus, & quod fides & religio augmentatur. Hoc vocatur peccatum in spiritūsanctum. De hac inuidia nascuntur murmur, detractio, irrisiones, culpationes, odia, accusationes, libelli famosi, persecutiones & subuersiones plurium bonorū in regno & in regione. Scitur quoq; quando huiusmodi opera ad extra sunt peccata mortalia, quod nouum est & horror secūdum intentionem quæ ad intra est, secundum est malum quod inde emanat. In secundo modo potest esse impatientia contra Deum, aut iniusta displicentia de statu suo, sed quantum est de se, non est inuidia aliqua quæ sine medio nascitur ex superbia & singularitate, sicut pharisæus qui solus voluit habere bona sua, & glorificabat semetipsum. Alij nolunt laudem esse singularem ad vnū. Tertio modo nō est inuidia mala, sed est bona, vt ita dicam, zelotypia & iusticia manumque meritum si quis bene scit vti illo quod dico & quod declaro, hoc difficile est, quin mala se immisceat inuidia. Nota de loquendo contra aliquam religionem vel virū doctum &c. Et cū per defectum aliquorū diffamari potest totus vnus status & propter quos defectus, & propter quam cognitionem. Nota de quibus operibus ferri potest iudicium, & qualiter iudicium est operū, non conscientiæ intrinsecæ; queadmodū dixi de inuidia respectu displicentiæ boni alterius, sic etiā dicere posse de gaudio mali. Nota quod iudiciū fit de operibus, quorū aliqua manifestè sunt mala, alia verò solum apparenter. De primis iudiciū fieri potest pro tempore & loco per charitatē. De secundis nō firmiter iudicandum est aut leuiter. Nota hic supradictam habent discretionem inuidiæ hi qui loquuntur leuiter de alio, vel per fatiuā voluntatem, loquendi, aut garriendi, aut per stultā fiduciā, aut propter iocū, nō velle tamen illa sustinere in pręiudiciū alterius, sicut faciunt famuli de dominis suis, propter quos mori eligerent & venit hoc ex quadā corrupta loquendi consuetudine. Nota de his qui vituperabant & inculpabant Dionys. tyrannum. Accidit quandoq; ob stultū amorē vel peruersum vt pater loquatur de filio suo extra tēpus & locū aut homo aliquis de vxore sua vel de seipso, nec vellet alium eo modo facere. Accidit vt loquamur de statu mūdi & miserijs in generali, vt sumatur aliqua cōsolatio per dulciloquam loquelā, aut ad addiscendam prudentiā, & vt quis efficiatur cautior & magis prouidus cum cognoscitur præsentis tēporis varietas. Exēplum in Terentio de illo qui præcipiebat filio suo cōsiderare aliorū vitā. Et sicut loqui hic de mortuis, non est tāta diffamatio ex parte loquentis sicut ex parte irridētis modo veritas obseruetur, viuens se diffamat, non loquens, secūdum quod sermo fit de statu aliquo, progenie aut patria. Notate sanctū Paulū in secundo casu, melius consiliū est parum loqui, siue sit de se, siue de eo qui amatur, prędertim in bono, hic locum habet, parce lauda, vitupera parcius. Et illud: nec te collaudes &c. In primo casu potest esse iusta reprehensio, si malum nimis magnum sit & iniuriosum, & nimis sit in præiudiciū domini vel sui regni. Sic etiam si sermo esset contra religionem Christianam, licet punitio talis nō esse debeat, sicut si ex certa malicia fieret talis oblocutio. Hæc postrema trimembris distinctio bene notanda est contra scrupulosos, sed etiam prouidēdum est ne transeatur ratio, opinando loqui sua pro instructione, quia sæpissimè illabitur & inuadit vitium inuidiæ sub specie boni. Nota quomodo quis se examinare debeat, si ita quis loqueretur contra aliquam progeniem aut contra se. Notate de his qui faciunt informationes. Nota de confessionibus & quomodo audiri potest malum de alijs, & quomodo non.

Tres quæstiones: An quis obligetur emendare omnem diffamiam & damnum quod ex detractione prouenit? Responsio. Difficile est dare regulam & modum generalem, nisi in specialibus casibus

casibus, si diffamia sit notabilis, & procedat ex peruersa intẽtione, & per falsitatẽ imposita fuerit secretè vel manifestè, hoc reparari debet cõtrariũ dicẽdo & dedicẽdo. Si diffamatio venit per reuelationẽ peccati quod debet esse occultũ, & ꝙ probari non posset in iudicio, puniri debet accusator simili pœna qua vellet puniri eũ quem accusauit. Nota quod libelli famosi puniẽdi sunt morte vel perpetuis carceribus, qui dilacerandi sunt quã primũ inueniuntur. Loquamur tertiò qualiter inuidia est contraria sibijpsi, postquã ostendimus eam esse contrariã Deo & proximo. Et dicemus de sanatione eius secundum mysteriũ secundæ partis euangelij. Nonne est (quæso) infelix inuidia, & multum exprobranda, cum accipiat nutrimentũ suum ex omni malitia, exẽplo ciconiæ, quæ viuit colubris & bufonibus, semper habet rostrũ suum in immundicijs sicut anser, & augmentatur de illo quo mori deberet sc. ex charitate & nihil eã sanat. An proprietas, nõ quia irascitur & inflammatur? Aduersitas, non quia reperit gaudiũ suũ, & de melle facit venenũ. Et vlcus quod crepat ad odorem vineæ. Vndiq; se rodit & affligit. Inuidia Siculi non inuenere tyranni maius tormentum, ait Horatius. Videtur etiã mihi eam esse rationabiliter cõparatam hodierno cæco, qui est cęcus mendicans & extra viã. Et ipsa est cæca per lumen bonorum operũ, quæ lucent ad oculos eius, per quæ opera illuminari deberet. Hoc habetis hic de Iudæis, qui prius bene nouerunt Iesum Christũ esse bonũ prophetam. Deinde inuidia excæcauit taliter eos, vt perderent illam cognitionem, & fuerunt obscurati, credebant facere sacrificium Deo. Remedium eius est vocare & clamare ad Iesum, lumenque gratiæ & charitatis postulare, dicendo domine vt videã, & eousq; clamãdum est quousque exemplum & memoria Iesu stet in cordibus nostris, & expellamus tentationũ phantasias. Clamemus igitur in contrarium, oremus contra hanc infelicem inuidiã, ne dominus permittat nos cadere in tentationem illius, secundũ sextam ipsius dominicę orationis petitionem. Reuera est iniqua tentatio, & ex hoc prouenit, quam quis nimiũ propriam diligit excellentiã, vt famã, diuitias aut sublimitatẽ, scientiam vel pulchritudinem. Nihil cupias, & nullius habebis inuidiã. Est hic mirabilis excæcatio. Inuidia namq; si dici audiat in millè locis bonũ de aliquo extraneo, vt de saraceno vel pagano, non inuidebit, sed cum primũ laudabitur aliquis vicinus suus, & pręsertim suæ progeniei & amicitiæ, irascetur & indignabitur, vnde multo magis gaudere deberet. Hoc enim est ad bonũ suum & ad laudem, suumq; cõmodum, si bene vti vellet, & malũ esset in dãnum eius. Videtis interdũ quomodo fratres aut Christiani se mutuo persequuntur acrius & sine remedio quã extranei. Aliud mirabile est, quia in bono duntaxat malũ videt & vbi malum fuerit, solum bonum conspicit. Est admiranda cæcitas multóq; peior quam nihil prorsus videre, hoc patuit in patriarchis contra Ioseph, in Saüle contra Dauid, vultque sibijpsi esse nociua, vt alijs quoque noceat. Nota de philosopho, qui optabat quod inuidorũ oculi possent videre simul omnia bona mundi, nam morerẽtur præ dolore. Inuidia etiam est mendica, in nullo bono totius mundi partẽ habet, ideo certè admodum pauper est. Per oppositum is qui charitatem habet, est dominus vniuersi mundi, inquantũ bene vtitur in amore omni eo quod bonum est, suã faciendo vtilitatem gaudiũ & sufficientiam, sicut apparet in manu, in hoc quod oculus videt, & de oculo in hoc quod manus laborat. Vis facere vt omnia tua sint, ama proximũ tuum sicut teipsum, sis obediens Deo, habebis ea bona vbicumq; ipsa fuerint, lætaberis de bono proximi tui sicut de proprio. Et de matre quæ iudicat bona filiorum suorum, & honorem eorum esse suum, & sæpius plus quam suũ, magisq; lætatur. Quotienscunque mala videris maledic inuidiæ, quia per eam venerunt mala. Inuidia diaboli mors introiuit in orbẽ terrarum. Sap. 2. E diuerso vides bona aliqua, glorifica Deum. Si enim inuidus fuisset, nihil fecisset aut creasset. Natura namque diuinitatis sine malicia est. Nota quod inuidia leuiter credit malũ, & ipsum vult audire, propterea mala inuenit postremò. Tertiò inuidia est extra bonam viam & exclusa ab omni creatura, quoniam naturaliter omnis creatura amat & desiderat proprium bonum publicare, ipsa est in via diaboli, cuius est socia tam in amissione quam in lucro. Gaudet enim cum lucratur inimicus, hoc est, cum malum aliquod accidit, & dolet cum inimicus perdit, & bonum accidit.

DOMINICA PRIMA IN QVADRAGESIMA CONTRA SVperbiam. Sermo. 10.

Poenitemini & credite euãgelio. In hoc deserto pœnitentiam agamus contra superbiam. In deserto vitæ huius sumus ad pœnitentiã faciendã, per quam venire possimus ad terram promissionis. Et ecce nunc tempus acceptabile ad hoc faciendum. Ecce nunc dies salutis, & dicit mater nostra sancta ecclesia, vtendo verbis sancti Pauli. Præterito tempore mundo seruiuimus, nimis fuimus ei alligati, cogitauimus de corpore, & vita hac transitoria. Modo est tempus quadragesimale, in quo cogitare debemus de anima & indeficienti vita. Tempus hoc est tãquam decimæ totius anni, quæ decimæ sunt Deo debitæ, est tempus in quo magis appropinquare debemus Deo. Iesus figurauit tempus hoc cum in deserto ieiunaret quadraginta diebus & quadraginta noctibus secundum hodiernum euangelium, vt superaret omnem tentationem, & cœlestem acquireret consolationem. Et postmodum mater nostra ecclesia sancta confirmauit & ordinauit tempus hoc ad faciendum ieiunia & pœnitentiam, vt perueniamus dignè ad sacratã mensam quæ est signum & figura perpetui conuiuij. Caueamus igitur ne superbia nos arripiat per maledictam suam filiam inobedientiam, faciamus pœnitentiæ dolorem in hoc deserto contra superbiam. Non conuenit magistrũ esse in ieiunio & afflictione, & quid nos subiecti & subditi mundanis simus delectationibus, viso quod ipse innocens erat, nos verò sumus peccatores, ipse fecit pœnitentiam pro nobis, conside-

rato etiam loco in quo erat in deserto, in quo nos sumus. Nonne desertum parum delectabile est hæc misera vita? Ita certe, quoniam ad similitudinem deserti filiorũ Israel de Ægypto tres hic sunt serpentum species. Dipsas quæ ardet in aqua, auaritia. Serpens qui comburit suo halitu, superbia. Scorpio qui sub specie boni pungit luxuria. Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est &c.1.Io.2. Sed quid dicit euangelium hoc? Dicit hominem viuere de verbo Dei. Nam ipsum est panis suus, & qui non dignatur ob suam superbiam recipere panem, seipsum renuit & occidit per rabiem famis ad recipiendum hunc panẽ hic sumus congregati. Conuertemus itaq; nos ad bonam panum administratricem, ad te dignissima virgo, quæ tua intercessione nobis hunc bonũ panem administrare potes, qui pascit & nutrit animam, tu ei conferre potes saporem, gustum & valorem. Talis panis magis te nutriebat quam materialis pro tempore vitæ tuæ, & præsertim pro tempore illius quadragesimæ, cum filius tuus solus iuuabat, facile credi potest te non habuisse magnam edulij copiam, imo exemplo benedicti filij tui habebas dolorem pœnitentiæ in omni humilitate & sobrietate. Ad sequenda ergo talia exempla tui & filij tui Iesu domini nostri, & ad habendum panem animæ, recurrimus ad te per bonam conscientiam & tibi dicimus: Aue maria &c.

Pœnitemini &c. Multo maius prælium & multo asperius mihi remansit contra septimum peccatum videlicet contra superbiam quam contra alia, inquantum magister ipse & capitaneus difficilius vinci potest quam subditi, & radix difficilius euelletur & extirpatur quam rami. Superbia est magister, capitaneus & radix omnium peccatorũ. Nullum est peccatũ quin ibi sit superbia, hoc verum est vno modo vel alio. Si quis diligenter inuestigare velit & considerare falsa eius incrementa, superbia singulariter contraria est vero dolori pœnitentiæ multis modis, dicam aliquos nunc & consequenter per hanc quadragesimam, secundũ quod Deus mihi tempus concedet, gratiam posse & scire. Et flectendo oculos considerationis meæ ad hodiernum euãgelium, quod aliàs exposui ad longũ iuxta literalem sensum, vidi pro sensu morali & ad propositum meum maledictam superbiã tribus modis impedire pœnitentiã, per inobedientiam, per præsumptionem, per vanam excellentiam, hæc tria vitia sunt filiæ rami & stipendiariæ proditoris huius, quæ est superbia proditor est enim iustissimo domino suo Deo. Inobedientia ipsi sanctæ ecclesiæ, tentat enim de gula & violatione ieiunij quadragesimalis, quod ordinatũ est ad faciendum dolorem pœnitẽtiæ, sed gula ipsum impedit manifestissimè. Et hoc est quoad primã partem euangelij, quæ dicit, qualiter sathan tentauerit saluatorem nostrum de gula, & quod mutaret lapides in panẽ. Præsumptio impedit pœnitentiam, per hoc quod tentat Deum, sæpe expectando mortis periculum, vel aliud quoduis periculum, absq; hoc quod velit facere sufficienter diligentiam quantum in se est, vt agat pœnitentiã. Et hoc est quoad secundam partem quæ dicit, quemadmodũ sathan tentauit Iesum de hoc peccato per hoc quod debeat se mittere deorsum in terram confidendo de auxilio Dei per miraculũ, sine hoc quod adesset necessitas. Per vanam excellentiam tertiò impugnata est pœnitẽtia, quod

A quærit honorem & gaudium in hoc mundo cum pœnitentia in se includat dolorẽ, humilitatem & verecundiam in manifestando peccatum suum. Et est quoad tertiam partẽ, quæ nobis recitat modum sathanæ ostendentis Iesu omnia regna mundi, quæ promittebat se ei daturum, si vellet adorare eum. In his tribus punctis concludetur sermo noster, & loquimur de tribus speciebus malæ pœnitentiæ.

B Prima est porcina, Secunda coruina tertia verò vulpina. Inobedientia impedit contritionem per gulam, præsumptio confessionem per expectationem, vana excellentia satisfactionem nullas conferendo eleemosynas, nec quicquam restituendo.

Ductus est Iesus in desertum, vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed
C *in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc duxit eum diabolus, & eleuauit eum in sanctam ciuitatem & statuit eum supra pinnaculum templi, & ait: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptũ est enim: Angelis suis mãdauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, & in manibus suis portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Dixit illi Iesus: Rursum scriptum est: Nõ tentabis dominum Deum tuum. Tunc iterum assumpsit eum diabolus in montem quendam excelsum, & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit illi: Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me. Tunc*
D *Iesus dixit ei. Vade sathana, scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus. Et ecce accedentes angeli, ministrabant illi.*

Sex quæstiones in principio cõuersionum sunt tentationes. Hoc apparet de aue capta per glutẽ &c. nec hoc malum signum est. Eleuari in magno statu est sæpenumero causa ruinæ siue deuotionis siue famæ. Discere sacram scripturam sine bona fide & bono fine, est sæpe nociuum, patet in sathana qui eam corrumpit, sic de sermonibus
E &c. Resistere debemus tentationibus per sacram scripturam. Non debemus audire vt arguatur aut culpetur Deus, aut culpare Deum, post tentationes veniunt consolationes. Nouem quæstiones: A quo spiritu fuit Iesus ductus? Responsio, à suo. Quare voluit tentari? Responsio, ad dãdum nobis exemplum & victoriam. Qua fortitudine & vigore ieiunauit quadraginta diebus? Responsio, per dispensationem singularem suæ beatitudinis, quæ sensualitatem confortabat. Quare sathan tẽtauit eum? Responsio, vt sumeret experientiam
F si esset Deus. Quare sathan tentauit eum de pane? Responsio, ad magis celandam suam malitiã. Nota de tentationibus celatis aut occultis. Quare sathan tentauit eum de pane? Responsio, vt sciret si esset Deus, & si vellet obedire sibi. Notate nihil faciendum esse propter inimicum. Quare sathan reliquit partem scripturæ quã allegabat? Responsio, ad decipiẽdũ &c. Itẽ vbi erat domina nostra, an in Nazareth? Et si sanctus Ioannes non visitauit eum? Esse potest quod sic postea. Item quam administrationem fecerunt illi angeli? Responsio,

sio, administrarunt ei aliquam escam. Vbi erat illud desertum? Responsio, inter Hierusalem & Hierico, & erant periculosi transitus riparum. Helisæus &c. Inobedientia murmurat cõtra sanctam ecclesiam, quæ præcipit ieiunare, & interrogat quid prosit illud, & quid Deus de hoc curet? videturque ei quod nosipsos occidamus: Possem hic tenere prolixum sermonem, ad ostendendum ieiuniorum valorem, ad iustificandam ecclesiæ sanctæ ordinationem, & reprehendendo gulam, contra quam aliàs locutus sum. Sed ero breuis, & dicam quod sobrietas vinorum & ciborum facit animam sobriam, & eleuari ad Deum. Aufert vitia & plantat virtutes vt in præfatione. Qui corporali ieiunio &c. Vis acquirere sensum & sapiẽtiam? sobrietas necessaria est: Exemplo Salomonis & Danielis, sociorumque eius. Vis habere animæ sanitatem, immo & corporis? opus est tibi sobrietate. Secundum enim dictum Sapientis. In multis escis erit infirmitas. Et plures gula quam gladius occidit. Vis pacare Deum & de præteritis peccatis salutarem agere pœnitentiam? sume sobrietatem exemplo Niniuitarũ & Dauid, ac generaliter omnium verorum pœnitẽtium. Vis seruare iustam tuam hæreditatem in paradiso, sobrietas tibi necessaria est, alioquin ipsam perderes, exemplo Esaü, Euæ & Adæ. Vis claudere portam omnibus vitijs, sume sobrietatem, alioquin anima tua omnibus exponetur peccatis, sicut hic dicit glossa: Frustra præliatur aduersus alia vitia, qui gulæ portam aperit. Ideo rationabiliter videre potestis sanctam ecclesiam hoc ordinasse ieiuniũ, quod non debet frangi per superbam inobedientiam. Scis esse omnium pessimam superbiam, non obedire suis superioribus, qualis est sancta ecclesia & prælati eius. Sed inobedientia conqueritur multos esse impotentes, & inde peius valere, & quod idem sit se paulatim occidere sicut vnico ictu, secundum sancti Hieronymi dictum. Respõdeo pro regula, nullam personam obligari ad ieiunandum, si bene videat & sciat ieiunium esse in notabile & magnum præiudicium vitæ suæ corporalis aut vsus rationis per euacuationẽ cerebri, aut alio quouis modo. Et dico vlterius, quod qui faceret, aut facienda consuleret huiusmodi ieiunia, talis peccaret. Et intellige hoc, nisi persona meruisset sic puniri per iusticiam publicam, sunt hi qui viuunt in fouea carceris pane & aqua. Dico tertiò, quod in talibus casibus opinari obedire ecclesiæ sanctæ, est non obedire, & est sæpe magna superbia, cum homo non vult facere quicquã nisi iuxta caput suum. Secundum hanc regulam do solutionẽ ad multa in hac materia dubia. An pueri obligentur ieiunare? Sanctus Tho. respondet quod non regulariter vsque ad vicesimumprimũ annum, quia vsque ad eam ætatem durat incrementum. Et intelligit in supradictis casibus, quia ieiunium potest esse vtile aliquibus quoad corpus & quoad animam, & ad hoc multi obligantur, interdum autem magis mulieres quam viri. Mulieres impregnatæ & nutrices, an sint obligatæ ieiunare? Responsio non, nec etiam infirmi, necessitas non habet legem. Laboratores an obligentur ieiunare? Responsio per distinctionem, vel sunt pauperes lucrantes pro eis & eorum familia, & ieiunium notabiliter eos impediret, tũc ieiunare non debent. Aut sunt diuites, nec opus est eos taliter operari, tunc labor eos non omnino excusat quin debeant obedire ecclesiæ propter eos, & propter commune bonum, & ad faciendum similiter alijs. An peregrini ieiunare debent? Responsio per distinctionem, aut tunc tenentur facere peregrinationem & festinantur, & ieiuniũ eos notabiliter impediret, hoc ipsos excusat. Vel faciunt peregrinationem ex voluntate, nec eos opus est festinare, hoc ipsos excusat minimè. Pauperes familiæ aut homines, qui eleemosynas petunt, an ne ieiunare debeant? Responsio per distinctionem, aut non habent sufficienter victum eorũ quem simul sumendo possint sustentari, & tunc sunt excusati, vel sufficienter habent, & hoc eos non excusat. Si persona se notet melancholicum vesperi, nec possit ob hoc ieiunium dormire, & peius ei contingat per malas cogitationes vigilando vel dormiendo, an ieiunare debeat? Responsio per distinctionem. Aut talis persona habet hoc cõmuniter & notabiliter, & id videtur mihi impedimentũ sufficiens ad postulandum facultatem non ieiunãdi. Aut hoc est duntaxat semel aut bis, & hoc non impedit, cum per nimiam potationem & comestionem, etiam quis malum patiatur in capite. In omnibus istis casibus & similibus, qui sunt aliqualiter dubij, bonũ est quod qui vult soluere ieiuniũ suum, hoc faciat apertè, & per facultatem prælati sui vel confessoris. Quod peius est, vel intantum comedere & bibere semel, vt quis efficiatur ebrius, grauaretur & peccet per gulam, vel diuidere comestionẽ suã in duas partes? Responsio, primum peius est, cæteris paribus, quia per hoc violatur lex Dei & naturæ, & per secundum transgreditur institutio ecclesiæ sanctæ. Sed vnusquisque sibi cauere potest ab vtroque vitio, & tenere medium. Pariformiter dicerem de his qui comedunt escas calidas, & fortia bibunt vina, qui faciunt peius animæ & contra castitatem, quam esset comedere carnes ad sobrietatem, neutrum tamen bonum est. Aliqua persona si soluerit ieiunium per inaduertentiam mane, an ne debeat cauere vel possit? Responsio, ipsa debet adimplere ieiunium suum & pœnitentiam agere de negligentia sua, quamuis hic fiat dubium, si totiens persona agat contra ecclesiã, quotiens comedit vltra semel. Securior opinio est sicut dixi. Potest ne solui ieiunium ob societatem. Responsio sic, in multis casibus. Interdum ad consolandum infirmos, vel propter vxorem suam, vel propter amicum suum peregrinum, vel ob aliquam bonam intentionem charitatiuam. Sed caueat diligenter persona, ne loco charitatis se immisceat carnalitas. Nota de fratre qui ieiunabat, & accessit domum quandam cuius dominus cœnabat, quem orauit dominus ob amorem Dei & charitatis vt vellet cœnare. Sic fecit, & comedit optimè, plus quã hospes voluisset, quia remansit hospiti parua pars. In discessu hospes dixit fratri qui excusabat se, dicens charitatem comedisse. Redeas aliàs inquit, sed noli ducere tecum charitatem, quoniam est gulosa nimis. An sit bene factum vti aromatibus &c. Responsio. Ecclesia permittit, qui verò vtitur propter gulositatem,

peccat, & prius non necessaria sicut post. An possit comedi panis loco specierum? Responsio, nõ cogito dare regulam generalem, nec affirmatiuã nec negatiuam. Timerem enim errare, aut quod fieret abusus, securius est abstinere. Et quãuis species magis delectent quam panis, sæpius fit peius animæ nutriendo carnalitatem. Ecclesia permittit vnum & non aliud regulariter. Eijciatur inobedientia superbiæ filia, quæ per gulam bonã impedit contritionem, & facit pœnitentiam tanquam porcinam, crassam, carnalem & insufficientem. Et crasso ventre sensum tenuem id est, subtilem gigni non posse. De pleno ventre sæpe non egreditur bona deuotio, debet haberi contritio in displicentia, vinũ verò dat voluptatem vel delectationem. Et si quærat aliquis qualis displicentia est, & quam magnam conuenit habere displicentiam. Aut quæris de congruitate, aut de necessitate. Item aut loqueris de displicentia voluntatis, aut de delectatione sensualitatis, displicẽtia libera & voluntaria voluntatis, debet esse de necessitate & de congruitate maior quam altera ex parte aut alia pœna quam sit peccatum, sicut intellectus tuus iudicat peccatum esse peius quam aliud quicquam quod non est peccatum, sic volũtas tua per deliberationem huic iudicio cõsentire debet, & ad hunc consensum qui est tanquam contemptus, nõ semper sequitur actualis dolor quoad displicentiam voluntatis & doloris. Dolor de congruitate magnus esse debet, vt per lachrymas, moderatè tamen. Ipse verò non de necessitate est requisitus. Posset dici de casibus particularibus, in quibus excedi possit, & qualiter non, & quomodo contemptus fieri debeat, in quibus casibus & quotiens.

Secunda pars. Tu præsumptio expectationem persuades de cras in cras, tanquam tempus haberes in manu tua & potestate. Et is est modus quidam superbiæ, qui dicitur tentare Deum, & est cũ persona seipsam facile iuuare potest, non tamen curat facere quod debet, sed omnia Deo cõmittit. Et cõtra illos fuit dictum prouerbium. Si omnino te Deo cõmittas, Deus omnia destruet. Nota exemplum. Illi sæpenumero decipiuntur per talem præsumptionem qui expectant facere pœnitentiam vsque ad festum Paschæ, præsertim cõfessionem. Curatus tunc impeditus est, & nescit cui debeat superintendere, dimidia tamẽ dies interdum non sufficeret ad bene audiendum alicuius personæ confessionem: propterea expectatio illa obest confessori & confitenti. Nam ille properat ad indebitè absoluendum, hic verò sæpius sine absolutione recedit. Et hic possit dici prolixè de materia, qualiter præsbyteri debeant docere confitentes, modo in vnum modum, modo in alterũ, præsertim de peccatis carnis, quæ sunt extranea, de diuersitate mercimoniarum, de odio contra proximos, & de restitutionibus. Hic sunt aliquæ quæstiones, si presbyter obligetur admonere & instruere confitentem? Respõdeo quod sic, quoad ignorantes, & cum perspicit necessitatem, dare debet confortationem, & nominare præcepta & modos peccatorum. Primò in generali, & interrogare si persona non sentiat se culpabilẽ in talibus & talibus peccatis, inuenitur enim maxima

A pars hominum, qui nunquam aliquid diceret nisi prius interrogarentur, vel ex ignorantiã, vel per negligentiam, aut propter verecundiam & timorem, & cũ cõfessor percipit hoc (vt percipi debet) dico ipsum nõ debere dare absolutionem, sed remittere personas & dicere, quod meliorem faciat examinandi diligentiam, vel tenetur facere quod dixi diu inquirere s. & docere. Satius esset eas remittere vsq, post Pascha quam seipsum decipere, & personas sic ad sanctum & venerabile sacramentũ accedẽtes sine vera absolutione. Et si dicas

B post Pascha nunquã eas redituras vsque ad annũ alterum. Respõdeo hoc non esse culpam tuã, sed earum culpam & damnationẽ, & eas arguere posses de hoc quod non cõmunicassent nec confessę fuissent, propter ipsarum negligentiã. Dico quoq; huiusmodi res posse aut debere nunciari à curatis per hanc Quadragesimã. Sed hoc quod dicũt alij, si modò cõfitear, necesse fuerit æquè bene in paschate confiteri. Responsio: confessionẽ illam facile fieri, quanto minora peccata tibi fuerint relicta dicenda & quanto prius maiorem feceris di-

C ligentiam. Si enim per negligentiã tuam defeceris, non es excusatus, & debet esse diligentia talis, qualem feceris si pro vnoquoq; peccato quatuor lucrareris denarios. Cum adueniunt, dicunt se nihil fecisse, vel non scire dicere quicquam. Nota de illo qui edoctus fuit pater nöster, per nominationẽ debitorum suorum secundum verba ipsius pater noster. Nota quod quotidie lauamus manus nostras, & sæpe etiam capita &c. Alia vtilitas est properandi adsciẽdũ peccata reseruata, vt adeatur

D pœnitẽtiarius si opus sit, vel vt confessor facultatẽ petat pro te, quodq; melius possis instrui, & tibi pænitẽtia dari queat. Itẽ commutare restitutiones aut vota. Casus reseruatos episcopo aut pœnitentiario suo de consuetudine quamuis curati & alij petere debeant maiorem facultatem absoluẽdiã maiori excõmunicatione, quam incidit quis feriẽdo præsbyteros vel clericos vsq; ad sanguinẽ & per sentẽtiam iudicij. Peccatum contra naturã vehemẽter puniri debet, siue sit per semetipsum solum, siue cum alijs eiusdem sexus, aut extra locũ

E ordinatum per naturam. Nam est maius peccatũ quam comẽdere carnes die veneris sancta, & punitur secundum leges per combustionẽ, præsertim in aliquibus casibus, qui hoc scit, & nisi ætatis defectus excuset. Adulterium præcipuè si est publicum sacrilegiũ, de rebus sacratis, incestus, præsertim in tertio vel secundo gradu, vota violata, periuria in iudicio, homicidia vno vel alio modo, defloratio virginis aut fœminæ cõsecratæ, raptus, falsarius. Si persona confitens habeat multos ca-

F sus reseruatos & sit Pascha propinquum, pœnitẽtiarius verò multum distans, potest ne dare confessor facultatem communicandi, sine spe quod plus post festum paschæ persona illa pœnitentiarium petat, & ad euadendam verecundiam eius, si non aliorum more ordinata fuerit? Respõsio, teneo quod sic, nisi percipiat fraudem, malitiam vel malam fidem, vel ipsemet confessor postea petere poterit facultatem à prælato aut pœnitentiario absoluendi. Si executio est per publicam sententiam, hoc fieri non debet ad vitandum scandalum aliorum qui id norunt.

Tertia

Tertia vtilitas, quod persona est magis disposita recipiendi, magis magisque gratiam Dei, & etiam homo qui tempus habet confitédi, acquirit audaciam quandam & memoriam de peccatis suis alio tempore, nec verbum est quin sit onustum vel displicens. Nota de mercatoribus qui per longam tentationem habent quod non haberent primo verbo. Item non vno ictu scindatur arbor, & radix tollitur paulatim. Eijciamus ergo præsumptioné, quæ facit coruinam pœnitentiam, cras, cras. Exemplum qualiter multi sunt decepti, & moriuntur subitò. Dicet aliquis, opus esse per hanc rationé mox post peccatum confiteri, alias ponimus nos ad periculum. Responsio, duo sunt certitudinis modi, vna moralis & ciuilis, alia simplex & absoluta. Prima certitudo sufficit ad excusandū personam, ne compellatur statim confiteri, quando cogitat se posse æquè bene vel melius ad vtilitatem suam postea confiteri, sed in casu illo quo loquimur, sæpenumero non est sic. Nam oportunitas non habet talem moram de hoc. Nota quinque casus, pascha, mortis periculum, sacramentum, scrupulus, pœnitentiarij, scrupulus non posse postmodum tam bene, &c. Et in hac certitudine aliquis saluaretur, modò haberet contritionem. Quæres, quid igitur proderit confessio, cum peccatum deletum sit indultum? Valet ad obedientiam, humilitatem, veniam, gratiam nouam, aut habitæ augmentum. Item quæres, si præsbyter det tibi absolutionem absque hoc quod possit absoluere, & hoc te lateat, an ne eris liber & quietus? Responsio, ita quoad Deum. Si verò postmodum hoc cognoueris, debes omnia denuò confiteri, vitent tecum, &c.

Tertia pars, vana excellentia diuitias quærit, non vult facere satisfactionem, & præsertim restitutionem, cum cognoscitur principalis persona cui quis est obligatus, restitutio debet fieri ei, si conuenienter id fieri potest, & sit sine maioribus expensis in mittendo quam res valeat. In defectu principalis cui fieri debet restitutio? Hæredes & propinquiores locum suum tenét cum agnoscuntur. Cum ignoratur cui facienda sit restitutio, ipsa fieri debet per ordinationem prælati proprij, aut illius qui potestatem habet in bonis & pijs operibus. Si persona cui restituere debes, æquè egeat sicut tu & velit habere quod restituas debes potius restituere quam ipsa inuita detinere. Si autem illa non eguerit, & tamen ipsi præsentialiter satisfaciendo in magnum caderes damnum, pro tunc potes compelli per iustitiam & satisfaciendum ei, sed quoad iudicium conscientiæ potes aliquam habere relaxationem, si postmodum ipsi persoluere potes sine tuo & alterius damno. Si tantum habeas alieni, vt simul & semel satisfacere non possis consilium est satisfacere in terminis qui constitui possunt. Si habeas aliquid alieni propter lucrum tuum quod venit de aliena in scipsa, & ad præiudicium lucri illius cui obligaris, debes reddere rem ipsam & lucrum. Secus est cum lucrari facis facis rem solummodo per laborem tuum & industriam, si aliter non potuisset tantum lucrari secundum probabilem coniecturam. Potius cedere debes omnibus bonis tuis quam permitteres te excommunicari, dato etiam quod deberes mendicare, laborare, vel sustinere verecūdiam. Tamen extra casus compellentis necessitatis non solum reddere debes hoc quod habes de alio per cómodationem, aut manifestum latrocinium siue rapinam, sed etiam illud quod habes per vsuram, per fraudem, falsa mercimonia, vel per falsam aduocationem, vel per illegitimum consilium aut per consensum. Et notate quando quis obligatur omnia restituere pro socijs suis, & quando non. Si quis non facit restitutiones (quoniam oportet restituere aut pendere) habet pœnitentiā vulpinam, quæ spoliat, quamcumq; agat pœnitentiam. Nullus debet nec potest absoluere, quamuis nunciare possit & dicere vt faciat, sic iniusta retinens aliqua bona, & euitet mala, secundum quod potest. Et si debeat administrari talibus & similibus sacramentum, dicam alias.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ ALIVS SERMO *contra Superbiam. Pœnitemini.*

Ascendamus montem pœnitentiæ sine superbiæ grauamine, ne videlicet nos grauet superbia. Mons pœnitentiæ est per similitudinem mons ille de quo loquitur hodiernum Euangelium, quemadmodum dicemus in sequentibus. Et etiam est mons de quo dictum fuit Loth: In monte saluum te fac. Et hoc fuit quando propter abominabilia peccata quæ contra naturam fiebant quæ regnabant in Sodoma & Gomorra, Deus confudit eas, & consumpsit per ignem fulguris de cœlo cadentem. Misitq; omnia vitia in infernum, viros, mulieres, pueros, bestias & domos, nil relinquendo, sed Loth vxor sua & duæ eius filiæ, hortatione Angelorum exierunt. Et quia vxor Loth per superbiam & curiositaté non obediuit præcepto Dei, immo respexit retro, statua salis in quam conuersa fuit, dat nobis exemplum, & sic ascendamus in montem pœnitentiæ, absque hoc vt superbia nobis vllam inferat vim. Et quoniam mons iste pœnitentiæ durus est asper præsertim in initio, auxilium gratiæ nobis est necessarium vt det nobis vitam spiritualem, vigorem, fortitudinem & virtutem. Et vbi inueniemus hoc auxilium? Audite quid dicit Propheta. Leuaui oculos meos in montes, à quibus veniet auxilium mihi. Isti montes sunt sancti ipsius paradisi, qui sunt eleuati in gloria, & recipiunt lumen illuminans &c. Inter istos montes domina nostra principalior mons est, supra quem & in quo Deus suum ædificauit templum, & se manifestauit per receptionem albæ tunicæ nostræ humanitatis, in omni innocentia & puritate. Ipsa est refugium nostrum, in ipsa salutem adipisci possumus & gratiam. Ideo ad eam recurremus deuotarum affectionum pedibus, auxilium postulabimus & eam salutabimus.

Flectendo hinc inde considerationis meæ oculos per meditationem & per mundum, specialiter per Christianitatem, & specialius in Francia & inter nos. Heu apparet mihi diluuium quoddam & ignis putás quasi vndique regnare. Ignis ille est diuersorum vitiorum ardor, qui inflammat & comburit spirituales ciuitates humanæ creaturæ,

alias quidem penitus, alias verò in parte. Et per ignem huiusmodi abominationum fit lapsus in perpetuæ damnationis ignem. Non sine causa ordinauit Deus mundum per diluuiū & ignem materialem esse finiendum, propter diluuium quod regnat & regnabit, de igne maledicto spirituali. Auaritia nonne ignis est? Ira nonne ignis est? Luxuria nunquid non est ignis? Ita fœtidissimus & abominabilis ignis, & pariformiter vnumquodque vitium est malus quidā & periculosus ignis. Ignis est vsque ad interiora consumens. De his ignibus quis nos liberabit? quis nos saluabit? Iam tetigit remedium. Ad exemplum Loth saluemus nos in monte, Deus nobis ordinat, & dat istam protectionem & tutelam, hoc fortalitium. Non simus vsq; adeò superbi aut acediosi, vt refutemus adire montem. Ascēdamus montē &c. Et reperio hunc montem pœnitentię tres habere stationes, infimā, mediam & altam seu sublimem. In infima est pœnitentia incipiētium. In media est pœnitentia proficientium. In superiori vel sublimi perfectorum, qui quidē mons potest mons contemplationis appellari. Et in hanc eminētiorem partem ducti fuerūt Apostoli aliiq; perfecti, præcipuè tres illi Apostoli quorum meminit hodiernum Euangelium. *Post sex dies sumpsit Iesus Petrum, Iacobum & Ioannem, & duxit eos sursum in montē excelsum, & trāsfiguratus est coram eis. Et vestimenta eius facta fuerunt resplendentia & relucētia sicut nix, taliáque, vt nullus opifex ea facere posset huiusmodi supra terram. Apparuit & Helias eis cum Moyse, & loquebantur cum Iesu. Respōdens autē Petrus dixit Iesu: Rabbi, Bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnū, & Heliæ vnum. Certè nesciebat quid diceabat. Et erant stupidi præ timore. Et nubes quædam circundedit eos & obumbrauit. Venit quoque vox de nube, dicens: Hic est filius meus charissimus, ipsum audite. Et statim respexerunt circa eos, & neminem viderunt, nisi Iesum solum cum eis.*

Iesus confortare voluit hos tres Apostolos contra ventura pericula, & quod essent testes firmiores tempore & loco, sicut sanctus Petrus allegat post illam visionem. Euangelium hoc legitur nobis ad monendum nos vt bene viuamus propter spem mercedis in tentationibus nostris & aduersitatibus. Mons hic est mons Tabor, qui distat forsitan duobus miliaribus à Nazareth. Mons iste significat nobis moraliter, quod si velimus videre secreta mysteria, necesse est vt eleuemur sursum, extra mundum & in oratione quodque Iesus nos ducat, & vt habeamus cognitionem sicut Petrus, & fortitudinem contra vitia sicut Iacobus, & gratiam sicut sanctus Ioannes, & talibus Iesus se manifestat aliter quam cōmunibus. Iam verò secundum carnem cognouimus. Iesus non amisit figuram suam, sed corpus suum redditum fuit clarum per virtutem diuinam, & per relucentiam beatitudinis animæ in corpus tanquā in momento. Nota de alijs donis supra animā in sua generatione, cum exijt de tēplo, agilitate, subtilitate, impassibilitate. Hæc claritas corporis erat delectabilis visu, & faciebat vestimentum esse lucidum, & per eam caușata fuit nubes quæ obumbrabat Apostolos, per eam etiam Apostoli cognouerunt Moysen & Heliam, sicut in paradiso vnusquisq; cognoscit alium per lumen gloriæ. Moyses fuit illic in anima & habuit corpus nouiter formatum pro illo tempore, quemadmodum habent Angeli quādo apparent.

A Helias fuit præsens corpore & anima, & ductus fuit de loco in quo est viuens, ex quo raptus fuit per angelos. Et fuerunt hi duo potius quā alij prophetæ propter illorum duorum excellentiam, & propter mysterium, quoniam Moyses fuit principalis gubernator populi & legis, & Helias fuit singularis zelator honoris Dei. Ideo signū erat Iesum non esse contrarium eis. Per hoc nobis ostenditur veritatem non debere esse solam sine testimonijs legis. Moyses & Helias loquebantur Iesu de suo

B excessu in Hierusalem hoc est de sua passione qui fuit excessus amoris, excessus doloris, excessus iniquitatis quoad Iudæos: & vtilitatis quoad saluatos. Non erat hæc loquela ad docēdum Iesum, sed propter Apostolorum instructionem. Cum Petrus videret illam pulchram societatem, & loqui audiret de Passione domini nostri, gustassetq; saporem gloriæ, fuit tanquam raptus & mutus, nec cogitabat quicquā aliud, nisi visionem illam, & postulauit fieri tria illic tabernacula non cogitando quid esset manducaturus, potaturus aut in-

C duiturus, & qualiter humani generis redemptio esset adimplenda. Notate de sancto Paulo, qui ignorabat si fuisset raptus in corpore aut sine corpore, hic præcipitur nobis obedire Iesu. Notate qualiter Trinitas apparuit, Pater in voce, Spiritus sanctus in nube, Filius in humanitate. Iesus noluit visionem illam annunciari, nisi pro tempore & loco, & per eos qui erant ad hoc ordinati, quoniam Iudas & complures alij, & Iudæi nondum digni erant comprehendere illam visionem. Lo-

D quemur principaliter de infima statione huius montis pœnitentiæ, quia est magis necessaria, & pauci inueniuntur qui ascendant vsque ad tertiam stationem. Scripsi autem alio in loco causam huius. Dicamus igitur quod si volumus scandere ad montem hunc pœnitentiæ (quia hoc magis necessariū est) necesse est Iesum nos ducere & dirigere. Dominus solus eius dux fuit, ipse solus qui ducit & dirigit, sine quo erratur, ea propter soli Christiani ad hunc veniūt montem, nec tamen omnes Christiani, illi verò perueniunt qui per tres Apo-

E stolos perueniunt Petrum, Iacobum & Ioannem. Petrus secūdum interpretationem suam significat cognitionem, Iacobus potestatem, & Ioānes gratiam & benignitatem. Et istæ tres significationes applicantur ad tria tabernacula, quę sunt in infima parte huius montis pœnitentiæ. Gratia tabernaculo contritionis, cognitio tabernaculo confessionis, potentia tabernaculo satisfactionis potentis, hoc modo pœnitentia est accepta, conueniens & stabilis, sed superbia ipsam facit non ac-

F ceptabilem non conuenientem, non stabilem. Ioannes debet esse in tabernaculo contritionis, hoc est quod displicentia fiat in gratia. Quomodo in gratia? propter amorem Dei principaliter, eò quod amemus suam diuinam maiestatem, & propter peccati horrorem, quod displicet Deo, & nos facit ei displicētes taliter quod non est tam bonus amicus eius, quin eum odio habeat, si sit in peccato. Adeò odio habet peccatum quod voluit occidere proprium filium suum innocentem ad ipsum exterminandū & tollendum ab illis quos redemit & qui bene vti volūt. Voluit etiā pati ꝙ anima benedictæ matris suę transfoderetur magno dolore.

Qui

Qui te amat ô virgo, odio habere debet peccatũ. Quis est filius qui non dolere debeat si fecit displicentiam patri suo, & seruus domino suo, & scholasticus seu discipulus præceptori suo, & creatura creatori, redemptus redẽptori, & qui beneficium recepit benefactori. Notate de filio qui se occidit, eò quod pater suus irascebatur in eum. Notate de leone Romæ existente, & de dracone in siluis & de canibus ad eorum magistrum. Tales & mille aliæ cõsiderationes sunt, quæ nos mouere debent vt sumamus displicentiam in gratia & charitate. Displicẽtia enim quæ fieret duntaxat ob timorem pœnæ temporalis & pellis propriæ non sufficeret. Exemplum de muliere vel filia, quæ omittunt peccare duntaxat ob timorem verborum, & odio habent maritum vel matrem ipsarum.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

ait Horatius. Sumet periculum de seipso, si reciperet talem pœnitentiam in alio, potest tamen dubitari pœna, modo cum hoc etiam sic dubitantes timeant offensam Dei, & ab eo separationem. Nota de pœnitẽtia eorum qui sunt in inferno, quæ nihil valet, nec pœnitentia Iudæ, quia sine spe gratiæ. Notate in aliquibus patrijs se occidunt quãdo offenderunt dominum suum, Deus non vult quemquã se corporaliter occidere, sed quod assumatur conatus & dolor ad satisfaciendũ iustitiæ. Est mala tentatio se velle occidere, sed bene potest quis abbreuiare vitam suã per abstinentias discretas, non quidẽ intentione abbreuiandi vitam propriã, sed ad satisfaciẽdũ. Peccatũ adeò displicet Deo, quod facit apparere tanquam furiosum, non quidẽ in se, sed in pœna perpetua sine remissione, & tamẽ ipse tam dulcis est & tam misericors, quod ad primum verbũ veniam dat quod ei dicitur bono corde scilicet peccaui. Expleuisti peruersas tuas voluntates, violasti præcepta mea, expendisti stolidè omnem tuam hæreditatẽ, nudus es & vilipensus, intantum vt mundus (cui vt seruires, me reliquisti) non amplius te curet. Malè vsus es patientia mea, & eam irristi. Attamẽ reuertere ad me, & ego te recipiam. Quod non est cor tam durũ, quin debet fieri mollius ad talem dulcedinẽ. Qualiter sumus tam peruersi, vt potius amemus adire diabolum, & facere voluntatem eius per peccatum, quod nos tradit morti æternæ, quam recurrere ad talem pastorem, patrem & misericordissimum dominum. Quid vobis videtur, nonne merito condemnabitur iniquitas nostra & ingratitudo, quæ eo pacto refutat & offendit dominum suum, Deum suum & creatorem suum? Propterea dicit Sapiens, quod Deus est patiens retributor, quia patitur peccata fieri, & reddit mercedem de ipsis, nisi agatur pœnitentia. Superbia facit cogitare nonnullos potius ad iustitiam Dei, quam ad misericordiam suam, vt deijciat eos in murmurationem, & quærit quare Deus patitur peccatum, si tantopere ipsum odio habeat? Responsio. Rectè quæreres si Deus permitteret peccati turpitudinem sine iustitiæ pulchritudine, sicut est pulchritudo & ornamentum ciuitati vt ei sit patibulum & carcer ad faciendam iustitiam in puniendis flagitiosis, sic etiam Deus nouit bene vti malis ad gloriam suam & bonorum commodum. Superbia quærit insuper qualiter peccatum vnius horæ punitur perpetuò? Responsio: Vides

A hoc modo superbia in iustitia seculari quod ipsa pro flagitio occidit hominem perpetuò quantum est de se. Præterea est de peccato quemadmodum de fouea aliqua à qua nemo exire potest nisi per gratiam. Item est contractus qui fit inter inimicum & peccatorem, scitis cõtractum factum duobus verbis aut matrimonium aliquod durare semper, nisi tempore & loco quis pœnitentia ducatur. Superbia quærit, quid prosit Deo dolor noster? Respondeo: nihil, sed valet nobis qui sumus creaturæ eius, & omne hoc ipse vult propter nos &

B propter honorem iustitiæ suæ. Iustitia est præclarissima virtutũ &c. vt ait Aristoteles. Exemplum de rege qui adeò diligebat iustitiam, quod voluit sibi erui oculum vnum pro filio suo, qui meruerat amittere duos, & perdidit vnũ. Sic & amplius facit dominus noster Iesus Christus ad nos redimẽdos si vti voluerimus. Quis dolor fieri debet? Responsio, quoad offensam tollendam sufficit habere displicentiam de hoc quod quis peccauit, & deinde se emendare, & mutatur pœna mortis perpetuæ medio bonæ confessionis in ciuilẽ. Quoad

C pœnam quæ adhuc persolui debet, dolor est necessarius in magno amoris ardore. Et notate qualiter quidam facilius flent quam alij, nos debemus esse tanquam Petrus in tabernaculo casuum confessionis, hoc est quod habeamus cognitionem vt pœnitentia nostra sit conueniens. Sed mox clamat superbia, quare imposita fuit tam dira ordinatio nobis Christianis? Responsio. Seda superbiam tuam, quia ordinatio illa conuenientissima est. Primò sufficere debet pro omnibus causis

D quod Deus sic vult est instituit quando dedit potestatem Apostolis & discipulis suis, eorumque successoribus dimittendi peccata. Frustra hoc fecisset, nisi homines se illis subdidissent, habetur maior timor peccandi, melius quis scit facere emendam condignam, habetur melius mercatum, maior gratia crescit Ecclesiæ, vnitas maior est inter Ecclesiasticos ciues & milites. Notate quod Ecclesiasticus status est tanquam nutrix & gubernatrix pedum, hoc est affectionum & oneris qui nouit quid faciat quod debet, & humilitatem ser-

E uet. Superbia hic replicat, potest accedere malum per reuelationem vel alias tentationes. Responsio, nihil tam bonum est quin de eo possit fieri abusus. Sed rectè prouisum est quod pro nullo casu mundi reueletur peccatum, nec per factum, nec per signum. Ideo dicit sanctus Augustinus. Quod per confessionem scio, minus scio quam id quod nescio, hoc est minus ipsum dicere possum, multi præsbyteri potius permiserunt se trucidari quam aliquid dicerent quod ex confessione

F habuerant.

Capiam ergo aliquas quæstiones. Versus iste falsus est.

Est hæresis crimen, quod nec confessio celat.

Præsbyter qui nouit aliquid in confessione, sic facere debet in omnibus rebus ac si nihil sciret, quãtacumque euenerint mala vel bona per reuelationem. In hospitio aliquo erit malus &c. vel vna fenestra, &c. Vel fœmina confitebitur peccatum aliquod de marito suo, non autem maritus, &c. potest ne præsbyter reuelare peccatum in confessione dictum, vel si dictum non fuerit compellere vt dicatur? Etiam celare peccatum est de iure

diuino, personæ in confessione nominatæ sunt celandæ & pœnitentiæ & interrogationes. Et nisi ignorantia excuset, illi qui dicunt peccant, & etiam hi qui interrogant. Expedit tacere de persona cuius audita fuit confessio, non eam laudando nec culpando, tollere occasionem hypochrisis fictionis & mendacij. Notate de personis quæ accedunt confessionem ob malam intẽtionem propter laudem aut commodum &c. Si præsbyter vel confessor sciat peccatum aliter quam in confessione, & quod per malitiam ei dicatur vt celet, ipse potest esse testis & accusator sine periculo cõfessionis violandæ, alias non. Ideo bonum est præmeditari pro vno & altero cum quis audire vult confessionem. Notate quod post quam dictum est, benedicite, vel: Cõfitemini domino quoniam bonus, aut postquam formam confessionis quis est ingressus, non potest amplius dici. Non capio hoc in confessione nisi prius facta sit protestatio, vt dicendo nihil sumo in confessione quod scio per alios & tanquam iudex. Si iudex interrogaret confessorem de peccatis confessi debet tacere, aut dicere, ad te non spectat inquirere, & hoc melius est quã negare vel excusare. Notate propter quid nunquam danda est pœnitentia publica propter secreta peccata. Notate de hoc de defectibus, & quomodo clerici hoc non faciunt, & de fictionibus &c. Non sunt dandæ litteræ per notarios de peccato occulto. Peccata aliena sunt celanda & non inquirenda, nisi peccata quæ dici debent & aliter dici nequeant, & in casu vt quis posset prodesse, non nocendo alijs de quibus inquiritur. Alicui qui non est taciturnus, aut qui per iram vel per ebrietatem reuelaret confessionem, vel qui hortaretur ad malum, vel qui faceret malum, non esset tali cõfitendũ qui scire vel iudicaret rationabiliter per leues scrupulos vel iudicia vel suspiciones.

Tertiò murmurat superbia & dicit, nunquam aliquem dicere posse omnia peccata sua, & præsertim vnius anni, vel meminerit duorum & modos peccatorum. Responsio. Bona fides & humilis sufficit Deo. Fac diligentiam & nihil celes iuxta posse tuum, vel non habeas celandi voluntatem de hoc cuius recordaris, taliter vt confessor tuus intelligat. Responde vel sis paratus respondere veritatem secundum quod postulabit æquitas de illis peccatis, Deus amplius non petet, nec scienter quisquam accedat ignorantem præbyterum. Notate de illis qui scienter furantur. Nemo obligatur dicere modos vel circũnstantias quæ non faciũt ad magnitudinem seu grauitatem peccati, immo melius est eas celare, quod est contra illas mulierculas quæ dicunt fabellas, &c. Congruum est, sed non necessarium dicere circunstantias quę faciunt ad grauitatem peccati, nisi circunstantiæ de se sunt peccata mortalia, vt pro loco sacro vel tempore sacro, vel progenie, vel matrimonio, vel ordine. Et quoniam difficile est simplices homines scire talia dubia, bonum est omnia dicere quæ faciunt ad peccati magnitudinem. Pariformiter dico de multis peccatis quę solummodo sunt venialia, & præsertim cum quis dubitat & habet scrupulum, possunt dici interdum aliqua quæ sunt ad laudem propriam, sed ad ostendendam propriam ingratitudinem, aut ne confessor suus de hoc informetur, quod opus non est. In dubijs quæ sunt si aliquis commiserit peccatum vel non, siue dubium fuerit de facto vel de iure, potest fieri confessio sub conditione, dicendo dubito de tali & tali re. Submitto tamẽ me tanquam culpabilem, pari modo de multitudine peccatorum. Confitenda sunt etiam peccata, quorum habetur specialis memoria post confessionem. Et bonum est ea dicere vni ei, eidémque præsbytero, quamuis non sit de necessitate, & intelligo hoc quando quis non debet intelligere sufficiẽter peccati magnitudinem vel numerum. Ideo melius est se reddere magis vel minus culpabilem, modo supradicto & sine mendacio. Celare scienter peccatum suum in confessione an sit nouum peccatum? dico quod sic, & sunt iterum incipienda omnia peccata sic dicta quorum habetur memoria. Hæc est dura sententia, est tamen vera, & intelligitur cũ habetur certitudo, quod aliter dicendum est peccatum suum, aliud est si duntaxat fieret scrupulus.

Tertia pars, potestas quæ figuratur per sanctum Iacobum qui interpretatur supplãtator, debet esse in tabernaculo satisfactionis, vt ipsa sit stabilis. Superbia per inobedientiam impedit hanc stabilitatem in his qui non adimplent pœnitentiam eis iniunctam. Expedit manifestare peccatori magnitudinem delictorum suos & pœnitentiam quæ secundum rigorem ipsis debetur. Expedit interrogare pœnitentem qualem facere possit pœnitentiam, & iudicare etiã per tempus præteritum, quid faciat, & quod illi non detur pœnitentia ipso inuito, aut quam facere non debeat, verisimiliter si peccatum non esset publicum. Expediens est dare pœnitentiam secundum modum vitiorum & inclinationum, vt contra auaritiam, eleemosynam, contra vitia carnis ieiunium, cõtra pigritiam, orationem, vel cõtra superbiam & inuidiam. Notate de matrimonio coniunctis, & quomodo viri scire debent vxores eorum non esse Angelos. Expedit dare pœnitentiam quæ prosit contra peccata futura, vt dare ad certum tempus pœnitentiam ieiunandi, vel dicere certas orationes vel facere eleemosynas si is qui cõfitetur diues est infra tale tempus in tali vel tali peccato. Si persona omnem pœnitentiam illam refutet magnum signum est ipsam non habere bonũ propositum abstinendi à peccato, & in aliquo casu talis cõfitens posset sine absolutione remitti, quoniam solum absoluẽdi sunt hi de quibus habetur apparẽtia quod sint contriti & pœnitentes, non semper insistendum est ad talem pœnitentiam dandam aut petẽdam ratione fragilitatis hominũ. Secundam regulam cõmunem melius est vt confessor nihil faciat promitti, nec iuramento quemquam astringat, quamuis demum expediens sit cũ casus est nimis enormis, & cogitatur quod per tale iuramentũ cõfitens abstinebit, tunc inquã expediens est confitentẽ iuramento astringere, pœnitẽtia quæ nõ est stabilis, hoc est, quæ nõ finitur, non sufficit ad satisfaciendum, sed nec propterea redimit peccata præterita, quoad dãnationem æternã pro eis incurrẽdã. Et in pluribus casibus non obligatur quis denuo inchoare pœnitentiam quę fit in peccato mortali, vt eleemosynã vel talem rem quæ dat afflictionem. In articulo mortis nõ est danda pœnitẽtia, nisi esset sub conditione in casu vitæ recuperãdę. Notate de illo cui datã fuerunt duo dies in purgatorio &c. Notate quomodo

modo in articulo mortis poteſt acquiri remiſſio pœnæ & culpæ qui habet charitatem, & qui hoc tunc petit, quia petit piè pro ſe in charitate & perſeueranter. Nota ad quid valeant indulgentiæ & & remiſſiones pœnitentiarum iniunctarum. Notate quomodo euitandæ ſunt occaſiones luxuriæ, pœnitemini, &c. Et concludamus &c. de vſura & periurijs, de inuidia. Notate multos dare intelligere quod pœnitentiam agant & inueniunt peccatorum occaſiones, & aſſimilantur vulpi, quæ dixit de carnibus ouinis quod eſſet pſalmo & cæt. Finaliter effugiamus mundum diluuium, ignem, recurramus ad montem pœnitentiæ, non quidem corporeis pedibus ſed ſpiritualibus, vt poſſimus ſemper magis magíſque aſcendere de virtute in virtutem, donec videatur Deus in monte paradiſi perpetuæ gloriæ. Quam nobis &c.

SERMO DE QVÆRENDO DOMINO.

QVærite *dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt.* Eſa.55.cap. In quibus verbis tria tangit & comprehendit. Primò ſupponit aliquos eſſe qui Dei amorem & gratiam domini noſtri perdiderint, & illis dicite, quærite. Secúdò eos monet diligenter quærere vbi eſt, eum rogando quod ipſos capiat in gratiam, & in ſuum ſeruitium. Propterea dicit eis: Quærite dominum veſtrum quærite dominum. Tertiò conſulit eis quod feſtinent eum quęrere dum tempus eſt conueniens, & dum inueniri poteſt. Et correſpondent ad tria hæc puncta in ſermone noſtro tres erunt conſiderationes. Prima erit quomodo perditur amor Dei noſtri creatoris. Secundò quibus in locis quæri debeat. Et tertiò in quo tempore abſque defectu inueniatur. Quoad primam conſiderationem ſcire debetis quod per tres res Dei amor amittitur, & non ſolum Dei amor ſed & etiam vniuſcuiuſq, alterius, videlicet per diffidentiam ſeu incredulitatem, per præſumptionem & per inobedientiam. Dico primum quod amor Dei perditur per diffidentiam ſiue incredulitatem, quemadmodum apparet de populo Iſraëlitico. Cum enim Deus ipſum liberaret à ſeruitute Ægypti, reliquit omnes hos qui non habuerāt bonam & firmam fiduciam in eum. Alios autem ſaluauit & in terram ſanctam duxit quam promiſerat, primi verò in via remanſerunt. Et propterea dicit Sapiens. Eccl.2. Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in domino & confuſus eſt. Reſpicite inquit, quocumque volueritis in quamcumque terram & nationes quaſlibet non inuenietis vnicam perſonam quæ finalem habuerit confuſionem, ſi ſemper bonam & firmam in Deo habuerit fiduciam. Videte qualiter Deus cuſtodiuerit & prǽſeruauerit Dauid in perſecutione Saülis, propter magnam quam in eum habuit fiduciam. Videte quomodo ſanctus propheta Hieremias venit in viſione ad bonum & probum Iudam Machabæum, & illi gladium porrexit aureum, quo omnes ſuos debellauit inimicos. Et in iſta fiducia glorioſiſſimam de eis habuit victoriam. Videte de rege Ezechia, cui Deus propter fiduciam quam in eum habuit

A Angelū de paradiſo miſit, qui diſturbauit omnem Aſſiriorum exercitum inimicorum eius. Et etiam legimus in euangelio de Paralytico quem Deus ſanauit, de cæcis, quibus Chriſt⁹ Ieſus reſtituit viſum, & plerumque his quos ſanabat dicebat: Confide fili & vade, ſecundum fidem tuam fiat tibi.

Dico ſecundò quod perditur amor Dei per arrogantiam aut præſumptionem. Hoc clarè patet per verbum quod Ieſus Chriſtus Saluator noſter ponit. Luc.18. de duobus qui aſcēdebant in templum vt orarent. Vnus dicebat: Gratias ago tibi domine, quia non ſum ſicut cæteri hominum qui tollunt & rapiūt bona pauperum & paruulorum qui eis reſiſtere non poſſunt. Et nullum bonum, nullas abſtinentias pro amore tuo huiuſmodi faciunt homines. Ieiunio bis in ſeptimana, miranda pro te facio. Alter pauper erat & verecundus, ſuúque pectus deuotè verberabat, Deum precando vt ei de peccatis ſuis veniam daret. Secundus iuſtificatus fuit & Spiritus ſancti gratia repletus. Primus verò gratiam quam prius habebat, perdidit, & non modò perditur amor Dei per ſuperbiam, ſed etiam amor mundi, teſtante ſapiente, qui dicit: Odibilis Deo & hominibus eſt ſuperbia. Et cauſa optima eſt, quia arrogantia iniuriam facit Deo & hominibus, Deo quidem in quantum ſibi vſurpare vult quod Dei eſt, dominium videlicet & dominationem. Mundo verò inquantum ſuperare vult eos quos natura ſibi æquales creauit & ſimiles. Sumus enim omnes de vno patre & de vno matre conſimiliter nati & geniti, creati vna manu & de vno cœlo, omnes vnicum habemus ſolem, vnicam lunam, vnicum mare, vnicam terram, vnam hyemem & vnam æſtatem. Omnes viuimus, & omnes moriemur. Et qui poſtremò morietur, ſe iactet. Et ſi vlterius de hac materia audire velitis, duas vobis formo quæſtiones. Primam format Tullius in epiſtola ad Trochum. Ipſi inquit, quid ſumus quomodo bræuis eſt & exigua? Sed reuera qui bene bonſideraret, magna inueniretur humilitatis materia, & parum ſuperbiæ. Secundam quæſtionem formo quærendo quid eſt ſuperbia? Ad primam quæſtionem ciuiliter reſpondere volo, quia cauſa me propius tangit, dicam tamen veritatem. Neſcio fauorabilius reſpondere quam dicere id quod dicit dominus noſter. Geneſ.3. videlicet quod omnes ſumus terra & puluerem. Ad hoc propoſitum cum Brutus cum filijs Tarquinij auunculi ſui interrogari fecerunt Deum ipſorum Apollinem, quis eorum regnare deberet, & Romę fore dominus. Et audierunt Apollinem dicētem ex eis hunc regnaturum, qui primum matrē ſuam oſcularetur. Tunc Brutus ex propoſito ſe in terram proſtrauit, fingens ſe à caſu cecidiſſe, & inter cadendum terram oſculatus eſt, eò quod eis dictum fuerat, qui primum oſcularetur matrem ſuam, videlicet terram. Et in hoc ſe fundabat quod omnes de terra ſumus. Et ſic fuit ipſe qui poſt Tarquinium regnauit.

Ad ſecundam quæſtionē reſpondeo ſuperbiam nihil aliud eſſe quam ſcindentem ventum & valde impetuoſum. Hier.2. Eleuauerunt cor ſuum contra me quaſi ventum peſtilentem. Ad propoſitum hoc ſolet plerumque dici, cum homo ſe laudat & glorificat de aliqua gratia quam Deus illi contulit

quod se more venti iactat. Et propter has duas quæstiones & earum responsiones clarè concludere possum omnem humanam creaturam magis odio habere debere superbiam quam fulmen vel tempestatem. Tam paruus enim & exiguus puluis, qualis nos sumus non potest habere diuturnam permanentiam contra vsque adeò magnum ventum qualis est superbia. Per superbiam Saül regno suo priuatus, exclusus est Roboam, fugit fugitiuus Sennacherib, occisus suorum puerorum manibus, Nabuchodosor depositus, Holofernes decollatus, Amon suspensus, similiter & Absalon. Sed fuit alio atq; alio modo. Antonius horribiliori quam cogitari posset nece peremptus est, & complures alij absque numero propter eorum superbiam perditi sunt & destructi. Hoc est quod dicit Dauid Propheta: Impij tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ.

Dico tertiò amorem Dei amitti per inobedientiam, omnis inobediẽtia ex duarum causarum vna procedit, aut per præsumptionẽ aut ex negligẽtia. Declaraui modo quãdo per præsumptionẽ amor Dei amittitur. Dico quod pariformiter etiam per negligentiam illud cõtingit testante scriptura quæ dicit: Neglexerunt iustum & à domino recesserunt. Neglexerunt facere illud quod iustum erat & rationabile, vt fieret quemadmodum sunt Dei præcepta. Et per hoc omiserunt seruitium Dei & suam societatem. Et profectò qui apponeret decimam partem diligentiæ ad placendum Deo, & ad amorem eius acquirẽdum quæ adhibetur ad complacendum mũdo, citius acquireretur Dei amor, quam amor mũdi cum omni pœna & labore quæ ibi consumitur. Sed (de quo dolendum est) pauci homines id animaduertunt. Ad hoc propositum legitur de quodam sancto proboq; abbate, quod vice quadam de monasterio descẽdit, vt quandam alloqueretur nobilem aut domicellam, quę fuerat tam preciosè apparata, depexa & adornata, quantum sciuerat & poterat. Et cum primũ eã respexit, cœpit admodum fortiter flere. Astantes valde admirati sunt, & quęsierunt ab eo ploratus sui & iracundiæ causam. Respondit Abbas: Duo inquit, me ad plorandum mouent huius nobilis matronę perditio, & quod non adhibui tantum diligentiæ ad placendum Deo, quantum ipsa habet ad placendum mundi huius iuuenibus. Per hanc responsionem patet quod perditur interdum amor Dei per negligentiam adimplendi suą præcepta. Et per hoc concludo tres esse modos hominum qui amorem Dei domini nostri amittunt, videlicet hi qui diffidunt de sua bonitate & sua sapientia. Hi qui superbiunt per elatam arrogantiam. Hi qui contradicunt per inobedientiam, quibus dicit propheta vt eos admoneat. Quærite dominum dum inueniri potest. Quærite eum & inuenietis eum, quia prope est, inuocate eum, quia prope est. Est prope vos, habitat intra vos, alioquin euangelista, erraret, qui dicit: Et habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius. Ioan. 1. Quæ res meditanda non est. Quærite igitur eum, & ipsum inuenietis. Sed quid? Nolite eum quærere in magnis palatijs auratis & argentatis, quærite eum in præsepio boum, & eum inuenietis. Ibi eum pastores de Bethleem inuenerunt. Luc. 2. Nolite eum quærere in tabernis vinarijs, aut in ludo taxillorum, quærite eum in templo, ibi eum inuenietis. Nam A ibi eundem reperit mater sua gloriosa. Luc. 2. Nec eum quæsieritis in choreis, nec confabulationibus, quærite eum in arbore crucis vbi extensus est pro vobis, vos eum inuenietis. Non quæsieritis eum in lecto mũdanæ vanitatis, nec carnalitatis aut carnalis delectationis, quærite eum in sepulchro, vbi pro vobis iacet sepultus, & inuenietis eum. Adhuc dico vobis amplius. Ascendite in cœlum & inuenietis eum, quia in cœlo sedes eius. Si scire volueritis quam ob causam dicam B dominum nostrum quærendum esse in præsepio boum, & non in palatijs auro argentóque decoratis. Dico vobis, per præsepe humilitatem intelligi, per palatium verò auratum, superbiam intelligi & vanitatem. Dico nunc quod qui perdiderit gratiam & amorem Dei per præsumptionem atq; superbiam quærere debet eum per veram humilitatem & subiectionem. Et per humilitatem gratiam eius inuenies, quia humilibus dat gratiam. Et profectò nihil facilius obtinere potest quam humilitas. Et verbum hoc secundum sanctum Ber- C nardum nos prorsus reddit culpabiles si aliquo pacto per superbiam eleuamur. Qualem excusationem sumere potes, qualem titulum aut quam gratiam habes, qua te extollere possis vel glorificare? Dices mihi forsitan, sum omnino in flore iuuentutis, inter loquendum siccat flos iste. Hoc certè scias mortuos & viuos admodum distare videri, hos scilicet ab illis, nihil tamen est propinquius aut vicinius vnius ad alterum, quia inter illa non est medium. Ideo dicit Seneca: Mors ho- D mini cita & proxima est. Si de pulchritudine tua gloriaris, specta parum & ea carebis, est responsio Appuleij: Expecta paulisper & non erit, & si scire vis quomodo ipsa tibi permansura sit, siste si poteris firmamentum ne amplius voluatur, tunc speres pulchritudinem tuam duraturam, non autem aliter. Ipsa enim motum sequitur firmamenti & cum eo vertitur. Si dicas mihi, sum mirum in modus fortis, sic etiam est bos aut taurus, & multo plus elephas. Et si nescis quid Miloni per suam accidẽrit fortitudinem, vide historiam. Si mihi E dicas te sapientem esse & prudentem, & pro talite haberi, mihi crede, haberi seu teneri poteris pro sapiente, sed certè si hoc scires nunquam diceres. Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. Mirabile est tempus nostrum honorabilius esse sapientibus hominibus quam fuerit vnquam. Romani enim non plures quam duos se habere affirmabant sapientes Catonẽ, scilicet, & Lelium. Græci septem, Hebræi vnum Salomonem. Nos verò non modo habemus duos nec vnum aut septem, sed in tam F copioso numero habemus quod eos numerare nequimus, nec omnes ad sua deputare officia res nostræ optimè gubernari deberent posteaquam tam copiosi sunt sapientes. Si mihi dicas: Nobilis sum & magnæ antiquitatis, adeò vt non sit memoria eius? Respondeo per contrarium, vanam esse hanc iactãtiã se ex aliorũ laudare probitate. Si enim prædecessores tui nihil fecissent quod magnæ esset probitatis & laudis, non nominati fuissent nobiles. Fac ergo tu factum aliquod pulchrum quod laudandum sit & commendandum, vt de tua propria glorieris nobilitate, quanto enim veteris tui amici fuerunt nobiliores, tanto plus

plus vituperaberis & minus excusaberis, si minus
viam tenueris quam præmonstrauerunt tibi. Si
de tunicis tuis gloriaris, quæ sunt aureæ aut ex se-
rico confectæ, artificiosæ admodum contextæ.
Respondeo quod si teipso pulcher sis magnā esse
stultitiam habere nimis preciosos habitus, dimi-
nuunt enim aliquantulum de tua pulchritudine.
Si quæ in te fuerint deformitates, has ipsi ostendūt
& docent, quia faciunt vt inspiciaris & conside-
reris ab alijs cuius nam sis staturæ. Et propterea
non potest peius consuli homini turpi & defor-
mis formæ, quam vt ornetur quo videatur pul-
chrior. Si de diuitijs tuis gloriaris quarum magnā
habes abundantiam. Respondeo tibi quod si eas
liberaliter distribueris efficientur minores. Si au-
tem eas tenueris semper in arca clausas, non eris
earum dominus sed custos & famulus, & sic di-
ues non eris, sed seruiens occupatus & impeditus
illas custodiendo diuitias. Si dicas: magnos ha-
beo amicos & multos. Spem quidem habes, sed
non opineris, nec certus esse posses nisi infelix
fueris aliquanto tempore & infortunatus. In ad-
uersitate namque videtur amicus. Ideo dicit Fran-
ciscus Petrarcha in remedijs fortuitorum. Felix
nescit amari. Et si fueris aduersitatibus pressus &
infortunijs, non tibi superbiendi nec præsumen-
di relicta est occasio, sed totius humilitatis. Si de
tua glorieris potentia, te humilia. Quanto enim
fueris potentior, tanto minus habes facultatis vt
executioni per alios demendentur à te volita &
cupita, nisi bona fuerint & honesta. Ad proposi-
tum recitat hoc Tullius in lib. de offic. quod Pe-
ricles & Sophocles quondam simul erant vt con-
sultarent in facto Romanæ ciuitatis. Inter cæte-
ros præterijt eos iuuenis quidam puer pulcher,
quem respiciens Sophocles ait Pericli. Pericles ô
pulchrum puerum. Ad hoc respondit Pericles:
Prætorium decet non solum manus & linguam,
sed & oculos continere. Ideo nihil facere de-
bet princeps, quin totum ponderetur, & per ra-
tionem mensuretur, & quin velit vnumquemque
illud scire, si enim non vellet, adhuc tamen scire-
tur, & præcipuè hi scient ad quos nihil spectat. Sic
quærimus vbi est rex? quid agit rex? Rex dormit,
rex surgit, rex audit missam, aut rem diuinam, rex
prandet, talia regi administrantur cibaria, rex spa-
ciatur. Non faceret saltum quidem in Senonen-
si vrbe, quin mox id sciretur Parisijs. Et quia di-
cere cœpi de rege, si mihi dicas sum rex. Reuera
nobile nomen est & diues, sed carè venditur, si
modò quis velit rectè suum exequi debitum. Vix
enim die quolibet vel momento vno quiescere
potest rex quicunque si suum exequatur debitum.
Ideo sæpenumero proposuit Augustus Cæsar di-
mittere & renunciare Romano imperio. Et Dio-
cletianus de facto renunciauit, nec quibuscunq;
precibus amplius voluit tenere imperiū. Et post-
quam Marcus Aurelius fuerat adoptatus per di-
ctum Diocletianum Imperatorem, vt ei succede-
ret, nō adeò lætè se habuit, nec iocundè sicut prius
verum semper erat tristis & cogitabundus. Legi-
tur etiam in historijs de quodam sancto & sapien-
ti homine, cum dici audiret amicum suum, impe-
ratorem esse electum, & eum hoc acceptasse offi-
cium, ei misertum fuisse & compassum. Cœpitque
sanctus homo ille lachrymari & plorare ob ingē-

A tem laborem & periculū ad quod se dederat ami-
cus suus, & ideo in principes non debet haberi in-
uidia, nec de statu ipsorum, sed potius misericor-
dia & compassio, suntque adiuuandi omnibus vi-
ribus. Concludo ergo nos non habere titulum
aut occasionem superbiæ nec elationis, sed om-
nis humilitatis & subiectionis. Ideo quærere de-
bemus Dominum nostrum in bouino præsepio,
non autem in auratis palatijs, nec adornatis.
Dico secundo ipsum quærendum esse in tem-
plo, hoc est debemus eum rogare deuotè vt no-
B stri misereatur, vt nobis veniam det nostrorū pec-
catorum. Illud est quod voco Deum quærere in
templo secundum dictum Iesu Christi dicentis.
Domus mea domus orationis vocabitur. Et hæc
oratio secundum opinionem Sidonij duas debet
habere alas, quæ eam ferant & præsentent coram
Deo, ieiunium videlicet & eleemosynam. Bona
est oratio cū ieiunio & eleemosyna; hoc est, tunc
bona est oratio, cū associatur ieiunio & eleemo-
synæ. Ideo dico Deum Deū quærendum non esse
in vinaria taberna. Illic enim non est locus ieiu-
C nij, sed gulæ. Non debet quæri in ludo alearum,
quia non est locus eleemosynæ. Qui enim plus
habet quam opus sit ei pro suo gubernamine, di-
uidat & pauperibus eleemosynam faciat. Qui ni-
mis parum habuerit, vt solum statum suum isto
sustinere possit, illud seruet nec fortunæ exponat.
Venit enim interdum fortuna mala citius quam
petatur. Ieiunare igitur debemus in sancta hac
quadragesima. Nec est res magna de tali quadra-
ginta dierum ieiunio cum Iesu Christo, illi qui ex-
D pectat prandere in mensa sua perpetuò, & sine fi-
ne in paradiso. Profectò enim qui considerat ma-
gnum paradisi gaudium, quod haberi expectatur
ab hominibus, ad medietatem iam est refectus nec
quicquam grauat ieiunium. Dico vlterius hanc
orationem hauriri debere ex fonte cordis, vt sit
irrigata veræ contritionis lachrymis, hoc est ama-
ro dolore & displicētia de suo peccato. Talis fuit
oratio Magdalenæ, sancti Petri, probi Thobiæ,
bonæ Iudith, & complurium aliorum. Et qui hoc
modo dominum nostrum quæreret absque dubio
E eum inueniret. Sicut enim dicit glossator quidam
super Iosue tantæ sunt efficaciæ lachrymę quod
imperant altissimo. Lachrymæ de corde prodeū-
tes tantæ sunt efficaciæ, quod Deo imperant vt
omnia dimittat, eúmque mitigant quamtuncun-
que prius fuerit succensus. Sic quæritur Dominus
noster in arbore crucis. Non enim est vsque adeò
cor durum, quin gemat & lachrymetur, si perfe-
ctam habuerit memoriam amarissimæ passionis
Iesu Christi, quam sustinuit pro nobis in precio-
F sissimæ crucis arbore.
Dixi postremò ipsum quærendum esse in sepul-
chro non autem in lecto pigritiæ nec carnalis de-
lectationis, Can. 2. In lectulo meo quæsiui illum,
& non inueni. Est Ecclesia quæ in persona illo-
rum qui voluptates quærunt mundanas dicit. In
lectulo meo quæsiui illum, sed non inueni eum.
Et propterea non amplius eum quærere debes in
lecto, sed in sepulchro. Sepulchrum in quo pre-
ciosum corpus Iesu Christi sepultum fuit & posi-
tum, nobis ostendit quod quemadmodum mor-
tuus fuit pro peccatis nostris & ad resuscitandos
nos ad vitam gratiæ, nos mori debemus mundo

vt viuamus cum eo. Sicut enim ait apostolus. Cõsepulti sumus cum illo per baptismum in mortem. A Nos qui Christiani sumus & sacramento baptismatis regenerati, in preciosa morte mortui esse debemus & sepulti cum illo, hoc est, quod omnes nos mortificare debemus & eradicare à corde nostro voluptates & inclinationes corporis atque carnis, vt caro obediens sit spiritui absque vlla resistentia. Hæc sunt quatuor loca, in quibus quærendus est Dominus noster. Primò in præsepio ad se humiliandum. Secundò in templo ad veniã orandum. Tertiò in cruce ad peccata nostra deploranda. Quartò in sepulchro ad carnem corrigendam. In his quatuor locis ipsemet docet nos eum quærere, per os Iohelis prophetæ: Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio & fletu & planctu, & scindite corda vestra, &c. Cõuertimini ad me. Vbi? In præsepio boum, & addiscetis humilitatem. Quia mitis sum & humilis corde. In toto corde vestro in agendo gratias, & veniam implorando, & quærite misericordiam patris mei. Hoc autem fieri debet in templo, in ieiunio & fletu. In ieiunio per pœnitentiam, & fletu per contritionem, quia inuenitur in arbore crucis. Et scindite corda vestra, hoc est dictum separate corda vestra à carne, auferendo à corde vestro concupiscentias & carnales affectiones, quod si sic feceritis in tempore conuenienti, haud dubio hunc inuenietis quem quæritis. Et hoc est quoad secundam considerationem nostri sermonis.

Quantum ad tertiam considerationem in qua restat videndum in quo tempore quærendus sit & melius inueniri possit. Amor Dei gratia sua, & Spiritus sancti. Videtur mihi qui bene consideret vitam humanæ naturæ à principio vsque ad finẽ, quod rationabiliter comparari possit motui & reuolutioni ipsius solis qui fit in die vno. Quemadmodum enim sol illuminat in die terram & per calorem suum ipsam germinare facit & fructificare, pariformiter anima nostra corpus nostrum mouet, & per calorem illi vitam tribuit, & fructificare facit sæpius, etiam moueri & transire, & quẽadmodum dies in quinque horas diuiditur, videlicet primam, tertiam, nonam, meridiem & vesperam. Sic diuiditur homo in quinque ætates, quę sunt satis proportionatæ, & similes quinque horis prædictis, quod & videre potestis si considerare volueritis. Sicut enim dies matutinus ad primam vsque claritatem non habet, nec calorem, nec vim, nec vigorem, sic nos nec sensum habemus, neque veram discretionem vsque ad decimum quartum annum. Si præterierit decimum quartum annum exit infantiam, & eam intrat ætatem quæ dicitur adolescentia, & tũc multum crescit, & ad seipsum cognoscendum dat operationem. Et sic protenditur dies ad tertiam, quando scilicet sol ascendit altius, in charitate quoque crescit & calore. Deinde subsequitur meridies cum sol est in magno suo vigore. Et sic homo intrat in maiorem vigorem & perfectum iuuentutis calorem, cum tricesimum annum attigerit aut paulò ante. Si venerit ad annum quinquagesimum, declinari incipit & debilitari, & sic sol vergit ad nonam incipitque declinare, claritatem quoque eius & calorem amittere. Deinde sequitur hora vespertina, & tunc sol iã decliuis debilis est & in imo, & tendit ad occasum. Tunc etiam cum homo septuaginta habet annos, senex est & attritus, tenditque ad finem suum magnis passionibus. Si præterierit octuaginta annos, potius languet, quàm viuat, & sic vixit hominis ætatem. Hoc est quod dicit propheta Dauid: Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potestatibus octuaginta anni, & amplius eorum labor & dolor. Sic dicitur humanam creaturam, communi cursu viuere septuaginta annis, & bene complexionatum octuaginta quod si præterierint in labore viuent B & languore. Et per hoc quod dixi facilè potest concipi quale accipiendum sit tempus ad Deum quærendum. Nam quærendus est tantisper dum dies est pulchram & clara, & cum sol in plena est meridie, in sua vi & vigore. Nec expectandum est quoadusque occasum petierit, quia hora illa quis obscurus est nimis hoc est dictum, quod Deum quærere debemus à iuuentute nostra. Interea dũ bonam habemus & viuam inter bonum & malũ discretionem, & vigorosi sumus atque potentes C ferre atque adimplere Dei mandata nostri creatoris. Qui enim expectaret senectutis ætatem, sensum perderet & discretionem & posse agere atq; adhibere talem diligentiam, qualis vt ipse inueniatur requiritur. Et qui expectat donec occubuerit sol, sintque noctis tenebræ hoc est, donec anima corpus deseruerit & separata sit, actum est. Frustra inuestigaretur, nunquam enim inueniretur. Et ideo vos oro per omnem amorem eius quem ad hunc habetis qui nos omnes redemit de inferni seruitute, quod in hoc sancto tempore quadra- D gesimali (quod quidem tempus principaliter ad hoc est ordinatum) eum quæratis in locis & modo quem expressi. Et proculdubio eum inuenietis. Si inueneritis eum sequamini ipsum quocũque ierit. Vos ducet directè per viam ad cœlos, ad regnum paradisi, quia ascendit in cœlos. Et illic vitam habebitis gaudiúmque perpetuum sine fine. Thesaurum quoque cognoscetis quem hodiernus Euangelista consulit inuestigandum, & est ipsa paradisi gloria. Quam nobis concedat pa- E ter & filius & Spiritus sanctus. Amen.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ SERMO DE *tentatione.*



ON in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Matth. 4. & in Euãgelio hodier- F no hæc verba scripta sunt. Dicunt in sententia verba nostri thematis in hodierno Euangelio sumpta, vltra panem qui est terrenus qualiter panem cœlestem habere possumus, corpus habemus & animã corporalem vitam & spiritualem. Vtinam tam diligenter & libenter pro tempore, pro quo constituti sumus in deserto huius mortalitatis nos quæreremus nutrimentum & panem animæ ad seruãdam vitam nostram spiritualem, sicut facere soliti sumus pro corpore & pro vita temporali. Et quis est panis animæ? Panis cœlestis est verbum Dei, secundum quod dicit thema nostrum & scriptura testa-

testatur. Recipite ergo modo & alias cum magno appetitu panem istum cœlestem sanctæ doctrinæ dum habetis, Deo laus qui vobis eum administrare vult, nec habetis aliam maledictionem, paruuli mei petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. O charissimi qualem gratiam esse putatis, habere tempus & locum abundanter recipere in palatio sanctæ Ecclesiæ animæ refectionem prædicatorum administratione? Mille & mille, immò centum millia fuerunt pagani, & aliqui alij sine cognitione Dei & Christianæ veritatis, & deinde sunt & fuerunt mortui spiritualiter ob rabiem vitiosæ famis, & postmodum damnabuntur, qui saluati fuissent si prædicationem habuissent & spiritualem refectionem. Propter Deum ergo rogo, non recipiamus in vanum gratiam illam, non recusemus sedere ad horam vnam vel duas in die in septimana tota ad mensam Dei, ad mensam prædicationis. Et cum fuerimus sicut modo sumus, non assimilemur illis infortuatis de quibus solet dici in communi prouerbio, quod in mensa moriuntur fame vel inter epistolas, quemadmodum fingunt poëtæ de Tantalo & de Chrysogono & de Iuda. Et sicut dicitur de parte illa carnea quæ est circundata pinguedine, nec tamen eam sentit, nec pinguis efficitur. Dices mihi forsitã te omnino non habere gustum, nec sumere saporem, nec dulcedinem nec appetitum manducãdo panem cœlestem doctrinæ, aut quia coquus, id est prædicator est nimis inmũdus per malam vitã, vel quia nõ nouit eũ administrare aut præparare propter ignorantiam, tolle quæso tolle hãc excusationem. Quicunq; enim tibi prædicet, & veritatem tibi dicit, eã profatur per Spiritus sancti veritatem qui est magnus magister hospitij vniuersi mundi. A quocunque dicatur veritas, à Spiritu sancto est, & non administrandæ sunt escæ secundũ appetitũ tuum, sed ad vtilitatem. Verumtamen est quod ad dignè & vtiliter comedendũ hũc panem cœlestẽ doctrinæ, necessarium est habere aquam gratiæ quæ illi det saporem. Et quo medio habebimus illi gratiam sapidissimam? Responsio, quod per illã quæ præest vasi gratiæ, quæ nobis etiam affert panem vitæ, etiam est illa quæ est altior in refertissima mensa paradisi. Ideo ipsa nobis bene mittere poterit de suis reliquijs & gratiæ refectionem si ipsam deprecemur. Recurramus ego ad eam deuotè, vocemus eam & honoremus salutando eã salute, &c. Aue Maria, &c.

Non in solo, &c. Historia & textus Euangelij hodierni satis vobis est cognitus, tã per prædicationes quæ vobis sæpè fiunt, quam per picturas quæ ostendunt, qualiter Iesus Christus postquam fuit baptizatus in fluuio Iordanis, fuit ductus à spiritu suo, hoc est à volũtate sua in desertum quod erat propè viam inter Hierusalem & Hierico, in quo interdum latrones & fures erant, iuxta parabolam & in quo sanctus Ioannes morabatur, & vbi erat fons quem Hælisæus dulcẽ reddidit. Ibi erat saluator noster Iesus Christus, qui ieiunabat septuaginta diebus & septuaginta noctibus quoad cibũ corporalem, sed super nutriebatur spiritualibus cibis sanctæ deuotionis & pane angelorũ, queadmodũ satis innuit per responsionẽ quã pro nostro sumpsi themate, quãdo dixit inimico qui volebat eũ tentare, vt comederet panem materialẽ. Nõ in solo pane, &c. Et ad concipiendũ sensum Euãgelij principaliter ad nostrã instructionẽ, nõ intrando quæstiones altas vel extraneas vel nimiũ curiosas, & alias quã vos deceant, scire velitis quod inimicus vniuersorũ bonorũ, magister totius iniquitatis Sathan aduersarius noster, qui tentauit & decepit Adam primũ patrem nostrum & fugauit eũ à paradiso terrestri in præsens desertũ, in quo cõpulit eum comedere panem doloris & tribulationis & omnes filios eius. Sathã dico qui fuerat primus excœcatus, videns Iesum Christũ nouiter baptizatũ esse, in deserto Iudæę amodo solum, & in continuis ieiunijs, vidit per magnã inuidiam ipsũ nutritũ esse pane cœlesti, pane deuotionis, & sanctæ cõtemplationis. De quo pane dicitur: Cibauit eũ pane intellectus, &c. & de quo dicit thema nostrum. Nõ in solo pane viuit homo. Cogitauit per magnam malitiã, qualiter & per quã astutiã & deceptionem Iesu Christo auferre posset panem illũ cœlestem deuotionis, sicut abstulerat prius Adæ, & quomodo expellere posset bonas animæ nutrices quæ ministrabant panem illũ. Et quæ sunt hæ nutrices? sunt virtutes, & præcipuè tres theologicæ, fides, spes & charitas. Cogitauit ergo inimicus se adducturum tres filias suas, qui sunt admodum cõtrariæ his tribus virtutibus, vt per vnam vel aliã tolleret deuotionis panẽ à Iesu Christo, & secundũ hoc intulit Iesu tres tẽtationes & tres insultus periculosos multũque timendos. Et præsentauit ei tres species panũ mortalium & venialiũ. Prima tentatio vt tolleret Iesu Christo cœlestem panem deuotionis, facta fuit per vnam filiarum sathanæ, quã voco gulã luxuriosam, & hoc est quoad primam partẽ euangelij. Secunda tentatio facta per aliã filiam, quã voco gloriã præsumptuosam, quoad secundam partem. Tertia tentatio fuit facta per tertiam filiam, quã nomino cupidã auaritiã, quoad tertiã partem. Rectè apparuit inimico sathanæ hæc tria peccata esse tres curiosas animæ deuotæ infirmitates, quæ habent magnã potentiã & volũtatem illam priuandi pane Angelorũ, pane quem virtutes administrant, pane qui eã sustentat & nutrit, qui est panis deuotionis, de quo dicit thema nostrũ. Non in solo pane, &c. Verè videmus quod tribus rebus impedimur terrenum & materialem manducare panem. Primũ impedimentum est per febres quando ipsæ tollunt gustum & saporẽ panis ratione malorum humorum & corruptionum quæ supra linguam sunt & in ore. Secundum impedimentum est per odoratum. Tertium impedimẽtum est per nimiam repletionem aliorũ malorum ciborum. Spiritualiter loquendo, luxuriosa gula primum dat impedimentum animæ, ne vti possit pane cœlesti deuotionis vel sanctæ doctrinæ, & hoc fit per febrem delectationis inordinatæ. Vana gloria per odoratum ventosæ præsumptionis, & abundantia mundanæ cogitationis. Et his tribus modis impeditur anima deuota mãducare panem qui eam sustentare debet, de quo dicit thema nostrum. Non in solo, &c. Et forsan quęres, quando fiant hæ tres tentationes, insultus & impedimenta? Respondeo tibi textum Euangelij in principio. Dicit enim Euangelium sancti Matthæi, quod Dominus noster Iesus Christus nouiter baptizatus fuerit in fluuio Iordanis, & ductus fuit à fluuio Iordanis in desertum per spi-

ritum ſuum, hoc eſt per voluntatem ſuam & inſpirationem ſanctam, ibique ieiunabat. Applicãdo hoc pro noſtra inſtructione, accipiam hic aliquas conſiderationes ad reſpondendũ huic quæſtioni.

Prima conſideratio.

Quanto anima deuota magis bene viuere nititur, & habere panem ſuũ & ſuum nutrimentũ deuotionis, tanto magis inimicus conatur ipſam tẽtare & impedire, vel ſaltem tanto magis percipit deuota anima inſultus eius & impedimenta. Hoc figuratum fuit nobis in Ieſu Chriſto. Et hoc exẽplo ſenſibili cernimus cum auis capta eſt glutine aut laqueo, nõ percipit captionem ſuam & impedimentum niſi cum nititur volare vt alibi nutrimentum ſuum quærat. Sic anima quę eſt inter laqueos inimici, multo plus ſentit malũ ſuum cum opinatur fugere & in cœlum volare per deſideria ſancta, ibique capere panem ſuũ cœleſtem deuotionis quam ante ſentiebat. Nõ eſt peior infirmitas ea quæ non ſentitur, poſſet hic adduci de muliere prægnante, quæ tentatur de cibis malis.

Secunda conſideratio.

Nõ eſt malum ſignũ in anima deuota, cum ſentit ſe in primaria ſua conuerſione tentari, & quod ſathã illi panem ſuũ tollere vult vno ſupradictorũ modorũ, cui animo vigoroſo reſiſtat, quod eſt ſignum animã eſſe baptizatam, & exijſſe de Hierico, hoc eſt de voluntate peccandi, & intraſſe deſertum pœnitentiæ & abſtinentiæ ad perueniendũ ad ciuitatem Hieruſalẽ, ſecundum parabolam. Homo quidam deſcendebat, &c. Quoniam ad literã deſertum in quo tentatus fuit Ieſus Chriſtus erat in via Hierico vel Hieruſalẽ. Illic fecit ſe eremitam viſionis pacis paradiſi S. Ioannes Baptiſta. Et ibidem erat fons quem Heliſæus dulcem fecit. Aliam figuram ad hoc habemus in filijs Iſraël, qui perſecuti fuerunt & fugati, cum vellent exire Ægyptum, tranſeundo per deſertum ad terram promiſſionis.

Tertia conſideratio.

Non eſt ſecurum nec conſulendũ, quod perſona ſubitò nimis altũ inchoet inceptũ & perfectionis ſtatũ & præſertim vitæ ſolitariæ vel eremiticæ aut incluſæ, priuſquam bene probetur in ſtatu mediocri. Quæ eſt cauſa huius, quoniam in vita altæ perfectionis fortiores ſunt tẽtationes magis extraneæ, & ad vincendum duriores, nec ſtrenuus miles coronari debet debellare ignauum, ſicut etiam perſona infirma vel nimis iuuenis non debet poſtulare vt nutriatur lacte vel puerorum pulmẽto, tempore noſtro & antiquo decepti ſunt plures, nec oportet ſemper inſequi exempla maiorum.

Quarta conſideratio.

Poſtquam ſcimus ſathanam eniti nos tentare & auferre deuotionis panẽ, debemus ſemper eſſe admodum in timore & magna humilitate erga Deum, & poſtulare auxilium ſanctorum ac ſanctarum eius. Nõ enim tam ſubtilis vir doctus eſt in mundo, qui ſcire poſſit fraudes & cautelas inimici niſi per lumen gratiæ diuinæ. Quid ergo faciemus homines ſimplices & ignari, niſi Deus nos iuuerit & confortet. Et ſingulariter ad hoc prodeſt legere vel audire ſiue operam dare per ſe aut alium ſacrarum literarum ſcripturæ aut ſcientiæ vnũquemque ſecundũ ſtatum ſuũ, & potius viros

A Eccleſiaſticos, aut diuitũ dominorum filios quam alios id facere conueniet. Habemus enim in hodierno Euangelio cõtra omnes tentationes Ieſum Chriſtum ſemper ſe defendiſſe per ſanctã ſcripturam. Et qui eam ignorat, debet libenter petere cõſilium & ei credere, exemplo mẽdicantis, qui alibi panem quærit, cum ex ſeipſo habere non poteſt. Et notetur hic proceſſus politicus, quomodo ſuperiores debent miniſtrare inferioribus. Et contra curioſos & bibliæ tranſlatores, &c. Item noto quod diſcretio quæ acquiritur per ſcripturam ſan-

B ctam & bonum conſilium, panẽ examinat, & eum qui non bonus eſt refutat. Regrediamur & dicamus in ſpeciali de tribus tẽtationibus ſupradictis, quibus (vt dixi) tentatus fuit Ieſus Chriſtus per tres maledictas inimici filias. Legimus hodie quod poſtquam Chriſtus Ieſus ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & eſurijt, ſathan ipſum fallere arbitrabatur per luxurioſam gulam, & petijt vt lapides cõuerteret in panes. Ieſus Chriſtus reſpondit verbum propoſitum. Non in ſolo pane, &c. Nouerat ſathan quod gula cauſat in ani-

C ma, quæ ei dedita, febrẽ quandã inordinatam quę tollit guſtum & ſaporẽ cœleſtis panis deuotionis, quemadmodum dictum eſt. Dicũt doctores ſancti & hoc declarat experientia, gulam admodum impedire ſpiritualiũ rerum cognitionem, & reddere animam veluti cæcam & ſtultam, nec credere paradiſum eſſe aut infernum, & ipſam ſeparare à Deo. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes. Eccl. 19. Dicit quidam ex prophetis, quod materia deteſtabilis illorũ de Sodoma & Gomor-

D ra, fuit ſaturitas vel panis abundantia. Et fuerunt tantopere excœcati, quod cum Loth diceret generis, hoc eſt filiaſtris ſuis certè ciuitatem ea quę ſequebatur nocte confundendam, & eos ibi perituros niſi recederent, viſum eſt eis Loth iocari vel irridere. Stultus nõ timet donec amittit. Quot ſũt tales quibus cum prædicatur de pœnis inferni, nõ conuertunt ſed ſunt vanitate pleni, & cibis repleti, omniáque conuertunt in contemptũ & irriſiones, nec eſt aliquis panis deuotionis qui non eis vertatur in tædium, nec capiunt quemcunque gu-

E ſtum vel ſaporem, ſed ipſis eſt cõtrarius panis, quẽ ſumunt ad horrorem & abominationem. Et nota hic de Antheo, & de eis qui mordentur à cane rabido. Et ſine prolixiori proſecutione ſumã hic quatuor conſiderationes.

Prima conſideratio.

Rationabiliter ordinata fuerunt ieiunia Eccleſiæ ſanctæ præcipuè in vigilijs feſtorum & in quadrageſima ad diſponẽdum nos, vt cum ſapore recipiamus panem deuotionis, panem Dei & ſacra-

F mentum altaris.

Secunda conſideratio.

Si ieiunia Eccleſiæ valde impedirent deuotam animam à comeſtione panis ſui deuotionis, ratione infirmitatis vel nimiæ debilitatis aut paupertatis, quæ acciderint corpori eius nimium ieiunando. Notet quod Eccleſia ob hanc cauſam excipit aliquos homines pueros, ſenes, infirmos, mulieres imprægnatas, nutrices, peregrinos, laboratores & mendicantes, &c. Conſulo tamen vt accipiatur facultas à curato proprio in caſu dubio.

Tertia

Tertia consideratio.

A Non modo in ieiunijs, sed omni tempore persona obligata est ieiunare vel abstinentiam facere, si videt & certè sentit gulam omnino sibi tollere panem suum deuotionis, & eam ducere ad peccata alia, vt ad prohibitam luxuriam, vel aliquorum præceptorum Dei transgressionem. Hinc patet quod persona rectè potest ieiunare Ecclesiæ ieiunia, & nihilominus per nimiam quam simul & semel comedet comestionem peccabit mortaliter videlicet si per hoc percipiat se transgressam fuisse alia Dei præcepta. Exemplum de aliqua puella.
B Hieronymus: Virgo Dei vinum fugiat & viduæ, &c. Vinum matronæ antiquitus non bibebant. Exemplum de aliquo presbytero, qui obligabatur adire vesperas, &c. Exemplum de mulieribus matrimonio coniunctis ob infantiũ periculum, &c.

Quarta consideratio.

Ex magna misericordia Dei interdum accidit quod mittit tribulationem & paupertatem aliquibus hominibus, aut ciuitati vni vel regno, ne luxuriosa gula aliquos horum inuadat, per quam im-
C peditur anima vt dictum est, deuotionis panem comedere. Nec dubito quin Deus mittat vindictam in regnum hoc ob magnos & horribiles excessus qui fiunt per carnalia peccata, gulam & luxuriam, & nunc aliqui eam sentiunt vindictam vt sibi caueant. Vtinam velit Deus, vt exemplo Iesu Christi superare valeamus & effugare luxuriosam gulam bene cogitando & firmiter credendo, quo vitam habeamus spiritualem multo magis tuendã quam corporalẽ, & quod secundum Iesu Christi
D responsionem thematis vestri. Nõ in solo, &c. Et in hoc finio primã tẽtationem, & relinquo multas quæstiones ac dubitationes quæ fieri possent. Si sathan sciebat Iesum Christum habere potestatem mutãdi lapides in panes, & si nesciebat quomodo ausus fuit eum tẽtare? Deinde in qua forma & in qua loquella tentauit Iesum Christũ. Insuper qualiter Iesus Christus passus est tentari & duci à diabolo. Quare etiam sathan potius eũ tẽtare voluit per panem factũ ex lapidibus quã per alios cibos?
E Et quare ipsemet nõ ministrauit illi delicatas escas. Item qua virtute ieiunauit Iesus Christus quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Quare nõ ieiunamus eo tempore in quo Christus Iesus ieiunauit? Item vbi erat domina nostra. Item si tentationes fuerint infra quadraginta dies vel postea? Item si sanctus Ioannes Baptista Christum nõ visitabat, cum sathan percepit per filiam gulam se Iesum Christum decipere nõ posse nec ab eo auferre panem deuotionis & contemplationis, hoc con-
F tentus fuit minimè, sed adduxit aliam filiam suam gloriam præsumptuosam, quæ reddit vt dictũ est animam quæ eam recipit tam indispositam, vt nõ possit deglutire panem suũ cœlestem deuotionis. Dicit euangelium, quod inimicus duxit eũ in Hierusalem supra pinnaculum templi, & dixit ei. Si filius Dei esset, vt mitteret se deorsum, quia nõ læderetur. Et assignauit causam per scripturam: Scriptum est: Angelis suis Deus mandauit de te, &c. Sed Iesus Christus dixit ei: Non tentabis dominum Deum tuum, &c. Hic quatuor accipit considerationes.

Prima consideratio.

Sæpè accidit quod tentatione inimici persona ponitur in altũ statum, vel facit opera magna quæ videntur studiosa & bona, vt deijciatur anima in vanam gloriam. Ideo desiderandi nõ sunt honores magni vel status. Habemus quod regina Hester vocauit Aman ad conuiuium regis cum Mardochæo & stultus ipse credebat hoc esse propter bonum suum vel honorem, cũ esset ad ipsum capiendum & destruendum. Sic permittit Deus interdum etiam in hominibus deuotis.

Secunda consideratio.

Sæpenumero inimicus hortatur deuotos homines confidere in proprijs virtutibus, & se audacter debere mundo atque descẽdere de statu eorũ sublimi in communem statum exemplum, persona aliqua diu fuit in castitate vel sobrietate. Sathã dicet ei, cum filius Dei sis, hoc est, bonus, castus, sobrius & studiosus, seu virtutibus prȩditus, mitte te deorsum, vade audacter visere festa & recreationes, vel visita mulieres, aut huiusmodi societates, ad docendas eas & instruendas. Hinc sæpius euenit, quod talis persona turpiter labitur per peccatum. Qui amat periculum, peribit in illo. Eccl. 3. Et iuxta cõmune prouerbium: Non submergũtur plures homines quam illi qui optimè norunt natare. Quare? Ob stultam præsumptionẽ quam in natando capiunt. Sic accidit interdum de illis, qui melius opinantur se propriam facere posse salutẽ, quam misella aliqua & humilis mulier possit, cum tamen mulier melius faciat.

Tertia consideratio.

Periculosissima res est audire vel discere scripturam sanctam, non habendo proficiendi ac se emẽdandi voluntatem sed ob solam curiositatem & malã inquisitionem. Hoc videmus quod sathanã, qui bene viderat scripturam quã allegauit, sed malè ipsam applicauit, & vertit ad malum. Sic faciũt hi qui quotidie sermones audiũt, & recipiunt panẽ verbi Dei, sed duntaxat irrident, vel vt sciãt excusare eorum errores, vel ad vanitatẽ, vel vt intelligere dẽt de se quoque loqui nosse. Scitis ne quib⁹ bestijs huiusmodi homines assimilẽtur. Assimilantur bufonibus & venenosis bestijs, quȩ vertũt in venenum omnes cibos quos capiunt quantumcunq; bonos & dulces. Tales homines nolũt panẽ necessitatis, aut vtilitatis, sed vanitatis, vel curiositatis, aut panem iniquitatis per curiositatem, tanquam si mendicus postularet comedere panẽ regis vel de pane rapto & absconso. Panis abscõsus suauior &c. Prouerb. 9. Hæc prædicaui contra curiosos translatores librorum. Item contra illos qui quærunt quæstiones theologiæ inter pocula. Item contra illos qui quotidie volunt noua audire. Alij sunt tanquam singulares, quibus dari non possunt cibi acetosi, si volunt addiscere alta, vadant ad scholas.

Quarta consideratio.

Quãuis debeamus in omnib⁹ & per omnia habere singularẽ, spem in auxilio Dei, & quod sine eo nihil possimus facere tamẽ nihilominus oportet hominẽ seipsũ iuuare secundũ prouerbiũ hoc cõmune. Iuua teipsum, & De⁹ te iuuabit. Hoc apparuit in Iesu Christo, qui noluit quȩrere aut facere miraculum se deorsum mittẽdo & volando, cũ via humana descendere posset, hoc est contra eos qui volunt habere reuelationes vel inspirationes

de his quæ debent agere, petere vel credere hominũ consilio, tales manducare volunt panem miraculosum, nõ humanum. (A) Exemplũ in vitis patrum, velit Deus vt vitemus omnes modos vanæ glorię, qui innumeri sunt, vt cum bona spe in Deum sine præsumptione vel desperatione semper viuamus pane deuotionis, de quo dicit thema nostrũ: Non in solo pane viuit homo, &c. Tantũ dictum sit de secunda tentatione, aggrediamur tertiã, quæ facta fuit per cupidam auaritiã. Dicit textus, quod postquam Dñs noster Iesus Christus respondisset, apprehendit eũ sathan, & duxit eum super montem (B) quendam excelsum, qui secundũ glossam ad mediam leucam erat de supradicto deserto, & ostẽdit ei inimicus omnem gloriam mundi, dicens se omnia ei daturum, si vellet se corã eo inclinare, & flexo poblite adorare. Tunc retrusit eũ Iesus dicens: Vade retro sathana, scriptum est: Dominum Deũ tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eũ diabolus. Et accedentes Angeli ministrabant ei. Super hũc textum & ad propositum nostrũ quatuor sumo considerationes.

Prima consideratio.

(C) Periculosa res est, intueri sæpius diuitias mundi & magnos status, per hoc enim inflammatur cor humanum cupidum ad illa desideranda, sicut apparet per sathanam, qui ostendit Iesu gloriã mũdi. Et ideò bonum & sanum consilium est, vt sæpius intueamur aliorũ paupertates, vt dicit Cato:

Cum tibi displiceat rerum fortuna tuarum.
Alterius spectat, &c.

Notetur historia eremitæ cum stramineo vimine &c. Et de illo philosopho, qui monstrauit ciuitatem illi qui dolebat. (D)

Secunda consideratio.

Accidit plerumque quod per cupiditatem fit adoratio aut sacrificium sathanæ, vt dicit Apostolus: Auaritia est idolorum seruitus. Dicit S. Augustinus, quod res adoratur, quæ ante omnia amatur & sic amat luxuriosus, auarus pecuniam suam. Hic potest fieri mentio de magis & sortilegis. Posset introduci de cane qui refutauit panem à latrone, &c. per contrarium charitas & Dei amor extinguit auaritiam. (E)

Tertia consideratio.

Iniuria Dei non est audienda vel sustinenda patienter per dissimulationem, quia vt dicit Chrysostomus. In proprijs iniurijs esse misericordem, laus est, non in Dei iniuria, &c. Contra eos qui libenter audiunt blasphemias vel iuramenta, aut dici hæreses vel patiuntur ad auaritiam exercendam, inhonestates erga Deum, &c. Nota de pane sancti Sacramenti per irreuerentiam.

Quarta consideratio. (F)

Post graues tentationes Deus nobis mittit cõsolationes, sicut patuit in Iesu Christo. Et Dauid hæc dicit: Secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificant animam meam. Psal. 93. Sic videmus principes post grandia bella magna celebrare conuiuia, & in escis sũptuosa. Et forsitan S. Ioannes venit ad Iesum, comeditque cum illo. Charissimi, audistis in figura & rudi Minerua qualiter sathã tentauerit saluatorem nostrum Iesum Christũ & quomodo suo exẽplo nos tẽtat quotidie, nobisque auferre & tollere vult deuotionis panem per tres filias suas, quæ sunt tres malignæ fornacis custodes & succetarię, quæ nituntur nobis dare panem corruptũ, mortem animæ afferentem. Gula panem dat immundum, insanum, mucore obsitum, & omni putredine plenum. Vana gloria dat panẽ vanum, nimis leuem, inflantem, & nil nutrientẽ. Auaritia dat panem ex paleis cõfectum, ex cinere & dolorosa pũctura. Heu ergo qualis stultitia est sumere voluptatem suã in huiusmodi panibus, & amittere saporosissimum deuotionis in hoc modo, & panẽ gloriæ in paradiso? Et quãuis specialiter dixerim de pane deuotionis, quemadmodũ nobis impediatur per tres maledictas sathanæ pistrices. Potuissem tamẽ hoc applicare & adducere loquendo de pane pœnitentiæ & tribulationis. De quo dicit propheta: Cibabis nos pane lachrymarum, Psal. 79. dicere potuissem qualiter hæc tria peccata præsertim impediunt contritionem, confessionem & satisfactionem. Et quæ sunt grana, quibus pœnitentiæ panis conficitur, & formatur in fornace charitatis per presbyterum sanctæ Ecclesiæ ministrum? Gula impedit contritionem, vana gloria confessionem, auaritia satisfactionem, relinquo huius deductionẽ. Charissimi, eijciamus à nobis sathanam & maledictas tres suas pistrices, gulam, vanã gloriam & auaritiã, vt si gula nobis dare velit panem suum inordinatæ delectationis, qui in principio dulcis apparet, recusemus eum, ne capiamur sicut piscis hamo, & miluus ad cadauer, & glis seu rattus lardo. Meditemur diligenter hunc panem tam falsum esse, & talem generare febrem, quod salsus diues qui nimis comedere habebat, postea præ siti in inferno rabidus effectus est, & erit perpetuò. Si gloria vana nos suo pane donare velit, refutemus eum, inflat enim plusquã venenum, & fecit luciferũ esse adeò inflatum, turpẽ & abominabilem, vt cœlum eũ sustinere vel comprehẽdere non potuerit. Si auaritia panẽ suum nobis dare velit plenũ paleis & cinere, refutemus eum quia efficit homines deliros, & eos tradit dolorosis tormentis, facitque apparere eis, quod vita careãt spirituali. Et sunt tanquam stolidus dæmoniacus, de quo recitare audiui, qui se opinabatur mortuum, & ob id comedere nolebat. Sic etiam sunt nonnulli qui taliter sunt dediti, &c.

SERMO FACTVS AD POPVLVM PARISIENSEM EX PARTE *Vniuersitatis, per dominum Parisiensem Cancellarium, super facto bullæ mendicantium. Anno 409.*



QVOMODO *stabit regnum eius?* Luc. II. Quoniã Dominus noster Iesus Christus in hodierno Euãgelio concludit benedictos esse illos qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Congregati estis ô deuota plebs Christiana, tum authoritate Domini Parisiensis, aut suorum Vicariorum, tum ad instantiam regiæ filiæ studio & matris luminis sanctæ Ecclesiæ Parisiensis Vniuersitatis. Rogemus itaque primum Deum, ne malignus spiritus humani generis aduersarius nos impediat, quemadmodum impediebat eum de quo hodiernum dicit

cit euangelium hominem in initio: *Erat Iesus* &c. Qui quidem malignus spiritus hominem illum A mutum efficiebat & cæcum. Velit Deus quod ego non mutus sim ad loquendum de Deo aut de regno suo, & nullus vestrorum cæcus sit ad veritatem cognoscendam aut inspiciendam. Ad te igitur conuertemur virgo mater dignissima, de qua illud idem mentionem facit euangelium recitando quo pacto fœmina quædam, quæ fuit sanctæ Marthæ ancilla secundum sanctum Ambrosium ac Marcella nominabatur, & existens in turba dixit Iesu Christo: Beatus venter qui te portauit, & B vbera quæ suxisti. In honorem pulchræ huius & benedictæ laudis, impetra nobis gratiam virgo mater gloriosa. Et non te alia salutabimus salute quam Angelus Gabriel tibi nunciauit dicens: Aue Maria.

Quomodo stabit regnum eius? &c. Considerando sanctæ ecclesiæ & totius christianitatis statũ, mihi apparet in impatientiam succlamare ac dicere magna cum admiratione: Bone Deus cælorum rex, quid hoc erit? quid hoc sibi vult? An ne vnquam sine perturbatione erimus, sine schismate absque C diuisione? Quo pacto christianitatis regnum stabilitatem nanciscetur? Et necesse est (sicut dicis domine in euangelio) vt scandala veniant, aufer à nobis necessitates illas. De necessitatibus nostris erue nos. Liberasti nos de maledicto hoc schismate quod totam tuam vastabat ecclesiam, quod fuerat tam diuturnum. Dedisti nobis vnum & verum in sancta ecclesia pastorem, quem recepimus magno cum gaudio, reuerentia & exultatione. Et ecce malignum spiritum prælij & diuisionis, qui D nisus est suscitare turbationem nouam, molam nimis, nimis coopertam & fraudulentam sub vmbra boni & religionis. Quam ob causam, ad sanctæ ecclesiæ regnum dissipandum, optimè nouit proditor iniquus verum esse verbũ quod in hodierno dicis euangelio, quod scilicet: Omne regnum in se diuisum desolabitur. Sed deficiet ab intentione sua falsus & iniquus proditor, ô deuote populus nostris mendicantibus orationibus aliorúmque bonorum christianorum, ac defensionem pastorum, & sanctę ecclesiæ doctorũ, inimicus falsus E & spiritus malignus procurare potest diuina permissione nauim sancti Petri (hoc est sanctę ecclesiæ) turbari & deijci per ventos & tempestates diuersarum persecutionum, sed nõ subuertetur nec submergetur, quoniam semper erunt aliqui qui eam sustinebunt in statu suo, gubernabunt & conseruabunt, quamuis admirandum sit inter tantas perturbationes christianitatis regnum in stabilitate esse posse. Certum est malignum spiritum continuò niti de malo in peius secundum hodierni F euang. textum: cum desierit locũ vnũ redit cum septem spiritibus peioribus se, qui intrant & illic habitant, & sunt nouissima hominis illius peiora prioribus, & hoc videmus in sanctæ ecclesiæ persecutionibus. Prima, mala fuit per tyrannos, secũda, peior per hæreticos, tertia, pessima per falsos christianos, quos Apostolus falsos appellat fratres, quarta incomparabilis erit per antichristũ. O vita hæc heu nil aliud est, quam (vt Iob dicebat) tentatio. Sed transeunda nobis est tentatio hęc & vidẽdũ est semper sanctæ ecclesiæ regnũ, in se & principalibus suis mẽbris, veram habiturum vnitatem

sine diuisione, & veram firmitatem, per quam regnum hoc nec possit nec debeat cadere in desolationem, iuxta illud: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat &c. Et item. Ecce ego vobiscũ sum &c. Propter istam stabilitatem & sanctæ ecclesiæ permanentiam, in præsentiarũ sumus congregati, & ad loquendũ & audiendum ne perturbationes superueniant (vnde dolendum est) nos mouẽtes aut aliquos de nobis, à vero charitatis fundamẽto. In charitate radicati &c. & quod vnusquisque erga se diligẽtiam imponat, vt pax sit & vnio. Bona inquam, pax veritati iuncta, (aliqua enim pax peior est bello) quæ est pax cum vitijs & falsitate, si modò pax nominari debeat. Contra quam dicit Iesus Christus: Non veni pacem mittere in terrã, sed gladium. Sed quomodo ista manu tenebitur firmitas? quomodo stabit regnum eius? Per quatuor principales respondebo considerationes, & causas adijciam præsentis processionis. Regnum sanctæ ecclesiæ est Dei iustitia, ad similitudinem regni cælorum, ob quod in sua manet stabilitate. Propterea sæpenumero regnum cælorum nominatur. Ideo dicit sanctus Ioannes in Apocalypsi, se vidisse ecclesiam de cælis descendentem. Vidi Hierusalem. Ideo etiam Moysi dictum fuit: Omnia fac secundum exemplar &c. Est determinatio sancti Dionysij in libro de ecclesiastica hierarchia. Patet quod de ordinatione & sanctæ ecclesiæ gubernamine si referendum sit principalius ad sanctam scripturam quam ad leges ciuiles. Patet regimen sanctæ ecclesię aliorum non debere sequi regimina, sed opposito modo esse bebet, sicut corpus gubernari debet per animã. Apparet quod ad vniuersitatem Parisiensem filiam regis spectat secundum doctrinam de sanctæ ecclesiæ iudicare gubernamine, specialiter quoad facultatem theologicam, & diuersimodè quoad alios. Ad artes secundum philosophiam moralem, quæ conformis est Theologiæ. Ad decreta, secundũ quod principaliter fundamentũ eorum in sancta est scriptura, & inquantũ nimis vti vellent legibus excederent eorũ terminos. Posset hic dici de promotionibus sapientum mundi, sed pręterco. Si quisquam ergo petat, quomodo stabit christianitatis regnum in his inferioribus? Responsio, hoc erit seruando ordinem & exemplar regni superioris. Regnum cælorum certo ordine & essentialibus ordinationibus atque permanentibus (quas nos hierarchias appellamus) institutum est. Hæc est determinatio sancti Dionysij in libro suo quem ea de causa edidit de cælesti hierarchia ex instructione sancti Pauli, hoc est quod vos simplices sæpius dici auditis, nouem essę angelorum ordines: Cherubin, seraphin &c. Et homines qui saluabuntur, erunt vnusquisque in aliquo horum ordinum secundum diuersa merita, excepto Iesu Christo & benedicta matre eius, qui superãt omnes choros. Apparet per has duas considerationes in sancta ecclesia ordinem esse hierarchicũ & essentialem, hoc est, ordinatum, stabilem & permanentem, ad Eph. 4. & 5. Exemplum in homine, qui regnum est personale, videmus membrum vnum alteri iungi certo ordine. Et hic ordo est in sancta ecclesia, vt sit vnus papa Iesu Christi vicarius, sint cardinales, archiepiscopi, episcopi, apostolorum successores. Sint curati successores

septuaginta duorum discipulorum, quos dicemus in sequentibus. Patet si aliquis homo aut status sine causa vel necessitate perturbare velit hunc ordinem, illi resistendum esse. Sic enim factum fuit in cælo cum lucifer aut alij mali vellent transgredi per superbiam eorum ordinem aut hierarchiam. Adam fuit expulsus à terrestri paradiso. Sanctus Paulus restitit sancto Petro, ad Gallat. 2. Ob hanc causam exclusi fuerunt nonnulli qui nominabantur coepiscopi. Liquet exemptiones fieri non debere sine grandi & iusta causa. Nota quod dicit sanctus Bernardus in de consideratione, magister Egidius Romanus in quodam particulari tractatu, vbi allegat quod ex hoc omnia mala euenerūt templarijs. Manifestum est Deum interdum naturalem & essentialem ordinem mutare, aut miraculo aut necessitate. Exemplum: Quod dominæ nostræ nunciatum fuit incarnationis mysterium per altissimum angelum, quamuis consuetus ordo sit perfectiores angelos mysteria in illis inferioribus nunciare per medium inferiorum angelorum. Est enim ordo hierarchycus secundum Dionysium 7. de diuinis nominibus vt infirma reducantur ad suprema per media. Qui ergo scire voluerit quomodo regnum christianitatis stabit? Responsio seruando suum ordinem nec ipsum destruendo aut obliuiscendo.

Regnum sanctæ ecclesiæ habere debet hierarchicum ordinem in omnibus suis membris & statibus quoad vnum supremum pastorem aut gubernatorem quem nominare possumus regem pontificalem aut episcopum regalem & est vetus vnus papa, patet, quoniam sic est in regno cælorum.

Et hic fundatur quo pacto omnes ad hoc laborare debent, vt obedientia præstetur sancto nostro patri. Primò per omnes latinos sanctæ occidentalis ecclesiæ, & deinde per alios de orientalibus patrijs. Hoc est ad quod conatur vniuersitas iuxta totum posse suum, vt legationes mittantur in Hispaniam &c. hoc est quod laborat de Græcorum reductione. Hæc est causa, ob quam principaliter congregati estis. Et si dicat aliquis, nonne homo saluari potest absque hoc vt in verum credat papam? Potest, si ignorantia, eum excuset, & bona voluntas præstandi obedientiam, postquam veritas illi fuerit declarata. Hoc enim modo non recedit à verò & essentiali capite Iesu Christo, nec ab eius ordinatione. s. quod solus vnus papa sit in terra. Exemplum sede vacante. Apparet omnes diuisiones regnorum temporalium arguendas esse, in quantum norent aut expediunt pacem in regno spirituali. Et hæc est altera causa huius cōgregationis. Apparet vnumquemque erga se laborare debere, quod personale regnum suum bene ordinatum sit, ne toti regno spirituali obsit. Exemplum, quod perturbationes membrorum totius corporis impediunt harmoniam, alias dixi de ordine huius regni personalis. Ratio dominari debet, & corpus obedire Libera voluntas est sicut rex, ratio vt consolatrix, virtutes animæ vt executrices, pulchrū fuit regnum istud in Adam, sed spiritus malignus diuisionem immisit. Nota quomodo malignus spiritus impedit portas regni illius. sc. quinque sensus per septem malignos spiritus septem mortaliū peccaminum,

A interdum quidem apertè, quandoque verò occultè, & veluti gratificando sub vmbra boni, ac per hypochrisim, quæ secundum euangelium nostrum multo peior est. Potest dilatari hoc. Et est spiritus superbiæ, nascens ex humilitate. Spiritus iræ, nascens ex hilaritate. Spiritus auaritiæ, nascens ex liberalitate. Spiritus pigritiæ, nascens exstrenuitate. Spiritus gulæ, nascens ex sobrietate. Spiritus luxuriæ, nascens ex castitate. Est alia causa huius processionis, vt vnusquisque seipsum emendet & castiget. Si igitur aliquis scire velit, quomodo

B do christianitatis regnum stabit. Responsio, obediendo vni capiti, & auferēdo diuisiones in regnis temporalibus & personalibus.

Christianitatis regnum fundatum est & institutum in ordine & dispositione hierarchicæ prælationis, hoc est, Deus sic suam ordinauit ecclesiam, vt in sancta ecclesia ordo esse prælaturæ ad gubernandos alios & ad Deum dirigendos, secundum tres quæ ad prelaturam spectant operationes, purgare, illuminare & perficere. Et hunc seruando

C ordinem stare debet regnum ecclesiæ sanctæ hic inferius, sic enim est in superiori regno cælorum. Et quoniam videt & visum est cōpluribus sanctæ ecclesiæ prælatis, præcipuè domino Parisiensi visū est filiæ regis vniuersitati, hūc hierarchicum ordinem prælationis aliquo modo in perturbationem aut impedimētū casurū. Voluit & vult (vt potest) obuiare & resistere. Hæc turbatio accidit propter scripturam quandam in forma bullæ, quam aliqui ordinum quatuor mendicantium impetrarūt aut

D (vt verius dicatur) extorserunt, vt per cautelā vel per inaduertentiam sancti patris nostri. Sanctus enim pater noster, qui magnus est theologus, nūquam rem talem admisisset si eā examinasset. Sed (vt per solennes in vniuersitate relatum est magistros) omnia facta fuerunt ipso ignorante & ipso inuito, saltē sine iudicio aut deliberatione. Sicut homines occupati concedunt importunitatem aut per cautelas, aut aliquam largam cōscientiam plures res alijs. Hæc est ergo prima protestatio, quod dominus Parisiensis nec sui nec vniuersitas

E nec ego ipse intendimus aliquid dicere in præiudicium, aut sancti patris nostri inhonorationem. Tenemus enim quod postea quā bene fuerit instructus, ipse cassabit omne hoc aut destruet de quo cōquerimur. Pro honore suo laboramus pro statu suo, pro officio & potestate sua, nihil potest contra veritatem. Et data est potestas in ædificationem, non in destructionem, quemadmodum laborauimus. Bene inquam laborauimus pro Petro de Luna, si bene vti voluisset, sed non voluit,

F sed propter importunitatem quatuor ordinum mendicantium, aut saltem aliquorum principalium impetrata est, aut malè obtēta scriptura quædam quam vniuersitas censet intolerabilem & nō ferendam pro sanctæ ecclesiæ stabilitate. Ideo vult hanc scripturam eorum procuratione cassari, priusquam permittantur vti priuilegijs aut libertatibus dictæ vniuersitatis, non quod semper priuētur (absit vt hoc facere oporteat) sed rationabile est quod in laqueo quem absconderunt, comprehendatur pes eorum Et hodiernū euāgeliū dicit: Qui non est mecum, contra me &c. Et hæc est alia causa principalis processionis huius & sermonis,

quem

quem suscepi magis obediendo quam mihi placẽdo, & exiguo quidem tempore. Nouit Deus qualem displicentiam habui, habeo & habebo de hac turbatione. Diu ostendi me non odio habere mẽdicantes, aut eorum voluisse destructionem vt apparet in reconciliatione fratrum prædicatorum. Et si quærat aliquis, quid hæc contineat bulla? Respondeo me nondum habere commissionem ad longum declarandi malum ibi contentum in pũctis particularibus. Tum quia adhuc examinatur, & quia etiam (vt verum fatear) malum radicitus cognosci non potest, nisi per theologos. Bene in generali dicere possumus, si scriptura hæc admitteretur, ipsa perturbaret hierarchicum ordinem prælatorum sanctæ Ecclesiæ, magnos, mediocres. & paruos, qui sunt Curati. Et quia nondum extremam habemus huius scripturæ examinationem, vt tangatur aliqualiter malum ibidem inclusum, legetur vobis instrumentum quoddam de iure Curatorum, quod deinde ego in gallicum exponam.

Quia admiratæ sunt turbæ in euangelio, & nemo vos seducat inanibus verbis, vt Apostolus hortatur. *Domini Curati sunt in ecclesia minores prælati vt supra in instrumẽto reuocationis fratris Ioannis de Gorrello.* Hæc determinatio facultatis theologicæ facta fuit valde solẽniter, ex præcepto expresso magistrorum in theologia quatuor ordinum mendicantium. Et pronunciata per magistram Ioannem Gourel propria sua voluntate, in aula episcopi Parisiensis. Et hic complures extricantur veritates, ex quibus aliæ sequũtur veritates, vt per modum corollariorum. *Domini Curati in ecclesia minores prælati sunt, hierarchici*, hoc est principales aut dominantes per primam institutionem Iesu Christi. Hoc fundatur in euangelio Luc. 10. cum glossis & in iure canonico. 21. di. & dist. 68. & 13. q. 1. *Euangeliũ est bulla curatorum.* Sequitur quod de ordinatione essentiali & stabili sanctæ ecclesiæ, æquè bene est status curatorum, sicut ille prælatorum Cardinalium, Archiepiscoporum: Imo verò, sicut status ipsius Papæ, quamuis non sit adeò perfectus. Sequitur papam hunc statum destruere, aut annihilare non posse, cum status ille nõ ex sua proueniat positiua ordinatione, sed sine medio ex Dei autoritate. Sequitur statum curatorum perfectiorem esse statu simplicium religiosorum: simplicium dico, sunt enim in religionibus veluti curati, vt sunt Priores, Abbates, Præpositi, aut tales. Hæc est determinatio sancti Dionysij in ecclesiastica hierarchia, & sancti Hieronymi ad Heliodorum, sunt in statu perfectionis exercendæ. Sequitur Curatos ecclesiæ sponsos esse sicuti prælatos, quamuis sint imperfectiores, nec facile curam eorũ debent deserere aut cedere absque bona causa; licet papa eos non obliget vt prælatos ad illud.

Ad curatos spectat ex statu eorum iure aut facultate concionari, In Clementinis, de sepulturis, cap. dudum. §. verum, ne paræciales Ecclesiæ * Augustinus quomodo sit Petrus in carcere, sanctus Benedictus solo intuitu &c. Sequitur papam aut alium quemuis ius hoc curatis auferre aut impedire non debere. Et ideo nullus in ecclesia eorum concionari debet, absque eorum facultate, quemadmodum dicit Decretalis *super cathedram.* Nota quod ad parochianos nõ pertinet procurare prædicationem fieri, &c. Sequitur curatos ad prædicandum obligatos esse saltem per alterum.

** Hic aliqua deesse videntur.*

A Pro qua re declaranda duas adiungam propositiones, Curati non obligantur subtiliter aut curiosè parochianis suis prædicare, sed sufficit grosso modo, rudíque Mineruа præcepta Dei dicendo, & septem peccata mortalia, &c. Et hoc plus interdum proderit, quam illud. Exemplum, sicut homines laborantes & vulgares, non nutriendi sunt delicatis cibarijs, nec pueri pane duro, sed lacte, alioquin malè eis accideret: pariformiter applica ad cibum spiritualem. Pro hoc est apostolus &c. B Nota maioris esse vtilitatis dicere aut legere mandatorum tabellam, quam complures curiosos sermones, Iuxta illud apostoli: Semper dicentes & nunquam &c. Curati non obligantur Die quolibet parochianis suis prædicare, aut tam sæpe sicut Parisijs in quadragesima. Exemplum de illis qui nimis sæpe comedunt; aut de planta quæ sæpius quàm necesse sit irrigatur; aut de illis qui sæpius quam opus sit alios mori vident, adeò vt non curent, propter consuetudinem. Exemplum de simplicibus villanis hominibus qui leuius retinent. C Non ergo adeò conqueri debent homines orbis huius de ista ad tempus suspensione. Nota de his qui præmeditate prædicant. Nota quomodo fiũt prohibitiones aut interdicta contra bonos, &c.

Ad curatos pertinet ius audiendi confessiones, aut prouidendi vt audiantur & committendi si presbyter non est, aut si minus sufficiens. Sequitur papam aut alterum non debere auferre istam potestatem, aut ius ipsis curatis absque eorum placito & voluntate, saltem expediens non est. D Sequitur nullum priuilegiatum confessionem audire debere in loco parochialis ecclesiæ absque consensu & facultate curati, sicut etiam dicit decretalis. Nota quid acciderit de sancto Germano Altisiodorensi. Et responsum cuiusdam episcopi Parisiensis, cuidam fratri &c. Sequitur curatos obligari ad audiendas confessiones suorum parochianorum, aut procurare vt audiantur. Et hanc obligationem non habent mendici & priuilegiati. Et papa audire debet aut committere vt audiantur casus ipsi reseruati, & episcopus casus qui illi reseruantur. E Sequitur quod cæteris paribus, perfectior res est confiteri suo curato, quam alteri priuilegiato, tum propter obedientiæ virtutem, tum propter maiorem securitatem, & alias complures rationes. Nota quod decretalis, *Omnis vtriusque sexus*, in concilio generali edita, vult vnumquemque cõfiteri peccata sua saltem semel in anno proprio suo presbytero aut de sua facultate; alioquin enim parochianus absolui non posset. Et fuit opinio antiquorum, & glossatorum & doctorum per F proprium presbyterũ, curatum intelligi eum qui administrare debet sacramẽta. Nota, quod si non eo modo intelligatur vna propositionum bullæ nouissimæ condemnatæ tanquam hæreticæ, esset vera. Nota de casibus reseruatis, ad quos se non extendit mendicantium potestas.

Curati ius habent sacramenta administrandi, vt in clementinis de priuilegijs. Sequitur religiosum quemcunque quantumcunque priuilegiatum sub pœna excommunicationis matrimonium solemnizare non posse à qua quidem excommunicatione solummodo papa potest absoluere, præterquã in mortis articulo. Sequitur nullum talem sacra-

mẽta ministrare posse nisi (vt videtur) in casu necessitatis. Siquitur nullum talem baptizare posse extra casum necessitatis, & non debet nec potest extremæ vnctionis ministrare sacramentum. Sequitur, postquam curatus sacramentum altaris ministrare debet, cõgruum est vt statum cognoscat, & conscientiam illius cui ministrat. *Probet autem seipsum homo &c.*

Ad curatos spectat ius dandi sepulturas: Sequitur quod ad mendicantes non spectat ius sepulturarum alienorum parochianorum, nisi per priuilegium quod quatuor inter alias includit conditiones. Nullus religiosus aut ecclesiasticus inducere debet votis aut promissis aut iuramentis vt quis sepulturam suam in eorum eligat ecclesia aut cœmeterio sub inobedientiæ pœna. Insuper nullus religiosus aut ecclesiasticus inducere debet ad continuandum promissum aut votum emissum se sepeliendi in eorum locis: & fieri potest dispensatio de voto aut iuramento iusta de causa. Si aliqui religiosi contrarium faciant, omne hoc quod eis relictum est, propter funeralia aut oblationes, restitui debet ante decennium, & corpus reddi si postuletur, vt sepeliatur in terra sua in sua parochia, vbi iure sepeliri debet, aut ecclesia eorum vel cœmeterium interdictum est à iure: hoc est nullus potest sepeliri quoadusque sufficienter totum restitutum sit, nec seruitium in ecclesia peragi potest. Si aliqui religiosi de nouo impetrent quod habeant libertatem aut priuilegium recipiendi alterum ad sepulturam, hoc intelligi debet modo supradicto, nisi expresse contrarium ponatur in priuilegio. Ecclesia parochialis canonicam suam debet habere portionẽ, videlicet ad minus quartam partem totius quod relictum est. Hæc materia est prolixa.

Ad curatos spectat decimas recipere, & res quæ ad eorum valeant sustentationem. Sequitur mendicantes qui tam proprio quam communi renunciarunt, curatos aut episcopos (vt videtur) esse nõ posse sine dispensatione. Sequitur curatos licitè decimas eorum aut alia bona debita emolumenta exigere posse; quæ quidem decimæ aut emolumenta iure debentur, aut consuetudine, quæ vim iuris habet, modo sit absque simonia, vt in mercãdo, aut negotiando spirituale; quia non prius persoluitur temporale aut aliquo tali modo, quin rationabiliter scandalum gignere posset. Nota contra illos qui auaritiæ curatorum ascribunt si ad id teneantur ad quod obligantur, ad hoc enim tenẽtur, alioquin totum periret, & parochiani efficerentur peiores. Sequitur causam decimarum spiritualem esse. Sequitur quod curatis debita non vocatur propterea decimæ, eò quod semper sit decima pars, immo est interdum vicesima aut tricesima: Nota de cõsuetudinibus Normaniæ & Angliæ, vbi persoluuntur de omni proprio decimæ, præterquam de mercimonijs. Nota contra applicationem decimarum quæ dominis dantur temporalibus, & ob quam causam eis datæ fuerunt; hoc enim fuit per modum vadimonij (& pro tẽpore quoad multos) vt tutarentur ecclesiam. Nota applicationem decimarum ad ecclesias monachorum, aut canonicorum, taliter vt curati pauperes remaneant: & de remedio quod apponi deberet. Nota quod obligationes, subuẽtiones, redditus, & consuetudines capiendi in baptismo, in

A sepulturis, extrema vnctione, matrimonio, confessionibus, communicatione aut releuatione post puerperium, & talibus rebus omnino nominantur vt pro decimis. Est enim omne tale pro sustentatione ipsorum ministrorum qui ordinati sunt, vt Parisijs fere nullum est aliud emolumẽtum. Et interdum necesse est quod forte ferat debile, & oblatio vna alteram. Exemplum de duobus sigillis cancellariæ Parisiensis, vbi interdum sumuntur quatuor solidi, & de centum nihil capietur. Applicetur, si persona diues in anno solum quatuor

B offertoria dare velit, & quatuor aux sex denarios pro sacramento suo in paschate, & omnis alia cõfessionum & oblationum vtilitas ad fratres deuoluatur, vnde viuet ipse curatus? Nota obligationem decretorum ad fratres, qui hortari deberent sæpius in anno parochianos, vt iura suis curatis persoluant.

Ponatur in forma ius prædicandi & confessiones audiendi, essentialiter & principaliter spectat ad prælatos & curatos. Sequitur expediens non

C esse vt ius hoc illis auferatur, aut turbetur directè siue indirectè, sicut papa aut alius nollet sibi turbationem fieri in illo quod ad eum spectat. Videte hoc de omnibus mendicantibus qui auferunt prælatis secularibus per exemptiones. Et quomodo nunquam confitentur alicui nisi sit sui ordinis, & tamen cupiunt omnium audire confessionem: Apparet, quod ipsi iudicant & existimãt non esse bonum neque expediens vt alij suas audiant confessiones, nec volunt alios facultatem huius ha-

D bere: Volunt ergo ius vnum pro se ipsis habere, & aliud pro vicino eorum. Sequitur presbyterum alteri confiteri non debere sine facultate prælati sui aut sui curati: hæc est determinatio antiqua doctorum. Verum est facultatem hanc dari posse per cõsuetudinem scitam & toleratam à prælatis & curatis, securiùs tamen foret habere facultatem hanc expressè.

Sequitur quod tam in prædicando quam confessione audienda, prælatus aut curatus primũ & præcipuum ius habet, & cuicunque alteri præferri

E debet, si officiũ hoc exercere velit in propria persona, præsupposita tamen scientia competenti. Et si quis dicat melius esse vt recipiatur in confessorem is quem papa elegit, quia sacrilegij instar est dubitare de illo quem princeps elegerit. Responsio, papa principalius prelatos elegit & curatos: est ergo ratio hæc cõtra eos. Sequitur prælatos & curatos subdelegare posse veluti ordinariam habentes iurisdictionem. Ad mendicantes non spectat prædicare, aut confessiones audire, nisi accidentaliter & per priuilegium, scilicet per cõmissionem


F & prælatorum consensum & beneplacita. Sequitur fratres se sustentare aut manutenere non posse absq; prælatis aut curatis, quoad prædicare & cõfessiones audire, sicut accidẽs naturaliter sine subiecto suo esse non potest, nec priuilegiati & mendicãtes sunt ordinarij, nec substituere possunt. Sequitur fratres in ecclesia sancta, statum hierarchicum non habere, nisi vt alij religiosi aut alij ecclesiastici vel christiani: Et hoc patet, quia nõ obligãtur cõcionari id est prędicare, nec cõfessiones audire nisi velint, sicut ipsi ostẽderũt aliàs in cura S. Germani Altisiodorẽsis. Manifestũ est etiam quia audiunt

audiunt confessiones horum quos volunt,& alios dimittunt, siue sit propter paupertatem, siue aliũde, Ego non scio iudicium aut sententiam. Curati verò tantum obligantur pauperibus sicut diuitibus. Nota exemplum de vulpe, quod alias recitauit magister quidam in theologia, quæ dicitur reuocatio de polliaco. Et est quod absoluit leonẽ, equum & omnes alias fortes & crudeles bestias ab omnibus casibus & absoluere noluit asinum qui bucellam feni ex calceo cuiusdam pauperis surripuerat. Sequitur subiectos prælatorum & curatorum non obligari vt victum queritent eis. Alioquin enim (vt dicit sanctus Thomas) status ipsorum prelatorum nimis molestus esset populo. Sequitur prælatos & curatos non obligari victum quærere eis si non posuerint eos ad opus & dimittent eis, manifestum est vt prius. Exemplum de messoribus, quo vtebatur Iesus Christus cum ait: Rogate dominum messis vt mittat &c. Et sic dicat aliquis papam eos mittere, videndum est an sit necessitas. Non enim dandus est curator aut coadiutor prælato aut alteri ipso inuito, sine defectu eius aut in potentia, alioquin grauatur, quod non vult aut velle non debet facere papa fratribus suis prælatis potest licite quis confiteri eadem peccata multis in casibus & vna quæque talis confessio reiterata prodesse poterit virtute sacramenti. Sequitur non esse repugnans personam aliquam obligari ad confitendum aliquid quod iam confessa est, siue sit ex propria obligatione suijpsius siue per modum pœnitentiæ aut obedientiæ vel ordinationis, vt in compluribus religionibus, siue per defectum aliquem, aut incertitudinem primæ confessionis, aut per superioris reseruationem vt in casibus reseruatis. Sequitur quod confessus fratribus manere posset obligatus denuo proprio confiteri curato siue virtute consilij huius generalis, Omnis vtriusque sexus siue aliquouis modo. Nota multos doctores & glossam ordinariam tenuisse, quod obligaremur denuo confiteri postquam fratribus fuissemus confessi. Sanctus Thomas, Bonauentura, Henricus, Gandensis, & prælati diuersorum regnorum. Præterea hanc considerationem aduertas. Armacanus postremo coram Vrbano tenuit, post reuocationem enim de palliaco, & se fundat in hoc quod duæ affirmatiuæ simul sunt possibiles. Sequitur maiorem esse fructum ei qui confitetur fratribus, si denuo proprio confiteretur curato. Ideo præcipit papa Martinus. IIII. quod fratres hortentur & mittant eos qui confitentur ad proprios curatos. Et videtur quod sit de peccatis quæ iam confessi fuerunt. Quo enim ad sequentia peccamina (vt videtur) iam omnino facta est admonitio. Sequitur vtilem esse ordinationem dare priuilegia fratribus prædicandi & confessiones audiendi, dummodo certis quibusdam & bonis conseruaretur terminis, rectaque ordinatione, sine alterius præiudicio & sine abusu, quemadmodum supponendum est papam velle & velle debere secundum naturale ius diuinum & scriptum. Nota modum præsentandi fratres, & quales esse debeant, & in quo numero, & quomodo prælatus refutare poterit eum qui videbitur indignus, præsentãdi sunt idonei & in vita probati, discreti, temperati, periti & sapientes. Numerus dicet esse congruus secun-

A dum clericatum & loci populũ, ne videlicet nimis excedat. Nota curatos scire debere nomina taliũ, & scire de quibus absoluunt casibus. Non enim aliam habẽt potestatẽ quam curati nisi aliunde eã obtinuerint. Nota de quinquẽnijs & triennijs vbi seruari debeant vbi non. Hanc autoritatẽ cognoscat facies oculi tui intelligitur facile & conueniẽter de cognitione in curia pœnitentiæ hoc est cõfessionis. Sequitur quãcunque ordinationem fieri non debere quæ retrahat aut fuget siue expellat subditos ab eorũ prælato aut curato, & quin reue-
B rentia eis debita seruetur. Multum enim valet in prælato aliquo aut curato autoritas & reputatio vt prosit subditis suis. Non est solũmodo hic respectus aut profectus pecuniæ, vt imponũt aliqui, sed hoc est quoad profectum & bonum spirituale. Sequitur parochianos nõ bono iure aut æquitate fugere prelatũ eorũ aut curatum, sicut etiam curatus eos dimittere non debet; quod intelligitur de parochianis non habẽtibus causam iustam aut exceptionem cõtra curatũ suum, vt si curatus aliquẽ talium persequeretur ad mortẽ, aut reuelare vellet
C confessionem. In hoc casu petere potest facultatẽ quod si minus dederit, adeat superiorẽ: aut faciat veluti si in casu illo nõ haberet curatum. Sequitur curatum negare posse sacramentum altaris in paschate, aut aliàs alicui suo parochiano qui peccatũ aliquod commisisset publicũ, quod ipsemet confessus non fuisset, aut per suam facultatẽ, nisi ostẽderit testimonium sufficiens se obsolutum esse ab eo qui potestatem habet. Sequitur quod quamuis in casibus peccatorum occultorum atque secre-
D torum curatus sacramẽtum altaris in paschate parochiano suo petenti publicè & instãter denegare non possit, si affirmet se non habere peccatũ quod non sit confessus, attamen eum secretè potest admonere aut apertè quod confiteatur, aut ostendat hunc cui cõfessus est facultatẽ habuisse & potestatem absoluẽdi. Potest etiã curatus facere edictum aut admonitionem generalem, ne vlla ad mensam domini nostri accedat persona, nisi se illi præsentarit aut cõmissis ab illo, vel per suam facultatem. Ad euadẽdas omnes fraudes & ad melius cogno-
E scendum parochiani sui faciem, si in excõmunicatione est secreta vel in odio, aut in aliquo alio impedimento vt nõ recipere possit dominũ nostrũ, secundum textum: Omnis vtriusque sexus. Nota quid curatus facere debeat de casibus reseruatis & excõmunicationibus in paschate, cum pœnitẽtiarius longè ab eo distat. Locus parochialis cõgruus est & ordinarius ad ecclesiastica recipienda sacramenta. Sequitur quod cæteris paribus melius est diebus dominicis & festis præceptis audire missam
F vel sermonẽ aut recipere dominũ nostrũ in parochia propria quã vbicunque alibi præcipuè in locis priuilegiatis, quia est mater quam parochianus filius eius meritò honorare debẽt. Ibi fiunt præcepta, ibi pater suus est spiritualis, ibi porta est qua itur ad Deum. Ideo sunt decreta quæ volũt in vna parochia non recipiendos esse alterius parochiæ extraneos. Et hoc dici debet siue proclamari publicè qualibet die dominica in missa, aut ante. Hic fundatur quod Parisijs & alio magno populo non recipiuntur vlli sine litteris aut sine facultate. Fœminæ à reuelatione aut (vt vulgariter dici solet) à puerperij egressu, aut

mortui ad ſepulturã, quod ob luctum non eſt &c. Sequitur melius eſſe & honeſtius audire confeſ- A ſiones in eccleſia, quam alibi in locis non ſanctis, aut locis ſecretis, vt ſunt cameræ vnde plurima poſſunt oriri mala. Sequitur melius religioſius & magis approbatum eſſe in eccleſijs matrimonia celebrare, quam in domibus. Et ſimiliter celebrare miſſas aut dominum noſtrum recipere. Sequitur quod ſi parochianus aliquis propriam fugiat parochiam, & peccet communicando ab excõmunicato in ſua denunciato parochia aut quod non ſciat futuræ ſeptimanæ ſtatuta & præcepta vt ieiunia vel feſta non excuſatur, quia eſt ignorantia voluntaria. B Curati poſſunt licitè & rationabiliter recipere decimas & ad eorum vti profectum, non cõmittendo ſacrilegium. Et prædicare oppoſitum aut taliter loqui vt retrahantur parochiani ne perſoluant decimas, eſt iniquè prædicare. Sequitur quod dicta autorũ non videantur id velle innuere quod eccleſiaſticus nihil habere debeat præter ſimplicem victum, aut ſimplicem veſtitũ, & omne reſiduum eſſe pauperum ſub pœna committendi ſacrilegium. C Intelligitur enim hoc de eccleſiaſticis, qui paupertatis votum emiſerunt, aut intelligitur de his qui abutũtur bonis quæ ſunt ſpecialiter inſtituta pro eccleſia vel pauperibus. Aliter dicere eſſet reprobare omnium prælatorũ ſtatus. Sequitur quod recipere decimas vel oblationes aut poſſeſſiones pro prælatis aut curatis non diminuit eorum perfectionem. Alioquin religioſus non deberet adipiſci prælaturam aliquam, quia ſine ea eſſet perfectior. Sequitur prælatos, curatos & alios eccleſiaſticos qui reditus habent, proprios facere D poſſe, & facere fructus beneficiorum ſuos eſſe, & de iure ipſorum & non ſolummodo vt ſimplicem eleemoſynam. Hoc enim ius eorum eſt tam per euangelium quam per ius naturale & ſcriptum. Ideo non oportet quod ſi abutãtur in aliquo caſu eos in caſu quolibet ad reſtitutionem teneri, quãuis peccent. Poſſunt etiam facere de proprijs eorũ bonis teſtamentum & eleemoſinam, ſed religioſi prælati excepti ſunt. Nota, conſuetudo dat eis & ſunt capaces, alioquin ita diceretur de papa &c. & rediret error de Padua & ſimilium. E Sequitur quod habere diuitias & bene vti eis, poteſt in multis caſibus maioris eſſe perfectionis, quam nihil habere & mendicare. Nota rationes & quomodo mendicitas generare poteſt ſollicitudines, rapinas, fraudes & alia mala, cum perſona contenta non eſt de eo quod liberè ei confertur, ſed eſt imperfecta more pueri vel incontinentis, aut eſt guloſa, auara vel pompoſa. Nota de paſtillo mendicitatis. Propterea chriſtianus magis eſt F qui renũciauit diuitijs voluntate & affectu, quam alio modo. Nota quod pauperi non creditur in iudicio. Et Ieſus Chriſtus non mendicauit, nec conſuluit alicui vt mendicaret. Nota ſi expediens foret papam & prælatos mendicantes eſſe & adeò pauperes ſicut Ieſus Chriſtus fuit & diſcipuli. Et vnde euenerunt poſſeſſiones? Certè tempore Petri cum pagani conuerterentur, qui prius ſeruiebant idolis vt præsbyteri. Nota de diuitibus in Francia, & deductionem apoſtoli j. ad Chorint. ix. Et ſic fiat finis conformiter ad materiam euangelij.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ. SERMO.



MNE regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Luc. xj. Matt. xij. & Marci iij. Chariſſimi quia beati ſunt qui audiunt verbũ Dei & cuſtodiunt illud ſecundum hodiernum euangelium, rogemus Deum deuote vt eijciat à nobis & à regno ſpirituali animarum noſtrarum malignos ſpiritus, ne ego mutus ſim ad bene loquendum, & vos ſurdi ad debitè audiendum, exemplo dæmoniaci, cuius meminit hodiernum euangelium, qui erat mutus, cæcus & ſurdus. Malignus ſpiritus iſte eijcietur, non quidem per Beelzebub principem dæmoniorum (ſicut probat Chriſtus) ſed per ſpiritumſanctum & vertutẽ eius, & per preces illius glorioſæ virginis quæ portauit & lactauit ſaluatorem noſtrum. Et quæ ob hãc rem hodie fuit dicta beata à bona ancilla ſanctæ Marthæ bonæ hoſpitæ domini noſtri. Beatus inquit venter &c. Hæc virgo ea eſt quæ nunquam in regno ſuo diuiſionem habuit ſenſualitatis contra rationem, quæ ſummè cuſtodiuit verbum Dei, quæ eiecit malignos ſpiritus per ſuam interceſſionem, & reddebat claritatem cęcis, auditum ſurdis, loquęlam mutis. Poſtulemus igitur gratiam ſuam, auxilium ſuum, & benedictionem ſuam, eámque ſalutemus dicentes: Aue Maria gratia, &c.

Omne regnum in ſe diuiſum &c. Inter cætera regna de quibus loquitur ſcriptura, quælibet creatura humana intra ſe habet regnum quoddam ſpirituale. De quo dicit Ieſus Chriſtus. Regnum Dei intra vos eſt. Regnum hoc fuit factum & ordinatum per naturam, diſſipatum & deſtructum per peccatum & forefactum, refectum & reparatum per gratiam & iuriſdictionem. Ibi ſunt tres ſtatus, eccleſiaſticus militaris & ciuilis. Ratio repræſentat ſtatum eccleſiaſticum, libera voluntas militarẽ & dominij, & ſenſualitas ciuilem. Et quomodo fuit factum regnũ hoc per naturam, dicã tibi breuiter. Ratio debuit ſapienter prouidere quod erat faciẽdum tanquam conſiliatrix, & habere in auxilium virtutes intellectuales, ſcientiã, prudentiam. Et libera volũtas credere debebat & audire quod erat conſultum tanquam domina & magiſtra, & habere in auxilium virtutes morales. Sẽſualitas prorſus obedire debebat & exequi tanquam ancilla ſine pigritia, & habere in ſocietate ſua virtutes ſenſitiuas & appetiuas. Tale fuit regnũ hoc in primæua ſua inſtitutione in Adam primo patre noſtro, cum ratio conſulebat ſine errore, volũtas libera credebat & audiebat atque præcipiebat ſine contriſtatione, & ſenſualitas obediebat ſine murmure. Sic quia ratio obediebat Deo, libera volũtas obediebatur rationi, & ſenſualitas liberæ voluntati, & propterea regnũ hoc erat in pace & tranquillitate ſine diuiſione. Erat quoque ſimile ſublimi dignitati & altiſſimæ Trinitati. Quomodo ſimile, ſicut exemplũ aſſimilatur ſuo exemplari, & imago rei quam repræſentat, quia in regno hoc erat poſſe, ſcire & velle. Quod ratio ſciebat, volũtas volebat, & ſenſualitas poterat & exequebatur, ſic erat potentia ſine labore, quoad hoc quod eſt appropriatum patri. Cognitio ſine errore quantum ad id quod eſt appropriatum filio, & voluntas libera ſine

sine languore quãtum ad hoc quod spiritui sancto est appropriatum. Sed heu humani generis inimicus inuidia sua tantum effecit, vt regnum hoc intraret sic per naturam factum & in pace conseruatum per originalem iustitiam. Per peccatum verò mox orta est crudelis diuisio tribus modis, & fuit facta humana creatura similis dæmoniaco, de quo hodiernum loquitur euangelium qui erat surdus, mutus & cæcus secundum euangelium & expositores. Cum ratio discordaret à Deo per peccatum fuit excęcata, factáque ad bene consulendũ muta. Quoniam voluntas obstitit rationi, ipsa facta fuit surda ad bene audiendum & obtemperãdum. Et cum sensualitas discordauit contrariáque fuit voluntati liberæ, fuit facta debilis & imponens ad bene operandũ & exercendũ, ideo in regno hoc erat dolorosa diuisio & miseranda afflictio. Heu videmus quotidie hæc tria certamina, illam desolationem magis quam opus esset. Videmus quod sensualitas & carnalitas quæ deberẽt esse seruæ & subditæ tanquam ancilla, volunt esse dominæ & magistrę per præsumptionem. Et liberum arbitriũ quod esse deberet regina & domina & se gubernare per rationẽ, est subiectum, subditũ & surdum per suum maleficiũ. Ratio quæ esse deberet sapiẽs, stulta effecta est, muta & cæca per ignorantiã. Non igitur mirandum est si regnum hoc quod talem habet diuisionem, vertatur in desolationem. O quam maledicta diuisio, nam sensualitas quæ subdita esse deberet (vt dictum est) cum sentit se magistram, efficitur tam litigiosa & proditoria quod per quinque meatus seu itinera illius regni (hoc est per quinque sensus corporales) adducit portis apertis omnes regni huius aduersarios & hostes, hoc est septem peccata mortalia cum omni eorum comitiua, & cum intrauerint, quantum existimas illic inuenire litem dissensionẽmq;, & quale prælium? Superbia contẽnens clamat se fore magistrã & dominam. Inuidia infelix dicit se dissipaturam omnia. Ira rixosa petit omnia annihilare & destruere. Cupida auaritia dicit omnia sua fore. Pigritia somnolenta ibi habitare quærit. Gula dicit se non recessuram. Et luxuria perditrix quæ percutit & vulnerat inter osculandum, & occidit inter amplexandum, dicit quod regnum hoc prorsus inflãmabit. Hi sunt septem maligni spiritus quorũ meminit hodiernum euãgelium. Sic facta est humana creatura ad similitudinem hodierni dæmoniaci. Nam est surda, cæca & muta, eò quod ratio non nouit rectè loqui, consulere & prouidere, & libera voluntas non debitè nouit audire, credere & præcipere. Et sensualitas tanquam debilis & rebellis non vult obedire & iustè exequi, ideo non est mirum si signum talem habens diuisionem labatur in desolationem.

Diximus qualiter regnũ hoc spirituale humanæ creaturæ factum fuit per naturam, & deinde quomodo infectum fuit & destructum per vitium & forefactũ. Dicamus qualiter ipsum aliquo modo refertum sit & reparatum per iustitiam & iurisdictionem. Ad reparationẽ huius regni necesse est diabolum malum spiritum eijci, alioquin humana creatura semper manebit debilis, cæca, muta, surda, exemplo dæmoniaci. Quare scire velitis vt melius comprehendam totam materiam nostri euangelij secundum imaginationem quam inchoaui.

A Quãdo malignus spiritus intrat regnum spirituale humanæ creaturę per consensum peccati mortalis (hæc enim est porta sua & introitus principalis) facit tria mala præcipuè in hoc regno, reddit creaturam humanam debilem ad bene operãdũ quoad sensualitatem, quæ est ancilla. Mutam ad bene loquendum quoad rationem, quæ est consiliaria. Surdam ad bene audiendum quoad liberam voluntatem, quæ est regina iusto iure. Et quamuis de omnibus his tribus impedimentis tangatur in prima parte euangelij, dicam tamen principaliter de
B primo impedimento secũdum primam partem & de secundo iuxta secundam, & de tertio iuxta tertiam. Dicit euangelium quod eiecit Deus quendã diabolum seu malignum spiritum, qui erat mutus & secundũ alium euangelistam erat etiam cæcus. Et dicunt aliæ glossæ quod erat surdus. Non est intelligendum quod de natura sua esset mutus & surdus, sed faciebat hominem in quo erat mutum, cæcum & surdum. Et cum exisset inimicus dęmoniacus, locutus est. Tunc multitudo populi quæ sequebatur Iesum Christum, multum mirata est.
C Aliqui petebant adhuc alia signa, & alij dicebant quod in virtute Beelzebub principe dæmoniorũ eijceret dæmonia. Super hanc primam partem dicam principaliter de primo maleficio quod infert inimicus sensualitati, quæ est ancilla spiritualis regni humanæ creaturæ. Et hoc videris quoad textum, ipsam reddit debilem & impotentẽ ad bene operandum, nisi eam Deus liberet. Satis iudicare potestis qualia mala patiatur dæmoniacus in corpore suo quãdo inimicus ipsum facit cæcum, surdum & mutum. Sed pro instructione nostra & ad
D melius intelligendum hoc euangelij caput, ad addiscendum aliqualiter secreta Dei iudicia, sumam hic quandam considerationem quæ quatuor cõtinebit partes secundum quatuor causas principales, ob quas Deus summus imperator permittit humanam creaturam fieri dæmoniacam & vexari à maligno spiritu in suo corpore, in sua sensualitate. Sine enim promissione Dei inimicus nihil potest, patet in Iob: & in eius læsione propter correctionem, propter humiliationem, propter pro-
E bationem, propter damnationem. Prima causa ad punitionem peccati & correctionem, sic fuit in sancta Maria Magdalena de qua dicit sanctus Lucas, ipsam habuisse septem dæmonia eam affligentia, quę eiecit Iesus Christus Lu. 5. Et dicũt doctores quod propter peccatum mortale sancta Maria Magdalena ante cõuersionẽ suam erat sic dæmoniaca & visibiliter tormentis affecta vt citius conuerteretur ad bene viuendum, & ad rectè postulandum auxilium Iesu Christi & veniam suorum
F peccaminum, sicut dicit Gregorius, quod mala & tribulationes quæ nos patimur, compellunt nos Deum adire. Habemus etiam quod in primitiua ecclesia hi qui erãt excõmunicati corporaliter affligebantur à diabolo citius conuerterentur. Hoc significant verba beati Pauli cum dicit: Tradidi huiusmodi hominem sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi. 1. Ch. 5. Et hoc patet quod propter magnam misericordiam Dei & per gratiã potest cõtingere vt persona aliqua sit dæmoniaca, quare vt ipsa & alij suo exemplo citius corrigantur & derelinquãt peccata & veniant ad emendationem, si non per

amorem, saltem per timorem & coactionem siue compulsionem. psalm. Multiplicatæ sunt infir. eorũ postea accesserũt. Vlterius patet non debere dicere quod sit bonũ signũ cum modo pauciores sint homines & peccatores dæmoniaci existentes, quam prius tempore Iesu Christi & apostolorum, quare quia minus timent sæpe peccatores manere in peccatis eorum & excõmunicationibus atquẽ extra statum gratiæ cum vidẽt quod nullum malũ temporale accidit eis in corpore eorũ aut sensualitate. Patet vlterius tertiò quod summum consilium alicui dæmoniacæ dandũ & amicis suis est, quod relinquant omnes peccatũ, & ponant se in statum gratiæ per puram confessionẽ & pœnitentiam, quia hoc modo tollet principaliorem occasionem, quæ magis nocet. Vnde Gregorius in collcã. Nulla nocebit aduersitas si nulla dominetur iniquitas. Ante omnia sibi cauere dicet quilibet ne vtatur artibus maledictis & prohibitis coniurationibus & sortilegijs ad expellẽdum diabolum à dæmoniaco, tanto enim peius contingeret ipsi & alijs, & esset citius adducere malignũ spiritũ, quam eijcere seu fugare. Secũda causa est ad humiliandã personam, & eam præseruandã à peccato futuro, vel ad gloriã suam augmẽtandã. Legimus de quodam sancto eremita qui habebat hoc domũ à Deo quod sanabat omnes dæmoniacos qui illi adducebantur. Inde cõtigit quod valde grauiter tentatus fuit de peccato vanę gloriæ, quia vniuersus mundus eũ adorabat, cum vidit se aliter tentationẽ illã vanę gloriæ bene se superare non posse, conuertit se ad Deũ, & per deuotã orationẽ rogauit vt fieret dæmoniacus in eum modũ quo erant isti quos sanabat, sicut rogauit, sic factũ fuit. Sãctus ille homo qui erat tam studiosus & honoratus per voluntatẽ Dei ad precem suam fuit afflictus ab inimico per tempus trimestre, & hoc patiebatur quod alij, post trimestre liberatus fuit à dolorosa illa tribulatione, & quod ei amabilius erat, etiam liberatus ab omni vana gloria & præsumptione. Et hic patet qualiter mundani deficiunt sæpe iudicando de extraneis tribulationibus quæ contingũt humanę creaturæ, dicẽdo quod sunt propter peccata eius. Nam interdum hæc esse possunt ad magnũ bonũ sustinentium, & ad virtutem vel ad seruandos eos & etiam alios futuro tempore à peccatis. Certum est cõducibile esse alicui creaturæ ipsam effici surdam aut mutam pro certo tempore, ad euitanda magna peccata quę faceret forsitam loquẽdo vel audiẽdo peruersè. Ideo solet dici tanquã irrisoriè non esse miraculum vt quis faciat loqui mulierẽ, sed est miraculum si quis faciet eam tacere, quia mulieres nimis inclinatę sunt ad loquendum & sæpe peccant. Ornamentum mulieris castitas & silentium, dicit sanctus Paulus quod sathanas colaphizabat & ęstimabat eũ, vt permaneret semper in humilitate. Pariformiter Deus mittit multis per medium hominum aut malorum spirituum tribulationem vel dolorẽ in sensualitate, vt semper seruentur in humilitate, vel propter virtutum incrementum. Hoc apparuit in Iob qui fuit afflictus à dæmonę in corpore & bonis. Et ideo non debet murmurare persona contra Deum, aut cõtra eius iudicia. Patiatur ergo vt affligatur & non cito perueniat ad sanitatem. Tertia causa est ad probandũ amorem qui est inter Deum & humanã creaturam per talem aduersitatem. Nam secũdum commune prouerbium: In necessitate probatur amicus.

A In illa necessitate videtur amor Dei gloria sua & potestas quando sic confert sanitatem queadmodum audiuistis quod per miraculum quod fecit Iesus Christus sanando hunc dæmoniacum, apostolus laudabat Deum. Et multos similes casus habetis in euangelio. Habetis de illo qui erat natus cæcus, de filia Chananæa quæ erat dæmoniaca, & sanata est. Et breuiter dicendo Christus Iesus cõfirmauit legem suam & doctrinam talibus miraculis & multi per ea conuersi sunt, licet nõnulli inde

B peiores effecti sunt, sicut habetis in sequentibus, quod reprobabant miracula Christi Iesu nimis leuiter. Et de illis qui ob curiositatem & vanitatem adhuc alia petebãt miracula. Sic faciũt aliqui quibus non sufficiunt miracula quæ Deus & sancti sui elapso tempore fecerunt, sed semper noua petunt & dicunt. Quare Deus non facit miracula vt solebat? Est hæc periculosissima tentatio, prӕsertim in hominibus deuotis, & per eam multi decepti sũt, qui volebant habere reuelationes aut visiones. Et

C signum non esse ibi firmam fidem in Deum, nec velle eos credere in eum sine nouo vadio. Sic non fecit sanctus eremita, qui clausit oculos quando inimicus apparuit ei in figura Iesu Christi, & dixit se non esse dignum videre Iesum Christum in hoc mundo. Quarta causa ob quam Deus patitur vel ordinat aliquam personam esse dæmoniacam, est ob damnationem suã, vel ad eam sine remissione puniendã. Multi fuerunt tyranni qui mortui sunt dæmoniaci, vt inciperent infernum eorum in hoc

D mundo & continuarent in alio. Et ad dandum exemplum duræ vindictæ de alijs malis, & consolationem bonis, & sic videtis qualiter diuersa & admirãda sunt Dei iudicia, quod nos clare scire & certitudinaliter non possumus quãdo persona est dæmoniaca propter bonum suum, vel propter malum. Finaliter non est melius remedium & consilium, quam semper se coram Deo humiliare & se custodire in bona consciẽtia in omnibus aduersitatibus, siue accidãt de nobis siue de bonis nostris,

E permittit enim Deus interdum propter vnam supradictarum causarũ, vt maleficium hoc cõtingat, non modo nobis, sed etiam bestijs nostris. Habemus in multis exemplis quod propter peccatum patrum & matrũ Deus puniuit filios tẽporaliter, vel vt essent dęmoniaci, vel vt alias haberẽt aduersitates, & aliquãdo sic est de bestijs. Verũ est quod quoad æternam pęnam filius non punietur pro patre, nec pater pro filio, nisi vterque esset cõsentiens peccatis eorũ. Et in hoc finio primã partem principalẽ sermonis nostri & euãgelij vbi dicebã,

F quod malignus spiritus immittit sensualitati quæ est ancilla in regno spirituali animæ debilitatẽ ad bene operandum, quia facit eam cæcam, mutam vel surdam quemadmodum audistis, & sic sæpe in regno animæ est diuisio & miseranda desolatio, nisi Iesus Christus succurrat. Secunda pars. Dico secundò quod malignus spiritus facit humanam creaturam mutã ad bene loquendũ, vel cæcam ad rectè iudicandũ & consulendũ, & hoc est quoad rationem quæ debet esse consiliaria in regno spirituali animæ. Hoc patet per figuram in hodierno dæmoniaco, habemus quod pharisæi erant pleni inuidia per malignum spiritũ qui eos tenebat, nec

bene

bene poterát loqui, nec iudicare de miraculis domini nostri, sed dicebant quod in virtute Beelzebub principis dæmoniorum, Iesus Christus eijciebat dæmonia alia, & scire velitis Iesum Christum respondere in secunda parte euãgelij huius, quod Pharisæi improperabant, & falsè impingebant ei, per multas rationes, quas possum cõprehẽdere in quatuor cõsiderationibus aut veritatibus, propter eorum confœderationem malam, propter eorum inobedientiam, propter eorum maleuolentiam.

Prima consideratio. Propter eorum malam confœderationẽ super verba quę sũpsi pro themate. scilicet quod *omne regnũ in se diuisũ citò desolabitur.* B Et dicit dominus noster hoc non modo de regno tẽporali, sed generaliter de omni cõmunitate aut cõgregatione, sicut illa quę est inter virũ, vxorem, & filios, & in ciuitate inter ciues. Ideo dicit, Et domus quæ diuisa est, non stabit &c. Dicit historicus quidam, dictus Salustius, & experientia hoc declarat, quod *concordia paruæ res crescunt, discordia verò maximæ dilabuntur.* Profectò non est domus vel familia tam magna & tam diues, quin si diuisio eam inuaserit, & maleficia sua in ea cõtinuent, C quin citò dissipetur & perdatur. Per hanc veritatem Christus Iesus probat regnum inimicorum (quod ordinatione Dei durare debet vsque ad finem mundi, ad probationem bonorum, & perditionem peruersorum) citò desineret esse, si vnus esset cõtrarius alteri, & sic probat vnũ non expellere alterum, nec ei facere impedimentum, cum vult humanæ creaturæ nocere, alioquin inimici non possent venire ad nocendum humanæ naturæ secundum quod eorum desiderat peruersitas. D

Secunda consideratio quam dat Iesus Christus est super illud, *Cum fortis armatus, &c.* Spiritus malus cum occupat & affligit humanã naturam, non potest eijci nisi per fortiorem eo, & per hoc probat quod si eijciebat dæmonia, hoc esse à virtute maioris potestatis, quàm ipsi dæmones habeant, hoc est à virtute spiritussancti, qui dicitur *digitus Dei*, & non in potestate alicuius ipsorum dæmonum. Et hîc clarè conuincitur error quorũdam sortilegorum & sortilegarum, qui existimant per verba extranea, aut per figuras eijcere E malignos spiritus, vel compellere eos vt obediant ipsis: & vidistis in hoc loco paulò antè graue iudicium. Non potest, nisi per miraculum & speciale Dei auxilium, maligni spiritus impediri conatus: & ideo interrogat Iesus Christus, in qua virtute filij Iudæorum (ipsi apostoli, qui habebãt potestatem super dæmonia, vel aliqui alij, qui habebant illam virtutem à Deo) interdum eijcerent dæmonia. Propter hanc etiam causam, concludit Iesus Christus, quod si Iudæi crederent quod in F virtute spiritussancti eijciunt inimicos, habent regnum Dei intra se; hoc est veram cognitionem, vel si non credunt, vindicta Dei cadet super eos. Propter Deum charissimi, tollite omnes stultas credulitates, & ponite omnem spem vestram in domini nostri auxilium.

Tertia consideratio, si malignus spiritus Beelzebub obedit mihi, qui sum contrarius ei, oportet vt ipse sibi sit contrarius, & socijs suis, quia *qui non est mecum, &c.* In via Dei non decet natare inter duas aquas, oportet hominem aliquem esse pro Deo vel pro diabolo, & quia Iesus Christus non erat pro diabolo, sed eũ culpabat in singulis prædicationibus suis, dicere oportebat quod esset cõtrarius ei, & sic Beelzebub ei obedire nõ poterat. Et est hic principalis ratio, quia falsi idololatræ & mendaces volunt dicere se eijcere diabolos, sed hoc non est per timorem, immo ipsis consentiunt inimici ad præcipiendos eos, & vt sint adorati & honorati ab eis.

Quarta consideratio, quod maligni spiritus non eijciunt alios ex eorum locis, sed toto posse suo, eos ducunt, & ibi persistere si possunt adiuuant; ideo dicit, *Cum immundus spiritus exierit, vadit per loca arida*, & sine aqua carnalitatis. Hæc conclusio admodum pulchrè applicari posset cõtra illos, qui per vnũ vitiũ opinãtur eijcere aliud; sicut per superbiã; vel luxuriam vel odiũ & improperium, credunt emendare aliquã personã. Cõtra eos qui non diligenter abstinent à peccatis post pascha vel confessionem. Existimare eijcere odiũ vicini mei per odiũ vel correctionem alterius, & facio eũ peiorẽ osorẽ: & effugere gulã labendo in phrenesim, sicut is qui existimat corrigere vxorẽ suã & ipsã interimit. Per has tres considerationes, patet pharisæos habuisse consiliariam animę id est rationẽ valde excæcatã & mutã ad bene loquendum. Cauete eos imitari, fugite peccatum quod excæcat rationem, *excæcauit eos malicia eorum, &c.* Alioquin, regnum vestrum haberet confusionem & esset in desolatione. Tertiò dico, quod malignus spiritus, reddit liberam voluntatẽ surdam in bene audiendum hoc quod ratio consulit: ideo in tertia parte euangelij cõmendat dominus noster eos qui audiunt verbũ Dei & custodiunt illud: Sic dicit textus, cum sic loqueretur Iesus Christus & redargueret pharisæos qui in eis rationẽ habebant excæcatam & mutam ad bene loquendũ. *Mulier quædam extollens vocem suam de turba, dixit ad Iesum, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti:* Et fœmina illa secundum sanctum Ambrosium dicta fuit Marcella, erátque ancilla sanctæ Marthæ. Et facile credi potest sanctam Martham fuisse in turba, quæ sequebatur Iesum Christum tũc, aut ad eũ sustẽtãdũ bonis suis, vel ad audiẽdũ doctrinam eius, aut ratione sanitatis suæ, quam recepit, quæ fuit secundũ Ambrosiũ mulier hæmorroissa, quæ curata est à fluxu. Et notant hic aliqui doctores, qualiter simplices mulieres interdũ maiorem habẽt deuotionem & magis inflammatam & audacem, quam magni diuites aut docti. Sãcta enim Marcella, excelsè laudabat Iesum Christum quando pharisæi ipsum culpabant; etiam habetis alibi tẽpore suæ benedictæ passionis. Notãt etiam glossæ, quod sancta Marcella habuit verã fidẽ de vera humanitate Iesu Christi per hoc quod dixit quod venter matris suæ portasset eum, & vbera suxisset: & hic cõmẽdatur domina nostra, de vera maternitate & de diligentia. Tunc Iesus Christus confirmãdo quod fœmina illa dicebat, docuit adhuc aliam quandam doctrinã, quæ magis faciebat ad laudem dominæ nostræ, quam quod esset mater carnalis Iesu Christi: Et *beati sunt*, inquit Iesus Christus, *qui audiunt verbum Dei, & custodiũt illud.* Et hanc benedictionem habuit domina nostra excellenter, quia per gratiam & fidem, ipsa fuit mater Iesu Christi, dignius seruãdo suã doctrinam, quàm si fuisset mater eius carnalis duntaxat, nõ seruando

eius doctrinam. Hic videtis quod magnū malum spirituali regno animæ adducit malignus spiritus, A cum facit liberam voluntatem surdā, ne bene possit audire, quia tollit illam benedictionem de qua dicit Iesus Christus. *Beati qui audiunt verbum Dei, &c.* Et hoc impedimentum facit, aut obstruendo spirituales aures terra cupiditatis aut luto, vel immundicia luxuriȩ, vel fumo & ventis vanæ gloriȩ, aut per ablationem vndecunque virtutis auditiuæ per obstinationem, & cordis obdurationem, quēadmodū fuit in Pharaone. Et sicut illi qui illudunt & irrident verbum Dei, aut mordent ipsum, vel prosternunt ipsum pedibus sicut canes & porci, B & talibus prædicandum non essent si cognoscerentur, quia efficerentur peiores, sicut Iudæi, & aspis, & febricitans, &c. Alij sunt qui habent aures quæ sunt perforatæ & nihil retinent, vel duntaxat malum retinent. Exemplum de panno per quem colatur lac, qui solum retinet parua ligna & immundicias; vel conuertunt in amaritudinem omne quod retinent, sicut vasa acetosa.

Qui vellet hic dicere prolixius, quare isti sunt beati qui audiunt verbum Dei, capere posset quatuor cōsiderationes, secundum tres virtutes quas C facit verbum Dei; verbum Dei dat viuificationem, fortificationem, consolationem. *Venit hora & nūc est quando mortui audient, &c.* Ioan. 5. *Mundi estote,* super sermonē Ioan. 5. Historia pro primo de quodam qui volebat audire verbū, & fuit saluatus per illum, qui dixit sibi vt cogitaret de sero, quem lectum haberent peccatores: De secundo, de quodā eremita qui conquerebatur quod non satis retinebat verbum, & est per duo vasa quomodo vnū erat mundius eo per quod continuè lauabatur, li- D cet &c. De tertio fugat dæmones, &c. si intelligitur & vocat angelos. De quarto est verbum sicut comes facundus in via pro vehiculo, habetur cōtra illos qui audiunt libenter fabulas & colloquia praua quȩ corrumpunt, & nolunt discere bene viuere cum possint. Charissimi, audiuimus quoniam malignus spiritus ponit diuisionem in spirituali regno animæ, quando ipsum inuadit & reddit rationem cȩcam, & mutam, ad bene consulendū; liberā voluntatem seu arbitrium liberum surdum ad be- E ne audiendum, sensualitatē surdam aut potius debilem ad rectè aut debitè operandum. Imo necessarium est eijcere talem spiritum peruersum, sed quomodo eijcietur? Respondeo quod per aquam benedictam lachrymarum contritionis, per verba exorcismi cōfessionis, per orationem, ieiunium & eleemosynā satisfactionis. Sic Pharao ibi submergitur, sic lupus capiendus per clamorem, famē, & lapidē. Poteris interrogare si necessariò flere oporteat, & qualis dolor requiritur ad eijciendū pecca- F tū mortale? Respōdeo, sufficit te habere displicētiam & propositum non recidiuandi, quo ad peccatū & quoad pœnam inferni, sed quoad tēporalitatē, opus est dolore in sensualitate. Itē quæres, an oporteat quod certò credam nūquam me peccaturum vsque ad mortem? Dico quod nō, sed propositū sufficit. Sed dices mihi, quomodo, displicebit ne mihi habuisse filios ex fornicatione? Dico tibi quod sufficit peccatū displicere. Circa cōfessionem quæritur, si omnia oportet dicere, secundò quæ diligentia sufficit & requiritur; tertiò qualiter confessor plus appreciatur confitentem propter fidelitatem, bonitatem, & obedientiā: Nota historiam circa satisfactionem, si primò primùm debita dare debet: Secundò si odium impedit: Tertiò si restitutio sit necessaria: & quomodo ista poterunt dilatari.

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ. Misereor turbæ. Matth. 15.

HABEO hæc de turba compassionem propter famem eius, & affectionem. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus*, post nunc scilicet laborem, In domum domini nostri tēdere debemus in hac mortali peregrinatione quæ figuratur nobis per hāc quadragesimam. Non habemus hic manētem ciuitatem, &c. Opus igitur est nobis sustētatione tam corporali quam spirituali. Et quis eam dabit? Conuertamus oculos nostros ad hodiernum euāgelium, quod dicit Iesum Christum satiasse quinq; millia hominū, exceptis mulieribus & pueris, ex quinq; panibus hordeaceis, postquā dedisset eis bonȩ doctrinȩ refectionem. Audi bonum amorē saluatoris nostri Iesu Christi, pietatem eius, dulcedinem, & benignitatem. Cogitate si domina nostra ad verbum hoc non fuerit cōmota ad misericordiā, certè sic. Te ergo rogamus mater misericordiæ, misericordiam habe de populo hoc in deserto isto, in hoc fine, in his tribus partibus pœnitentiȩ, contritione, cōfessione, & satisfactione, vt post grandem illum laborem, perueniamus ad dominum nostrum, sicut cantatur in versu introitus, in matre nostra sancta ecclesia. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, &c.* Conuerte oculos misericordiæ ad nos, inclina conspectum filij tui super afflictionem nostram. Nos sumus populus suus in Ægypto, quem Pharao affligit in paleis vanæ gloriæ, in luto carnalitatis, in captiuitate, & duricia cordis, audi clamorem nostrum. *Misereor turbæ, &c.* Vbi sunt hi qui diuinam negant prouidentiam, & fabricant tanquam deam naturam, & asserentes quod aliter res euenire non possit, veniant & respiciant Iesum Christum fecisse miraculum hoc contra naturæ cursum, dando corporalem refectionem, & ad ostendendum hoc quod prædicabat verum esse quando dixit: *Primū quærite regnum Dei & iustitiam eius, & omnia alia adijcientur vobis*: Vbi erant panes ad populum illum satiandum? Vbi sunt illi qui dicunt, permittamus facere naturam? Ponamus ergo fiduciam nostram in talem dominū, potentem, scientem, & beneuolentem, tam in corporalibus bonis, quàm in spiritualibus. Dicūt nonnulli, quare ergo modo non facit miracula, si ea viderem, ego crederem? Respōsio, aut credis ipsum posse & scire, & sic nō est tibi necessariū videre miracula; aut non credis post tanta testimonia, & sic etiā nec si ea videres, crederes, sicut dictum fuit diuiti, *Neque si quis ex mortuis resurrexit credent*. Lu. 16. Etiam tu es indignus. Nota de Iuda, & Pharaone, compluribúsque alijs in morte. Nota de puero seducto, qui clamabat, &c. Alij dicunt, quare magis illis? Responsio, propter voluntatem suam, & ipsum finem ae vtilitatem quam nouit facere. Si Deus quotidie faceret miracula, non reputarentur magni ponderis. Alij dicunt, quare non citò? cum expectauerit

uerit quoadusque essent inquiete, in signum quod Deus nos potest pascere supposito quod Deus velit nos obseruare festa, vult Deus vt speremus in eum, quod post hunc dolorem requiem habeamus & dulcedinem. Tollamus errores quod fortuna gubernet aut natura &c. quæ res sunt &c. Tres malæ fames in generali gloriæ & potestatis, scientiæ & cognitionis, delectationis & voluptatis. Notate quinque malas fames ad descendendum ad moralem sensum. Fames vanæ gloriæ aut dominationis, per quam personam se inflare vult vento. Exemplo de dracone. Exemplum de lucifero, & deinde de tyrannis, exemplum de Thesiphone pleno diuitiarum & possessionum. Tales se volunt implere terra sicut serpens & lupus, sicut Midas volebat omnia esse aurum. Item de Tanthalo. Item de Phinees. Item de abysso marinam aquam recipiente & reddente, deinde iterum glutiente. Fames scientiæ & cognitionis. Exemplum de Æua & Adam. Item de magicis qui per malas artes comedunt diabolum. Item mala curiositas in quinque sensibus. Nota de cane qui volebat arripere vmbram ossis eius, & alter arripere vmbram pomorum & alter comedebat, somniando. Nota de coruo & coruicula quæ ob hoc dicuntur à poëtis nudæ &c. fames corporalis requiei per delectationem. Exemplum de deliciosis qui propter hoc se vertunt huc & illuc, sicut ille qui patitur febres, tales ob rabiem famis seipsos comedunt. Etiam dicit hoc sapiens de peccatoribus comedentibus filios eorum propter peccatorum & assantes eos. Exemplum in Hierusalem. Nota etiam ad literam de bestijs & canibus sordidis. Fames quietis spiritualis immundarum tentationum. Fames inhonestior & periculosior, quia ad satiandum illam famem accidit interdum malos humores inflare. Vnde eueniunt istæ fames? ob peccati infirmitatem quæ spiritualem legum corrumpit. Nos viuere debemus gloria & diuitijs diuinæ potestatis veritatis, sapientiæ, pacis, & diuinæ beneuolentiæ. Nos obliti fuimus, immo refutauimus illos panes, & lapsi sumus desiderando alios tanquam in vmbra & in somno & in pictura & magna infirmitate. Voluit ergo Deus ordinare panem doloris sicut nutrix rem aliquam amaram circumponit mammis suis vt abstrahat à dulcedine, sicut medicus apponit rem acrem ad reddendum gustum, vt afflictio retrahat se & suos liberos de mala esca. Homo cum in honore esset, non intellexit &c. Capta & intoxicata est hominis sensualitas. Nota de illa quæ fuit nutrita veneno.

Ordinauit enim Deus quinque panes hordeaceos & doloris vt tolleret quinque dictas rabies famis, quia fastidiunt panem angelorum, datus est panis doloris, panis famis & mortalitatis, hic panis est plenus cineribus & lapillis per memoriam mortis & curas graues. Cinerem tanquam panem manducabam, Dauid, panis ille tollit famem gloriæ &c. Nota qualem famem adducat status ambitiosus. Tanquam abissus vel lupus rapax videtur &c. nihil est quod hanc satiare possit famem, quia ea afficitur comedit in somno & arripit ventum. Panis miseriæ & paupertatis hanc tollit famem, sicut aqua extinguit, ignem & tanquam ablatio lignorum ipsum ignem cessare facit. Panis deuotæ simplicitatis, panis hic nihil scire desiderat nisi Deum. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, non dubitaui nescire &c. Panis corporalis infirmitatis, panis hic tollit famem delectationis luxuriosæ, quæ delectatio facit per rabiem comedere delectationes immundiores fimo. Malicia vnius horæ &c. Notate de puero luxurioso qui voluit implere ventrem suum cibo porcorum. Panis spiritualis frugalitatis Daniel & socij eius. Panis tentationis quo saturabitur vir sobrius. Dicunt hic aliqui quod defendant Deum in illa tentatione. Responsio, potius offenderent eum per superbam tentationem & confidentiam & iudicia alterius. Et capient hic mercedem eorum, dicunt alij, bene vterer illis bonis. Responsio: experientia ostendit contrarium in Salomone & alijs. Militia est vita hominis super terram & homo nascitur ad laborem. In sudore vultus tui &c. Nota quomodo in principio est afflictio & amaritudo colligere illos panes, deinde cessat dolor & sequitur consolatio magna, deinde sumuntur cum gaudio & delectatione secundum tres status incipientium, proficientium & perfectorum. In ista spe comedere debemus illos quinque panes cum duobus piscibus, qui sunt propria emendatio aut aleuiatio, spes salutis ad dicendum verba proposita. In domum domini ibimus. Notate de illis qui volunt comedere illos pisces sine panibus, alij masticant eos per cogitationem, sed non deglutiunt ipsos per executionem, nec possunt quicquam deglutire de cauda. i. de fine non habentes perseuerantiam. Notate de animali parietes inhabitante, & de formica.

Loquamur de duodecim cophinis, & de his quæ super fuerunt, & dicamus quod hæc sunt duodecim considerationes captæ de panibus laboris ad nos pascendos cum opus est, ad patientiam nutriendam quatuor cogitãdo propter quid veniunt, quatuor inspiciendo quibus veniunt, veniunt per Deum, per suam potentiam & ordinationem secundum Deum, per suam sapientiam, & à Deo, per benignitatem, cum veniant à Deo rationabile est vt boni sint recipi, & bonũ est eos recipere, quia ipse est dominus noster, ideo voluntati eius obedire debemus. Notate de milite viarum, ipse est magister noster, ideo recipere debemus disciplinam. Notate de puero qui nescit quare verberatur, alij rident. Ipse est pater noster, non dabit nobis lapidem pro pane. Exemplum de bono filio & malo in euangelio. Ipse est amicus noster qui nos non decipiet. Nota responsionem Platonis pro Xenocrate. Nota aliquos velle recipere illum panem Dei, & non per discipulos eius vel nuncios vel ministros, sicut sunt illi qui non habent patientiam cum malum accidit eis ab hominibus qualiter Deus scire debet omnia quæ fiunt in mundo. Nota de Ioseph & de Susanna vt melius deberent, & de martyribus ad paradisum adipiscendum. Reijcite hos errores quod. sc. panis ille à fortuna veniat, aut natura vel fato. Et si dicas: Deus sic res &c. Responsio: proprietas Dei est habere misericordiam, cum panis adueniat, hoc est ad exemplum suum & illis qui ipsum amant. Nullus enim vnquam dilexit eum quin hoc pane nutriret ipsum. Nos ipsum

recipere debemus ob quatuor rationes, qui enim esse vult socius consolationis, socius esse debet & tribulationis. Nota de milite percutiente socium suum. Recepisti bona in vita tua. Nota de Baruth qui dixit Hieremiæ, multa sibi ferenda esse. Nota de Moyse & Hieremia alijsque qui volebant pati cum bonis contra eos qui se reputant iustos & iniustè afflictos. Notate quod peccatur in societate per non reprehensionem &c. Membra non magis priuilegiata esse debent quam caput. Notate de Iesu Christo qui ait: Si est dolor similis sicut dolor meus. Notate de non habendo gaudium in morte amici sui, maleficium sine correctione esse non debet. Iustitia enim id requirit peccatum omnium rerum ordinem peruertit qui reparari debet. Virtus adhùc est difficilis & humilitas in deiectione, patientia in afflictione. Continentia in tentatione. Virtus in infirmitate perficitur, cum panis ducat ad Deum vt ad finem, quatuor rationes faciunt ipsum recipiendum esse. Perdenda enim est faba vt habeatur regnum momentaneum &c. Non sunt condignæ passiones huius temporis &c. Recipere vnum ictum virgæ ad mortem perpetuam euadendam. Notate sanctum Bernardum & sanctum Augustinum. Hic vre, hic seca vt in æternum parcas. Refutate capere regnum suum pro nihilo hic, sed expectare &c. Notate de guloso. Notate de cane qui refutabat panem; non refutare præparatorium nuptiarum paradisi, non facere vigiliam ante festum. Notate quod mali & quare non habent securitatem in tribulatione, immo refutant eam per impatientiam.

Sermo hic proximè præcedens abruptus est & intricatus, quoniam Gallica lingua vnde est traductus, mendosa & absque serie scripta fuit. Colligat sedulus lector sua perspicaci industria quantum possit. Est aliquo prodire tenus si non datur vltra. Si non integros panes aut maiora fragmenta doctrinæ Gersonis possumus asportare. Simus oro, micis contenti, quæ & ipse quidem digna sunt vt colligantur.

SERMO DE CÆCO NATO.

A
Tu discipulus eius sis. Ioan. 9. Hæc verba originaliter scripta sunt. Desidero ac opto cũ sancto Augustino super hoc verbo quod Iudæorũ maledictio qua cæcum de quo hodiernum loquitur euangelium affecerunt, super nos omnes veniat. Et quæ est illa maledictio? Est verbum propositum. Tu discipulus sis Iesu Christi. Nulla est benedictio desiderabilior hac maledictione vellem libenter de benedicta hac maledictione dicere, modo aliud audire non deberem à Iudæis opprobrium cum dicebãt: Tu in peccatis natus es totus, & tu nos doces. Item illud, quare tu enarras iustitias meas &c. Tu virgo audisti disciplinam. Verum quia euangelium hodiernum de veritate constanter prædicanda & etiam spes quam in bonum magistrum Iesum Christum habeo, mihi audaciam dedit veritatem dicendi. Per quam illi aliqualiter placuit plus quam merui illuminare cæcos oculos intellectus mei in schola sua theologica sancta & sacrata ad gloriam suam, non ad meam. Id dicere possum nihilominus tamen scio nullum doctorem plus proficere quam hunc qui in cælis est, immo prorsus nullus proficit si ipse audientium non tangat intellectum, & aperiat sensum vt ipsi intelligant scripturas, qui doctor est spiritussanctus. Orabo ergo gloriosam magistram nostram, & nos omnes pariter faciamus vt nobis à charo suo filio huius doctrinæ diuinæ impetret virtutem vt det voci suæ vocem virtutis, vt ædificemur & moneamur boni sui esse discipuli, obedientes & humiles. Ideo

B
te salutabimus benedicta magistra plena sapientiæ & doctrinæ, rememorando eam salutationem quam tibi annunciauit angelus. Aue gratia plena, &c.

Tu discipulus eius sis. Scriptum est vbi supra. Priusquam descendam ad dicendum de euangelio, considero (pro nostri sermonis fundamento) quod summus magister qui docet discipulorum suorum corda in huius mundi schola cathedram suam (vt dicit sanctus Augustinus) tenet in cælo. In cælo cathedram tenet qui corda docet. Sum-

C
m⁹ hic magister qui docet est saluator noster Iesus Christus, quamuis vnicuique humanæ creaturæ sub magistrum dederit monitorem specialem, qui doceat & audiat proprios discipulos, qui sunt multi, sed eos ad senarium numerum reducere possum, videlicet quinque sensus corporales, oculum, aurem, os, nasum, tactum & cor, quod est intra. Hi sex discipuli sunt plerúmque in vnaquaque persona integri & bene ordinati, qui in schola animæ doceri debent à submagistro per

D
magnum magistrum Iesum Christum commisso, quem nomino clericum & subtilem intellectum, qui pro societate sua habet rationem sapientem, & eorum filia est conscientia ad docẽdum supradictos sex discipulos, & corrigendum per virgam disciplinæ, vt secundum thema nostrum discipuli sint Iesu Christi, scire debetis, vt dicit scriptura Genes. 8. (Et videmus hoc quolibet die in libro christianitatis) hos sex discipulos ab infantia eorũ inclinatos esse ad malum. Sensus hominis & cogitatio ab adolescẽtia prona est malum, sunt enim

E
stolidi nil valentes, ignorantes, rebelles & malè edocti propter originale peccatum & malam doctrinam quam primi parentes nostri Adam & Æua receperunt per deceptorem inimicum patrẽ mendacij & totius iniquitatis magistrum. Opus est ergo virga disciplinæ quæ doceat & castiget sex hos discipulos, vt eorum auferatur ignorantia & stulticia. Sic præcepit sapiens: Stulticia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ effugabit illam. Aliter enim non posset Iesu Chri-

F
sti esse discipulus, conuenit quod submagister ille Iesu Christi & eius socius pulcher, videlicet clericus subtilis intellectus, ac ratio sapiens edoceat hos sex discipulos veram doctrinam & bonos mores. Oculum. sc. ad benè videndum sine dissolutione. Aurem ad bene audiendum sine detractione. Os ad bene loquendum sine mendacio, & bene gustandum sine excessiua repletione. Nasum ad bene odorandum absque hoc vt forefaciat. Tactum ad bene laborandum sine pigritia, sine turpitudine & immundicia. Cor ad bene cogitandum sine damnabili cura, & hoc pacto discipuli fient Iesu Christi.

Sed

Sed heu ô deuota creatura dic qualibet in te & alio sētire potes quale periculū, qualis pœna, qualis labor sit bene custodire & solummodo edocere illos sex discipulos. Dicit Seneca & etiam poëta Horatius quod imperare sibi est magnū imperiū, bene gubernare hos tres discipulos, est magnū imperium, magnum regnum, admirādum dominium, & magistrum sublimius quam totum vnū gubernare regnum hominū. Nam melior est sapiens viro forti &c. Qui cor nō bene gubernat, quod est antiquior & principalis huius scholæ animæ discipulus. Audi quid ei accidat. Certè fatuus efficitur & vagus, circundatur malis cogitationibus & vitiosa affectione quibus consentit, & sic falsè associatur societati & rotæ maledictę peccati. Ipsam sequitur toto posse suo, & est discipulina antichristi. Quinque alij discipuli admodum malè se habent, oculus superbus efficitur inuidus, auarus, vagus & dissolutus. Auris cupida efficitur audiendi noua, fabulas & detractiones. Os est discipulus gulosus & delicatus, loquax, maledicens, iniurias, opprobrijs sine mensura afficiens. Nasus discipulus est paruæ vtilitatis, attamen malus est, modo suo & iuxta posse suum. O quid de tactu dicemus? Nullus est hominum qui huius discipuli aut scholastici recensere posset maliciam, si non verè semper verberetur virga disciplinę, est piger, succinctus stulta otiositate, efficitur immundus, fœtidus, immodestus, & per luxuriam atque carnalitatē corruptus, est adeò peruersæ naturę quod quanto eum plus nutrieris, tanto minus faciet & minus valebit. Est naturæ asininæ, verberari vult, fame affici vult, alioquin in schola sua se vastabit nec obediet magistro nec magistræ, nec discipulus fiet Iesu Christi, verum potius discipulus antichristi. Et erit discipulus supra magistrum.

Considerate ego ô deuote popule christiane difficilem scholam datam esse & commissam ad gubernandum intellectui tuo & rationi vt magistro ac magistræ sub Iesu Christo. Bene tibi potest dici quod scribitur in quodam poëta comico Terentio fere ad hoc propositum. Durā prouinciam accepisti. Duram habes prouinciam & difficilem scholam gubernandi. Legimus de sancto quodam martyre qui Cassianus nominatur, cuius vitam scripsit Prudentius poëta christianus & elegantissimus (qui pueris legi debet potius quam gētiles poëtæ, pręsertim lasciui & impudici) quod Cassianus iste tempore tyrānorū persequentium sanctā ecclesiam, christianus erat & tenebat scholasticum ludum. Accusatus fuit quod esset christianus & condēnatus ad mortem nisi christianā negaret fidem. Hoc facere noluit, & ideo breuiter discipulis suis vt eum occiderēt traditus fuit. Tūc ecce quo pacto vnusquisque discipulus & paruus eum feriebat & verberabat. Vnus quidem cultellulo suo, alius tabella, alius virgis, alius libro suo pugno suo, alius vngulis suis. Ideo percipere potestis eum graui martyrio vitam finijsse. Adduco vobis hic exemplum, bene enim considerando sępenumero sic, est in schola, de qua loquimur, in schola personali humanæ creaturæ. Nam sex præfati discipuli persequuntur sæpius proprium eorum magistrum & magistram intellectum videlicet & rationem. Et finaliter eos ad perpetuam tradent mortem, nisi sibi cauerint & omnem nisum & conatum posuerint vt eos bene castigent, A malam eorum conditionem & inclinationem reprimat virga disciplinę. Non decet intellectum tuū & rationem facere more fatui magistri aut magistræ, qui fatuitates suas cum discipulis exercent, non eos castigando, vnde tandem fallūtur quantumcunque id fuerit tardè factum. Sicut habetis historiam de Heli qui non castigabat suos filios. Recitatur de quodam magistro, qui non castigabat discipulum suum, ex quo effectus est fur & homicida atque ad suspendium condemnatus. Discipulus hic magistrum suum vidit in via quem rogauit vt ipsum oscularetur, cuius nasum morsu B absumpsit, dicens quod per eum & suam negligentiam moreretur. Sic facient sex hi discipuli qui condemnati sunt aut condemnabuntur ad mortem. Magister quoque & magistra cum eis, & se inuicem deuorabunt, quia ibi dissentio erit, horror & confusio. Geras igitur curam tui dum tempus est, vt supradicti sex scholastici discipuli sint Iesu Christi.

C In hoc de istis sex discipulis finem statuam (reuertar enim ad eos postmodum) & vt deueniatur ad euangelij nostri materiam, videlicet deuote christiane popule, quod submagister cuius memini qui per magnum magistrum commissus est ad gubernandam scholam animæ in sex discipulis adimplere debet & dicere quod Dauid dicebat domino nostro: Docebo iniquos vias tuas domine Deus & magister, docebo discipulos meos qui iniqui sunt & mali, vias tuas, & qui pleni sunt peccatis ad te conuertentur. Item alio: Si D mei non fuerint dominati &c. Verè domine & magister scio quod si discipulos meos sub virga disciplinæ positi fuerint, nec vllam eis permisero dominationem, emundabor & mundus ero à delicto maximo transgressionis scil. Sed tu domine & magister summe meam cognoscitis ignorantiam, paupertatem & debilitatem, & noscis quia nisi prius illuminatus & edoctus fuero à te: nec potero, nec sciam illuminare neque gubernare scholam meam & meos discipulos. Quantum e- E nim est de me, cæcus sum ad bene cognoscendum & iudicandum quod faciendum est, dicendum & credendum, si non habuero veræ fidei tuæ lumen. Emitte ergo lucem & veritatem tuā, quoniam cæcus sum à natiuitate mea, ad exemplum huius cæci quem hodie sanasti. Mitte domine sapientiam de cœlis sanctis tuis. Mitte mihi domine & magister lumen sapientiæ tuæ, vt ego & ratio sciamus quod est acceptum tibi, & gubernemus nobis commissos discipulos per dignam tuam prouidentiam, taliter vt ad nostram sit vti- F litatem & communem nostram saluationem, ad gloriam quoq; dignę magnificentiæ tuæ & maiestatis, & vt tui sint discipuli Iesu Christi.

Charissimi homines taliter noster præcari debet intellectus Deum præcipuum præceptorem nostrum vt ipse intellectus illuminet sicut cęcus hodiernus. Exemplo hodierni euangelij vnusquisq; intellectus si bonus velit esse, suus præceptor debet habere per doctrinam Iesu Christi, tres considerationes secundum quod tactæ sunt in tribus nostri euangelij partibus, quod satis prolixum est, sed multum ad confirmationem fidei nostræ & nostræ doctrinæ faciens.

Primò debet vnusquisq; intellectus cognoscere veritaté per rectam illuminationem quantú ad primam. Secundò debet defendere veritatem per stabilem assertionem, quoad secundam. Tertiò adorare debet & honorare veritatem per hanc operationem, quoad tertiam partem. Hæ sunt tres operationes quæ ad vnumquemque sapientem magistrum spectant, vt dicit Aristo. Opera sapientum sunt, non mentiri de quibus nouit mentientem manifestare posse. Sicut cœpit Iesus facere, & docere. Et apostolus. Cur alium doces, te non instruis. Turpe est doctori dum culpa redarguit ipsum.

Dicit ergo textus euangelij. Iesus transiens vidit à natiuitate cæcum, qui significabat nostrum intellectum, qui cæcus est per ignorantiam propter peccatum originale. Discipuli Iesu Christi interrogabant eum dicentes: Rabbi quid hic homo peccauit, aut parentes vt cæcus nasceretur? Glos. Erat admodum simplex interrogatio. Antequam enim cæcus hic nasceretur non poterat peccatum habere. Respondit Iesus Christus. Nec hunc peccasse, nec parentes eius, sed hoc factum esse vt manifestarentur & declararétur in eo opera Dei. Hic sumo primam considerationem moralem quod tribulatio non semper accidit propter aliquod peccatum personale. Personale dico ad tollendum peccatum originale. Idem est causa sine qua non. Et illud postremò ad longum declaraui ad sanctum spiritum. Accidit tribulatio aut propter correctionem, aut propter humiliationem, aut propter probationem & glorificationem, aut propter initium damnationis. Dixit insuper Iesus Christus: Me conuenit operari opera illius qui me misit dum dies est, venit nox in qua nullus operari potest. Interea dum in mundo sú, lumen sum mundi. Glos. Et erit vsque ad finem mundi. Ecce vobiscum sum &c. Matth. vltim. Secunda consideratio. Hic sumo secundam considerationem moralem stultum esse expectare bene agere donec veniatur ad mortem, quę est nox mundi huius. Est enim nimis sero, etiam operandum est in lumine fidei & gratiæ, alioquin enim opera sunt mortua. Posteaquam Iesus sic dixisset, spuit in terram & de saliua sua lutum fecit, & operuit oculos cæci, dicens: Vade laua te in aqua de Siloë. Iuit, se lauit, & redijt clarè vidés. Tertia consideratio. Hic sumo tertiam considerationem de nostra cæcitate ignorantiæ, quæ expellitur per gratiam Dei, quę quidem gratia per saliuam significatur, quæ descendit de capite nostræ fragilitatis, quæ quidem fragilitas per puluerem denotatur, & per ploratum qui per aquam intelligitur. Vicini qui eum prius viderant mendicare, dicebant. Nonne hic est qui sedebat & eleemosynas petebat? Aliqui dicebant ipsum certò esse, alij verò non ipsum esse, sed alium quendam illi similem. Quarta consideratio. Hic sumo quartam considerationem, quod opus miraculosum turbare solet simplicem creaturam & humanam. Iuxta illud. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis ignorantes cum audiunt loqui de reuelationibus &c. nolunt credere veluti nescientes. Hæc est prima pars euangelij per quam liquet cęcum hunc per diuinam potentiam illuminatum fuisse & suo exéplo debet vnusquiq; intellectus per diuinam inspirationem cognoscere veritatem. Deus scientiarum dominus est, Et iterum. Docet hominem scientiam. Et beatus homo qué tu erudieris domine &c.

A

In secunda parte euangelij dixit textus hunc cęcum alijs dixisse, se eú esse qui cæcus fuerat, & eis modú dixit, quo fuerat illuminatus. Postea quæsierunt ab eo, vbi nam Iesus Christus esset? Respondit. Nescio. Ad literam cæcus ille bene sciebat per famam quod Iesus Christus filius esset illuminator, sed nesciebat quò iret. Et hic considerationé capio moralem quod homo sæpenumero magnam in se sentit inspirationem & illuminationem bonam, nesciens vnde veniat aut quo pacto elabitur. Sic dicit sanctus Bernard. super Cantica iuxta illud: Spiritus vbi vult spirat. Vicini huius cæci eum ad pharisæos duxerunt & sabbatum erat cum Iesus Christus eum illuminarat. Pharisæi postquam audissent, dixerunt: Homo hic ex Deo non est, quoniam non seruat sabbatum. O infortunatam & odiosam pharisęorum inuidiam, quæ eos non sinebat bene videre & iudicare. Nam hoc quod ad salutem erat alicuius hominis, immo & bestiæ in sabbato fieri poterat. Sed hic secundam accipio cósiderationem quod illis complures modo sunt similes qui sibi de paruo aliquo die festo facto conscientiá formarent potius quam si centum facerent peccata mortalia in detractionibus, verbis infructuosis &c. hoc poterit dilatari. Alibi Iudæi dicebant, quomodo potest peccator hæc signa facere? & diuisio erat inter eos, post hac quæsierunt à cæco, quid de eo diceret qui eum sanarat. Respódit quod propheta esset. Dixerunt Iudæi se non id credere. Et hic tertiam sumo considerationem, quod similes sunt hi qui de quolibet bene viuendi quærunt cósilium & nihil agere volunt aut credere nisi eis dicatur quod ipsis placitum sit. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius. Prou. 18. Deinde dixit textus quo pacto pharisæi vocauerunt patrem & matrem cæci illius, vt veritatem agnoscerent. Qui responderunt certitudinaliter hunc eorum esse filium cæcum natum, sed quomodo videret ipsi nescirét, sed quod quærerent à filio qui ætatem haberet vt in causa sua loqueretur. Et hoc dicebant parentes propter metum pharisæorum, qui iam statuerant quod quicunque confiteretur Iesum Christum exclusus esset à synagoga sicut excommunicatus. Deinde dixerunt pharisæi cęco nato: Da gloriam Deo, scimus quoniam homo hic peccator est. Respondit cæcus. Si peccator est, nescio, hoc est vt dicit glossa, non est vt vos dicitis, hoc scio me cæcum fuisse & modo bene videre. Dixerunt ei: Quid ergo fecit tibi, quomodo tibi tuos aperuit oculos? Respondit eis: Iam dixi vobis & audistis, vultis ne eius esse discipuli? Tunc maledixerunt ei, dicentes: Tu discipulus eius sis, nos Moysi sumus discipuli, sed hunc ignoramus vnde sit. Respondit homo ille qui sanatus fuerat, in hoc est mirabile vos nescire vnde sit & meos mihi aperuisse oculos. Nouistis quoniam Deus peccatores non exaudit. Verum est, dicit glossa ad miracula facienda in confirmationem sanctitatis ipsorum, licet bene ad confirmationem veritatis spiritualis. Sed si quis cultor est Dei, &

B C D E F

& eius facit voluntatem, hunc Deus exaudit. Nũquam visum fuit quemcunq; lumen reddere cæco nato, nisi ex Deo esset, non posset facere quácunque rem similem. Responderunt & dixerunt ei: Tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos; & eiecerunt eum. Hinc quartam accipio considerationem. Mali qui inuiti veritatem audiunt libenter reprehendunt & mordent concionatorum vitam siue iure sit siue iniuria, & solatium est eis quicquid mali dici audire possunt de ipsis. Sic fecerunt Iudæi de hoc cæco & malè iudicabant de eius cæcitate. Et per hanc secundam partem apparet cæcum constanter veritatem prædicasse coram proximis & omnibus suis aduersarijs. Ad hoc exemplum eodem modo facere debet noster intellectus qui est submagister Iesu Christi, sic quod debitè id ad quod tenetur exequi velit, defendere debet veritatem per firmam & stabilem assertionem. Audiuit Iesus &c.

Tertia pars euangelij nostri, quæ breuior est sicut dicit: Audiuit Iesus quo pacto eiecissent eũ, & cum eum inuenisset, dixit ei: Tu credis in filium Dei? Hic quandam capio considerationem, quod Iesus Christus approximat illis qui legem suam tutantur & augmentant, augmentando sciẽtiam eorũ sicut fecit huic cæco. Dixit cæcus. Quis est hic domine, vt in eum credam? Et hic secundam sumo considerationem, quod sapienter interrogare debemus id quod nobis datum est ad credendum, sicut domina nostra cogitabat qualis esset sua salutatio, & iste cæcus pariter. Respondit Iesus Christus: Et tu eum vidisti, & hic est qui tecum loquitur: Tunc dixit: Credo domine, & se inclinando in terram adorauit eum. Hic tertiam accipio considerationem & quartam. Vna est iustum esse & specialiter in ecclesia inclinationes fieri & prostrationes adorando præsentiam Iesu Christi, contra hos qui paruipendunt sanctum & venerabile sacramentum. Altera consideratio quod in omnibus donis quæ à Iesu Christo recipimus, nos debemus humiliter adorare in corde nostro, & ipsi gratias agere. Est documentum B. Bern. de dono disce gratias referre. In hoc quod dictum est apparet in tertia consideratione quomodo veritate cognita Deus adorari debet per sanctam operationem. Probauit ergo ex hoc euangelio intellectum nostrum qui commissus est vt submagister sit seu magistri locum tenens in schola nostra spirituali animæ nostræ, debere cognoscere veritatem, iustam inspirationem & eam per stabilem defendere assertionem atque honorare per sanctam operationem.

Preterea existimo vobis placere vt ad scholam vestram & ad sex discipulos vestros (de quibus prius dixi) regrediar, quia est materia quæ capi potest facile ab omnibus hominibus, & ad memoriam habendam sic fiat. Dicamus quod submagister seu locatus intellectus subtilis posteaquam receperit lumen veritatis eo quo dictum est modo, sæpius cum magna cura & diligenter vadat ad scholam, vt sedeat in cathedra liberæ autoritatis & virgam teneat disciplinæ, & die qualibet (saltem mane) vnam doceat lectionem, eamque vesperi coram se dici iubeat & audeat. O deuota christiana persona mane cum surrexeris, & es in camera tua aut in ecclesia priusquam discipuli tui scilicet cor tuum & quinque sensus, excedant scholas tuas, operari studeas secundum artem & statum tuum. Secretò eos intra te vocare debes ad scholam animæ tuæ & ostium claudere ne quisquam ad extra te impediat, tunc dicas cordi tuo principali discipulo quod diligens sit in bene cogitando, sibi quoq; à peruersa caueat societate, & ne det consensum suum aut voluntatem peccato proditori. Quia de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria &c. Matth. 15. & Marc. 7. Sic dices oculo vt caueat à malo visu, ne malum accidat sicut accidit filiæ Iacob, Dinæ, Helenæ, & alijs innumeris. Nequius oculo quid creatum est & ne se dedat iniquæ cupiditati, statum magnatum inspiciendo. Noli inspicere &c. Auri dices vt caueat audire fabulas, adulationes aut mala verba detractoria, ne per hoc oriatur suspicio, odium zelotypia, incredulitas, & alia sine numero mala, princeps, id est intellectus qui libenter audit verba mendacij omnes ministros habet impios. Prouerbior. 29. Dic ori vt sobrium sit in comedendo, quoad gustum, ne gula malè ipsum strangulet, sicut fecit compluribus quoad animam, & quoad corpus. Seneca. Plures occidit gula quam gladius. Dic insuper ori vt sub custodia eius sit, quoniam loquatur modicum, tractim & submissè. Alioquin qui putat se esse religiosum non refrenans linguam suam, huius vana est religio, vt ait Iacobus, Peior est ictus linguæ quam gladius, caueat à mendacijs, periurijs, adulationibus, & à malè loquendo de alijs. Dic naso qui odorari debet, caueat ne nuncius sit delectationis in cibo, malæ carnalitatis & aliarum rerum. Demum valde instruere debes tactum ne piger sit ad bene agendum & velox ad malè operandum, vt ad latrocina, fraudes, rapinas &c. præ omnibus fuge ignem & flãmam malæ carnalitatis & maximè abominabiles immundicias quæ nominari non debent, quæ fiunt per tactus prohibitos & inhonestos, tum suijpsius, tum alterius eiusdem præcipuè sexus. Ostende illi clarè pericula & pœnas quæ euenerunt & quotidie eueniunt cum discipulus hic tactus se stultè iungit luxuriosæ carnalitati, quę maledicta est & proditrix, quæ fœditissimè vrit, ridendo prodit, penetrat & perforat aspiciendo, quæ ferit dolorosè osculando, & mala occidit morte amplexando. Deinde impedit, includit & sepelit per malam consuetudinem in abominabili fimo carnalis delectationis. Vndique sentiri facit fœtidam suam immundiciam per diffamationem, & postremò cadit tota schola animæ & magistra, discipuli quoq; & quicquid ibi fuerit ad perpetua horribilia & dolorosa tormenta labuntur, atq; damnationem, & sic facti sunt discipuli antichristi, & refugiunt à confusione licentiæ & magisterij. Taliter docere debet intellectus noster illos discipulos quolibet mane & in eis dicere. Apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus &c. Discipuli mei, cor meum videlicet & quinque sensus me apprehendite disciplinam vos oro, ne magnus præceptor vester irascatur, & ne perdatis viam rectam, viam paradisi & ne deficiatis in sublimo magisterio aulæ para-

disi; claudite diligenter portas & fenestras scholæ vestræ; ne mors intret, vt scribitur in propheta Hierem. 9. cap. Ascendit mors per fenestras nostras ingressa est domos nostras. Et vt vobis dem breuem lectionem, discipuli sitis Iesu Christi. Mane dedisti lectionem, expedit discipulos discipulos ire ad negotia eorum, secundum statum suum, siue sit mercatura, siue alius labor. Nõ semper eos tenere poteris in secreta schola animæ tuæ; sicut religiosi & solitarij id facile facere possunt, sed vesperi priusquam dormias necesse est sub magistrum redire ad scholam suam, sedere in sede sua, aduocare discipulos suos, & eos lectionem eorum interrogare, & si quid bene egerint de omni hoc eos laudabis, & de malo vituperabis atque castigabis virga disciplinæ, in abstinentijs aut ieiunijs, aut eleemosynis eis quoque minaberis.

Sed mihi facere posses querelas aliquas ô deuote christiane popule in primis mihi dicere posses; sex mei discipuli quos dicis sunt adeò peruersi, malitiosi & mendaces, vt breuiter nunquam mihi veritatem dicant. Facile credo, sed magnus magister tibi dico, de congruo prouidit remedio. Et de quo quæso remedio? filia ipsius intellectus subtilis & rationis sapientis quam nominaui conscientiam veridicam, illa eos accusabit nil celando si fuerit interrogata, sed quod maius est si omnes aliæ ab interrogatione vellent desistere, nec scire, nec audire, ipsa vacaret semper per scholas, nec te dormire nec quiescere sineret, sed pungeret te per verba sua. Nam & diabolis & damnatis veritatem dicit, quantum ad synderesim. Ipsa ea est quæ tantum mali infert omnibus peccatoribus quod quiescere non potest, nec dimittere patrem suum & matrem nec rationem in pace, si iusticia & disciplina non sumatur de (contra Deum) forefactis. Hoc officium & conditionem tribuit ei magnus magister scholæ nostræ. Certè scio ipsam non tacituram veritatem, quantumcunque durum ei sit aut contrarium. Est enim ea fœmina quæ vinci non potest, quin semper dicat quicquid credit aut nouit. Ponamus conscientiam tuam vsque vltra caput in immundicia iacere semper tamen te offendisse dicet, te quoque accusabit. Sed scio te adhuc mihi dicere posse conquerendo sic, per fidem meam domine, discipuli mei, & præcipuè maior, qui alijs debet esse sapientior & magis disciplinatus scilicet cor, sunt adeò fatui & vagi quod cum mane aut vesperi iuxta dicta & consilium tuum facere deberem non possum eos reducere ad scholam eorum, nec compellere vt ibi maneant. Silebo de alijs certè cor meum vadit, venit, & (veluti ventus) volat, nunc hac nunc illac absque vlla mora, modò est in foro, modò in coquina &c. Heu ergo quando non est in schola mea, quo pacto doceretur? quomodo meam reciperet doctrinam, meam disciplinam? Et nisus circungirans, malum timet & horam, nec reuerti vult cum vocatur. Non possum negare quin omnino sit veritas, sed nihil est quin bona diligentia & frequens assuefactio cum gratia Dei vincat & perficiat. Nullus quicquam habet boni nisi sibi comparet. Ob hanc causam quidam se ponunt in religionem. Alij loco secreta

A petunt per longum tempus. Alij persistunt multum studendo aut legendo aut præcando in libro aliquo, aut bene loquendo seu prædicando. Bonum est gratia stabilire cor. De solitudine dicit Bernardus quod loco figendum est corpus & animus &c. Nemo repente fit summus &c. Adhuc conquereris tertiò quod in omnibus vt vbicunque discipuli tui sint, laqueos inueniunt & casus strictos implicatos glutine atque foueas. Ideo esse non potest quin mox deprehendantur

B & decipiantur sicut piscis aut glis in esca, rattus in lardo, auicula in miluo aut in laqueo. Nonne dicit sapiens, quod creaturæ factæ sunt in laqueum pedibus insipientium? Nota quomodo velocius & citius nos corrumpunt exempla domestica, vt dicit Iuuena. Respondeo per hoc te bene percipere debere quod semper cum discipulis tuis manere debes, intellectu & ratione, vt eos gubernes & regas, & te quærere decet auxilium & subleuamen incessanter apud magnum magistrum qui te liberare potest à foueis & la-

C queis per talem humilitatem: Dauid: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus &c. Item oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse euellet de laqueo &c. Idem: Discite à me omnes &c. Hæc lectio sufficit contra omnem tentationem, sicut fœmina quæ causam suam bono committit aduocato. Postremò querimonia erit sex tuos discipulos adducere & fateri valde multas immundicias in eorum schola ipsius animæ. Nec est cadauer aut immũdicia magis fœtida & abo-

D minabilior quam fœtor peccati mortalis. Anselmus: Tolerabilius fœtet canis putridus, quo pacto mũdabitur & purgabitur talis schola animæ per tuos eosdem discipulos? Sic enim ordinauit magnus magister. Cor & oculus ministrabunt aquam cõtritionis, quæ haurietur ex profundo displicentiæ puteo qui est aqua per fortem considerationem sui status, & trahitur aqua hæc in altum per cordam spei intra situlam charitatis. Et est pura & munda sine vitiosi propositi mixtura. Os e-

E ijciet omnem immunditiam per schopas linguæ suę per integram confessionem, vnusquisq; aliorum suam portabit sarcinam, & expensarum partem persoluet. Vt secundum qualitatem delicti sit plagarum modus, vt de Magdalena dicitur. Quot in se habuit delectamenta tot de se fecit holocausta. Per hoc fiet satisfactio. Verum est quod hi discipuli negligentes sunt aut recusantes hoc modo scholam istam purgare, & mallent eorum immũditiam manere, & puttrefieri in ea si quis hoc peteretur. Ratio cum intellectu sæpius sunt causæ

F illius pigritiæ, aut stulta compassio, sicut dici solet pia domina filiam producit scabiosam. Cor & oculus se excusant eò quod flere non possint. Os quod loqui nesciret, omnes generaliter, quia nimis debiles sunt ad quicquam portandum. Primi scolastici per hanc aquam contritionis ponunt omnem hanc immundiciam seorsum ad foueam memoriæ, & sufficit quod auferatur tempore & loco pro quo quis obligatus est confiteri. Qui autem hoc nõ facit, hæc mundicia manebit quoadusque os eijciet eam, per ipsam palam aut per scobas confessionis.

Hic

Hic potest fieri quæstio, si quisquam displicentiam habere debeat de puero per fornicationem A nato, quem vellet non fuisse, aut si iudicandũ est potius aliquem eligere mori quã peccare, aut plus dolere quam de quacunq; temporali amissione. Fiat responsio. Sed os dicit sæpius intellectui & rationi. Eia eia magister & magistra, quid mihi dicitis? quid mihi præcipitis? videtis maliciam nostram tam turpem esse, tam monstrosam & abominabilem & præsertim hanc quæ à socio meo tactu progreditur, qui est tã immundus vt si hanc eijcerem per schopas linguæ meę, talem. i. fœtorẽ, B accideret confessori meo ne vnquam nos amaret, nunquam nos videre vellet, indignaretur, nec amplius nos honoraret, atq; nimiam imponeret pœnitentiam. Præterea tantum est illius immunditię & in tam magna quantitate in omnibus angulis scholæ nostræ quod hoc nunquam expleri posset quantumcunq; eijcerem quin semper remaneret aliquid, nunquam liberari possem, sed iterũ cum iam purgata esset schola, statim denuo purganda esset. Si die quolibet confiterer, in crastinum mihi tantumdem esset faciendum, profectò malo C quiescere quam frustra niti. Nonne habetis quod dicit Hieremias Thren. 1. quod Iudas, qui interpretatur cõfitens, exiuit de patria sua propter multitudinem seruitutis & laborem qui illi imponebatur. Migrauit Iudas propter afflictionẽ & multitudinem seruitutis. Ad has excusationes debet respondere ratio sapiens discipulo suo bono ori, & illi ostendere potius aliquam verecundiã perpetiendam & sustinẽdam esse coram vno homine quam perdi & dari & exponi verecundiæ coram vniuerso mundo. Nos stultitiam cõmisimus, D iustum est vt eam portemus atq; reparemus? Est magna verecundia & afflictio, scio. Sed tanto mundior fiet schola nostra & eò citius purgabitur. Potest hic dici de muliere maritata quæ dixit se potius elegisse fere pœnam portandi puerum in vtero quam dicere peccatum quoddam ab ea commissum cum marito suo, magnum ergo meritum habuit illud dicendo peccatum, quoad secundam querimoniam, quanto plus eieceris tanto minus remanebit, & sufficit te iuxta posse tuũ E facere & sume consilium diligenter à filia mea cõscientia, quæ tibi dicet veritatem modò sępius interrogẽs. Sunt nonnulli qui mundos se esse credunt, sicut illa quæ nunquam pulicem inuenit nec festucam in lecto suo, quia nunquam quærebat. Hic posset dici de puero qui non disponebat se vt purgaret campum spinarum plenum. Quoad tertiam querelam noscite talem esse Dei misericordiam, quod si millies in die caderes in immundiciam, millies te mundare poteris. Nec erit F tam magnus cumulus, nec tam compressus & ad auferendum difficilis & demum magnus magister miserebitur laboris tui & nostri. Nota de aqua quæ semper nauim intrat, quoad complanctum omnium vestrum, hoc scitote modò omnẽ pœnam vestram solum esse vnum ictum virgæ ad aliam eam comparando punitionem. Et vos videtis scholasticum aliquem velle sufferre verbera vt peius euadat & vt sit extra continuum timorem. Nota de illo qui fecit se verberari, quia vexabatur à socijs. Videtis facilem dari pœnitentiam. Modò

schola est misericordiæ, postea erit iustitiæ. Illic examinabuntur & tentabuntur omnes nostri discipuli tam per inimicos quam per iustos homines quam etiam per nostram propriam conscientiam & recipiet vnusquisque præmium secundum merita sua. Discipuli antichristi infernum habebunt cum tempus eorum perdiderint & malè profecerint. Et boni discipuli Iesu Christi adipiscentur licentiam dignam & gloriosum magisterium in magna aula paradisi & consequenter birrhum ęternæ felicitatis. Quam nobis concedere dignetur saluator noster Iesus benedictus. Amen.

SERMO SVPER EVANGELIO QVINTÆ DOMINICÆ QVADRAGESIMÆ, *quæ est Dominica in Passione, per præfatum Ioannem de Gerson prædicatus.*

Si *veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Ioan. 8. scribuntur originaliter & recitatiuè leguntur in euangelio huius Dominicæ, quæ dicitur in passione. Sicut oculus infirmus non delectatur solis videre claritatem, sed ipsam refugit, quia in se aliquam habet dispositionem contrariam alicuius humoris aut infirmitatis quæ suam impedit operationem. Sic omnino pariformiter si animę oculus intellectus scilicet non sit purificatus de immundicia & indispositione peccati per fidem & gratiam, veritatis lumen scilicet verbum Dei in eo conuenienter recipi non potest. Et quia mentionem fecimus in nostris thematis verbis de veritate, quod est lumen intellectus, ad hoc recipiamus eam ex euangelio ad Dei honorem, & non in contumeliam & opprobrium gloriosi sui nominis quemadmodum nequam & peruersi Iudæi de quibus mentio fit in euangelio. Disponere nos debemus per gratiæ impetrationem sine qua fructum prædicationis percipere possumus minimè, quæ salus est animarum nostrarũ. Ad eam impetrandam & obtinendam præsentabimus virgini gratiæ thesaurarię eam solutionem quam præsentauit illi angelus Gabriel, dicens. Aue Maria &c.

Si veritatem dico &c. Secundum textum euangelij sancti Ioannis postquam dominus noster & saluator Iesus multa fecisset miracula, & admirandas operationes tum in ciuitate Hierosolymitana, tum in Galilæa, & alijs vicinis patrijs, atque ciuitatibus, sciens ab æterno præordinatum esse per diuinam ordinationem, quod à malignis Iudæis morti tradendus esset. Appropinquante benedictæ passionis suæ tempore sæpius Hierosolymam veniebat, ibiquę in templo sæpenumero prædicabat, reprehendendo legis sacerdotes, pharisæos & Iudaici populi quosdam alios, eò quod veritati credere nollent & doctrinæ, quam illis prædicabat. Hinc magnum contra eum ex ingenti eorum malicia (quæ eis insidebat) conceperunt odium. Talem quoque inuidiam super eo & doctrina eius sancta, vt sæpius proponerent se velle occidere eum. Sapientia 2. dixerunt impij, cogitantes

apud ſe non rectè. Circunueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius operibus noſtris. Improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat, grauis eſt etiam nobis ad videndum. Profectò (inquit vnus) nequeo eum amplius videre. Et alter, neque ego, moriatur. Heu non retinuerant quod eis dixerat Ioan. 3. Miſit Deus filium ſuum in mundum vt ſaluetur mundus per ipſum. Et particulariter vobis dixit: O falſi Iudæi. Hæc dico vobis vt ſalui ſitis. Hæc dico vobis quæ pater meus vult vt vobis dicam vt ſalui ſitis. Non erat eis inutilis cum propter eorum veniret ſalutem, & non vt eos perderet, ſed certè in alijs veritatem dicebant, quod eſſet contrarius malis operibus eorum, quod in eo eſſet ſcientia Dei, & quod filius Dei eſſet. Semel ergo inter cætera eo prædicante in templo oſtendit eis ſe bene cognoſcere damnabile eorum propoſitum & iniquas cogitationes. Et dixit eis id quod ſcribitur in eodem capitulo ante hodiernum euangelium: Ecce ego vado & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Dixi vobis: Niſi credideritis quia ego ſum in peccato veſtro moriemini. Ecce vado ſcilicet ad gloriam patris mei, quoad humanitatem. Vos me quæritis ſicut propoſuiſtis, ſed dico vobis, ſi non credideritis me eſſe filium Dei, in peccato veſtro moriemini. Magnæ minæ vel valde terribiles. Quicunque moritur in peccato ſuo nunquam erit ſine peccato, quod intelligitur de mortali, & ſic nunquam ſaluabitur. Miſerum eſt ſic naſci in peccato, & hoc peculiare eſt, ſed eſt dãnatio & perpetua infelicitas mori in ſuo peccato. Formidabilius verbum eis dicere non poterat Ieſus Chriſtus. Quia ſecundum Auguſtinum ſuper Ioannem, non eſt res in mundo quam adeò chriſtiani timere debent ſicut mori in peccato mortali. Quare ordinatus eſt baptiſmus? Quare affertis pueros quam primum nati ſunt ad baptizandum niſi vt non moriantur in peccato originali, quod eſt peccatum mortale? Quare ordinata eſt pœnitentia & confeſſio, niſi vt quis non moriatur in ſuo peccato? cum eis dicebat: Si non credideritis mihi, oſtendit illis manifeſtè eos poſſe euitare tale inconueniens, ſi modo in eum crederent. Dixerat eis Ioan. 6. Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Etiam dixerat eis: Sermo quem locutus ſum, veritas eſt.

Et quoniam eum arguere non poterant, quin eis dixiſſet veritatem, interrogat eos in principio euangelij noſtri: Quis ex vobis arguet me de peccato, ſi veritatem dico quare non creditis mihi? Si verba quæ vobis dico vera non eſſent, cauſam haberetis me reprehendendi & arguendi de peccato. Sed quod dico vobis veritas eſt. Si ergo veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Quamquam multa alia in euangelio noſtro contineantur myſteria, attamen eſt mihi mens tria notare quæ conducunt ad hoc vt verbum Dei plenarium ſuum ſortiatur effectum in perſona, & de quibus rebus dominus noſter arguebat Iudæos. Applicando aliàs euangelij partes ad hæc tria puncta. Vnum eſt, audiendum eſſe verbum Dei per bonam intentionem & bonam humilitatem. Secundum, deuotè credenda eſt veritas verbi Dei. Et tertium, bene ſeruandum eſt verbum Dei & in opus ponendum. De primò dominus noſter & ſaluator Ieſus arguebat Iudæos, quia non volebant humiliter & per bonam intentionem audire veritatem Dei, quod minus eſt quam ipſam credere, eò quod dicebat eis: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. De ſecundo arguebat eos per verba quæ dixi in initio: Si veritatem dico, quare non creditis mihi: Quoad tertium dixit eis: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum. Neceſſe eſt ergo primum audire verbum Dei per bonam intentionem, & humilitatem. Nam quomodo credant ei quem non audierunt? ad Romanos 10. Et propterea dicebat Ieſus Chriſtus Ioan. 6. Qui verbum meum audit. Et ſubiungitur, & credit, vitam æternam poſſidebit, vbi primum ponitur audit, quam credit. Sed qualiter debes audire? Dico quod audire debes per bonam intentionem tuam ſcilicet faciendo ſalutem. Omnis bona intentio à Deo procedit, & propterea qui bonam habet intentionem, dici poteſt ipſum ex Deo eſſe. Quia verò falſi & mali Iudæi nunquam habebant niſi damnabilem intentionem audiendo ſermonem Ieſu Chriſti. Ideo eos arguebat quod debitè ſermonem audire non valebant, non habebant intentionem addiſcendi viam ſalutis eorum cum ſpernerent & refutarent verba ſalutaria, eò quod deſiderium habebant voluntatem adimplendi diaboli potius quam Dei voluntatem. Et ideo dicebat Ieſus Chriſtus: Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Intelligendum eſt quod erant filij diaboli, non quidem per naturam, ſed imitationem. Cuius facta imitaris, illius es filius, dicit Haimo. Vnuſquiſque autem libenter audit loqui de magiſtro ſuo, patre ſuo, & illo cuius imitatur facta. Et propterea Ieſus Chriſtus concludebat contra eos ipſos non eſſe filios Dei, ſed diaboli, quia non libenter verbum Dei audiebant. Dicebat quoque eis: Qui ex Deo eſt (per æmulationem ſcilicet bonorum operum) verba Dei audit. Quid ergo eſt in cauſa quo vos minus audiatis, niſi quia peruerſam habetis intentionem quę ex Deo non eſt. Audiebant quidem Ieſum Chriſtum, ſed vt eum caperent in ſermone vt occaſionem haberent ei inferendi iniurias. Bene de eis prophetauerat propheta: Populus ad iracundiam prouocans eſt & filij mendaces: nolentes audire legem Dei. Eſaiæ trigeſimo. Populus Iudæorum prouocabat iram Dei, quia contemnebant audire legem, ſed eam interpretabantur mendosè per mendacia arguentes legiſlatorem Ieſum. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt: Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes: Dixerant ei prius, cum diceret ipſis: Quare quæritis me interficere: dæmonium habes quis te quærit interficere: ac ſi dicerent: nos non quærimus te interficere. Modo mendaciter & falsè dicunt ei. Bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes. O peruerſa generatio pro ſanctis & ſalutaribus verbis, vos illi redditis opprobrium & blaſphemias.

O damnabilis obſtinatio, nō ſufficiebat eis quod blaſphemaſſent ſuam progeniem. Ioan. 7. Chriſtus cum venerit, nemo ſcit vt ſit, ſed hunc ſcimus vnde ſit. Nonne hic eſt filius fabri? Matth. 13. Nonne hic eſt filius Ioſeph fabri? Luc. 4. Non eſt Chriſtus: quia Chriſtus cum venerit, nemo ſcit vnde ſit. Blaſphemauerunt ſuam potentiam, dicentes: In principe dęmoniorum eijcis dęmonia. Dauid propheta bene de eis prophetauerat: Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes. Acuerunt aduerſus dulcem Ieſum linguas ſuas ad blaſphemādum ſanctum nomen ſuum. Conſiderate quæſo qualē habuerint humilitatem, eò quod Chriſtus ipſos argueret, dicendo eis vitia eorum, & peruerſam viam eorum ipſos corrigendo. Enitebantur & ob magnum furorem (quo agitabantur) appellabant filium Dei dæmoniacum, & clauſerūt aures ſuas, ne audirent verbum Dei. Furor illis ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas. Caſſiodorus dicit ſuper hunc paſſum. Hoc quod proprijſſimè applicatur Iudæis quæ obturauerunt aures ſuas, ne audirent veritatis ſaluberrimam iuſſionem, vt non audirent ſancta præcepta Ieſu Chriſti, qui eſt veritas. Et quod peius eſt blaſphemabant præ magno furore nomen Dei. Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es & dęmonium habes? Ad ambas has contumelias non reſpondit Ieſus, ſed ad vnam ſolam. Nam de hoc quod dicebant eum eſſe Samaritanum id dicere putabant in magnam eius blaſphemiā & vilipenſionem, ſed Ieſus Chriſtus non ęgrè tulit, quamuis non eſſet de Samaria. Secundum enim veram ſignificationem verus erat Samaritanus, quod interpretatur cuſtos. Erat verus cuſtos humani generis, de quo ſcribitur in Pſal. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem &c. Quare autem eum Samaritanum appellarint, hoc eſt in cauſa, quoniam hi qui de Samaria erant, erāt opprobrio Iudæis, quia recipiebant quinq; Moyſaicos libros, & tamen erant idololatræ. Et ob hāc cauſam Iudæi eos contemnebant. Sed ad aliud opprobrium quæ erat euidēs blaſphemia in hoc quod dicebant ei, dæmonium habes, reſpondit: Non opprobrium pro opprobrio, ſed illud negando reſpondit eis verba doctrinæ & correctionis. Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem, & vos inhonoraſtis me. Non habeo dęmonium in corpore, nec in cogitatione, quemadmodū vos dicitis, ſed honorifico patrem meū. Et vos me honoratis quantum in vobis eſt. Honorificabat patrem ſuum quando eis non reſpondit contumelioſè, nec volebat ſe glorificare, vindictā ſumēdo de eis: Ego gloriā meā non quæro, eſt qui quærat & iudicet. Referebat autoritatē ad patrem ſuum, ego non quæro gloriā meam, pater meus eſt qui quæret vindictam & iudicabit, hoc eſt, diſcernet inter gloriam mundi quam vos quęritis & gloriā meam, nobis in hoc dando exemplum, quod quicunque afficitur iniuria, & abſque cauſa opprobrijs aut blaſphemijs, eáſque ſuſtinet petienter, dat in hoc gloriam Deo quia non ſumit vindictam, ſed reddit Deo quod ſuum eſt: hoc eſt vindictam. Mihi vindictam (dicit Dominus) & ego retribuam. Cum ergo tibi inferetur alicuius vitij aut contumeliæ opprobrium, ſiſque innocens bene negare potes pacificè ad exemplū

Gerſon. Quarta pars.

Ieſu Chriſti, & dicere. Non eſt taliter vt dicis, nec reddere debes cotumeliam pro cōtumelia. Quod nobis prohibet Paulus 1. ad Theſſalo. 5. ca. Videte ne quis malū pro malo alicui reddat. Et ad Ro. 12. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum, per bonum ſcilicet patientiæ. Si Iudæi fuiſſent innocentes & nulla eis infuiſſet malitia, habuiſſent colorem aliquem Ieſu Chriſto contradicendi quamuis non debuiſſent, propterea reſponderunt per iniurias & blaſphemias ſed propter magnam ſuperbiam quæ eis inerat non volebāt argui de peccatis eorum & inuidebāt, eò quod Ieſus Chriſtus ipſis eorum oſtenderet delicta. Et ſunt duæ cauſæ propter quas nolebāt audire verbum Dei. Primò, quia habebant peruerſam intentionem, quæ non erat ex Deo. Secundò, quia nolebant reprehendi de peccatis eorum. Multi quoad has duas conditiones aſſimilantur Iudęis. Sunt enim plurimi qui ſermones non adeunt vt aſportent aliquid quod eorum proſit ſaluti, ſed accedunt aut propter curioſitatem, aut vt tempus tranſigant, aut vt perperam & falsò iudicent, tam de prædicatore quam alijs. Et hi peruerſam habent intentionem, quæ non eſt ex inſtinctu Dei, ſed diaboli & ideo ex Deo non ſunt. Aliud eos mouere non debet niſi vt proficiant in via ſalutis. Et hi qui habent eam intentionem, amici ſunt Dei. Canticorum 8. Amici tui auſcultant te, fac me audire vocem tuam. Domine Deus ſcio amicos tuos ſuam intentionē in te habere, & ideo libenter te audiunt. Oro te fac me per bonam intentionem audire vocem tuam. Hanc orationem facere debent hi qui ſermonem audiunt. Magnum eſt ſignum ſe eſſe ex ouibus Dei, cum bono animo auditur verbum eius. Etiam cum videris aliquem qui delectatur dicere & audire ſtulta & infructuoſa verba aut mēdacia, dic audacter eum eſſe de parte ſeu ouili ipſius mundi mendacis. Sanctus Ioannes teſtatur 1. Ioan. 4. ca. Ipſi de mūdo ſunt, ideo de mūdo loquuntur & mundus eos audit, nos ex Deo ſumus. Qui nouit Deum, audit nos, qui autem non eſt ex Deo, non audit nos. Ipſi ſunt de mundo & loquuntur de mundo, hoc eſt de vanitate. Mundus eos audit, nos ſumus ex Deo. Qui cognoſcit & amat Deum, nos audit. Qui ex Deo non eſt, nos non audit. Sanctus propheta Samuël erat ex Deo, quia erat omnino paratus ad audiendum Dei 1. Reg. 3. Loquere Domine quia audit ſeruus tuus. Et notanter dicit, audit ſeruus tuus, quia qui non eſt ſeruus Dei non audit loquentem Deum, non audit. ſ. libenter. Interroget vnuſquiſque cōſcientiam ſuam ſi libenter audiat verbum Dei, & coniecturam habebit an ex Deo ſit aut non, dicit ſanctus Gregorius in homilia. Sunt etiam multi qui non veniunt ad audiēdum verbum Dei quia audire non poſſunt vitiorum ſuorum reprehenſionem. Malus equus non poteſt ferre (vt dicitur) ſtrigilem. Plerumque homines qui ſunt obſtinati in peccatis ſuis, & deſtinauerunt ac determinati ſunt vitam ducere talem qualem apparet quod eis magna fiat iniuria cum arguuntur. Quot ſunt vſurarij in hac vrbe, quot falſi mercatores, quot publici concubinarij, qui libenter audiāt vitia ſua reprehendi? Ad hoc deuenimus quod lucratoria pars ſtatus mercatorum hodie per manifeſtas ma-

nutenetur vsuras, tanquam etiam si non esset peccatum. Est autem adeò magnus & horribile peccatum quod non modò contra legem est diuinã, verum etiam contra legem naturalem. Quod expressè dicit Aristoteles.1.politicorum. Mala cupiditas hodie extinxit ignem charitatis, & veritatis claritatem, taliter vt plerique sint qui proximo non succurrant, nisi retributionem habeant aliã: præter id quod mutuo dant. Bene dicit propheta. Supercecidit ignis scilicet auaritia, & non viderunt solem. Solem inquam veritatis quæ eis ostenditur per prophetam Dauid, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit. Habitabit scilicet in tabernaculo Domini, hoc est, in cœlis. Et sæpius corrigitur hoc vitium, sed nulla fit emendatio, audiunt quidem sed non faciunt. Sic determinati sunt dies suos finire in detestabili hoc viuendi modo. Et dicunt id quod scribitur Iob 21. Scientiam viarum tuarum nolumus. Nolumus audire doctrinam quæ vituperat nostrum viuendi modum.

Demum recipiunt maledictionem quam Dominus noster dicebat Iudæis: In peccato vestro moriemini, quæ est inter omnia quæ in mundo sunt maximè timenda. Et sic est de illis qui nolunt audire correctionem peccatorum suorum. Assimilantur enim infirmo qui omnem respuit medicinam. Debemus ergo audire verbum Dei per bonam intentionem, nec sermonem despicere per iniquam nostram interpretationem. Quia dicit Deus per os Sapientis: Quia vocaui & renuistis, despexistis omne consilium meum: & increpationes meas neglexistis, ego verò interitu vestro ridebo. Ad hoc omnes respicere debemus. Et istud est quoad primum.

Dicebam secũdò Dominum nostrum arguisse Iudæos, eò quod credere noluissent, quamuis veritatem diceret: Si veritatem dico vobis &c. Requiritur ex parte illius qui prædicat, vt veritatem dicat, & etiam ex parte illius qui odit obedientia fidei & credulitas requiritur. De qua dicit Psal. In auditu oris obediuit mihi. In auditu auris, hoc est, in veritate quæ illi dicta sint, obediuit per fidem. Et res maximè placens Deo, humilis fides. Ecclesi.1. Beneplacitum est Deo fides & mansuetudo.i.dulcis obedientia. Fides enim intellectum Deo reddit subiectum, & mansuetudo siue obedientia subijcit affectionem. Ideo dicebat Hieremias propheta. Hier.5. Domini oculi tui prospiciunt fidem.

Sed reperio tres modos fidei. Fides viua, Fides mortua, Fides ficta.

Fides viua est credere Dei veritatem & cum hoc eum amare & timere per affectionem. Et absque tali fide nullum opus est meritorium, ad Galat.5. Fides est quæ per dilectionem operatur. Dicitur viua, quia operari facit per dilectionem Dei.

Fides mortua est credere veritatem euangelij Dei sine hoc quod quis faciat opera. Et dicitur mortua, quia non mouet creaturam ad bona opera exercenda. Iaco. 2. Fides si non habet opera, mortua est, &c. Si non habet opera amoris & timoris Dei mortua est. Timeo mortuam hanc fidẽ habent in multis esse hominibus, quia fidem habent in articulis fidei, sed eos non ponunt in

A effectum per Dei amorem & timorem. Sanctus Iacobus arguit contra hos qui fidem hanc mortuam habent, reprehendendo eos quod nec Deũ timeant, nec eius iudicia. Tu credis quod vnus est Deus bene facis. Et dæmones credunt & contremiscunt, ac si vellet dicere: Dæmones bonum aliquod habent quod in te minimè est, quia cum hoc quod credunt Deum, contremiscunt. Tu autem nec Deum times, nec eius iudicia.

Fides ficta est debilis quædam credulitas, & quæ firma non est, quia in tempore tentationis recedit

B Matth. 13. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Sicut etiam hi qui tempore persecutionis negant fidei veritatem, propter timorem perdendi bona eorum aut vitam temporalem &c. Magna est gratia Dei nullos iam esse fidei persecutores. Magnopere enim timeo ne propter magnum ardorem ad bona temporalia multi essent debiles & pauci firmi essent vsque ad mortem. Attamen tibi dico te non habere veram fidem, si non habeas animum & voluntatem pa-

C ratam patiendi vsque ad mortem pro Iesu Christi veritate. Iesus Christus triplicem nobis prædicauit veritatem, videlicet. Veritatem doctrinæ. Veritatem vitæ. Et veritatem iustitiæ.

Prima nos docet cognoscere verum & falsum, & præcipit nobis vt credamus verum, falsum verò relinquamus.

Secunda scilicet veritas vitæ bonum discernit à malo, & præcipit nobis vt insequamur bonum, & malum dimittamus.

D Tertia veritas nos docet facere vnicuique iustitiam cuilibet reddendo quod suum est. Et hæc iustitiæ veritas nobis præcipit vt patienter feramus mala & tribulationes quæ nobis Deus mittit secundum nostra demerita. Hi qui non imitãtur aut non credunt has tres veritates sunt maledicti per os Esaiæ prophetæ; Esaiæ 5. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, & ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Maledictio est super hos qui non imitantur veritatem

E vitæ Iesu Christi quoniam quod bonum est, & quod Iesus Christus tanquam bonum prædicauit, dicunt esse malum. Iesus Christus damnauit (vt malum & iniquitatem) omnem molestiam proximi sui, omnem vsuram, omnem fornicationem, omnem iniustitiam, & nihilominus coram oculis nostris publicas cernimus vsuras, publicas oppressiones innocentium, orphanorum & pauperum, non solummodo per armigeros & equites qui horribilia faciunt mala, sed per falsas & illegitimas mercantias, sub quarum specie vsurarij

F & vsurariæ multis modis opprimunt populum. Audis Iesum Christum dicentem tibi, bonum esse & te teneri proximo tuo succurrere in sua necessitate. Et tu nihil agis, verum sumis ab eo lucrũ & vendis quod Iesus Christus tibi præcepit, vt gratis des mutuo. Facis ergo de bono malum, & de malo bonum. Et sic maledictus es ab eo, crede quia est Dei veritas. Væ qui dicunt bonum malum, & qui dicunt malum bonum, Cum tales audiunt reprehendi enormes eorum iniquitates quorumcunque sint peccatorum, necesse est vt

vi-

viuam. Sic aſſuetus ſum viuere,quicquid dicat prædicator,vitam immutare non poſſum. Sunt obſtinati ſicut Iudæi qui nunquam per doctrinā Ieſu Chriſti voluerunt emendari, ſed elegerunt potius in eorū peccatis permanere & in illis mori quam ſpiritualiter viuere. Sanctus Petrus videns ſanctitatem doctrinæ Ieſu Chriſti, dicebat: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes Ioan.6.ac ſi voluiſſet dicere: Omnes hi qui aliter dicunt quam tu non ſunt imitandi. Ideo dicebat: Sapiens de iſta doctrina. Lignum vitæ eſt his qui apprehenderunt illam. Qui enim facere poteſt & non facit, non poteſt vitam habere perpetuam, ſed ad æternam deputabitur mortem. Hæc veritas eſt euangelium. Conſiderate diligenter, quia venit tempus miſericordiæ.

Secunda veritas eſt veritas doctrinæ quę eſt veluti lumen ipſius intellectus, Pſal. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Sermonum tuorum,id eſt doctrinę tuæ. Paruulis,hoc eſt humilibus. Priuſquam hæc doctrina illuminet intellectum,recipienda eſt & ſumenda per humilitatem,quod eſt contra eos qui ad caput ſuum interpretantur, quemadmodum peruerſi faciebant Iudæi, poſtquam Ieſus Chriſtus eis dixiſſet Abraham gauiſum fuiſſe vt videret diem ſuum, hoc eſt quod in ſpiritu prophetiæ vidit aduentum Ieſu Chriſti, & gauiſus eſt, quæ erat doctrina vera, quia ſcribitur Gen. 18. quomodo Deus apparuit Abrahæ. Mox Iudæi peruerterunt ſermonem eius,& dixerunt: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham dicis te vidiſſe. Nequam proditores non bene capiebant veritatem. Non enim dixerat eis ſe vidiſſe Abraham ſecundum humanitatem,ſed quod in ſpiritu Abraham vidiſſet eum. Et propterea reduxit eos ad veritatem,& reſpondit eis. Priuſquam Abraham fieret ego ſum. Et hoc bene videri poteſt. Hoc enim verum erat. Abraham namq; diu poſt mundi creationem factus fuit, & Ieſus Chriſtus verus Deus erat æternalis priuſquam mundus fieret. Videte hic quomodo peruerſi Iudæi ceciderunt ſeipſis ad falſitatem eorum. Et veritas Ieſu Chriſti eos effecit confuſos. Super omnia vincit veritas. Veritas ſemper habet victoriam. Ad hoc propoſitū dicit Chryſoſtomus de laudibus Pauli homilia 3. Talis eſt conditio falſitatis,quod nullo ſibi obſiſtente conſeneſcit ac defluit. Talis autem è contrario veritatis ſtatus eſt quod etiam multis impugnantibus ſuſcitatur & creſcit. Bene igitur apparet prædicationem Ieſu Chriſti euangelium verum eſſe. Poſtquam enim Iudæi niſi ſunt extinguere Ieſum occidendo, ipſa tamē mirum in modum creuit vſque ad omnes mundi partes per apoſtolos. Pſalmus: In omnem terram exiuit ſonus eorum &c. Et quamuis hæreticorum ſit impugnata iaculis & aliarum perſecutionum, ipſa tamen eſt & erit triumphatrix præ omnibus alijs fictis doctrinis. Hæc veritas hodie non ſatis magnipenditur,maior enim mundi pars conuertitur ad vanas ſcripturas potius quam ad ſanctam hanc doctrinam, eò quod pauci ſunt rectè inſtituti, & qui ſciant quemadmodum teneatur vnuſquiſque in ſtatu ſuo cognoſcere præcepta Dei & articulos fidei. Plures ſunt hodie dicit doctor quidam, qui ſe occupant vt ſciant leges Iuſtiniani, quam ſint

A qui operam dent vt ſciant quid neceſſarium eſt ad hoc quod quiſquam bonus ſit chriſtianus. Bonum eſt & expedientiſſimum talia cognoſcere. Sed primò & præ omnibus propriam addidiſcere oportet ſalutem. Heu Deus quid faciam? hi qui nihil norunt, veluti beſtiæ quātum ad viam Dei, & tantam malitiam,tantam vanitatem,ſtultitiam didicerunt,vt mundum ſequerentur? Si centeſimam applicuiſſent partem temporis ad addiſcendum,ſatis ſcirent ad eorum ſaluationem,ſed quia hanc ſcientiam contempſerunt ipſa pariter eos contemnet. Propterea dicit eis propheta Baruch:

B Viam veritatis non cognouerunt,idem perierunt propter ſuam inſipientiam,& habent maledictionem ſupradictam: Væ qui ponunt lucem tenebras hoc eſt,de veritate falſitatem faciunt, quemadmodum mendaces,periuri,& omnes huius generis homines, qui non habent reuerentiam ad veritatem doctrinæ Ieſu Chriſti. Matth.7. Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & prophetæ. Leges & prophetæ monſtrauerunt hanc veritatē

C quod vnuſquiſque faciat proximo, quod ſibi vellet fieri. Et hæc eſt veluti regula vitæ chriſtianæ, quam regulandæ ſunt omnes communicationes, omnes operationes quæ tibi ſunt cum proximo tuo,& vtinam vnuſquiſque bene conſpicere poſſet ſpoliatores & fures qui ſunt hodie in hoc regno non eſſent. Si diligenter conſiderares hoc præceptum, non grauares nec affligeres proximum tuum, ſubleuares indigentiam & vicini tui miſeriam,non obloquereris ei. Eſt autem mandatum hoc (vt noſti) Dei,& adimplendum eſt, nul-

D lum eſt remedium. Reddere nos oportet vnicuique quod ſuum eſt in ſuo ſtatu. Primò gloriam Deo & amorem ſuper omnia. Secundò proximo noſtro pietatem & compaſſionem, quod hoc ei debeas dicit ſcriptura. Vnicuique mandatum eſt de proximo ſuo. Deus præcipit & commendauit vnicuique proximum ſuum.

Quia debeamus reddere gloriam Deo de omnibus rebus & non nobis, hodie ſæpius nobis dicit Chriſtus in euangelio, cum ait: Si ego glorifico

E meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus qui glorificat me &c. quem vos Deum appellatis. ſ. & tamen eum non vultis cognoſcere. Hi qui murmurant contra Deum de tribulationibus & de perſecutionibus currentibus non glorificant Deum ſed in hoc ſe glorificant ac ſi non meruiſſent à Deo puniri debere.

Examinemus vnuſquiſque apud ſe conſcientias noſtras,& credo nos dicturos. Omnia quæ feciſti nobis Domine, in vero iudicio feciſti, quia peccauimus tibi & mandatis tuis non obediuimus.

F Diu iam fuimus in hoc regno in tribulationibus, verum pauci correcti ſunt. Omnes hæ tribulationes ſuper nos ſūt propter peccata noſtra, ſed metuo vt necdum ſentiamus ſufficienter eas,quia ad Deum per emendationem non reuertimur. Percuſſiſti eos & non doluerunt, & attriuiſti eos & renuerunt accipere diſciplinam. Indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti. Hieremiæ 5. Sume ergo ad correctionem Dei diſciplinas, ſuas tribulationes. Agere enim gratias debemus Deo quod ſic ei placet nos vocare, nec nos ad perpetuas tribulationes infernalis ignis

reseruare. Ideo dicebat sanctus Iacobus: Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tribulationes incideritis. Gaudere debetis incidere in huius mundi tribulationes, quæ duntaxat temporales sunt & faciles, quoad tribulationes infernales, & quoad magnum bonum quod medio harum adipiscemur. 2. ad Corinth. 4. Id quod in præsenti momentaneum est & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Omnia quę patimur leuia sunt & momentanea si consideremus quid operentur in nobis, magnam scilicet gloriæ mensuram. Suscipiamus itaque in patientia omne id quod placet Deo nobis mittere. Omnia enim facit ad melius. Et sic obediemus veritati suæ iustitiæ. Nec habebimus eam maledictionem quæ dicit: Væ qui ponunt dulce in amarum, & amarū in dulce. Cum murmuramus de his tribulationibus quæ nobis apparere deberent dulces, per patientiam eas capimus in amaritudine.

Simus ergo obedientes his tribus veritatibus, scientibus quod in tertio sequitur puncto. Si quis sermonem meum seruauerit &c. Qui seruabit sermonem meum & in effectum ponet per bonam operationem non gustabit mortem æternam. Ingens promissio. Videte magnum fructum audiendo, credendo & seruando verbum Dei quemquam non gustare mortem æternam. Reperio fructum hunc promissum in varijs sanctæ scripturæ locis Deutero. Obserua & audi omnia quæ præcipio tibi, vt bene sit tibi & filijs tuis. Hi qui audierint & obseruauerint verba sua, dies suos in bono claudent & anni eorum in gloria complebuntur. Sed hi qui contrarium facient, penetrabunt gladios, & in stultitia eorum peribūt. Et propterea dicebat sanctus Iacobus: Estote factores verbi, & non auditores tantum.

Quoniam (vt dicit sanctus Augustinus) audire veritatem nihil est, si non auditionem fructus sequatur. Sanctus Augustinus super psalterium dicit: Quid facere debeamus vt bene verbū Dei custodiamus. Incorporandum est à nobis & ad cor mittendum, quemadmodum is qui edit escam suam interius corpori immittit. Insuper facere oportet vt bestia præcisam & prius manducatam ruminans escam, sæpius ruminandum est in memoria quod audiuimus. Sicut enim esca cito capta & mox extrusa nihil (vt dicit Seneca) proficit. Cibus non accidit corpori, qui statim sumptus emittitur. Sic est de verbo Dei, non proficit statim auditum & statim oblitum. Sed cum conseruatur medicinalis est contra mortem æternam. Sapi. 16. Neque herba neque malagma sanauit eos, sed sermo tuus Domine. Nulla est medicina nec herba contra hanc infirmitatem quæ ad mortem ducit æternam, nisi verbum Dei quod talis est virtutis, vt qui ipsum seruauerit non gustabit mortem æternam. Cum falsi Iudæi hoc audirent perperam interpretati sunt, & allegauerunt Iesu Christo Abraham & prophetas qui mortui sunt, & tamen Dei verbum seruauerunt. Ipsi interpretantur de morte temporali, & Iesus Christus de morte loquebatur æterna. Ideo Iesus Christus eos arguit & ad veritatem reducere volebat, & dixit hoc quod prius fuit propositum. Antequam Abraham fieret ego sum. Tunc falsi & iniqui Iudæi sustulerunt lapides & eum voluerūt lapidare. Profectò valde faciunt cōtra Iesu Christi opera. Nam contra dura verba eorum, contra eorum blasphemias eis respondet amicabiliter. Et contra dulcia verba Iesu ipsi cucurrerunt ad lapides vt eum lapidarent. Duritia currit ad duritiam, duri erant vt lapides, ideo currebant ad lapides. Eccle. 6. Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, & Iob. 41. Cor eius indurabitur sicut lapis. Sapientia Iesu Christi eis dura apparebat, quia cor eorum sicut lapis induratum erat, tunc Dominus noster se abscondit & exiuit de templo. Quod nobis significat veritatem cum his permanere non posse qui eam respuunt. Quia in maleuolam animam non introibit sapientia. Sap. 1. & Deuter. 32. Abscondam faciem meam ab eis, ab his scilicet qui verba Iesu Christi seruare noluerint, sed ipsum lapidant per malam obstinationem peccando. Multa adducere possem de spirituali hac lapidatione, de qua dicit sāctus Augustinus, Magis delinquit qui contemnit regnātem in cœlis, quam qui crucifixum ambulantem in terra. Maius est delictum offendere Iesū Christum regnantem in cœlis in corpore glorificato, quā eum offendere ambulantem in terra in mortali corpore. Ad pręsens sufficiet mihi quod dictū est, hoc est, verbum Dei per bonam intentionem audire debere, & per bonam patientiam peccatorumque nostrorum obiurgationem. Credere oportet humiliter veritatem doctrinæ vitæ & iustitiæ, nec hoc sufficit nisi ponatur in effectum per bonas operationes vt euadere possimus mortē ęternā & demū habere paradisi gloriā. Amen.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

Sermo.

Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu. Perfectè in vobis sentite quod in Iesu Christo inuenitis. Nonnulli opinātur sermones duntaxat fieri ad addiscendum & sciendum quod prius ignorabatur. Ideo dicunt interdum irridendo quid facerem in sermone, scio plura bona quam velim facere. Tales homines falluntur, sermones enim non solum fiunt vt addiscatur bonum, sed ad mouendum cor & affectionem, vt amet & desideret & compleat quod bonum est. Ideo dicit apostolus in verbis propositis, non addiscamus quod est in Christo Iesu sed quod sentiamus. Hoc sentite inquit, in vobis quod & in Christo Iesu. Hi qui aliter faciunt & qui solum visitant sermones vt audiant & sciant rem aliquam nouam, frustrantur, suntque tales de quibus dicit apostolus, quam sēper sunt addiscentes & nihil scientes. Nihil enim sapiunt, nihil est gustum eorum mouens aut desiderium. Et hoc cernimus in compluribus hominibus qui solum audiunt sermones & legunt scripturas, nec tamen eo melius valent, sed aliqui peiores inde efficiunt & obstinati. Exemplum de illis qui audiunt medicos & nihil faciūt. Heu deuoti non est difficillimum scire quod sit bonum, vel ipsum docere quod scitur. Ideo bene dicit

dicit apostolus: Hoc sentite &c. Quid inuenimus in Christo Iesu? omnes virtutes. Sed specialiter deflectamus oculos considerationis nostræ ad mysterium processionis qui ei hodie facta fuit cum iret à Bethania in Hierusalem, quæ ferè distat ad miliare vnum, & inueniemus rem vnam inter alias quã perfectè semper imitari debemus. Et est quod cum vidisset ciuitatem Hierusalem, fleuit super illã. Nam profundè sẽtiebat per affectionem & compassionem mala quæ futura erãt super ciuitatem illam & malitiam inhabitantiũ eam, qui omnia talia flocci pẽdebant, nec sentiebãt quicquã tanquã obstinati in malis. Timebat & mortem suam: Deuoti homines sentiamus in nobis pijssimam hanc tristitiam & sapidissimam compassionem saluatoris nostri Iesu Christi, qui talem habet de aliorum condemnatione pietatẽ, quod flet, à fortiori nonne debemus nos flere super nos & super mala nostra, & propter mortem? Sentire in nobis debemus diligenter dulcem cõpassionem illam Domini nostri Iesu Christi, quã habuit super peccatis. Et religiosè credendum est dominam nostrã ipsum sic flere percepisse, ac eã cum ipso fleuisse. Et per hanc cõpassionem dulcẽ ac amorosam, tibi supplicamus virgo dignissima virgo pia vt impetres nobis gratiã sentiendi mala nostra, & ea amare deplorandi & fructuosè, profundè sentiẽdo, quod inuenimus in Christo Iesu benedicto filio tuo. Nihil enim est quod adeò conducat ad habendam claram cognitionẽ boni & omnes sermones intelligendos sicut est compunctio. Purgat enim cor & emollit, ipsumq; disponit ad recipiendam omnem veritatem, vtilem ad salutem. Per oppositum, cor quod durum est omnia ad malum vertit, vel ad vilipensionẽ quicquid audit, exẽplo Iudæ qui ob nihil quod vidit in Iesu Christo, conuerti voluit, quia non sentiebat in corde quod videbat extrinsecè. Tolle nobis virgo gloriosa talem cordis duritiam, & ipsũ emolli ad profunde sentiendum fletus & lachrymas tuas, tuiq; benedicti filij, & generaliter quicquid in eo inuenimus. Ad quam gratiam impetrandam, nos te salutabimus.

Hoc sentite, &c. Quia cor nostrum humanum interdum vsque adeò durum est vt non sufficiat verba ad ipsum mollius faciendum, vt benefaciat & à malo abstineat, ne quisquam allegare posset ignorantiam, Dominus noster Deus voluit nobis ostendere per exemplum librumq; sensibilem atque visibilẽ quid facere debeamus & sentire, sicut pater vel præceptor suis facit pueris. Liber iste & exemplum saluatoris nostri Iesu Christi est ipse secundum humanitatem. Nulla enim virtus est, quin admodum clarè & apertè ibi scripta sit. Omnis Christi actio nostra est instructio. Omne quod fecit & dixit Christus, fecit & dicit ob nostram instructionem, & ad mouendum nos vt bene operemur. Hoc sciebat & considerabat apostolus quando dixit: hoc sentite in vobis, &c. Relinquamus in præsentiarum recitare omnem decursum vitæ suæ, prolixum nimium foret ipsũ enarrare. Conuertamus considerationis nostræ oculos ad hodiernæ processionis mysterium. Et sentiamus in nobis quod videbimus. Non sumus veluti mutæ bestiæ quæ inspiciendo libros vel picturas, in nullo mouentur. Vis tu cognoscere & sentire voluntatem? Vbi eam videbis magis

A propriè & euidentius quam in saluatore tuo Iesu Christo, & in rege tuo; immo in rege totius mũdi & Domino dominantium. Venit ad te & pro salute tua admodum humili modo. Primum supra vilem quandam bestiam, supra asinam vel asellum, quamuis magnus honor ab Israëlitico populo ad extra illi exhibitus fuerit. Inspice, cogita & senti in te quale gaudium & quantam ambitionem aut superbiam assumpserit, quia gemit & flet. Optimè sentit mundanum honorem nihil esse, & mox in contrarium versum. Magna

B differentia est huius processionis ad illam, quæ non diu post ei facta fuit. Modò dantur ei alia vestimenta, tam vt sedeat supra illa, quam ad exhibendum sibi honorem, tunc ei scindetur & parabitur crux ad ipsum crucifigendum. Modò appellatur rex Israel & saluator mundi, tunc irridebitur & blasphemabitur tanquam impotens & stultus. Modò benedicitur, tunc maledicebatur. Modò rogatur vt saluet alios, tunc dictum fuit ei quod seipsum saluare non posset. Nimis

C magna differentia est in hoc quod dicitur modo: Salua nos fili Dauid, & quod dictum fuit. Crucifige crucifige. Confidite ergo vos stulti honoribus vanis & mundanis, immo verò confidere nolite. Videtis enim de tali honore mox labi ad irrisionem & inhonorationem. Ad vos ergo humiliandos sentite in vobis &c. si mundani honores in hac vita desiderandi forent, Dominus noster non refutasset eos sed demonstrare voluit quod verterentur in inhonorationem & aduer-

D sitates, blasphemiæ & irrisiones in perpetuam gloriam conuerterentur & honorem. Sicut dicit apostolus. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, propter quod exaltauit ipsum & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Propter Iesu humilitatem nomen eius taliter exaltatum est, vt omnia inclinentur ad nomen Iesu, tam in cœlo, quam in terra & inferno. Si

E profundè hoc in nobis senserimus, non erit nobis curæ consequi & acquirere magnos status & ingentes pompas in hoc miserabili mundo transitorio. Omnium malorum radix auferretur, & sic cessarent alia mala. Notate qualiter saluatur quod dicitur: Crudelis est qui famam suam negligit, faciendum est debitum suum.

Sed insuper si quis vult addiscere liberalitatem contra auaritiam, vbi inueniet eam melius quam in saluatore nostro, qui vt nos ditaret, pauper esse voluit, & dedit non modo sua sed semetipsum. Si Iudas profundè sensisset istam diuitem spiritus paupertatem, nunquam cecidisset

F in talem damnationem per auaritiam & rapinam, cui assimilantur multi nostro tempore, vnde dolendum est.

Vis scire patientiam & æquanimitatem, senti in Iesu Christo, quem hodie principes legis reprehenderunt de honore sibi impẽso, quos valde patienter sustinuit, cum eos solo verbo detrahere & perdere potuisset. Vis scire magnificentiam & qualiter honorare debes Deum & ecclesiam suã, inspice quod expulit è templo omnes qui faciebant impedimentum honori Dei. Notate mira-

culum secundum sanctum Hieronymum. Notate concordiam patientiæ & magnificentiæ. Hi sunt arguendi qui verentur aut erubescunt flere. Notate de Arsenio, notate de sancto Petro, qui dixit quæro quando odiret &c. Inuidia excæcat, & pueri laudant. Moraliter qui petit Hierusalem habet virtutum processionem &c.

Possem etiam dicere de omnibus alijs virtutibus, sed comprimam sermonem loquendo de virtute generali (quæ comprehendit omnes alias virtutes) scilicet obedientia, de qua loquitur apostolus, vnde sumpsi thema meum & dicam. In corde conscientiæ Christi Iesu obedientiam sentite. Obedientia in duobus consistit, in innocentia & pœnitentia. Innocentia est sibi cauere à peccato. Pœnitentia delet peccatum quod iam est perpetratum. Inuenimus innocentiam in Christo Iesu quoad personam suam, quoniam nunquam peccauit & obedire voluit Deo ad duram vsque mortem, mortem videlicet crucis. Factus obediens &c. Pœnitentia fuit in eo non quidem pro peccatis suis, sed pro nostris. In signũ huius fleuit hodie cum vidisset ciuitatem Hierusalem. Innuendo etiam nobis, quod in via huius mundi quærendo ciuitatem Hierusalem superiorem, nos flere debemus propter mala nostra & peccata, & habere pœnitentiam. Non habemus hic manentem ciuitatem, &c. Primum punctum duorum istorum vltimorum erit declarare bona obedientiæ, quæ fit Deo per euitationem peccati, & innocentiæ suę conseruationem. Secundum erit ostendere quod post peccatum saltem ipsum deleamus per pœnitentiam. Nec immorabor ad longum declarare euangelij mysterium, aliàs ipsum prædicaui, etiam non intantum volo prædicare ad aliquid noui docendum quam ad monendam voluntatem nostram velle facere & adimplere, quod iam scimus & ipsum renouandum. Hoc quod iam scimus in memoria nostra, quemadmodum peccata nostra renouamus. Et hoc proderit magis quam addiscere nouitates, exemplo illius qui didicit hanc lectionem: Dixi custodiam &c. Exemplis fœminarum redeuntium à sermone quæ dixerunt se nescire dicere quod prædicator dixerat, sed referebant bonã voluntatem, &c. hoc est bene addiscere & proficere. Et de illo qui non sciebat nisi miserere. Deuoti homines dicamus igitur quod qui profundè sentire posset in corde suo miseriam & horrorem peccati, & per contrarium pulchritudinem & felicitatem innocentiæ exemplo Iesu Christi, nũquam consentire vellet peccato mortali vsque ad mortem. Sic senserunt sancti martyres, immo, & ipsæ paruę puellæ, quemadmodũ sancta Agnes, sancta Agatha, sancta Cæcilia, sãcta Catharina, quę bellabant contra peccatum vsque ad mortem duram atque crudelem. Hoc modo sensit Anselmus cum dixit, quod si infernus esset ex vna parte & peccatum ex altera, malle sese in infernum deijcere, quam peccato se dedere. Et sumit hic infernum pro pœna non intelligendo de barâtro, vbi sunt omnes damnati. Peccatum est res adeò displicens Deo, quod non est tam bonus amicus aut amica, quin ipsum damnaret si inueniret eum in vnico peccato mortali. Diceretur vtique patrem aliquem alium quen-dam habere magno odio, si vt ipsum occideret, A proprium interimeret filium vel matrem propriam. Sic tamen fecit Deus, vt enim necaret peccatum, tradidit proprium filiũ suũ morti, nec mater eius dolorem euasit quin eum sentiret, quia passionis gladius cor eius transfixit. Meritò odio habere debemus peccatum quod eo pacto tormentis affecit, & morte Deum nostrum ad Dominum nostrum, & generaliter omnia mala quæ à peccato prodeunt fugere debemus, præsertim quod sumus similes bestijs, immo peiores eis. Videamus etiam quam odiosum sit peccatum B coram Deo, cum sic deijcit & prosternit creaturam suam in ignem perpetuum, nunquam auferendo eam, ideo dicitur in furore, propter crudelitatem, pœnæ in quam mittit, & si in se infinitè sit misericors, peccatum facit hominem in talem prolabi statum, quod melius esset ei si non esset, vel esset versus in mutam bestiam. Peccatum constituit hominem tyrannum & latronem erga Deum, immo erga vniuersum mundum quoniam peccatum offendit Dominum vniuersi C mundi, & per hoc offendit omne id quod sibi subiectum est, & omne quod amat. Insuperetiam per peccatum homo abutitur omni creatura, & destruit (quantum in se est) ordinem mysticum & bellum tremendum rationabilium creaturarum contra peccatum. Ideo etiam omnia erunt contra peccatores, immo & ipsemet peccator contra se erit. Peccatum facit hominem membrum & filium inimici atque subiectum eius, & in potestatem eius se subijcit, nisi Deus D prohiberet, quæ est mutatio de filijs Dei in filios diaboli. Vos ex patre diabolo estis &c. Peccatum efficit peccatorem magis vesanum & furiosum, quam sit aliquis mente captus. Peccatum enim seipsum occidit proprio suo facto & ostendit se habere odium contra semetipsum, quemadmodum ostẽdit Aristoteles & hoc modo nulli amicus est, &c. Nota de Achitophile qui se suspendit, & de Iuda. Absalon quoque suspensus fuit, & cor eius tribus transfixum lanceis. Peccatum hominem in talem ponit statum, quod solũ E opus esse deijcere murũ vel parietem ruinosum, & statim delabi in foueam quandam igni plenam sine vllo exitu, paries hic est corpus. Notate de arbore, huiusmodi sunt mala quæ facit peccatum per inobedientiam & alia innumera. Quæ valde bene intellexit Christus Iesus, alioquin nunquam voluisset pati talem pœnam, ad quam sustinendam hodie sese obtulit. Sed vnde est quod tam pauci seruant innocentiam, seque dedunt inobedientiæ? Hoc contingit vel per defectum bene sentiendi malitiam peccati & horrorem eius. Et F vnde contingit talis defectus? Contingit nimis obediendo asino suo & nimis bene volendo ipsum nutrire. Et est similis abusio tãquam si asinus caderet in curru quodam & magister eius illi seruiret in terra & in genubus & addiscamus per illum &c. Quis est ille asinus? secundum Hieronymum est proprium corpus nostrum, quod obedire dum animæ & rationi sicut asinus magistro suo, & quemadmodum videtis quod asinus si permitteretur ei liberum arbitrium, deijceret magistrum suum in foueas & alia pericula, ideo datur ei frenum vel baculus. Sic est de corpore

respectu animæ. In hoc imitari debemus exemplum Christi Iesu, qui ostendendo hanc obedientiam corporis, ad animam, voluit subijcere asinũ, quemadmodum etiam sanctus propheta reputabat se coram Deo dicens: Vt iumentũ factus sum apud te. Tres sumantur considerationes secundum tres res asino pertinentes scilicet virga, onera & cibus. Per contrarium sunt cæcitas quæ ducit per viam tenebrosam. Desidia qua cadunt vrticæ & spinæ. Otiositas per viam spinosam. Voluptas per viam lutosam. Sumamus hic quatuor considerationes, comparando corpus nostrum asino qui portat spiritum nostrum ad peregrinationem hanc in ciuitatem Hierusalem superiorem. Expediens est & necessarium discere & scire præcepta Dei, quomodo enim alias adimpleri possent? Aliqui magis obligantur plura scire quam alij secundum diuersos status, ætates, gratias & officia, hoc est contra illos qui claudunt oculos & surdam præbent aurem ad bene sciendum, per hocque excusati esse credunt, tales sunt nimium stolidi. Ignorans enim ignorabitur. Adhuc peiores sunt illi qui peruertere volunt veritatem vt liberius peccare possint. Exemplum de vulpe, quæ dicebat arietem esse Salomonem. Hoc etiam est contra curiositatem illorum qui scire volunt quod non est opus, & propriam negligunt salutem, facilè retinebunt longam fabellam, sed præcepta Dei & bene viuendi modum obliuiscuntur, & sic sæpè amittunt innocentiam & obedientiam. Non est tam paruum artificium quin addiscatur laborando. Bestiæ etiam instruuntur facere illud ad quod eos vis ordinare, vt equinus pullus instruitur celeri gressu ambulare, canis venari, pueri præcipuè sunt instruendi bene cogitare, & debitè cognoscere hoc ad quod facti sũt, sicut Thobias docuit filium suum. Patres quoque & matres maiorem reddituri sunt rationem si eos non vt debent instruant, quam si interdum eos fame perire permitterent. Ideo ordinatum est matrimonium. Locandus est in tali & in tali subiectione proprius asinus & proprium corpus, vt non impediat sentire de Deo, & quin aliquid de Deo cognoscat, etiam in iuuenili ætate sua omnis illa maledicta obliuio quæ nobis accidit ex hoc est quod nimium nitimur facere iuxta placitum asini nostri, & anima nostra omnino se ponit ad seruiendum ei. Ob hanc causam sunt ordinata ieiunia & festa ad redeundum ad semetipsum, & cogitandum de factis Christi Iesu aliorumque sanctorum. Aliàs opinatus sum & argui quod peccatores non bene crederent in Deum & in fidem nostram, quoniam inquam, qui crederet quod ob peccatum amitteretur paradisus & lucraretur infernus (est malum lucrum) quomodo auderent homines facere mala quæ quotidie faciunt. Sed cum bene consideraui, non opus est talia mala accidere per infidelitatem, sed per non sufficientem cogitationem ad illa. Exemplum de morte, quam quilibet credit, & tamen viuit tanquam si esset æternus. Exemplum de illo qui fabulabatur & ridebat iuxta patibulum in biga, maiores motus impediunt minores. Fides adest, sed non viua & actualis. Hinc est quod sancti prouidi versantur sæpe in fletibus & lachrymis eo quod vident finem & mortem, mala & pericula eo-
A rum & aliorum. Vidi stultum fixa radice & maledixi, &c.

Exemplum de illis quorum amici mortui sunt, nec curant de gaudio, de vestitu, de donis, sed solum loquuntur de miseria & breuitate mundi, & quod stultus est qui hæc curat. Laudabilius est seruare innocentiam, quam perditam recuperare per pœnitentiam. Illi qui dicunt peccabimus, & deinde pœnitentiam agemus, tribus rebus impediuntur, defectu gratiæ, mala consuetudine, &
B senectute. Ideo maledicendi sunt illi qui dant occasionem innocentiam corrumpendi aliorum, qui volunt bene agere. Vel qui se delectant habere societatem in peccatis eorum. Hæc est conditio diabolica. Tales peiores sunt homicidis, aut incendium facientibus, aut imprægnatarum mulierum suffocatoribus. Quid dicemus de patribus & matribus qui instruunt omnia mala loqui pueros eorum, illos inquam per quorum os Deus laudari debet & benedici? Ex ore infantium & lactentium, &c. Qui non vult innocen-
C tiam seruare, debet saltem facere tam pauca sicut poterit mala & inobedientiam. Contra eos qui iurant, vel desperant quando fecerunt aliquod malum, & illos qui irrident desperatos post peccatum eorum quod perpetrarunt alijs dant audaciam, & proijciunt lignum post cuneum, non est bonum quin obliuiscatur. Et videmus bonam conditionem & consuetudinem mox postquam fracta est declinare de peiori in peius. Si tibi aliqua fuerit ægritudo, non debet petere aliam, aut
D te omnino perditioni exponere, aut si cecidisti in lutum, non debes te amplius immittere vel intrudere.

Volebam considerationem meã vertere ad hortandum in secunda parte de obediẽtia quæ nominatur pœnitentia, & motus eram ad hoc tam exẽplo Domini nostri qui fecit hanc pœnitentiã hodie supra peccatores, quã pro tempore huius septimanæ quæ nominatur pœnosa septimana, quã etiã propter eam quæ est necessitas, quia paucissimi inueniuntur innocentes homines, & reuera pauci
E etiam veri pœnitentes, sicut dicit sanctus Ambrosius. Videbatur tamen mihi saltem peccatorẽ postquam peccasset agere pœnitentiam debere. Deus non contulit hanc gratiam angelis, quia post peccatum angelorum non erat locus pœnitentiæ. Sic cogitabam cum mihi visum fuit, quod quatuor mali equorum famuli aut mangones quatuor bestiæ impedirent asinam nostram redire per bonum iter, & reuerti ad Deũ atque ad rationem per pœnitentiam. Vnus famulus erat qui oc-
F cupabat os asini nostri, ne quicquam dicere posset ad monstrandum in quã foueam cecidisset. Alius erat desperatio & obstinatio, quæ innitebatur asino nostro ne posset vel vellet resurgere, sed cõtinuè de peiore iret in peius, & dicebat: quare surges, cum iterum sicut prius relabereris? Tertius famulus vel mango diaboli erat præsumptio, quæ faciebat credere asinum nostrum quod mox cum opus esset, asinus noster resurgeret, nec opus esset alia solicitudine. Quartus erat timor qui est in pœnitentia. Inde sequebatur magna multitudo omniũ membrorum hominũ qui per mala verba

& exempla criminabantur statum asini illius & exercebant eum laudibus, etiam vt nesciret vbi esset, lauda precor. Contra timorem exemplũ de moniali. Exemplum de rege qui admonuit militẽ, & miles dixit, quod homines irriderent eum qualiter haberet timorem moriendi, &c. si confiteretur. Exemplum de illo qui mortuus est, quia se ostendere medicis noluit, &c. Remedium est oratio ad Deum. Asina Balaam. Secundò considerare finem, & perpetuam verecũdiam, & quod nescimus quando exeundum est nobis. Tertiò capere debes aliquem fidũ & quem melius amabis. Et si solum habeas curatum tuum qui sit stultus, aut inexpertus, pete facultatem eundi ad alium. Interdum prodest scriptura, interdum obligare se sub aliqua pœna, interdum rogare presbyterum vt talem personam instruat & ne mentiatur, quamuis ipsam dicere sit melius. Notate de verecundia Iesu Christi. Verecundia accidit propter ignorantiam dicendi alia sine verecundia. Contra obstinationem exemplum de Cain & de Iuda. Exemplum de puero, qui cadet sæpe. Causa est sæpè propter superbiam, & per hoc vt quis confidit propriæ virtuti, & quod quisquam irascitur suæ fortitudini aut sibi ipsi. Exemplum de manibus, quæ si mundantur quotidie, & de panniculis & de scutellis, immũditia non est tam tenax. Et hoc est contra eos qui timent confiteri adhuc semel. Verum est quod propositum vindictæ impedit mirum immodum & non restituere, similiter rapinæ, sed consilium est se præsentare presbytero, petere remedium non quidem quod presbyter talem absoluat si propositũ semper sit continuatum. Contra præsumptionem exemplũ de multis subitò mortuis & per mortalitates & aliter. Inuenitur presbyter occupatus vel in ægritudine quæ impedit, non potest haberi sanum consilium, non potest accedi pœnitentiarius, multi non sciunt dicere peccata eorum nisi recitando fabulas & occupando presbyteros, & solũ dicunt in generali, quærite qualis diligentia est adhibita, & quid de peccato oblito, si debeant omnino dici presbytero peccata reseruata, vel illa quæ erant oblita & redeunt ad memoriam, si recipiẽdo corpus Domini veniat recordatio alicuius peccati. Notate duram iustitiam & vindictam quã sumpsit Deus de Hierusalem. Contra timorem pœnitẽtię exemplum quod patimur propter mundũ. Nota quod sola ea pœnitentia dari vel iniungi debet, quam iniungens opinatur à se implendam fore. Sacramentum & veniæ seu indulgentiæ liberãt de magna parte, & præceps sanctorum cum quis se ponit ad curiã misericordiæ & pœnitentiæ, cõtra eos qui ceciderunt in infernum per facta nimiæ pœnitentiæ quoad malos & ad eorum exempla, stultus est qui se damnat propter alterum, & qui se per societatem vinciri seu capi permittit. Tres peruersi ministri onerant asinum ne possit resurgere, verecundia, spes & desperatio. Verecundia quæ nascitur de peccato detegendo. Spes de abysso misericordiæ diuinæ. Desperatio propter iustitiam eius districtam, aut de impotentia satisfactionis. Ab his tribus ministris cauemus vt veram pœnitentiam Deo acceptam & nos Deo prorsus reconciliantem implere possimus. Ad quam nos perducat, &c.

IN RAMIS PALMARVM, SERMO.



A ECce *rex tuus venit tibi mãsuetus, &c.* In honorabili aduentu regis regum in Hierusalẽ mater nostra sancta Ecclesia vtitur in Euangelio alta buccina & sonora Zachariæ Prophetæ ad monenda corda nostra vt deuotè recipiamus eum. Et dicit verbum propositum. *Ecce, &c.* Profectò venit mansuetus & benignus rex regum Dominus noster Iesus Christus, quoniam dicit sanctus Lucas

B quod videns Iesus ciuitatem Hierusalem, fleuit super illam. Ecce omnem pietatem, dulcedinem & benignitatem. Rex noster fleuit. Quare fleuit? Ob destructionem Hierusalem, quã præsentiebat & denunciabat quæ fuit quadraginta annis post fletum suũ per Titum & Vespasianum, talis & tam horribilis quod per rabiem famis notabilis quædã mulier assauit filium suum & comedit eum. Etiam considerando vanitatem mundanorũ bonorum

C sicut Heraclitus fecit. Sciebat enim Christus omnes honores qui tũc ei exhibiti fuerant conuertẽdos esse in dehonorationẽ die.s. dolorosæ passionis suæ. Magna erat differentia dicere: Benedict⁹ qui venit in nomine Domini, & dicere: Tolle tolle crucifige eum. Fleuit propter Apostolos & discipulos suos qui eũ erant relicturi. Fleuit pro omni genere humano quod non intraret rectam ciuitatem suam, ciuitatem paradisi. Fleuit etiã propter te (vt opinor) virgo dignissima, virgo quæ eras & es mater sua tam honorata, tam dilecta & tam

D amata, quia tunc sentiebat dolorosam angustiam quam esses passura in hora duræ mortis suæ & passionis. Ideo etiam bene cogitandum est, quod modò hoc die cum gaudio quod habuisti de honore suo, etiam amarã habueris tristitiam cum eũdem Dominum nostrum flere persensisti. Teneo enim te affuisse de proximis. O deuoti homines quid hic cogitare possumus, si Domin⁹ noster vel domina nostra etiam fleuerunt pro nobis, quale nos ducere possumus gaudium, nos qui certitu-

E dinaliter, incessanter, pedetentim ad mortẽ properamus, qui nescimus quando nos prosternet, citò vel tardè. Reuera erit citò, quoniam in tam breui tempore nulla est tarditas. Nec scimus qualem habituri sumus ciuitatem vel paradisum, vel perpetuã damnationem, cũ Dominus noster veniet in suo terribili iudicio, velit Deus vt cõpleamus ꝙ dicit Apostolus in epistola hodierna. Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu. Quid sentite? Sentite omnẽ humilitatem, omnem dulcedinem, compassionem & benignitatem, & quod ve-

F rum est quod dicit Euãgelium & propheta in nostro themate: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Sensationẽ nostrã pro peccati infirmitatẽ corruptam esse nisi gratia eam sanet. Ideo supplicamus tibi priusquã vlterius dicamus. Supplicamus inquã tibi virgo mater regis nostri per illam misericordiam & compassionem quã habuisti hodie quando vidisti & sensisti eum flere, sana & commoue dura corda nostra ad fletum & compassionẽ. Nimis rudes sumus ac crudeles contra nosipsos, qui pro nobisipsis flere non possumus, pro quibus tu & gloriosus filius tuus fleuistis. Efficiantur igi-

igitur tua intercessione corda nostra tenera & mollia ad audiendam ad ædificationem nostram. Ad quod impetrandum salutabimus te ea salutatione quam nunciauit Angelus. Aue Maria, &c.

Ecce rex, &c. Vertendo considerationis meæ hac & illac oculos ad sumendam & eligendam ædificationem aliquam in tam ampla & lata materia, sicut est illa hodierni mysterij, quia omnia dicere nequirem, vt bene credo. Clamo supradictum sonum. Ecce, &c. Aliquando mihi dicebat, & ducebat consideratio mea vt loquerer de processione hodierna, & declararem secundum puncta Euangelij. Quam processionem facere debeamus in Hierusalem animæ nostræ, vel dicerem de causis & circunstantijs huius processionis, & qualis differentia fuit inter illam & eam quæ fuit die veneris magna & sancta. Aut exponerem qualiter vnusquisque se habere debeat & ordinare ad exemplum summi regis, declarando qualiter venire debeat ad populum suum dulcis & benignus pro eo & non contra eum, ad ipsum defendendũ non spoliandum, non ad propriam, sed publicam vtilitatem. Et populus eum debet reuerenter, seruiliter & iocũdè recipere. Vel si sumas excusationem ob regis præsentiam. Dic de causis ob quas ciuitas Hierusalem destructa fuit per corruptionẽ trium statuum. Quia Ecclesiasticus status iunctus erat & vxoratus auaritiæ & inuidiæ. Status dominij & militaris iniustitiæ & tyrannidi. Status popularis & ciuilis ingratitudini & inobedientiæ. Hæc dura est materia. Aut si restringere vel sermonem tuum secundum statum cui locuturus es, per quid sunt mali officiarij regales, à summo vsq; ad infimum: hoc est ex omni parte. Exemplo Pilati satellitũ & militum. Illic nec fidem inuenies, nec legem, nec rationem per quæ tam dolorosa contingunt tormenta sapienti vt cor ea cogitare non possit, nec lingua recitare, quæ clamant alta voce cũ clamoribus & vocibus. Vindictam vindictam, emunt officia & tam altè ponunt, vt requirantur oblationes, nec vlla sufficiunt iuramenta, nec versus nisi eos composuerint, hic cœpi facere refutationis signum, eò quod materia nimis est periculosa & odiosa & principaliter ob desperationem, posse tales excessus corrigere vel emendare, & quod me haberet excusatum, tũc me mea redarguit consideratio. Quomodo inquit, tu qui esse debes veritatis prædicator, refutas tu eam dicere ob timorem vel adulationem? quando dissimulatio vel adulatio pessundant prædicatorem, actum est, de eo dici potest rectè, nunquam eum quicquam dicturum quod conducibile sit. Deus me præseruet, respondi: potius mihi mors accidat, quam hæc proditoria adulatio me decipiat. Profectò quamuis hæc materia valde periculosa sit & odiosa, si tamẽ eam dicendo crederem proficere, & quod aliquæ correctiones vel emendationes sequerentur, scis me illam non subterfugiturum, nec me ab ea retractuum. Sic loquebar in secreto cogitationis meæ colloquio. Et consensi considerationi meæ, cum humana impatiẽtia se plenam murmure & obtrectationis ostendit, quæ Deum accusabat, conquerendo de eo quod videbat & sentiebat in toto mundo & tanquam repugnando atque accusando de falsitate nostri thematis dictum. Ecce rex tuus venit tibi
A mansuetus.

Quæ mansuetudo hic esse potest (ait impatientia) quæ inuenitur misericordia cum omnia malè se habeant, sed non tantum malè, sed quia deuiatur & caditur de peiori in peius, de afflictione in afflictionem, de tormento in tormentum. Si Deus est rex & tam dulcis atque mansuetus, quare patitur tales miserias accidere ciuitati sanctæ Ecclesiæ per execrabile schisma & diuisionem? Quare præcipuè vnusquisque suũ conqueritur dolorẽ,
B patitur ipse in Francia talem afflictionem capitis, quæ descendit per singula membra vsque ad plantam pedum? quotiens vocatus est Deus, quotiens deprecatus tam in aperto, quam in publico. Totũ hoc frustra fuit, non venit, aut si venit, est sine mãsuetudine, est sine compassione grauium malorũ nostrorũ. Quid ergo nobis prodest seruire Deo? quid prodest illi credere? eum rogare? Nõne melius est sese dedere bono tempori? & secum sumere terrenas delicias, interea dum haberi possunt, quam expectare aliam mercedem aut alteram vi-
C tam, de qua nihil cognoscitur. Ad hæc impatientiæ verba tremui præ timore, & in memetipso fremui, quoniam ipsa accusabat Deum & alios, & contradicebat mansuetæ misericordiæ saluatoris nostri tanquam ipse foret durus & crudelis, & omne hoc erat desperando ac si ipsa damnata esset, vel similis porcis ac multis bestijs. Conuerti igitur me ad reddendas aliquas rationes, ob quas humana impatientia de fide nostra non plenam recipiebat consolationem. Quid mirum inquam,
D si non habeas subsidium & subleuamen de rege tuo, nec consolationem, cum eum refutes, cum non dignaris ipsum inspicere, recipere aut honorare? Tum illi claudis portas ciuitatis tuæ proditoriæ per seras durorum peccatorum mortalium, & aperis eas per malum consensum tuis & suis inimicis, præsertim magis amas honores & recipis, quam Deum, malum quendam proditorem, terrenas delicias, quæ sæpenumero sunt sine fide, sine lege & sine fidelitate, tam erga Deum, quam erga homines subiectos eius. Et excludunt fide-
E litatem seu fidem, quæ debet respicere Deum in spe, quæ debet eum expectare & benignitatem quæ eum honorare debet & seruare. Terrena voluptas stulta est, sine claritate puræ & veræ fidei, nec vult respicere aut intelligere cum dicitur.

Ecce rex tuus venit, &c. Fides in virtute considerat quando rex suus venit ad eã. Quomodo venit? Per inspirationem secretã, aut per prædicationẽ vel prosperitatem, vel tribulationem, tales
F præsentant aduentum Dei. Sed delectatio terrena non vult aperire oculos suos vt videat, ideo non cantat Deo vt Deus sit benedictus, exemplo filiorum Israël hodie. Si terrena delectatio forsitan Deum suum considerat venientem, tamen taliter infixa est terræ & in luto vilis delectationis, quod est sine lege & sine spe in Deum, nec se mouere vult, nec leuare vt eat obuiã Domino suo cũ dicitur: Ecce rex tu' venit, &c. Non habet palmã studiosæ operationis. Delectatio terrena sine ordine & sine dispositione plena est omni infidelitate, contra subiectos Deo. Ideo sentire non vult quod Deus veniat mansuetus ad eam.

Nam & hoc meretur malitia. Sic tu qui duntaxat voluptatem quæris terrenam, non sternis vestimenta tua in via Dei tui, sed eum spolias deprædaris, & furaris in membris suis. Ideo bene cognoscis, ô humana impatientia, quod terrena delectatio occupat & claudit omnes vias per quas dulcis rex noster ad te venire vellet, & (quod peius est) tu ipsum optas occidere & crucifigere, quantum in te est, sicut dicit Apostolus, quia facis incessanter peccata, ad quæ tollenda mortem voluit sustinere. Facis viam suam obscuram & tenebrosam per infidelitatem, immũdam per viam carnalitatis asperam & spinosam, per iram & crudelitatem.

Debes facere tria seruitia secundum tres quæ in eo sunt considerationes, ad exemplum illorum qui hodie Christus seruierunt. Cognoscere debes nobilem suam & regalem dignitatem per orationem deuotam, cantando: Osanna filio Dauid, benedictus, &c. laborem suum pro te & pœnalitatem suam, per bonam operationem, spargendo tunicam corporis tui per abstinentiam & afflictionem, dulcedinem & benignitatem suam, per sparsionem ramorum oliuarum quæ significant pietatem & compassionem. Delectatio facit hominem superstitiosum, stultum & blasphemum, pigrum, immundum & luxuriosum, horribiliter crudelem, ineptum & odiosum, cum debeat esse religiosus charitatiuus, pius erga proximum. Notate quod Iudæi non receperunt Iesum Christum pro Rege eorum, propter paupertatem eius, & quod eam recipiebat per suam pœnalitatem, & hortabatur ad eam per benignitatem suam quam præcipiebat. Terrena voluptas vult dominari, delectationem sumere & rapere, quia est profunditas quædam sine termino. Cum delectatio terrena videt Deum huiusmodi non dare mundo, ipsa paruipendit ea recipere quæ Deus confert, immò murmurat, vel ipsum non esse potentem, vel iustum, aut beneuolentem.

Murmurat inquam, contra opera eius. Dico quod arguit contra eos qui ipsa faciunt, Deus est iustus ideo necesse est vt malè facta puniat, & bene facta remuneret. Quod cum illud in mundo hoc fieri non possit, in alio fieri debet. Et si quæras, quis hoc sciat? Responsio, tanti testes, Deus non fecit hominem sine causa, homo ad alium finem factus est, quam bestiæ. Aliqui homines Deo seruiunt & saluabuntur. Alia lex non dat talem finem sicut Christiana. Alia lex non habet talem approbationem miraculorum ab initio. Et quis ea neget? Nota de miraculis subitis. Alia lex non habet huiusmodi testes martyres quibus nulla suberat mentiendi causa dum morerentur. Eligite hanc legem, vel peribitis. Notate de Mahometo, homo sine lege est peior bestia. Alia lex non habet talia testimonia prophetarum & hominum sapientúmque virorum qui in omnibus alijs rebus excellentes fuere. Ideo fides eis adhiberi debet, quia vnum cognoscunt & alterum. Alia lex non habet huiusmodi testimonia sanctorum & sanctarum. Alia lex non fuit admirabilius introducta sine coactione contra omnem humanam industriam, sicuti Christiana. Ideo terrena delectatio non faciet aliquibus præ-

A

B

C

D

E

F

sentiam terrenorum, sicut fecit Iudæ & alijs Iudæis. Nam ipsa adducit vt seducat aliquando, & dicit infideles fortunatiores esse, & habere multa bona, Ecclesiasticos esse peiores. Si enim crederent ait, quod dicunt, aliter viuerent. Omnia reguntur fortuna vel prædestinatione, eodem modo in bonis sicut in malis. Deus modo quare non facit miracula, præsertim cum postulantur? Terrena delectatio est sine fidelitate, quia credere non vult nisi quod sentit & videt more bestiæ. Notate ratione tam per libros naturæ, quam per decem considerationes scripturæ iuridicæ.

Item si Deus semper faceret miracula in corporalibus afflictionibus, ipsa haberentur pro nihilo. Et homines dumtaxat seruirent ei propter hanc vitam & propter corpus.

Item si Deus faceret miracula pro illis qui quotidie eum molestant, videte quid esset de ratione. Ista ratio fit magis honorando diuitias & vanam gloriam contra eum per fiduciam, recurrendo potius ad inimicorum auxilium, quam ad eũ per superstitionem, tanquam si potentia sensus vel pietas potius in eis esset, quam in Deo. Occidendo proprios filios suos coram eis, tanquam per superstitionem. Dicit Sapiens, quod qui facit eleemosynam de substantia pauperum, quasi qui sacrificat filium ante patrem. Quid erit de illis qui spoliant & furantur, & qui taliter consulunt eis, aut qui tanta capiunt quanta eis necessaria sunt ad manutenendum & nutriendum vxores delicatas & statum probrosum? Item argumentatur omnia regi fortuna. Responsio. Deus interdum ordinat, &c. Notate de Iesu Christo & de Lazaro resuscitato, &c. Non ergo mihi &c.

Item Ecclesiastici sunt peiores. Item de medicis qui bibunt in febribus, & de vno quoque qui viuit tanquam mori non deberet. Notate quod non adhibetur fides illis qui publicè prædicant. Notate de sortilegijs. Notate de rege qui dixit se malle mori quam pati, &c. Ideo sine bona fide erunt qui contrarium procurabunt. Delectatio arguit contra spem. Primò Deum non fecisse hominem vt eum damnaret. Item eum destinat vel ad saluandum vel ad damnandum. Item resistere nõ possem. Nota de illis qui blasphemãt dum ludunt taxillis, qui faciunt horribilia peccata. Et de his qui inebriantur. Alius dicit, me emẽdabo dum finem attigero. Nam in fine totũ consistit & pẽdet. Adulatio terrenæ delectationis socia argumentatur contra mediocritatem in sumptibus. Ducere oportet statum dominationis, tenendus est populus in protectione rectè dictũ est, non in persecutione. Construendæ sunt Ecclesiæ & dominationes. Qui facit eleemosynam status debet esse iustus & moderatus, alias solum est abyssus quædam & lupus famelicus, &c. qui magis exponit, &c. Nota quod omnia non sufficiunt ad persoluendas expensas. Nota de doctrina Icari qui iuuit, &c. Non est tam fortis domus, &c. Quatuor signa quod corpus breuiter deficiet ad exemplum Annibalis, Antonij, Sardanapali. Primò quando non vult obedire rationi, quia labitur vel comedit venenum, &c. Secundò quãdo caput ad se, attrahit omne nutrimẽtũ. Tertium signum quando spiritus & sanguis se

ad cor

ad cor retrahunt. Quartum cum fel dispargitur. Nota de iure regis 1. Regum 8. In quo committitur error in totam legem naturæ & scripturæ. Nota quod non adhibeatur fides hominibus, nisi publicè prædicantibus. Nota quod amor populi ad regem conseruat regnum, ideo hunc non perdant: Bonus pastor gregem suum tondet, non excoriat, vt dicit quidam imperator. Nota quomodo intelligitur: Omnia sunt principis, sapientes pauperes, ignorantes, sed odio habentes. Nota de regibus religiosis erga Deum. Carolo magno, sancto Ludouico, Constantino, diligentibus & laboriosis ad seipsos, mansuetis & pijs in subiectos eorum. Primò curare debent bonum commune & nō imponere laborem populi pauperibus, mulieribus, reddere rationem de expensis. Expendere redditus in prælio non crudeli, sed reuerendo vt princeps honoretur magis quā timeatur. Non facere iniuriam, nec per se, nec per suos cuicunque. Esse sobrium & vigilantem. Vxor principis talis non facile sit familiaris alijs, quia per fœminarum iniurias acciderunt mala, vt ciuitatum adustiones. Procurator publicus debet esse religiosus, sit sine stultitia, honoret sapientes bonos vt det honores per se, & pœnas per alios, nec faciat hominem nimis magnum, præsertim audacem, quod auferat paulatim illi quem volet deponere, vnumquemque defendat ab iniuria. Procuret & præferat bonum publicum non suum. Non quærat excellentiam in diuitijs vel voluptatibus rodendo nobiles & communitatem per adulationem. Interea dum rex noster tenet hic thronum vbi sedet & regnat misericordia, dulcedo & pietas. Appropinquamus & accedamus, non expectemus terribilem & tremendum aduentum districti iudicij, in quo iustus vix saluabitur.

Hi qui propter terrenam delectationem non curant credere aut expectare redditionem & persolutionem paradisi, nec curant timere mortem sine fine in igne & tormento in vitio ponunt se ad valde horribile periculum & sine remedio, & ideo parum habent vtilitatis. Verum est de illis prouerbium: Stultus non credit donec accipit. Si doctrina regis Iesu Christi (cui fidem & fidelitatem in baptismo promisisti) vera est, & tu eam non adimples. Certè si falsa esset quod esse non potest, vel quasi non obedires, cum modò solum omnem bonam virtutem præcipiat & honestatem. Rogemus pro pace sanctæ Ecclesiæ, vt Deus eam adducere nobis velit in aduentu suo, sicut descendit ad hæc inferiora ad eam fundandam & ordinandam. Si quisquam petat quomodo veniet? Respondeo quod veniet per viam humilitatis, sicut per viam superbiæ recessit. Nō veniet per seditiones bellorum ciuilium, per corruptiones argenti, aut per fraudes occultas. Attentare has vias est magis deprimere pacem quam ipsam erigere. Inducere regnum hoc ad tales vias esset ipsum ponere in maximum periculum & certissimam perditionem, quia omnes hæ pecuniæ, immò & bis tantum nō sufficerent, eundum est planè prius & bona quadā humilitate ac neruosa æquitate.

Me refero ad eos qui habent tractare hoc negotium, pro quibus nos rogabimus principaliter pro sancto patre nostro cui Deus tale conferat consilium, & ipsi sic credere & exequi vt sit ad suam salutem & communem vnionem.

Pro Cardinalibus, &c. pro lumine ipsius fidei &c. pro filia regis vniuersitate, pro rege Domino nostro, pro regina & pro omni eorum nobili prosapia, quod Deus eis conferat gratiam taliter gubernare regnum vt sit ad salutem animarum ipsorum sufficienter. Nam quoad corpus minimum est, nescio quando moriendum sit, quod sit ad pacem & emendationem huius regni, & vt sub eorum gubernamine populus seruire Deo posset in bonis moribus & vitæ sanctitate ac bonam reddere rationem. Pro Domino de Berri, &c. pro statu populi vt bene seruire posset Deo in moribus bonis vitæ & ciuilitatis. Nam populus pedes sunt qui vos sustentant, alioquin cadere necesse esset. Nihil est tam pertinens ad principem sicut benignitas ac fides erga suos subditos, nimis malum foret si recederent sicut Roboam, &c. A quo, &c.

IN FESTO PASCHÆ SERMO.

PAX *vobis*. Lucæ 23. & Ioannis 20. repetitur. Simile habetur. Genes. 43. Nos qui recepimus vel recipiemus Sacramentum sanctæ Ecclesiæ pacis & vnitatis (quia vnum corpus sumus) debemus libenter audire sermonem fieri de illa pace & vnitate resurrectionis saluatoris nostri Iesu Christi qui eam nobis adduxit, ad Romanos. 4. Resurrexit propter iustitiam nostram. Et ad conuenienter faciendam hanc audientiam, tollamus modò omnia impedimenta clamorum & omniū litium, non modò corporalium ad extra, sed etiā spiritualium ad intra. Quis est clamor ille & lis spiritualis? Est diuersa varietas curarum & cogitationum terrenarum, carnaliumque, quæ sæpius occupant aures spirituales cordis nostri. Et in hunc modum quod nulla vox deuotionis (quantumcunque alta fuerit) audiri possit aut intelligi sufficiat. Et ecce qualiter cupida auaritia clamat quod acquiratur vel spolietur vndiquaque argentum. Superbia dedignans altè admonet vt homines dedignentur vel cōtemnant omnem hominem, nec vnus alterum magnifaciat. Odiosa inuidia murmurat & flet de bono quod videt, & effusè ridet de malo quod percipit atque accidit. Vindictam clamitat ira impetuosa. Gula postulat vt venter eius repleatur. Et sic de alijs vitijs innumeris, vnumquodque secundum suam considerationem. Quod declarat Persius poëta valde propriè Satyra penultima. Et Origenes super illud Regum capite primo. Erat vir vnus in Ramata. Quæ erit vox prædicationis aut admonitionis sancta quæ audiri poterit in cogitatione in qua talis est diuisio, talis lis, talis clamor, & tale iurgiū? Opus est ergo modo pacare rumorem & clamorē per studiosam rationem, & deijcere huiusmodi cogitatiōes tumultuosas & vitiosas per sāctæ deuotionis gladiū. Et forsitā ratio

virtus & deuotio mortificatæ sunt in cordibus nostris vsque modo. Oremus igitur Deum vt eas hodie resuscitet secum & viuificet. Hæc verba dixit hodie Iesus Christus sæpius discipulis suis. Primò quando locutus est eis: Pax vobis vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. 1. Pet. 1. Vt vigorosè ipsa pax pacem faciat in anima nostra ad fructuosè verbum Dei audiendum, & quia nulla pura creatura ipsam nobis impetrare potest resurrectionem talem quam petimus, & illam pacem quam tu virgo dignissima quæ nũquam peccatis fuisti infecta, & quæ nec vitiosum prælium in animæ tuæ regno habuisti, sensualitatis contra rationem, specialiter post cõceptionem filij. Ideo ô gloriosa virgo Maria, ad te conuertemur virgo benedicta, &c.

Pax vobis, scribitur vbi dictum est. Saluator noster & verus miles Iesus Christus mox post suã benedictam passionem in primo mortis suæ instanti (quod fuit veneris hora nona) descendit ad inferos, ad dandam veram pacem, pacem gloriæ & beatitudinis, amicis suis patriarchis, prophetis, & alijs iustis qui erant in limbo patrum. Et credendum est satis ipsum dedisse hanc pacem gloriosam omnibus his qui erant in purgatorio, & eos liberauit, sicut facit rex in primo suo iocundo aduentu. Et ad propositum hoc fecit latroni qui verisimiliter nondum compleuerat pœnitentiam pro omnibus peccatis suis, qui fuit illa propria hora beatificatus & vidit Deum facie ad faciem, sicut sancti in paradiso. Hodie (inquit Christus) mecum eris in paradiso. Luc. 23.

Propter quod insuper apparet falsitas doctrinæ Papæ Ioannis vicesimi, quæ damnata fuit cum sono buccinarum vel turbarum coram rege Philippo auunculo tuo per theologos Parisienses de Virgine beata, & credidit potius theologis Parisiensibus quam curiæ. Post illam pacem sic datam super terram illis qui non erant damnati Iesus Christus hodie in sua gloriosa & vigorosa resurrectione voluit dare pacem amicis suis super terram existentibus, & intrauit ianuis clausis. Quibus dixit verbum propositum: Pax vobis. Vobis do pacem veram & bonam.

In quo verbo ad habendum aliquem ordinem clarum & breuem (quia secundum philosophũ, Ordo bona via est, Et nihil est quod texitur ordine longum, ait Lucanus poëta) considerare possumus duo quæ sufficienter complectuntur totum mysterium præsentis solennitatis. Nam in eo quod Iesus Christus Dominus noster locutus est, nobis monstrata est vita certa & sensibilis resurrectio. In eo quod pacem dedit, significatur nobis gaudium plenissimum & secura remuneratio. Et hæc duo mox applicauit Dominus noster Iesus Christus in verbis sequentibus: Ego sum, inquit, quoad vitam certam, & sensibilem resurrectionem. Nolite timere, &c. Ecce plenissimam & securam remunerationem, Per primum est condemnatus error hæresis, & damnabilis infidelitas, & hoc quoad sensualitatem. Per secundum est reprobata lis, dissensio & damnosa discordia, & hoc quoad quietem & pacem voluntatis. Et per hæc duo pacata fuerunt intellectus & voluntas humana Apostolorum in hac gloriosa resurrectione, cum Dominus noster Iesus Christus dixit eis: Pax vobis. Quoad primum dico, quod locutus est hodie Dominus noster Iesus Christus,
A
& dixit: Pax vobis, nobis significatur vita certa & sensibilis resurrectio. Per quod est oblata ab humano intellectu & damnata infidelitas, quæ illi inferebat bellum & mortificabat eum. Vos appello ô Iudæi increduli, qui vsque modò negatis resurrectionem Domini nostri Iesu Christi. Et estis mortui spiritualiter nec pacem suam habetis, vos appello vt videatis audiatis & intelligatis testimonia Dei, quæ secundum prophetam vestrum & nostrum sunt mirabilia & credibilia,
B
mirabilia inquit testimonia tua Domine. Et rursum: Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Dicit lex vestra, quod in ore duum conuenientium testium vel trium debet stare testimonium, & eis adhiberi fides. Deuteron. 1. In ore duorum testium vel trium stabit omne verbum.

Habetis hic multo plures quam duos vel tres testes qui viderunt, audierant & perceperunt tali die, sicut hodie Dominum nostrum Iesum Christum loqui & dicere: Pax vobis, ego sum, nolite
C
timere. Et ipsi etiam tenuerunt & palpauerunt eum. Palpate inquit, & videte, &c. Lucæ vltim. Et cum eis comedit. Sicut habetur ibidem, & Actuum 5. recitatur & primo Ioan. 1. Et manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ. Et si hoc testimonium tam multarum personarum quæ aderant simul, non vobis sufficiat, veniat beata Maria Magdalena, & dicat testimonium de resurrectione Domini nostri Iesu Christi. Certè ait ipsa, eram apud monumentum diluculo, flebam
D
& gemebam cum vidi duos Angelos in stolis albis sicut nix & facie relucẽtes sicut fulgur. Vnum à dextra sepulchri, alterum ad sinistram, qui me prohibuerunt ne flerem, dicentes resurrexisse hunc quem quærebam. Ecce conueniens & certum testimonium duorum Angelorum qui mentiri non possunt. Et cum essent quasi propè sepulchrum circunspexi & vidi Dominum nostrum Iesum Christum. Quem primo aspectu opinabar hortulanum horti in quo fuerat sepultus. Sed ad verbum suum cum me appellaret
E
proprio nomine, redij ad meipsam. Et cognoui eum, quamuis non tangerem ipsum. Nec sola sum quæ hæc vidi, quoniam paulò pòst sociæ meæ Mariæ quæ ante me recesserant de monumento, viderunt eum, cognouerunt eum, allocutæ sunt eum. Pedes quoque eius tenuerunt & osculatæ sunt. Matth. vltim. Verum si dura & obstinata incredulitas his testimonijs contenta nõ sit, quia semper inferat bellum humano intellectui, non permittendo ipsam habere firmam & sanctam nec
F
spiritualem resurrectionem.

Audiantur duo alij testes multum conuenientes, quorum vnus dictus fuit Cleophas, & alter Amaon, secundum S. Gregorium. Qui hodie post prandium adeundo castellum propè Hierusalem Emaus vocatũ, locuti sunt per omnem viã de Domino nostro Iesu Christo, qui exposuit eis scripturas sanctorum prophetarum suorum, quæ de eo erant. Et Deum cognouerunt eum in fractione & benedictione panis. Tunc euanuit, & reuersi sunt velociter in Hierusalem, nunciantes Apostolis & Discipulis, qui poterant esse fortè cẽtum, vel centũ & viginti, quod verè Iesus Christ⁹ resur-

resurrexit, & quod apparuit sancto Petro, & inter loquendum venit Iesus Christus (sicut dictum est prius) & intrauit ianuis clausis, & dixit eis: Pax vobis ego sum. Et sic concludimus ex Euangelio, quod hodie ad minus dominus noster Iesus Christus apparuit quinquies.

Primò Mariæ Magdalenæ. Ioan. 20.

Secundò alijs Marijs. Matth. vltim.

Tertiò sancto Petro. Luc. vltim.

Sed quo in loco fuerit, non explicat Euangelium, hoc esse potuit redeũdo de sepulchro cum sancto Ioanne. Vel in fouea in qua continuè fleuerat propter eam quam fecerat negationem, quæ nominabatur galli cantus.

Quartò duobus discipulis peregrinis. Luc. vlt.

Quintò apparuit Apostolis & Discipulis simul congregatis, quando sanctus Thomas hoc credere noluit Ioan. 20. Nicodemus etiam recitat in Euangelio suo, quod apparuit sancto Iacobo & Ioseph ab Arimathia, qui fuit incarceratus à Iudæis quia sepeliebat Iesum. Nec etiam dubium est quin apparuerit gloriosæ virgini Mariæ matri suæ. Et hoc modo dicit sanctus Ambrosius lib. 2. de Virginitate. Vidit Maria Resurrectionem Domini. Et primò vidit & credidit. Vidit Maria Magdalena quamuis adhuc ipsa mutaret, saltem vidit ipsa eum cum sanctis Apostolis, vbi ipsa erat in societate sancti Ioannis Euangelistæ, qui eam habebat in singulari custodia. Sed Euangelistæ tacent quia testimonium matris de filio erat minus acceptabile infidelibus, & potuissent dicere, quod ob nimium amorẽ ipsa Maria arbitrata fuisset se videre quod non videbat. Iuxta illud Virgilij in buccolicis: An qui amant ipsi sibi somnia fingunt. Et quod loquuntur de beata Maria Magdalena specialiter, & de sancto Petro hoc fit propter quinque vel sex causas quas in præsentiarum omitto.

Vlterius ad tollendum omnem dubitationem & incredulitatis scrupulum accedat sanctus Thomas. Accedat & dicat testimonium certum de Resurrectione Domini nostri Iesu Christi. Non erã (inquit sanctus Thomas) semel in societate Apostolorum cum dominus noster Iesus Christus apparuit eis, & dedit ipsis pacem suam. Et eorum relationi credere nolui, nisi egoipse viderẽ vulnera pedum & manuum suarum, & imponerem digitum meum in plagam lateris sui. Et certè sic feci octauo die post Resurrectionẽ, & cognoui ipsum esse dominum meum & Deum meum. Qui dixit mihi me credere ideo quod vidissem. Sed laudabat eos qui crediderunt & non viderunt. Ioã. 20. Sæpius aliàs in locis alijs declarauit dominus noster Iesus Christus resurrectionem suam. Semel supra mare, cum sanctus Petrus & sanctus Ioãnes piscarentur, absq; hoc vt aliquid caperent. Ioã. vlt. In monte Thabor. Matth. vlt. In monte Oliueti. Lucæ vlt. Et Actuum 1. Et sanctus Paulus dicit 1. ad Corinth. 3. quod apparuit plus quam quingentis discipulis, & postremò sibijpsi. Iosephus quoque vir doctus & Iudæorum historiographus, qui fuit in destructione Hierusalem, qui potuit vidisse dominum nostrum Iesum Christum, asserit in octauo libro suo Antiquitatum, dominum nostrum Iesum Christum apparuisse die tertio. Nec obliuioni dandum est quoddam testimonium. Quod magnopere vobis conuenit ô Iudæi incre-

Gerson. Quarta pars.

duli, quod vos ipsi sepulchrum multis custodibus A muniuistis. Quoniam sciebatis bene dominum nostrum Iesum Christum prænũciasse, prædixisse & prophetasse se tertia die resurrecturum, sicut habetur Matth. 16. 17. & 20. & 27. & Marci 8. 9. 10. & 14. Lucæ 9. & 18. Et sic dixerat Dauid propheta in persona Dei: Resurrexi, & adhuc tecũ sum &c. Et vt declarat dominus Armacanus in libro de quæstionibus Armenorum, in fine, vbi habemus. Ego occidam & ego viuere faciam. Deuter. 32. de quo Esdras scriba legis sumpsit: Ego occidar & B viuam, percutiar & sanabor. Reddite ergo ô Iudæi increduli, reddite corpus Iesu Christi, quod tam diligenter custodistis, quamuis non sit consilium contra dominum. Prouerb. 21. Aut si non potestis nec sciatis reddere, adiungamini igitur & credite Resurrectionem nobiscum. Addatis prædictis testimonijs sanctam testiũ vitam, & sanctam constantiam, quia illam fidem & assertionem non negare volebant, aut tacere ob quæcumque tormenta, nec ob mortem quantumcumque horribilem vel crudelem euitandam. Ideo apparet eui- C denter ex vna parte eos non voluisse decipere per fauorem, per pecuniam, per tremorem, per adulationem, aut per alias res ob quas solitus est quis mentiri. Et ex parte altera non decepti erant per ignorantiam vel errorem. Quoniam sensibiliter & visibiliter in multis locis & diuerso tempore ipsum tetigerant, viderant & cognouerant, & (quod maius est) Deus posuit sigillum suum & proprium signũ huius doctrinæ confirmationem. Et quod est proprium Dei signum? Sunt miracu- D la innumera quæ ab alijs fieri non possunt, nisi ab eo qui fecit & ostendit ad hanc veritatem confirmandam. Et propterea (sicut dicit Richardus de sancto Victore primo de Trinitat.) dicere possumus Deo: Certè domine si decepti sumus, à te decepti sumus. Hæc & alia tangit egregiè inter cæteros doctor subtilis super prologo primi sententiarum.

Hæc supradicta & alia videntes & percipientes, magna pars Iudæorum doctorum, & magna multitudo populi ad Christianam conuertebantur fi- E dem, vt sanctus Paulus, Nicodemus & Gamaliel, Apollo, Nathanael, & alij de quib⁹ dicitur Act. 5. quod multa turba & sacerdotum obediebãt fidei, & inde quasi totum residuum mũdi hoc credidit, intantum quod Romanum imperium nunquam tot habuit subditos sicut habet Christiana fides, quemadmodum testatur sanctus Leo Papa in sermone de Apostolis Petro & Paulo. Sanctus Augustinus & alij plures, prout allegat. Franciscus Petrarcha in Epistola quadam ad Vrbanum 2. lib. F de vita solitaria. Et sic data fuit & facta pax generaliter, quam Iesus Christus dedit hodie specialiter Discipulis suis & Apostolis. Et pax firmæ credulitatis, quã perdiderunt Apostoli in passione domini nostri Iesu Christi, & hodie eã recuperarunt, & spiritualiter resurrexerũt. Ergo deuota plebs Christiana meritò hic certitudinẽ habes, & admodum securam bonam tuam credulitatem, quæ est ad magnam tuam consolationem, & rationabilem infidelium damnationem. Bene cognoscis cæcitatem & obdurationem infidelium Iudæorum, & & quorumdam falsorum hæreticorum, qui se verbis Christianos fingunt, quamuis factis contraria

demonstrent, tanquam nunquam essent resuscitandi, nec habituri vitam post præsentem. Opinamini ne aliquos esse tam duros & obstinatos ad male operandum, si bene resurrectionis articulum crederent, & quod perpetuò essent damnádi, nisi pœnitentiam agerent? Contra quos dicit Apostolus, quod Iesus Christus resurrexit & sic nos resurgemus. Trahitur ex dictis Apostoli. 1. ad Cor. 15. & 1. ad Thessal. 4. Ideo lætemur hodie per bonam spem, & non contristemur sicut gentes quæ spem non habent. 1. ad Thess. 4. Eijciamus infidelitatem quæ nostrum seducebat intellectum, & habebimus vitam pacificam quæ nunquã deficiet, si fuerimus mortui elapso tẽpore spiritualiter per peccatum mortale, quia sicut mors corporalis occidit corpus, sic peccatum aufert vitam animæ. Roman. 5. O Deus quam pijssima & periculosa mors. Resurgam⁹ hodie cum domino nostro per gratiam & veram pœnitẽtiam, recipiendo & conseruando dignè corpus Iesu Christi, quod vitam dat spiritualem & perfectissimam animæ, non inferamus talem vim & violentiam hospiti tam honorabili, potenti & vtilitatem afferenti, vt ignominiosè mox ipsum expellamus de habitatione spirituali animæ nostræ, & quod pro vno peccato quod reliquimus, quatuor aut quinque perpetremus. Non sic faciamus, immo ipsum quæramus exemplo sanctarum fœminarum, portando bonarum virtutum vnguenta. Et per hoc ipsum videbimus & inueniemus sicut dicit sãctus Gregorius. In bona lætitia hodie de ipso loquimur, & ipse se nostræ adiunget societati. Simus vniti per charitatem, sicut Discipuli & Apostoli hodie, & claudamus portas corporis nostri contra mundanas vanitates peruersas tentationes. Et Iesus Christus intrabit, suam nobis dando pacem, dicendo: Pax vobis.

Cum cogitarem & darem operam me velle descendere ad secundum punctum nostri sermonis ad vlterius de hac pace loquendum, visum mihi fuit quod curiositas cupida scire mihi apparet, & me remorare ter multum parata formare quæstiones, & plures interdum quam opus esset. In primis quærit curiositas, si Iesus Christus resurrexit, quid habuit post resurrectionem eius? Respõdeo ipsum habuisse corpus glorificatum, quatuor dotibus ornatum, quæ sunt agilitas, claritas, impassibilitas & subtilitas, quæ tanguntur Sap. 5. cum dicitur? Fulgebunt iusti sicut Sol, &c. Agilitas sua apparuit, quãdo ambulabat supra mare. Ioan. vlt. Quando inter loquendum subitò recessit à societate duorum discipulorum existentium in Emaus. Luc. vlt. Quando in tam pauco tempore ascendit tam maximam distantiam, sicut de terra vsque ad vltimum cœlum. Act. 1. Claritas sua in hoc apparuit, quod erat inuisibilis cum volebat, quamuis vt videretur à discipulis suis corporaliter, non suam ostenderit claritatem tam excellentem sicuti erat, ne excellens sensibile corrumperet sensum 2. de anima impassibilitas eius apparuit in hoc, quod per elemẽtum ignis ascẽdit sine adustione in Ascensione sua. Sed dicit curiositas quod comedit & bibit. Verum est, sed hoc non fuit propter necessitatem sustentationis naturæ, quia cibus non conuersus fuit in substantiam corporis sui sicut prius & sicut est in nobis, sed fuit resolutus in aliquod elementorum. Sicut etiam Angeli comederunt in corporibus assumptis. Thob. 12. Plagæ etiam remanserunt in Iesu Christo, non quod esset passibilis, quia sanctus Thomas posuit digitum in latus suum, non lædẽdo eum, sed fuit ad clarius demonstrandum, quod erat idem corpus sicut prius, quia plagæ eius versæ sunt in honorem & gloriam, vt intercedat pro nobis, sicut in martyribus & validis militibus & ad confusionem falsorum Iudæorum & peruersorum Christianorum, & ad inflammandum amorem bonorum & ad faciendam apud Deum pro nobis intercessionem. Vtrum verò remaneant cicatrices in mortalibus plagis, alia est difficultas, quæ per conditionem soluenda est. Hic apparet opinionem Origenis esse falsam, qui dicebat quod Iesus Christus passurus esset in aëre ad diabolos saluandos. Contra illud Apostoli ad Rom. 6. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, &c. Subtilitas corporis domini nostri Iesu Christi apparuit in factis eius & disciplinis, in hoc quod exiuit clausum sepulchrum, & quod intrauit ad discipulos suos ianuis clausis, & transcendit cœlos, non diuidendo eos. Et talia corpora habebimus nos in resurrectione finali, vt eamus in omnibus & per omnia citissimè, sine læsione, impedimento quocumque, etiam in infernum. Et erit corpus obediens voluntati animæ. Et quãuis Iesus Christus ante resurrectionem sumpserit aliquas de his dotibus, vt subtilitatem in sua Natiuitate, claritatem in sua Transfiguratione, impassibilitatem in suo ieiunio. Hoc tamen solum fuit per modum trãsitus & per dispẽsationem singularem, sicut declarat Durandus. in 3. sent. dist. 3. si bene memini. Insuper quoad hoc quod interrogat curiositas de his qui resurrexerunt die veneris transacta & hodie, si habuerint corpora glorificata? Dico nunquam fuisse corpus glorificatum ante corpus Iesu Christi, sicut dicit Apostolus, quia ipse surrexit à mortuis primitiæ dormiẽtium. 1. ad Corinth. 5. Et per hoc patet quod hi qui resurrexerunt habebãt animam saluatam in corpore mortali, sicut Iesus Christus ante passionem suam, & erat miraculum. Erant enim partim viatores, & partim comprehensores, sed hodie corpora illorum qui remanserant in vita glorificata fuere. Et erant inuisibiliter cum Iesu Christo, vel erant in paradiso terrestri cum Enoch & Helia vsque ad Ascensionem. Et poterat Iesus Christus ibi esse cum eis, cum absentabat se à discipulis suis. Sed in qua statura & figura ipse & alij resurrexerunt, & qua ætate, & similia, tractantur diffusius. 4. sententiarum in fine.

Secunda quæstio curiositatis est. Vtrum videlicet corpus domini nostri Iesu Christi fuisset putrefactum si diu permansisset. Respondent doctores, præsertim Gandensis in quodlibetis, quod non, quia defectus humanæ naturæ qui fuerunt in Iesu Christo, potius infuerunt per miraculum & specialem dispensationem quam per naturam, vt satisfaceret Deo de peccatis alienis, & ad mysterium redemptionis nostræ finiendum & complendum. Cum autem sic est, quod totum mysterium finitum fuit in morte Iesu Christi domini nostri, cum dixit: Consummatum est, ideo postea non erat humanitas eius subiecta miseriæ, defectui vel pœnalitati cuicũque, ideo permansisset corpus suum

suum sine corruptione vel putrefactione, ad hoc est Psal. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. An corpus Christi fuisset combustum, si in ignem positum fuisset? An verò fuerit introducta forma cadauerum? Et si anima intellectiua sit distincta à sensitiua, vt sanctus Thomas tenet, vbi erat anima sensitiua, si non fuerit corrupta & an vixerit corporaliter? An insuper corpus viuebat in triduò, cum esset vnitum summæ vitæ, scilicet deitati? Et an Christus erat homo in sepulchro, & similiter in inferno, vt magister tenet? Et multa alia similia quæri possunt quæ alibi requirunt locum, tempus & ingenium.

Tertiò interrogat curiositas. Si dominus noster in resurrectione sua resumpserit omnem sanguinem suum & carnem? Nam dicunt aliqui, quod Parisijs in Palatio & Brugis sit quędam portio, & portio quædam pellis, videlicet illa quæ ei fuit abscisa in circuncisione sua, & quod vmbilicus suus est in Ecclesia Bononiensi: Respondeo quod omne hoc quod erat de vera substantia & integritate eius, fuit resumptum, & esse potest aliquem sanguinem fuisse effusum, qui non erat necessarius ad vitam humanam, & erat tanquam ad superfluitatem, & talis remanere potest. De pelle magis dubito, & de vmbilico, quæ dicitur esse in Ecclesia Bononiensi. Et similiter difficultates fieri possunt de quolibet resurgente, & maiores.

Quarta curiositas quæret de duobus discipulis. Quomodo hodie cognouerūt citius Iesum Christum in fractione & benedictione panis, quam in verbis eius vel alijs signis? Respondeo quod Iesus Christus frangendo panem, benedixit & consecrauit sicut in cœna. Et fuit panis sacramentalis, continens verum corpus Domini nostri. Quem recipiendo, duo discipuli illuminati fuerunt, vt intelligerent scripturarum mysterium & resurrectionis. Hanc rationem assignat sanctus Augustinus in de concordia Euangelistarum, & Theophilus super locum istum. Per quod monstratur nobis magna vtilitas recipiendi hodie dignè preciosum sacramentum. Et per hoc intellectus noster clarior efficitur & dignè eleuatur ad fidei nostræ mysteria credēda. Quam rationem declarat Guillelmus Parisiensis in suo de sacramentis.

Curiositas scire desiderans, volebat interrogare multas alias quæstiones, quare Deus manifestauerit se in figuris extraneis, sicut in forma peregrini & hortulani? quare fingebat se velle longius ire, & si in hoc fuerit deceptor? Et si licitum sit vti huiusmodi imitationibus in bello & alibi. Et est magna, pulchra & formalis difficultas, quæ posset tangere pręsens scisma, & futuram gentium destructionem, & cæt. Quare terra tremuit cum Iesus Christus resurgeret, & an fuerit res naturalis? quota hora resurrexit, aut in nocte, aut in aurora? qualiter verum sit Iesum Christum fuisse tribus diebus in sepulchro, cum solum fuerit vno die integro & duabus noctibus? Quare Maria Magdalena non fuit passa vt tangeret pedes Iesu, & statim aliæ Mariæ tenuerunt eos? Quomodo concordantur Euangelistæ, quia sanctus Ioannes dicit, quod Maria Magdalena venit ad monumentum mane cum adhuc essent tenebræ super terram. Et sanctus Marcus dicit solem iam fuisse ortum. Et sanctus Matthæus videtur dicere, quod fuerat vesperi. Vespere autem Sabbati. Quomodo Angeli qui sunt incorporei apparuerunt vestiti, & quale corpus habebant, & qualiter loquebantur, & an fuerit visio ipsorum vel Iesu Christi, qua expauerunt custodes sepulchri, quando facti sunt sicuti mortui. Vtrum aliqua constellatio iuuerit Iesum Christum resurgere, & si regulæ astrologiæ non habuerint locum. Vtrum sanct⁹ Thomas fidem habuerit & meritum credere resurrectionem Domini nostri Iesu Christi. Quia dicit sanctus Augustinus. Quis est fidelis & fidem non habet? Insuper si Iesus Christus hodie resumpsit papatum quem prius habuerat? Videtur enim quod sic, aut quod nullus erat Papa, vel quod erant duo simul, videlicet Iesus Christus & sanctus Petrus. Insuper an Deus habuerit corporalem delectationem manducando post Resurrectionem eius, sicut volunt hi qui erant cum Machometo. Habuit ne maiorem beatitudinem & gloriam quam prius & maiorem dominationem, quia dicit Apostolus ad Rom. 14. In hoc Christus mortuus est & resurrexit, vt viuorum & mortuorum, &c. An damnati viderint eum cum descendit ad inferos, & si non fuerit eis vlla recreatio, & spiritualiter paruulis. Vtrum hodie aperta fuerit porta paradisi, vel in die Natiuitatis vel Passionis? Vtrum corpus domini nostri quod erat in Apostolis qui ipsum receperant in cœna, non fuerit mortuum & resuscitatum in eis? Et est mirabilis difficultas. Vtrum hodierna solennitas solennior sit alijs omnibus, & qualiter fuit celebrata & figurata in veteri lege per agnum Paschalem? Quare dicta fuit Pascha, & si ipsam solennitatem hanc proprio suo die celebremus, si singulis annis tali die qualiter est hodiernus aliqui resurgunt? Sicut dicit Augustinus in quodam sermone. Si Iesus Christus post resurrectionem vestitus erat, & quibus tunicis? Si Iesus Christus post resurrectionem subditus erat iure virgini matri vt filius matri, quia post resurrectionem omnis dominatio cessat? Si hi qui resurrexerunt prius fuerunt matrimonio coniuncti, an iure debebant ad suas redire vxores. De modo sepulchri vide in historia scholastica. An oculo clarificato corporali Deus videri potuit? An Christus locutus sit animabus. An damnati quidam sunt in corpore & anima? Quomodo Mariæ die Sabbati parauerunt aromata contra legem? Et sic de pluribus talibus quæstionibus ad locum hunc pertinentibus. Certissimè hic est gloriosissimum donum, scilicet bonum pacis. Quia dicit sanctus Augustinus, in de ciuitate Dei (si bene memini) quod in rebus nihil est tam desiderabile, tam bonum, tam vtile sicut bonum pacis. Et valde clarè declaraui hanc rem, ostendendo quod naturaliter monstratum est gaudium plenissimum & securam remunerationem omnia desiderant, & omnia tendunt ad pacem etiam & illi qui bella gerunt. Bellamus (inquit Aristoteles in politic.) vt pacem habeamus. Et iterum: Finis belli pax, & qui prius principaliter bellum habebamus cum Deo propter peccatum & offensam primi patris, sublime Trinitatis consilium, per iustitiam & misericordiam se vniuit ad pacem, misitque filium Dei qui adimpleuit duo quibus ad pacem deuenitur & concordiam. Fecit enim matrimonium humanitatis cum diuinitate in sua In-

carnatione. Et hoc tangit Apostolus ad Ephes.2. Ipse enim est, inquit, pax nostra, qui fecit vtraque vnum, scilicet homo & Deus in vno supposito. Et si pax incepta fuit per misericordiam, sed conueniebat secundum postulationem iustitiæ, vt emenda persolueretur, & satisfieret pro præfata offensa. Et sic soluit eam Iesus Christus abundanter in sua dolorosissima morte & passione. Sicut dicit ille idem Apostolus in verbis sequentibus: Soluens inquit, inimicitias in carne sua. Et ad Roman.1. Pacificans per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Simile Esaias habet. Fuit enim disciplina pacis nostræ super eum &c. Hæc pax quæ est benedictus fructus passionis, significata fuit hodie ab eo suis discipulis, & data abundantius quam alias, ipsam eis concessit vt saluarentur, & principaliter vt fundarent sanctam Ecclesiam, & Christianitatem augerent. Si enim ab inuicem fuissent diuisi, se mutuo persecuti fuissent. Quia omne regnum in se diuisum desolabitur. Matth.12. Et Salustius inquit: Concordia paruæ res crescunt. Quemadmodum alias in die Pentecostes per historiam, & aliter prolixius declaraui, cum hortatus sum regem dominum nostrum ad pacem regni sui ob bonum sanctæ Ecclesiæ & totius Christianitatis. Sed pulchra foret materia declarare, quomodo illa pax fuit in vnoquoque Apostolorum, & in ipsis simul, quomodo seruauerunt & in concordia tenuerunt fortalitium & castellum animæ eorum, & per quam artem superarunt vitiorum tyrannidem, quæ solummodo hanc pacem turbant.

Dicam breuiter sine prosecutione & concordantia: Charitas amorosa capitanea erat & locum tenens Dei summi domini & imperatoris, quia super omnia diligebat eum. Et ideo Deus fecit eam imperatricem & reginam aliarum virtutum. Sicut traditur ab Apostolo. 1.ad Corinth.13. Seruilis obedientia erat ancilla, quia qui diligit eum, mandata eius obseruat, sicut habetur Ioan.14. Et Gregorius in homilia Pentecostes: Charitas operatur magna si est, si renuit operari, charitas non est. Humilitas profundas fecit foueas. Patientia muros & munitiones prouidit. Prudentia sapiens fuit custos, prouidentia discernebat munitiones. Timor male operandi erat ianitrix. Quæ diligenter custodiebat quinque portas corporis, contra peccatum ipsum proditorem, & omnem malum eius comitatum. Et sic habuit vnaquæque earum veram pacem & bonam in seipsa sine vitiosa aut mortali dissentione. Dauid: Pax multa diligentibus legem tuam. Et per contrarium est de malis, qui continuè sunt sine bona pace. Quia non est pax impijs dicit dominus. Esa.5. & 48. Quibus etiã fundauerunt Apostoli & ordinarunt regnum sanctæ Ecclesię super firmam petram, qui est Iesus Christus vt in pace morari possent, & se multiplicare. Sed heu princeps peccatoris mundi, inimicus humani generis & superborum rex. Iob 41. fecit tres species matrimoniorum pacis & confœderationis, cum tribus filiarum eius, cum diuersis hominibus ad Christianitatem persequendam diuidendam, & pro toto posse suo dissipandam ac deuastandam. De qua pace dicit Psal. zelaui, & non veni.

Prima vicinitas vel matrimonium fuit crudelis tyrannidis principibus infidelitatis infidelibus. A Secunda superstitiosa hæresis ignorantibus hæreticis. Tertia ambitiosa cupiditas omnibus generaliter, & præsertim prælatis, præsidentibus, gubernatoribus. Et quamuis omni tempore sancta Ecclesia passa fuerit prælium & persecutionem per hæc tria vitiorum genera. Tamen euidentius regnauit tyrannis in principio tempore martyrum. Hæresis tempore doctorum qui eam extirparunt. Et deinde ambitio cupida apparuit, quæ modò specialiter Christianitatem diuidit, persequitur & affligit, in capite, in corpore, & in membris, B in temporalitate & spiritualitate. Tantum enim effecit cum suis confœderatis (quorum magnus est numerus) quod in ciuitate Hierusalem pro capitaneo est obliuio Dei. Hieremiæ 12. Desolatione desolata est terra, quia non est qui recogitet corde, pro ancilla sua est carnalis delectatio & inobedientia, instar illarum de quibus habetur Sapiens 2. diffusè: Pro custode est ignorantia stulta & cæca. Esaiæ 56. Speculatores cæci omnes, pro ianitrice malefaciendi audacia. Iob.12. C Audacter prouocant Deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Ipsi prælium ei inferunt de proprijs quæ eis contulit bonis, pro sancta fide & bona credulitate sortilegium & superstitio, sicut in synagoga gentium. De quibus habetur Deuteron.18. quod augures & diuinatores habebant contra legem, ibidem: & Esa.2. pro consiliarijs adulationem, habet & deceptionem quæ ferit osculando & occidit amplexando, vt Ioab Amasam. 2.Regum 10. quæ ornata est dissi- D mulatione, mendacijs, temporizatione, quæ eruit osculum dextrum his qui ei credunt, qui ea contenti sunt. Sicut volebat facere Naas pacem cum viris Iabes. 1.Regum 11. In hoc feriam vobiscum pactum, vt eruam omnium vestrum oculum dextrum. Ipsa est quam summopere euitare debet princeps ne eam audiat, quod si eam interdum audierit non illi credat absque audiendo partem alteram. Heu metuendissimi domini, qualem spem habemus Christianitatis negotia bene se habitura, cum tales stipendiarij cupidæ ambitionis, vt obli- E uio Dei, inobedientia, ignorantia, superstitio, adulatio, ipsam occupant Christianitatem, ipsam gubernant. Non est mirandum si ambitiosa cupiditas leuiter introduxerit diuisionem damnosissimam, & si eam augmentet & peioret in dies. Sicut enim poëtæ Ouidius & Virgilius docent, Inuidia proiecit pomum quoddam aureum, vt poneret dissentiones inter duas deas, Palladem & Venerem. Si cupida ambitio, vt monstret dignitatem pontificalem, maiestatem supremam, F introduxit in Ecclesiam suam diuisionem. Quapropter papatus qui ordinatus est ad bonum commune sanctæ Ecclesiæ, factus est occasio horribilissimæ diuisionis in ea, ad quam vniendam Iesus Christus mortuus est, vt vnum fieret ouile & vnus pastor. Iannis 10. Et tam carè emit ipsam & tertia die resurrexit, deditque pacem Apostolis suis vt dictum est, ad Christianitatem fundandam in pace & vnitate. Turbata est igitur pax quam Iesus Christus tam carè emit, quemadmodum hodie innuit. Cum enim dixisset: Pax vobis, statim ostendit eis plagas suas ac si diceret. Videte quam carè eam emerim. Quid dicam in tam ingentibus malis,

malis, tam detestabilibus & miserabilibus? Reprobabo ne indignitatem, miseriam, iniquitatem A huius horribilis rei quæ multo maior est quam quæcumque explicare posset eloquẽtia? Ad quem me conuertam, nisi ad vos dominos meos & principes Christianissimos, qui hic estis præsensentes? Maiora dicere non possum, vt mihi videtur, nec in conuenientiori loco. Si in alijs scismatibus & persecutionibus sanctæ Ecclesiæ ipsa semper releuata fuerit per strenuos principes Christianos potius quam per proprios eius subditos, secundum veras historias & chronicas. Multo B magis necessarium est auxilium vestrum in præsenti scismate & discordia, vt nunquam prius tanta fuerit diuisio, & pertinax obstinatio ad inuicem per iram, per ordinatos partium fauores, per timorem vel obdurationem in partem factam, per cupiditatem maiorum & deuotiorum, & vt sic facientes ostenderent se bonos & fauentes ostenderent se bonos & fauentes famulos, partim per ignorantiam & defectum veræ sapientiæ. Magna pars errat per negligentiam & contemptum boni C cuiuscumque vel virtutum, nisi vt se quietè teneat dissimulando, fingendo, temporizando, & sic tempus labitur. Et visum est hoc per experientiam iam sexdecim annis multo clarius quã opus foret. Onus erit semper maius erga vos ô nobilissimi & excellentes principes quanto vos videtis, quod per vos & bonam diligentiam, potentiam & sapientiam vestram, hoc scisma delere possetis, & tamen semper durabit. Quid dico durabit? immo de peiore in peius vertetur. Et vtinam satis esset aliquibus hominibus, siue prælati sint siue D alij, quod non vellent aut non haberent scire aliquid benefaciendi in hac materia, sed non, nam ad eorum infortunium & grauissimam damnationem (quam Deus illis dabit si non pœnitentiam egerint & desistant) conantur impedire eos qui laborant, vellent, possent & scirent. Quoniam similes sunt his nequam Iudæis, qui quærebant omni modo impedire resurrectionẽ Iesu Christi, ne manifesta fieret, quia dabant pecuniam custodibus, vt dicerent corpus Iesu Christi illis fuisse ablatum. Similiter & Apostolos persequebantur. E Hi de quibus loquor sunt in hac materia, qui per falsa media, per minas & consuetudines, per promissiones impediunt illos qui habent voluntatem & cognitionem in hac materia, & mendaces informationes eos reddere velint in odium & contemptum vestrum ô domini mei principes, qui debetis eos amare qui in hoc negotio laborant diligenter & fideliter per eos informari, alioquin si erretis, non eritis excusati coram Deo nec coram F mundo per ignorantiam, quia erit tanquam affectata & negligens. Credite ergo quod huiusmodi homines peruersi vos ponunt in magnum damnationis periculum, quod sitis scismatici facto vel reputatione, si eis fidem adhibeatis, vel si nõ prouideatis domini mei metuendissimi, secundum quod scitis, nescio quando præsens scismata terminabitur. Et si hoc fieri possit per reductionem falsæ partis, ad obedientiam sancti patris nostri, hoc optimum est fateor, sed si per vehementes coniecturas humanas, per prudentiam & experientiam ignorentur viæ aut modi sufficientes ad hoc perficiendum, nec per bella nec per iustificationem partis nostræ, quemadmodum audiui declarari paulo ante, admodum propriè & prudentissimè à quodam domino, quem modo nominare non est opus. Necesse est inquirere, inuenire & prosequi alias vias siue media, vel alia quæcumque. Et hoc impedire per malitiam vel culpabilem ignorantiam, est peccare mortaliter, & se reddere scismaticum, & dignum amittendi statum suum & obedientiam & iurare vel quærere tales vias vel nunquam consentire est iuramentum illicitum, damnabile, & non tenendum. Certus sum hoc sufficiẽter fundatum esse in sancta scriptura, per quam solummodo & principaliter hoc potest & debet sciri. Videtis igitur metuendissimi domini mei, ad quale periculum vos ponerent hi qui vos impedire vellent vel retardare, prosequi vias bonas & sufficientes prosequendi siue sit media vel alia, ad hanc discordiam finiendam & terminandam.

Erat mihi intentio magis intrare materiam, & ponere conclusiones, & respondere aliquibus formalibus rationibus quas faciũt aliqui, sed breuitas temporis me compellit finire supplicando & hortando & postulãdo vos dominos meos principes prælatos, aliósque nobiles ac cõsiliarios qui hic estis, & per fidem & amorem quem debetis Deo & sanctæ Ecclesiæ, per compassionem quam habere debet bonus Christianus de tam miserabili, perniciosa & damnabili diuisione, laboretis diligenter perseueranter consilium quæratis, prosequamini vias licitas faciendas & sufficientes ad vnitatem perueniẽdam & pacem, quam Iesus Christus & prædecessores vestri Christiani martyres & alij adeò dilexerunt, adeò commendarunt & carè admodum emerunt. Non ergo patiamini quod sancta Ecclesia (quæ per mortem tantorum martyrum & per deuotionẽ tam magnam principum fundata fuit) in tempore vestro per fauorem aliquarum particularium personarum vel per negligentiam, perdatur & dissipetur. Sic vobis concedere velit dominus noster pacem temporalem, vt hæc perficere possitis, quia in pace illius scilicet Ecclesiæ erit pax vestra. Hiere. &c. Vera ratio est quod per pacem sanctę Ecclesiæ spiritualem citius pacem habebitis temporalem, quæ vobis adeò necessaria est, sicut Deus nouit. Finaliter sic vobis Deus cõcedat resurgere spiritualiter secum & habere pacem in hoc mundo per gratiam, & in futuro per gloriam. Quam &c.

SERMO DOMINICÆ MISERICORDIA DOMINI, &c.



ERRATIS *sicut oues errantes, sed conuersi estis ad pastorem Episcopum animarum vestrarum.* 1. Petr. 2. Quoniam ex nobis sine Dei auxilio intelligere non possumus magna beneficia quæ redemptor noster Iesus in nos cõtulit. Et de aliquibus notitiam habemus talem qualem, ea tamen dignè memorare nequimus, nisi Spiritus sanctus dirigat nostrũ eloquium qui sermonum dat abundantiam ad Dei laudes exprimẽdas sermone ditans guttura. Requirenda est prius quam vlterius procedamus sua gratia, qua plena fuit virgo Maria quæ semper est aduocata

nostra. Et propterea ad dominā illam cōuerti debemus, ei nostram cōmendando causam, vt nobis gratiam impetret cognoscendi Dei beneficia, & ea dignè meditādi. Pręsentabimus ergo illi deuotè salutationem Angelicam, & Aue Maria, &c.

Eratis sicut oues errantes, &c. Mater nostra sancta Ecclesia post solēnem Paschæ festiuitatem, videns filios suos inclinatos ad imitandum mundū & carnales voluptates, in memoriā reducit hodie grande Iesu beneficium, magnam misericordiā quam ostendit omnibus sanctæ Ecclesiæ filijs, cum pro nobis & humano genere mori voluit. Quod veluti ouem perditam reportare voluit, & ad paradisi tecta sicut bonus pastor in proprijs portat humeris. Et ideo recitatur hodie in Epistola sancti Petri: Christus passus est pro nobis. Iesus dicit sanctus Petrus mortē tulit pro nobis. Et quod sequitur valde est conforme verbis Euangelij in quibus dicit: Ego sum pastor bonus, &c. Et ideo imitari ipsum debemus sicut exemplar vitæ, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Et quoniam in illo sancto festo Paschę, sancto elapso tempore nos Deo volente ad eum cōuersi sumus, & cum eo fecimus Pascha sicut sui discipuli, vidimus quomodo pro ouibus suis mori voluit, quas ab inferno ad salutis viam reduxit, precioso suo corpore pauit, quod est animæ cibus, spiritus refectio, vt nō obliuiscamur à Deo magnorum beneficiorum & bonorum ingentium, quibus nos donauit, & miserabilis status in quo eramus memoriam habeamus. Sancta Ecclesia nobis dicit: Eratis sicut oues errantes. Et quia mentio fit de præterito tempore & pręsenti, pluribus modis nostrū thema explicare possum. Sanctus enim Petrus verbum suum explicare potest ad hos qui erant sub lege Moysi & ante, vsque ad tempus Iesu Christi post peccatum Adæ, post Adam vsque ad Moysen homines sub lege viuebant naturæ, à Moyse vsque ad Iesum Christum data fuit Iudæorum populo, & his qui voluerūt eis associari lex, quę rudi Minerua & figuraliter Euangelij veritatem (quæ reuelata fuit tempore gratiæ per verum legislatorē & summum Episcopum Iesum Christum) continebat. In primo tempore humana natura adeò fuit deprauata & corrupta & in tantum à via errans, vt ira Dei contra humanum genus adeò magna fuerit, vt voluerit destruere quod condiderat, etiam ad si eum pœniteret humanam fecisse creaturam. Genes. 6. Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, cunctáque cogitatio esset cordis eorum ad malum omni tēpore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Non intelligendum est in Deo fuisse mutationem voluntatis aut pœnitudinem, eò quod fecerat hominem, sed scriptura loquitur de Deo ad similitudinem hominis. Cum enim homo quicquam fecerit quod ei ob aliquam conditionem non placet, pœnitet eum illud fecisse. Et est magnum signum ipsum duci pœnitudine, cum rem illam destruit aut dissoluit. Et quia Deus per diluuium omnes viuentes creaturas morti dedit, præter illas quæ in arca seruatæ fuerunt, propter horribilia peccata quæ tunc vigebant, ipse assimilabatur huic quem pœnitet fecisse hoc quod destruit. Possum ergo benedicere populum illum & omne humanum genus fuisse vt oues errantes, oues extra viam deuiantes. Omnis quippe caro corruperat viam suam. Omnis caro, hoc est, omnis creatura humana corruperat viam suam super terram. Nonne apparet tibi Cain qui erat ouis, vt in principio humanum multiplicaret genus, multum errasse, & sicut ouem perditam cum fratrem suum sanctum Abel interemit, per eam quā cōtra fratrem habuit inuidiam? Nōne erat bestialis error post diluuium ædificare turrim quæ attingeret cœlum. Et postea punitio qua Deus eos puniuit, quia vnus alium intelligere non poterat, cum prius solum vnū idioma super terrā esset. Qui diuisi fuerunt in diuersas regiones & in distincta idiomata vt irrationales bestiæ, quia inchoarunt idololatriam, & creaturas pro eorum creatore adorare cœperunt, profectò erant bestiæ errantes. Eis bene dicere possum, quod sanctus Petrus dicit: Eratis sicut oues errantes. Valde humanum genus extra viam erat, quia omnino solum erat vna progenies quæ non sequeretur idola. s. domus Nachor & Tharæ, vnde descenderunt Abraham, Isaac & Iacob, & Patriarchæ, à quibus Moyses & populus Iudaicus descenderunt. Sed consideremus, post legem receptam nunquam voluerunt cognoscere, aut saltem pauci fuerunt qui Dei beneficia, Dei pascua cognoscerent. Sed murmurabāt, & contra Deum recalcitrabant, cum Deus specialem de eis haberet curam, sicut proprius eorum pastor se ab eo separarunt. Quia sicut scribitur Sap. 11. Errantes colebant mutos serpētes, & bestias superuacuas, &c. Errabant sicut oues pastorem suum relinquentes, quoniam adorabant serpentes & mutas bestias. Ideo in punitionem huius Deus in deserto magnam multitudinem serpentium & veneficarum bestiarum eis misit quæ eos occiderunt. Dicit scriptura, vt scirent quia per quæ quis peccat, per hæc torqueatur. Declaretur si sit opportunitas, & semper postquam intrassent promissionis terram se à pastore suo auerterunt, neque omnino ad Deum conuerti voluerunt, saltem pauci, quamuis Deus eis prophetas misisset qui ipsis viam monstrarent & prædicarent reuersionem eorum in captiuitatem annunciando, & magnas persecutiones quas passuri essent, si Dei nō obseruarēt mandata, & nihilominus non conuertebantur ad pastorem eorum, qui tam magnam curam de animabus eorum gerebat, sed erant sicut oues errātes, & adeò quod filius Dei verus pastor, videns oues suas fugientes aut (dicere volo) ouem, hoc est, genus humanum non velle reuerti ad tectum ouilis scilicet paradisi ad alias oues, qui sunt Angeli, cucurrit post eam quæ fugiebat. Et quia fidelis erat, ipsam humeris suis superposuit, & ad paradisum ad alias oues deportauit. Valde fugiebant Iudæi, cum non volebant oculos eorum ad ipsorum conuertere pastorem, qui post legem, post prophetas in propria sua persona eos visitauerat. Et ideo dicebat Iob 34. cap. Quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt. De industria dicit hoc est dictum, quod peccatum tribus modis fit. Quandoque peccatum fit per ignorantiam, quando persona peccans est ignorans & peccatum hoc est leue. Sic peccauit sanctus Paulus contra Ecclesiam

cum

cum persequeretur illam. Et ideo dicebat ad Timothæum. Fui prius blasphemus & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam consecutus, quia ignorãs feci in incredulitate mea. Alius modus est peccare per fragilitatem per humanę conditionis infirmitatẽ. Sic peccauit sanctus Petrus, qui humano concussus timore Christum Iesum negauit ad vocem fœminæ, quod illi indultum fuit, quia fleuit, & amarissimam egit pœnitentiã. Sed tertius modus & grauissimus est, cum peccatur ex deliberatione & certo proposito, sicut principes Iudæorum & pharisæi, qui non potuerunt excusari ex ignorantia quoniam habebãt legem, ex qua cognoscere poterant Iesum Christum verum esse pastorem, qui eos saluare debebat. Et ideo dicebat Iesus Christus de eis: Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum nõ haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo, quia viderunt & oderunt me & patrem meum. Ioan. 15. Peccatum non haberent, hoc est, aliqualiter excusandi venirent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo, quia ex industria recesserunt & ex propria eorum malitia. Qualem excusationem in die iudicij habere poterimus cum tãta receperimus beneficia, tanta dona de Iesu Christo, cum eius audiuerimus doctrinam? In scriptura videmus regulam & nostræ vitę exemplar, cum tam mansuetè nos vocat, & tamen nos eum sequi nolumus? Credo eum nobis dicturum: Nunc autem excusationẽ non habent de peccato suo, sicut dicebat Iudæis. Quia autem sanctus Petrus multos sciebat esse homines in varijs terris dispersos, qui apostolorũ prædicatione fidem recepissent Iesu Christi, ipse illis scribebat vt eos in fide contineret. Duas autẽ scripsit epistolas. In quarum prima verbum scribitur, quod dicebam in principio. Eratis sicut oues errantes, nunc autem conuersi estis ad pastorem animarum. Magna huius pastoris misericordia, currit post ouem fugientem. Exiuit de cœlo vt post eam curreret. Exultauit vt gigas ad currendam viam suam, à summo cœlo egressio eius. Accepit ipsam & apprehendit, atque humeris suis imposuit, cum in virgine carnem assumpsit humanam. Non sic cœlos dimisit cum angeli ab eo recesserunt, post eos non cucurrit. ad Hebr. 2. Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Non assumpsit naturam angelicam sed semen seu prolem Abrahæ quæ errabat. Et ideo dicebat Moyses populo, miranda Dei cõmemorans beneficia, & etiam prophetizando de Iesu Christo: inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Circunduxit eum & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sic aquila prouocans ad volandum pullos suos & super eos volitans. Expandit alas suas & assumpsit eos, atque portauit in humeris suis. Deus inuenit oues suas errantes, & in via longè deuiantes in terra deserti, in loco horroris, quia inclinati erant ad idololatriam & de facto idololatriam exercebant. Reduxit eas, & docuit viam, custodiuit eas vt oculum. Ostendit eis per operationes suas sanctas bene agendi exemplum, sicut aquila prouocat pullos suos ad volandum. Sed quid vltra egit? Expandit alias suas, hoc est,

brachia in crucis arbore, & portauit eas, malefacta quoque & horribilia peccata, portauit ea in proprijs suis humeris. Videte quæso qualem pastorem, conspicite quod diligenter concurrerit post creaturam suam. Conspicite si vnquam pastor taliter gregis aut armenti sui fuerit misertus. Mater igitur nostra sancta ecclesia bene dicere potest omnibus filijs suis, qui per fidem & regenerationis baptismum conuersi sunt: Eratis sicut oues errantes. Et adhuc specialius hæc verba intelligere possumus, si cõsideremus statum peccati in quo eramus priusquam ad Iesum Christum nos conuerteremus per pœnitentiam, & magnorum eius beneficiorum recordationem quæ in nos hoc paschate contulit. Eramus sicut oues errantes & deuiantes, & tunc conuersi sumus ad pastorem & episcopum, qui est animarum nostrarum custos. Considerare ergo debemus nos esse oues eius à sacramento baptismi, sed eum dimisimus, & deorsum vertimus. Audiuisti quo pacto post genus humanum (quod fugiebat) cucurrerit & attraxerit, sed adhuc post hac non vult sequi pastorem suum, quando oues nolunt sub vno manere pastore, fugiunt vna hac altera illac, & pastor post eas currit, sed cum aliquantulum fuerint introductæ, præcedit pastor eas, vocat oues & sequuntur eum. Ioan. 10. c. Pastor cum proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia vocem eius sciunt. Et quamdiu suum sequuntur pastorem, bene habent & in bona vita. Si autem stultæ efficiantur aut remanserint, colligendo quamcunque herbam aut earum persistant voluptate. Quandoque errant, & hac atque illac fugiunt, & venit interdum lupus qui eas rapit. Cogitate quod cum perstiteritis per nimiam voluptatem ad mundum, aut ad quamcunque aliam rem quæ vos deturbat, ad sequendum pastorem vestrum Iesum, vos estis sicut oues stolidæ & errantes, & si semel per peccatum mortale tardaueritis mox in plurima cadetis peccata, hac atque illac currendo. Et propterea dicebat Esaias de peccatore, quod abijt vagus in via cordis sui. Esa. 57. Peccator abijt à societate Dei, & vagatus est hac atque illac, secundum desiderium cordis sui. Item Esaiæ. 53. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit. Bene dicit in viam suam. Nam vnus inclinatur ad luxuriam, alius ad gulam, alius ad auaritiam, ad superbiam alius, & sic de reliquis. Quamuis pauci sunt qui vitium vnum habeant sine alio. Cadunt enim de vno in aliud, & sæpenumero vnum est causa alterius. Sanctus Gregorius ait. Peccatum quod statim per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere ad aliud trahitur, &c. Et ideo dicunt doctores, quod cum homo est in peccato mortali, difficulter admodum cauere potest, quin de peccato labatur in peccatum, & interdum vsqueadeò, quod cadit sæpius in foueam desperationis, de qua nunquam sit exiturus, si Deus non eum requirat ante mortem eius, quemadmodum ouis quæ in foueam cecidit, exire non potest nisi per pastorem qui eam eximit. Et propterea dicebat Dauid: Errani sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Magnum est periculum desperare. Si enim quisquam in desperatione moriatur in corpore damnatur & anima. Propter Deum oro, vt vnusquisque hoc magnum euitet malum. Si occurrant aduersitates, si non ad sufficientiā bona huius mūdi habes, fer patienti animo, ditior enim his es quos optimè cernis nutriri aut vestiri. Nam spiritualium bonorum habes abundantiam.

Considera bene hic. Quæro enim à te. Bona hominis quæ auferri non possunt nonne amabiliora sunt his quæ auferri possunt, & quæ rapiuntur, disparent & transeunt & redeunt, modò parum, modò nihil, modò verò multum. Si sis patiens, si pauper es, & patienter hoc capis de manu creatoris tui, crede quāto tibi aufert & subtrahit plus bonorū caducorum, tāto plus dat cūmagna abundantia meliorū bonorū animæ scilicet, quæ nunquā fur aut prædo tibi auferre poterūt. Audi prophetam Dauid, quid Deus pauperibus parauerit. Parasti in dulcedine tua. pauperi Deus, parasti pauperibus, & quid? tuam dulcedinem. Vbi? Non quidem in hoc mundo, in quo miserias habēt & angustias pauperes, sed in suauitate & dulcedine paradisi, vbi pauperrim⁹ & despectissimus in hoc mundo reges præcedit & imperatores qui in hoc mundo ditissimi fuerunt. Hoc dixi, eò quod multi sunt qui non habent talem patientiā qualem deberēt, verum aliqui in desperationem vertuntur, quod miserandum estvbi erant in proxima dispositione ad viam paradisi, in quo plus habetur quam desiderari queat, & mox in infernum pergunt ad societatem omnium infernaliū diabolorum, se eximere putant miserijs, & se perpetuis implicant miserijs. Profectò bene dicere possunt cum ibi fuerint. Erraui sicut ouis quæ perijt, sed gratis dicent quod sequitur: Require seruum tuum quia nunquam exibunt. Deus nos præseruare dignetur de tali errore. Et si erramus, vt ante mortem nostram per pœnitentiam ad pastorem nostrum nos conuertamus. Cogitaui quod per errorem quisquam deuiare potest à via sua pluribus modis. Quādoq; aliquis deuiat cum viam ignorat, vel cum nox est, & ipse sine lumine. De quo dicitur Trenorum. 4. Errauerunt cæci in plateis, errauerunt & deuiauerunt sicut cæci in plateis. Sic erramus & nos, priusquam episcopus noster illuminasset nos sancta doctrina sua, prorsus eramus tenebrosi. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, dicit Paulus ad Ephes. 6. Eratis priusquam doctrinam Iesu haberetis sicut tenebræ, in quibus nihil cernitur, sed modo lux estis & in Deo, hoc est, illuminati estis doctrina euangelica, & potestis vnus alterum illuminare. Cogitate quam excusationem habebunt hi quibus ista doctrina quolibet die data est & monstrata. Non se excusare poterunt quod errauerint à via propter luminis defectum. Nam quemadmodum dicit sanctus Ioannes 1. Ioh. 2. Tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet. Tenebræ ignorantiæ, legis & sanctæ doctrinæ transierunt, & verum lumen lucet.

Secundus modus errandi & deuiandi à via est, cum quis non vult sequi illum qui viam ostendit. Iesus Christus venit in mundum, vt te duceret, & dirigeret in via tua, quæ valde est periculosa. Et propterea monstrando tibi viam præcessit, expertus est pericula prius & ante te. Taliter viam

A disposuit, quod si calcare volueris illuc quò ipse calcauit, ibis securè post eum viam quam ipse tenuit. Sanctus Petrus hoc hodie dicit in epistola: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus dolus in ore eius, &c. Iesus Christus eundo per mundum, inuentus est innocens & absque peccato. Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, & tunc passus est pro nobis omnibus vobis relinquens exemplum, non dicit, nobis relinquens exemplum,

B sed vobis loquebatur populo, ne populares dicere possent Christum solum reliquisse exemplū magnis & prælatis, exemplum inquam patiendi, sed vobis etiam qui estis ex populo, reliquit exemplum, quod ferre debeatis & pati pœnas & mundi tribulationes, sequendo viam suam, vt sequamini vestigia eius. Oportuit eum illac transire, vt intraret in gloriam suam. Luc. vlt. Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam

C suam? Sed conueniens est pati eo qui in epistola describitur modo & tenore. Cum malediceretur, non reddebat malum sed voluntariè & cum magna patientia se dabat illis qui eum vltimo afflicturi erant supplicio. Heu quis est hic quin hodie sit veluti ouis errans per hoc quod nullus sequitur hunc qui viam ostendit, vides Deum tuum, pastorem tuum, eum qui de tam longinquo venit, vt tibi viam ostenderet in hoc mundo omnē aduersitatem & persecutionem habuisse. Et tu es

D in aduersitate & persecutione famis, præliorum, aut cuiuscunque alterius tribulationis, es quidem in via huius qui præcedit te, sequere eum & patere patienter sicut ipse fecit, quamuis non meruisset, tu verò meruisti, & die quolibet mereris, & ideo patienter eas ferre debes. Crede viam tuā esse, nec est alia. Laus Deo, qui te per has aduersitates ad viam posuit paradisi. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorū. Quamuis tempore pacis bene possit (si quis velit) repetire paradisum, tamen oportet quod si me-

E diante persecutione & mortificatione carnis propriæ. Apostolus: Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionē patiuntur. & ad Tim. 3. hoc fabula non est. Est enim sancta scriptura. Valde timeo multos esse impatientes, & eò quod ductorem non sequuntur, decipiuntur. De quo scribitur Sophon. 1. Auerterunt de post tergum Domini non quæsiuerunt hominem, nec inuestigauerunt eum. Auerterunt de dulci Iesu Christo, non eunt viam suam. Reuertamur ergo per bonam patientiam, hæc mala sustinen-

F do, vt dici possit, quod nunc conuersi estis ad pastorem & episcopum animarum vestrarum. Alius modus deuiandi est, cum ouis pascere vult, nec alias sequitur. Sumus & fuimus transacto tēpore tam tardi & tam appetentes in hoc mūdo permanere, & bona eius pascere quod nos mansimus post pastorem, & errauimus per mundum hunc in diuersis peccatis vt prædixi. Verum placente Deo conuersi sumus per pœnitentiam ad pastorem nostrum in hac paschali festiuitate, & quolibet die pœnitentes conuertuntur ad eum de erroribus eorum.

Si non es pœnitens, sanctus Petrus non dicet: Eratis aliquando sicut oues errantes. Sed dicet illud quod scribitur in canonica sua secūdo capitulo: Canis reuersus ad vomitum suū, & sus lota in volutabro luti &c. Tu es sicut canis qui reuertitur ad vomitū &c. Noli ergo reuerti ad iniquam vitā tuam. Noli resumere veterē tunicam qua spoliatus es, sed induere nouum hominem. Fac vt habeas nouam hanc vestem, vestem illam nuptialem. Si eam perdideris per peccatum reuertere ad episcopum tuum, ad pastorem tuum, qui mānum habet extensam ad te recipiendum. Miseretur tui, compassionem habet malorum quæ pateris. Ad Hebr. 4. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Sit tibi grandis spes, te conserua in confessionale fidei. Dicit Apostolus quosdam pontifices non habere ad subiectos misericordiā, quia ignorant quid sit tribulatio, cum bene læti sint, lautè nutriti, nec curent populum. Chrysostomus epistola ad Hebræos sermone 7. Multi pontifices ignorant eos, qui in tribulationibus constituti sunt. Et reddit causam. Impossibile quippe est scire afflictionis & afflictorum eum qui experimentum afflictionis non habuit. Impossibile est (inquit Chrysost.) hominem aliquē scire & habere tam magnam compassionem afflictionis alterius, si non habet experimentum aliquarum afflictionum ac si habuisset. Noster autem magnus episcopus Iesus Christus omnes sustinuit afflictiones. Tentatum inquit, Apostolus per omnia. Sustinuit afflictiones & tentationes mundi per omnia, etiam ac si peccasset, & tamen nunquam peccauit. Persecutiones passus est à primæua sua ætate. Despectus fuit & irrisus contra dignissimam faciem tuam, accusatus, iniurias sustulit, verbera, flagella & demum crucifixionem. Nouit optimè quid sit tribulatio & afflictio. In eo enim in quo passus est & tentatus, potens est & eis qui tentatur auxiliari. Ad Heb. 2.

Valde magnam spem habere debemus nos qui talem habemus episcopum & talem pastorem. Ipse est bonus pastor. Bonus pastor ponit animam suam hoc est, ponit se in periculum & persecutionem pro grege suo. Sed is qui duntaxat est mercenarius qui solum gratia quæstus oues custodit, cum primum vidit lupum, fugit. Pastor hic Iesus pōnit animam suam pro nobis vsque ad mortem. Bonus etiam pastor oues suas ad bona ducit pascua. Si bonus pastor noster facit. Ezech. 34. Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, &c. Et sequitur: Inducam eas in terram suam, & pascam eas in pascuis vberrimis, & in pascuis pinguibus pascentur. Requiram oues meas, & visitabo eas sicut bonus pastor oues suas visitat, cum dispersæ sunt per temporis aduersitatem, aut pluuiæ aut fulguris, & liberabo eas de tribulationibus, ponamque eas in pascuis fertilibus & pinguissimis. Hoc nobis facit Iesus, cum nos congregat ad audiendum verbum Dei. Quæ est pascua nostra & nostra refectio? Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit, &c. Etiam congregauit nos in hoc pa-

A scuate de locis in quibus eramus dispersi per diuersa peccata, vnusquisque in via sua, & nos induxit ad locum pascuæ, hoc est ad mensam Dei ad sanctum altare, vbi accepimus vberrimam pascuam preciosissimum videlicet corpus suum, qui est panis cœlestis, pinguis angelorum panis. Gen. 49. Pinguis est panis eius, & præbebit delitias regibus, hoc est illis qui bonum in seipsis habent gurbernamen. Videtis igitur quod vos qui eratis sicut oues errantes modò per Dei gratiam conuersi estis ad pastorem vestrum & episcopum vestrum. Non solum est pastor vester, sed dignus

B presbyter & episcopus animarum vestrarum. Episcopus tantum sonat sicut superintendētis. Ad episcopum spectat habere sollicitudinem & curam animarum vltra curatos & alios homines ecclesiasticos. Officium episcopi est orare, & Deo pro populo suo sacrificium offerre. Hæc duo pro nobis fecit Iesus Christus. Et propterea probat sanctus Paulus ad Heb. ipsum esse verum sacerdotem magnum & verum episcopum secundum ordinem Melchisedech. Nonne ro-

C gauit pro te interea dum in mundo esset? Ausculta quod dicit patri suo Ioan. 17. Pater sancte serua eos quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus. Non pro eis tantum rogo, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me vt vniti sint in charitate, sicut tu & ego vnum sumus, in naturæ æqualitate. Audi magnam precem quam pro te fudit in cruce. De qua dicit Apostolus: In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui posset illum sal-

D uum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. ad Hebr. 5. In diebus carnis suæ. i. passionis suæ, quæ erat secundum carnem suam. Obtulit preces & supplicationes cum lachrymis illi qui potuit eum saluare de morte, non quidem pro se, sed pro nobis. Et cum sic oraret cum valido clamore, exauditus est pro suæ personæ reuerentia, & non ab re, quoniam dignus erat qui exaudiretur.

E Sed quærere posses, an ne secundum humanitatem Deum patrem orauerit? Respondeo quod sic. Apostolus hoc dicit. ad Heb. 6. saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deū, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Ipse est perpetuus sacerdos noster & episcopus, qui nos potest saluare æternaliter. Habet enim per semetipsum accessum ad Deum, & est semper viuens ad orandum pro nobis. Respice ergo ad quē conuersus sis episcopum. Verùm obtulit etiam sacrificium scil. proprium corpus suum, sacerdos fuit & sacrificium, ipsemet agnus fuit & ouis, quę

F oblata fuit pro nobis. Antiquitus sacrificabantur bestiæ in figuram, quod humanitas Iesu Christi Deo sacrificanda esset per mortem suam. Ideo meritò comparatur oui & agno, quæ ad sacrificium ducebantur. Esai. 54. Sicut ouis ad occisionē ductus est, & quasi agnus coram tondēte se obmutescit, & non apperuit os suū, &c. Semel fecit hoc sacrificiū, semel mortuus est pro te non morietur amplius. Noli aliā expectare redēptionē. Ipse nō est sicut alij sacerdotes, qui deberēt offerre oblationē Deo in primis pro peccatis suis, & deinde pro peccatis populi, quia ipse est sāctus, im-

pollutus à peccatis, separatus, supra cœlos eleuatus. Possem hic dicere aliqua tangentia vitam & statum prælatorum & presbyterorum sanctæ ecclesiæ, sed non offertur opportunitas, sed hoc in sacerdotum conuentionibus vt dicatur locum habet.

Conuertamus igitur nos deuoti homines ad pastorem nostrum episcopum nostrum quia ipse est altus in sede sua in cœlis, vbi nobis talem præparat pascuam, quod nunquam intellectus creatus intelligere potuit, nec voluntas desiderare magnas delitias, quæ in ea paradisi sunt pascua. Festinemus ingredi in illam requiem. Festinemus (inquit Apostolus) ingredi in illam requiem. Non dicit solum eamus, sed festinemus. Vbi Chrysostomus pulchrum dat exemplum. Si magnum sit tibi desiderium hanc requiem ingrediundi festinandum est & currendum. Cum persona aliqua magnum habet ardorem & ingens desiderium locum refugij attingendi, cum ipsa est in periculo, currit velociter, non considerat si lapides aliqui sint aut spinæ in eo per quod currit iter. Et si inueniat optimos (quos habet) amicos, eos nihilpendit. Sic tibi currendum est, & calcandæ sunt spinæ, mundanæ scilicet tribulationes. Nec te offendas apud patrem, nec apud matrem, nec à quopiam homine, aut quauis alia re mundi lædaris quæ tibi impedimento sit ad locũ perueniendi. Eundũ est tibi cum ardẽti desiderio & magna fiducia, quoniã ductor tu⁹, custos tuus, episcopus tuus, tuus pastor, viam tibi ostẽdit, qui est superius in maiestate sua te expectans. Propterea dicebat apostolus: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiã inueniamus in auxilio opportuno. Eamus in magna fiducia ad thronum suæ gratiæ, quia orat pro nobis, quemadmodum dictum est & præcessit nobis, iter monstrando, sequamur eum & misericordiam suam & gratiam dum tempus est, inuenire queamus in auxilio opportuno. Postea quam enim ianua clausa fuerit, nimis tardè eum sequeremur. Tempus est dum viuis, mors citò venit. Meditare igitur & institue post eum currere, vt eum possis attingere, illic quoque peruenire. Præstante Domino nostro Iesu Christo. Qui cum Deo patre & filio in vnitate sancti spiritus viuit & regnat per infinita secula seculorum. Amen.

SERMO DEVOTISSIMVS HABITVS PARISIIS PER PRÆFATVM *magistrum* IOANNEM *Gerson cancellarium Parisiensem compositus.*



Bi eum videbitis, sicut dixit vobis. Mat. vlt. scribuntur originaliter.

Quando gustandum est de fructu aliquo ad edendum, dulci & delectabili, aut cum videtur fructus aliquis excellens in pulchritudine & suaui odore, plerumque datur gloria & laus ei qui arborem plantauit, & benedictus sit is qui adeò bonam arborem plantauit, & laudatur

A & iam arbor ratione boni fructus, qui inde est productus. Hodie autem fructum gustauimus, qui præ omnibus rebus est placens, & ad comedendũ delectabilis. Est enim cibus angelorum & panis cœlestis, qui omnẽ in se habet suauitatẽ, refectionẽ & delectationẽ. Sap. 16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum de cœlo panem præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. O dulcis Iesu, qui cibus es & angelorum refectio, hodie nutriuisti populum tuum precioso corpore tuo, preciosa carne tua, præparasti panem B cœlestem in crucis arbore, vbi decoctus fuit in magno charitatis feruore, & hodie dedisti populo fructum hunc, panem hunc, qui adeò est sufficiens, adeò dulcis, vt in eo nullus saporis sit defectus. Pulcher est & excellens in pulchritudine.

Dedisti enim eum nobis hodie glorificatum & immortalem, qui prius & paulo ante tam miserabiliter & ignominiosè fuerat tractatus. Verum crucis fornax ipsum nobis reddidit, vsque adeò pulchrum, lapidum, & tam magni odo- C ris, quod mortui ipsum senserunt, quando cum eo & in virtute sua resuscitati sunt. O fructus vitæ, nonne rationabile est nos agere gratias & gloriam illi qui hanc arborem plantauit, qui hunc fructum portauit? Dicamus igitur: Benedictus sit Deus qui tam bonam arborem plantauit. Arborem etiam multum laudare debemus, quæ est virgo Maria, quę talem fructum portauit quo refecti sumus. Dic ergo virgo gloriosa Maria, dic D hodie sæpius: Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis. Eccl. 24. Dicit virgo gloriosa Maria: Modo cognoscitis me portasse sicut vitem fructum suauitatis & magni odoris. Vos christiani & christianæ apertè cernitis flores quos portaui, esse flores honoris & honestatis. Bene honoris quia hodie fructum dederunt vestitum immortalitate & gloriæ. Esa 4. In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ, id est virginis sublimis. Multum itaque E hodie debemus laudare hanc arborem, hanc virginem Mariam matrem iocundam, quæ elapsis diebus valde fuit molestata. Sed quam maiorem laudem ei dicere poterimus, quam eam quæ ab angelo ei dicta fuit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Salutabimus igitur eam salutatione angelica, & ei præsentabimus Aue Maria, &c.

Ibi eum videbitis, &c. Huius diei solemnitas sermonis requirit breuitatem. Et ideo vt breuius F facere possimus, recolligenda est in breui gloriosæ resurrectionis Domini nostri Iesu Christi historia, quemadmodum euangelistæ quoad rei principalitatem describunt. Et super hoc aliqua notabimus. Quoniam autem mysteria, & huius resurrectionis secreta sunt tam ardua & in tanto numerosa & tam notabilia, dicunt doctores quod bene consideranti mare quoddam esse videtur & abyssus. Et ob hanc causam aliqua familiaria sumemus pro nostra ædificatione. Exordiar igitur à sepultura Domini nostri Iesu Christi, hoc est, à precioso corpore suo.

Quem-

Quemadmodum enim die veneris vobis dictum fuit in hora mortis eius, dignissima Domini nostri Iesu Christi anima corpus reliquit, propter quod vera subsecuta est mors, & ad infernum descendit ad patres sanctos liberandos, qui propter originale peccatum illic detinebantur. Et ibi anima Domini nostri Iesu Christi tamdiu fuit, quãdiu preciosum corpus eius fuit in sepulchro. O grandis lætitia, magna solẽnitas fuit in ea parte inferni, cum hunc viderent quem tantopere desiderarant, & Dei visionem quam postulauerant & expectauerant, tunc receperunt. Mirabile, inferni pars vna paradisus fit aduentu Domini nostri Iesu Christi. Reor omnem locum illum gloria repletũ fuisse, cum Domini nostri Iesu Christi anima ad inferos descendit. Persona Domini nostri Iesu Christi, quæ diuina est & æterna in inferno erat animæ vnita, & in sepulchro corpori iuncta. Durante itaque tempore ab hora mortis suæ ad resurrectionis suæ vsque horam partes humanitatis Domini nostri Iesu Christi separatæ fuerunt, anima gloriosa erat, corpus verò quãdiu in sepulchro iacuit, gloriosum non erat, quoadusq; anima ei denuo fuit vnita. Hi qui in inferno erant lætabantur. Nec hoc mirandum est, habebant enim gloriam. In ea namque hora magno desiderio & expectatione soluti fuerunt. Et fuerunt animæ eorum glorificatæ, & ex sacco positæ hoc est, de tædio quo afficiebantur de tanta expectatione, Zacha. 9. Tu autem in sanguine testamenti tui eruisti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua, conuertimini ad munitionem iuncti spei, &c. Hi qui in terra sunt, turbati sunt, quia habent corpus mortuum. Hi autem qui sunt in inferno, faciunt reuerentiam animæ Iesu Christi. In terra autem existentes, seruiunt & vngere volunt corpus. Nouit Deus quam tristitiam, quam sollicitudinem deuotæ illæ habuerunt mulieres quæ eum sequebantur, & illi fuerant vsque ad mortem comites, immo verò vsque ad sepulturã. Sicut enim narrat sanctus Lucas Lucæ 24. Subsecutæ mulieres quæ cum ipso venerant de Galilea, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. Deuotæ mulieres Maria Magdalena & aliæ Mariæ atque deuotæ fœminæ, viderunt monumentum & sepulchrum, & considerauerunt quomodo corpus Domini nostri Iesu Christi positum fuerat, statueruntque mox vnguenta preciosa præparare, vt vngerent corpus Iesu Christi.

Reuertentes parauerunt arometa. Reuersæ sunt eadem die, & parauerunt atque emerunt aromata, eò quod in crastinum esset dies sabbati, quæ dies secundum legem erat requiei. Et ideo dicit sanctus Lucas quod sabbato siluerunt secundum legem. Bonæ Mariæ siluerunt hoc est, aromata non emerunt, nec ad sepulchrum eo die venerunt, sed vespere sabbati præparauerunt & emerunt (sicut dicit Beda) residuum suorum vnguentorum. Nouit Deus Dominica die valde mane eas surrexisse, vt venirent ad monumentum. Et hic punctum est in quo nostrum incipit euangelium sancti Marci quod dicit: Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene Maria Iacobi & Salome, emerunt aromata, vt venientes

vngerent Iesum. Et valde mane vna sabbatorum
A veniunt ad monumentum, orto iam sole, &c. Posteaquam transisset sabbatum (Erat enim in lege præceptum quod à die veneris in vesperis, vsque ad diem sabbati in vesperis post occasum solis, nullum prorsus post occasum solis, nullum prorsus fieret opus seruile sabbati, ergo valde sero preciosa emerunt aromata. Et valde mane venerunt ad monumentum, hoc est, valde mane ambulare cœperunt, cum adhuc tenebræ essent super terram. Dicit sanctus Ioan. Cum autem venissent ad sanctum sepulchrum, sol iam erat
B ortus. Et ideo dicit sanctus Marcus, Orto iam sole. Maria Magdalena primum nominatur quoniam primum se illi manifestauit. Etiam, quia habebat tam magnum ardorem quid de magistro suo fieret cognoscere, vt semper in itinere primã esset. Venerunt ergo mane cum aromatibus, & inter eundum dicebant ad inuicem. Quis nobis reuoluet lapidem magnum quem vidimus pridie poni ad ostium ab ostio monumenti? O magnus deuotionis & charitatis quem habebant ardor.
C Bene sciuerant esse magnum, immo maximum lapidem ad ostium monumenti. Erat quippe magnus valde, & nihilominus venerunt vsque ad sepulchrum, nec ab incepto destiterunt, nec dicebant: Quid facturæ sumus, non enim monumentum possumus intrare. O deuotæ mulieres, facitis quod in vobis est. Quod facere potestis facitis & quod minimè complere potuissetis, Deus vt compleatur prouidet. Quia viderunt reuolutum lapidem, &c.

D Deus prouidit, quia lapis erat reuolutus. Angelus de cœlo parauerat illis ad monumẽtũ introitum. Lapis non fuerat reuolutus ab ostio vt Iesus Christus exiret: sed vt discipuli manifeste resurrectionem Domini videre possent. Beda. Qui egressus est nascendo clauso virginis vtero resurgendo clauso exiuit sepulchro. Sicut per miraculum & operationem mirabilem Iesus Christus natus est absque quacunque ventris virginalis fractione, etiam per miraculum exiuit resurgendo de sepulchro clauso, sed vt manifestè cerne-
E retur resurrectionis suæ veritas, magnus lapis ab ostio erat reuolutus. Et ideo dicit euangelista. Et respicientes, viderunt reuolutum lapidem. Per id nobis significatur, quod si faciamus quod possumus & bonam habeamus voluntatem, omnem duritiam peccati ab anima nostra remouendi, illud quod facere nequiuerimus, Deus & digna eius prouidentia nostram supplebit imperfectionem. Et propterea dicebat apostolus: Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. ad Ro. 7. volũtas bene agẽdi in me est, sed propter magnas
F difficultates superuenieñtes, consũmatio & perfectio à me nõ est, sed à Deo. Posteaquã ergo perceperunt reuolutum lapidem, intrauerunt rotundam quandam domum, quemadmodum quidam doctores dicunt, quę iuxta sepulchrum erat. Et ibi viderunt angelum supra lapidem ad dexteram sedentem hoc est versus meridiem. Et dicitur dextra, quoniam dicit doctor quidam, corpus Domini nostri Iesu Christi in sepulchro sic erat locatum, pedes ad orientem, & caput ad occidẽtem. Et sic necesse fuit dextrã esse versus meridiẽ. Et modus iste obseruatur cũ mortui sepeliuntur.

Angelus ille vestitus erat stola, vestimento quodam albo, quem cum vidissent sanctæ fœminæ timuerunt valde & obstupuerunt. Non erat mirũ si aliquid timoris in principio habuerunt. Sicut enim dicit sanctus Matthæus: Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. Aspectus eius erat sicut fulgur quod præcedit tonitruum & obstupendum est propter vehementem claritatem. Et erant vestimenta eius alba sicut nix, quod absque mysterio non erat. Vestimenta alba & splendentia, visuque preciosa solemnitatem repræsentant. Significabant ergo resurrectionem quam angelus annunciabat nobis admodum iocundam esse, & de ea magnopere lætandum. Quod verò habebat aspectum sicut fulgur, significabat gloriosam hanc resurrectionem, terribilem visu, & obstupendam malis fore. Recordari debemus & morari in qua forma veniet in die iudicij. Certè in ea veniet forma in qua hodie resuscitatus fuit, & quam angeli in seipsis ostenderunt. Quantum enim fuerit placens & iocundus ad videndum bonis & his qui per gloriam resuscitabuntur. (Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, &c. Sancti exultabunt videre gloriam Iesu Christi, vt in cubilibus suis, hoc est sepulchris eorum quæ exibũt gloriosi lætabuntur) tantum timendus veniat malis. Ostendit enim se eis sicut fulgur & coruscatio. Matth. 24. Sicut Fulgur coruscans: ita erit aduentus filij hominis. Aduentus Domini nostri Iesu Christi in iudicio, malis erit terribilis sicut fulgur. Quia ergo sanctæ fœminæ prima facie obstupuerunt, angelus eas confortauit dicens: Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum. Eas confortauit cum hilaritate, quia iocundissima ipsis nuntiauit nuncia, boni nuntij baiulus est, Iesum inquit quæritis Nazarenum. Adiecit Nazarenum ad differentiam alicuius alterius, qui Iesus vocari poterat, & fuerat crucifixus. Magnum documentnm dedit eis angelus, ex hoc quod quærebant Iesum Christum crucifixum. Nos facere debemus quemadmodum bonæ hæ fecerunt Mariæ. Quærere debemus Iesum, hoc est saluationem per Iesum qui interpretatur saluator. Per Iesum inquam crucifixum. Plerique quærunt Iesum, hoc est, saluationem eorum, vellent salui fieri, sed non quærunt per crucem, non quærunt crucifixum. Chrisost. Multi libenter quærunt purpuratum sed pauci quærunt eum crucifixum vel flagellatum? Sed antequam inueniatur purpureus, quæri debet flagellatus. Multi sunt inquit Chrysost. qui quærunt Iesum vestitum purpura, hoc est, gloria, vellent enim in gloria sua esse, sed pauci sunt qui eũ quærunt crucifixum, & flagellatum more sanctarum dominarum, & tamen primò quærendus est crucifixus & flagellatus, hoc est dictum, quærendus est in amaritudine lachrymarum gloriosæ passionis suæ, memorando crucem tormenta, & quas pro nobis sustinuit plagas. Si eum hoc pacto quæsiuerimus, nõ eum glorificatum reperiemus, & participationem habebimus gloriosæ suæ resurrectiones. 2. ad Corinth. 1. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per ipsum abundat cõsolatio nostra: Sicut habuerimus in nobis plagas & dolores passionis Iesu Christi, sic abũdabit
A in nobis consolatio per suã resurrectionẽ. O quã diligenter quærebat cum apostolus, cum dicebat ad Gal. 2. Vt viuã cum Christo, cõfixus sum cruci. Vt viuam cum Iesu Christo, qui hodie de morte resurrexit ad vitam, confixus sum cruci suæ per magnam mortis eius compassionem. Non igitur de illorum simus numero, qui eum quærere noluẽt, de quibus dicit Sophonias propheta Soph. 1. Auerterunt de post tergum Domini, non quæsierunt eum, nec inuestigarunt eũ. Verterunt tergũ Iesu, quærũt enim eum per delitias & mundanas
B iocunditates, & non in pœnis & tribulationibus contriti cordis, & per compassionẽ. Non secuti sunt semper viã suã, hoc est per viã quã ipse iuit. Ipse per tribulationes, per amarã passionẽ ad mortem vsque iuit. Si bene eum sequi voluerimus, cũ imitari debemus per hanc semitam. Sicut fecerũt deuotæ hæ & sanctæ fœminæ, quæ tantam habebant tristitiam, tantum dolorem de eo quod viderant eum pati, verè quærebant crucifigi cũ eo.

C Sed quid significat, quod ipsæ preciosa habebant aromata habemus doctrinam. Sicut enim dicit S. Gregorius. Conscientias nostras habere debemus bonis virtutibus repletas, quę sint odoriferæ taliter vt proximus noster hinc exemplum queat capere. Per aduentum istarum fœminarum ad sepulchrum in diluculo cum suis aromatibus, significatur quod nos post tenebras peccati, quæ volente Deo transierunt per pœnitẽtiam & peccatorum nostrorum confessionem ad sepulchrũ venire debemus, hoc est, ad altare quærere & recipere preciosum corpus Iesu Christi in virtutum
D operatione & magna orationis suauitate sicut Deo volente hoc mane fecistis. Sed deinde angelus aut angeli (sicut enim alij dicunt euangelistæ duo erant) dicebant eis: Venite & videte locũ, vbi Ioseph & Nicodemus posuerunt eum, quare quæritis eum cum mortuis? viuit enim. Verisimile est tunc eas in monumentum respexisse, & viderunt sudarium plicatum, sicut sanctus Petrus & sanctus Ioannes qui postmodum venerant. In quo magnam habemus doctrinam, quod Iesus
E Christus suum dimisit sudarium, & quod hi qui magna tribulatione & mentis consternatione eũ quærebant, sudarium eius inuenerunt hoc est, dimittit nobis memoriam passionis suæ quæ per sudarium significatur, vt nos qui in tribulationibus sumus, cum habemus sudorem & pœnas ferendi mundi huius & carnis molestias atq; aduersitates, memoriam habere debemus grauis passionis Iesu Christi. Si bene meditemur pœnam quã pro omnibus nostris tribulationibus sustinuit,
F omnes aduersitates & mundi tribulationes nos infestantes erunt nobis quo portentur faciliores. Cum accidet tibi quæcunque fortuna aut tribulatio quam ferendo sudabis & quam difficulter portare valueris. Cape sudariũ Iesu Christi quod tibi misit, cape patientiam quam portauit cũ pro te mortuus fuit. Mariæ & discipuli cum primum viderunt sudarium absque tristitia, fuerunt pleni gaudio & lætitia, quia audierunt & euidenter viderũt ipsũ resuscitatũ esse. Cape etiã patientiæ sudariũ ꝙ Iesus Christus tibi reliquit & noscas tribulationẽ & pœnã hãc ad gloriæ statũ te ducere. Oportuit Christũ pati & ita intrare in gloriã suã.

Etiam

Etiam oportet te in hoc mundo pati & demum adipisceris gloriam. Cum ergo vidissent sudariũ, A præcepto angelorum exierunt monumentum, qui dicebant eis: Ite dicite discipulis eius & Petro &c. Vos mulieres apertè cernitis resurrectionem & Iesum hic non esse. Ite festinanter & dicite discipulis eius & Petro, quod præcedet eos in Galilæam. Cõfestim ergo adierunt discipulos, & quæ viderant & audierant, nunciarunt, non quidem Iesum surrexisse, sed quod furto ablatus fuisset. Et Petro, quare nominat sanctum Petrum potius quam alium quempiam. Dicit sanctus Gregorius quod Petrus ob magnum peccatum (quod B commiserat) nunquam præsumpsisset ad Iesum Christum reuerti, nisi specialiter per os angeli eũ appellasset. Et mox accurrerunt sanctus Ioannes & sanctus Petrus, alij magis tardi fuerunt ad credendum, existimabantque mulieres phantasma vidisse. Sanctus Ioannes verò & Petrus singularem cum Iesu habuerant familiaritatem, & propterea ardentiores erant & cucurrerunt. Sanctus quoque Ioannes quia Petro erat agilior & iunior, ipsum præcessit, expectauit tamen Petrum, & di- C stulit ingressum, vt Petrus primum ingrederetur monumentum, vbi nobis datur doctrina quod differre debemus & expectare prælatos nostros, quemadmodum sanctus Ioannes Petrum, quem Christus Iesus totius ecclesiæ constituerat pastorem. Cogita mulieres prędictas ad sepulchrum reuertisse, & vnà cum duobus discipulis cucurrisse. Discipuli non diu fuerunt apud monumentum, sed mox cum non vidissent corpus in sepulchro, sed lintea & sudarium, crediderunt Iesum furto D fuisse ablatum, quemadmodum eis dixerat sancta Magdalena, nec tamen ibi diu persistere audebãt propter metum Iudæorum, suntque reuersi. Deuotæ autem & sanctæ fœminæ iuxta sepulchrum manserunt in horto, Maria Magdalena deambulabat tristis, quia magistri sui corpus ablatum credebat, sæpius introspexit in monumentum, quandoque ibat longius vt videret si signa aliqua, aut hominum qui ad sepulchrum venissent inueniret vestigia, sicut dicit sanctus Gregorius. Amantibus non sufficit semel aspicere. Non sufficit his E qui feruentius aliquam rem quærunt semel vnum aspicere locum. Cum itaque semota esset à sepulchro, ad quindecim (vt dicit doctor quidam) passus & aliæ ex opposito essent latere, dominus noster apparuit in habitu simulato: Ipsa verò credẽs eum esse hortulanum dixit: Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego ipsum deferam. O Magdalena vocas eum dominũ, & tamen alium esse existimas, dominus tuus est F certè, sed quia fidem non habes de gloria sua, nec credis eum resurrexisse, ideò nec eũ vides in forma gloriosa. Tunc angeli dixerũt ei: Mulier quid ploras? quem quæris? Ploro inquit quia sustulerunt dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Iesus vocauit eam & dixit: Maria, & confestim illa se conuertit ad eum. Vidit enim angelos reuerentiam illi exhibentes, & respondit: Rabbi, & voluit eum tangere, plagas quoque eius vngere, sed Christus non permisit. Nondum inquit ascendi ad patrem meum, hoc erãt dicere, nondum esse tempus, quia nondum firmam fidem habebat de sua diuinitate. Tunc accurrit ad socias suas dicens se vidisse dominum suum, & cum talia ipsi dixisse inter quæ dixisset vt iret ad fratres suos scilicet discipulos. Et tunc cœperunt ambulare cum ipsa, dolentes quod non vidissent dominum. Inter ambulandum apparuit omnibus similis & dixit eis: Auete. Et confestim genua flectentes, pedes eius deosculati sunt. Et dixit eis: Nolite timere, sed ite ad fratres meos & dicite eis vt eant in Galilæam, & ibi me videbunt, & hoc est conforme huic quod prius dixerat angelus. Ite & dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Ite (dicebat Iesus Christus) ad fratres meos, vocat discipulos suos fratres suos. O quale gaudium qualem lætitiam habuerunt dominæ hæ exequendi hoc nuntium! Mulieres prima habent nuntia.

Credo matrem suam benedictam, quæ adeò defatigata erat plorando & filium suum lamentando, sicut dicit sanctus Augustinus, quod ad sepulchrum venire nequiuisset, ea hora bene sciuisse gloriosa hæc nuntia. Valde rationabile erat vt fœmina ferret nuntium, cum prima fuisset mortis causa. Reor quod si diligenter ad monumentum venerant, adhuc multo citius reuerterunt. Credo non celasse eas noua hæc, mulieres facile cum volunt loquuntur. Magnum mirum, magna Iesu Christi charitas, discipulos suos fratres vocat, & quæ conuentio lucis ad tenebras, & qualis fraternitas? qualis conuenientia est inter lumen glorię Iesu Christi & discipulorum incredulitatem, & tamẽ eos fratres suos appellat? Est doctrina quod si magnus sis, & vltra alios eleuatus in nobilitate, potentia, aut quocunque officio, noli contemnere hos qui eiusdem tecum sunt naturæ, nec tamen sunt tam diuites aut potentes, sunt nihilominus fratres tui. Angelus vocauerat eos Iesu Christi discipulos, quia cum eo Pascha fecerant. Sanctus Gregorius: Non est discipulus Christi qui cũ eo Pascha non fecit. Vtinam omnes discipuli Christi simus, & hodie cum ipso Pascha fecerimus, resurrexit à morte ad vitam: Si non spiritualiter transijsti de morte ad vitam, de peccato ad statum gratiæ, non fecisti Pascha tuum cum eo, sed cum Iuda, qui ad æternam, iuit damnationem, quamuis preciosum recepisset sacramentum. Si hodie sacramentaliter preciosum Iesu corpus veri agni recepisti, non ob hoc suus es discipulus, nisi etiam spiritualiter receperis, tunc enim Pascha cum eo feceris. Faciendum est Pascha spiritualiter. Pascha interpretatur transitus. Transeundum est ab Ægypto in terram promissionis, de statu vitiorum ad statum virtutum. Et si hoc egeris, vt mutaueris propositum de malo in bonum, & proposueris relinquere malam peccandi consuetudinem, & velis voluntariè secundum Deum viuere, Pascha fecisti cum Iesu Christo, cum eo resurrexisti quoad animam. Ea transmigratio per quam transis de mala vita ad bonam, est Galilæa, quæ interpretatur transmigratio. Si discipulus vis esse Iesu Christi & eum videre in gloria, perge in Galilæã, muta teipsum modo quo prædixi, & ibi eum videbis: Ibi eum videbis. Hiero.: Breuis est sententia in syllabis sed ingens in quantitate promissionis.

. Reperio bifariam nos Deum videre posse in Galilæa. Duplicem enim in nobis inuenio resurrectionem, quarum gloriosa Christi resurrectio causa est & exemplar. Est vna Galilæa seu transmigratio spiritualis quoad animam, secundum quam rationalis anima de peccato transit in gratiam, sicut dictum est de spirituali Paschate. In hac Galilæa videtur Iesus per fidem quod Iesu Christi resurrectio causa sit nostræ illius resurrectionis apparet. Per ipsam enim iustificati sumus, sicut dicit apostolus: Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Quod autem sit causa fidei nostræ liquet, per hoc enim quod visa fuit eius resurrectio, creditum est ipsum verum Deum esse, & sic fides habita est de sua diuinitate. Sicut enim cognitum est per crucifixionem ipsum Deum hominem esse, sic fide cognitum est verum ipsum Deum esse per potentem suam resurrectionem 2. ad Corin. vlti. Et si crucifixus est ex infirmitate nostra, viuit ex virtute Dei. Fides ergo de sua diuinitate per eius resurrectionem confirmata fuit. Ad Col. 2. Resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit eum à mortuis. Recepisti hodie eum in specie visibili. Si autem bene resuscitatus fueris de morte peccati ad vitam gratiæ, vidisti eum in Galilæa, vidisti eum per fidem Deum esse & hominem in glorificato corpore sicut pependit in cruce, & sicut sedet ad dexteram patris, & sicut integer resurrexit in omnibus suis membris. Sic eum integrè in corpore, in anima & in sanguine recepisti. Tene ergo eum postquam eum vides. Fœminæ sanctæ Mariæ receperunt eum in itinere, & tenuerunt pedes eius. Solum dedit eis pedes quos tenerent, sed hodie se totum tibi dedit, tu eum totum conserua. Est in cœlo ad dexteram patris, sic etiam oportet te cogitationes tuas habere ad cœlum, si eum velis tenere. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, ad Col. 2. Sed magnopere timeo, ne hodie de anima plurium dici possit quod scribitur. 4. Reg. 4. quod non surrexit puer. Helisæus est is qui resuscitauit puerum, famulum autem suum Giezi id attentantem constat non potuisse. Sic etiam si verus Helisæus Iesus non venit in creaturam spiritualiter, sed solum sacramẽtaliter puer hoc est anima non resuscitabitur in virtute effectus sacramenti. Magdalena non potuit vnquam videre Christum, donec de resurrectione fidem haberet. Necesse est ergo certam fidem de hac resurrectione habere, & in hac fide eum videbimus, ibi eum videbitis. Ibi, id est, in vera fide. Celebrabis Pascha sicut Moyses, de quo scriptum est ad Hebr. 11. Fide celebrauit Pascha & sanguinis effusionem, ne qui vastauit primogenita Ægypti &c. Moyses cum exiret Ægyptum, credidit his quæ dixit Deus, quia vnxit postes domum sanguine agni, de quo erat comesturus, secundum Dei ordinationem, & per hoc mortem euitauit.

Erat enim angelus quidam transiens de domo in domum, & vbi non inueniebat sanguinem illum, occidebat primogenitum adeò quod non esset domus Ægyptiaca, in qua non inueniretur mortuus. Sed in horum domibus qui Pascha fecerãt, omnia viua erant. Vtinam igitur fecerimus Pascha nostrum. Pascha nostrum immolatus est

A Christus. Faciamus vt sanguine Iesu signemur, & reor malignum angelum tibi nocere non posse. Si autem hoc non feceris, firmiter crede te mortuum habiturum in domo tua. Sicut habebãt Ægyptij, qui erant tenebrosi & peccatis obsiti. Sitis secundum animam resuscitati. Et hæc est prima resurrectio.

Secunda resurrectio. Est secunda resurrectio generalis corporis, quæ in fine mundi ventura est, vbi erit magna transmigratio. Erit profectò bene

B Galilæis, quia de statu mortalitatis & putredinis, omnium hominum corpora (qui vnquam fuerunt) vitam resument & reunientur animabus suis. Nec vnquam postea sunt moritura, in illa Galilæa, in illa transmigratione rectè vobis dicere possum: Ibi eum videbitis. Est articulus fidei. Expecto resurrexionem mortuorum, supple generalem, sicut firmiter credimus. Et est articulus fidei quod Iesus Christus resurrexit secundum carnẽ, nam secundum animam nunquam mortuus fuit, quia nunquam peccatum fecit, ideo non resurre-

C xit secundum animam quemadmodum dixi nos in hoc mundo secundum animam resurgere oportere. Posteaquam ergo credis Iesu Christi resurrectionem factam esse & præteritam, sic credere debes teipsum quandoque resurrecturum cũ omnibus alijs. Iesus Christus in resurrectione sua viam tibi ostendit & exemplum dedit. Per hoc enim quod Iesus Christus resurrexit, cognitionẽ habemus per fidem & nos resurrecturos 1. ad Cor. 15. Si Christus prædicatur quod resurrexit à mor-

D tuis, quomodo quidam dicunt in nobis quod resurrectio mortuorum non est? Si prædicamus Iesum Christum resurrexisse, quis est nostrorũ qui resurrectionem negat futuram? Sanctus Paulus generalem persuadet resurrectionem, per illã quæ est Iesu Christi. Magna autem differentia & longa diuersitas resurgentium est futura. Hi enim, boni videlicet & iusti, resurgent in gloria, & de morte transibunt ad vitam perennem cum angelis cœlestibus in paradisum, vbi gaudium nancis-

E centur æternum, mali verò corpora eorum resument, & resurgent in Dei iudicio per quod mittentur in corpore & anima ad æternam damnationem. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Matth. 25. Hanc finalem resurrectionem futuram, dicebat Iesus Christus discipulis suis & turbæ Iudæorum. Ioan. 5. Postquam dixisset eis de prima resurrectione animæ. Dixerat enim eis: Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent. Mortui hoc est (secundum Au-

F gustinum 20. de ciui. Dei) hi qui sunt in peccato mortali, audient vocem hoc est præceptum Dei, & qui audierint, viuent per gratiam. Et est prima supradicta resurrectio. Dixit eis præterea. Nolite mirari hoc, quia venit hora, non dixit, & nunc est in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. Et qui bona fecerunt, ibunt in resurrectionem vitæ. Qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij scilicet Dei. Eligamus cuiusnam partis esse velimus. Comparandum namque nobis erit in propria persona. Cogita oportere & te ibi adesse, res non peragemus sine te.

Ibi

Ibi eum videbitis. Boni vestientur gloria, & videbunt gloriā Iesu Christi, quibus dicet: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Venite qui benedicti estis à patre meo, percipite regnum, quod vobis paratum est à mundi initio. Benedicti sunt & erunt illi, glorificabuntur enim in corpore & anima. Corpus clarius erit sole, omnia plena erunt gloria. Et per oppositum fiet malis. Licet enim resurgant ad vitam naturalem, non tamen ad vitam spiritualem. Et ideo resurrectio eorum in scriptura secunda nominatur mors. Primum namque mortui erāt per peccatū, nec prima resurrexerant resurrectione, & ideo nec participationem habebunt in secunda. Propterea dicit sanctus Augustinus 2. de ciuitate. Resurgat erga in prima qui non vult in secunda resurrectione damnari, qui non vult in secunda resurrectione generali damnari, resurgat in prima, quæ nunc est, id est, quę est in hoc mundo quamdiu viuimus. Apo. 20. Hæc est resurrectio prima, beatus & sāctus qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem. Benedictus sit ille qui primum resurget de vitijs ad virtutes, de peccatis ad gratiam, quæ est prima resurrectio. Secūda mors, hoc est, mors perpetua in corpore & anima, quā mali perpetientur in secunda resurrectione generali, nullam in eo homine habebat potestatem. Si igitur hodie per gratiam Dei resurrexisti, duntaxat perseuerandum est in ea vita spirituali. Et crede firmiter & hoc speres, quod sicut hodie dominus noster in carne resurrexit, & est gloriosus, nec vnquā est moriturus, iuxta illud: Christus resurgens ex mortuis &c. Sic resurges in die iudicij etiam si corpus tuum in mille sit particulis, bulitū, submersum, incineratum, putridum & exustum, nihilominus ipsum recipies valde gloriosum, & multo lumine plenum, in quo humanitatem Iesu Christi glorificatam videbis, talem quidem qualis hodie resurrexit 2. ad Cor. 3. Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem. Vult dicere Apostolus, nos futuros esse similes Iesu Christo. Vestiemur simili veste, ad Phili. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Reformabit corpus humilitatis nostræ, hoc est, corpus quod humiliatum fuerit per putredinem & omnino in cinere, assimilabitur claritati corporis eius, & ideo cum magna spe dicebat Iob 19. Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Dicebat: Scio per fidem & firmam credulitatem, quod redemptor meus viuit & surrexit tertia die post mortem suam. Et scio & credo, quod in nouissimo huius mundi die resurrecturus sum, & ibi eum videbo in mea carne. Ego ipse & non alius, ego ipse, & non ero alius. Videbo Deum redemptorem meum & saluatorem. Facite igitur sicut Iob, quia ibi eum videbitis quādo in gloria resurgetis, præstante domino nostro Iesu Christo. Qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

A SERMO DE SANCTO-SPIRITU FACTUS PER MAGISTRUM IOANNEM *de Gerson, in præsentia regis Franciæ, & aliorum cōplurium dominorum & magnatum.*



ACcipietis *virtutem superuenientis spiritussancti in vos.* Actuum 1. Nisi (inquit Gregorius in euangelio hodierno) spiritussanctus cordi adsit audientium, in vanum laborat lingua loquentis.

B Hoc patuit in Pharaone rege Ægypti. Et patet generaliter in omnibus obstinatis qui pro nulla admonitione moueri volunt, corrigi, aut se ad pœnitentiam molles exhibere. Verum omnia vertunt in fabulas, defectum & irrisionem, quæ pro eorum vtilitate, salute & emendatione docentur. Et quare est? quia per enormia eorum facinora à cordibus principalem expulerunt doctorem. Disponamus itaque modò nos quo eum recipiamus, nec ei portas spiritualis habitationis

C claudamus per horribilem pessulum peccati. Audiamus libenter de eo verba fieri, supra tales enim homines solet descendere. Patet in hoc in Actibus Apostolorum: Et cecidit spiritussanctus super eos qui audiebant verbum. Non præbeamus illi surdam aurem, sed eum deuotè deprecemur dicentes: Veni sancte spiritus, reple tuorum corda fidelium &c. O sancte spiritus summe magister & doctor animæ, veni precamur, & subditorum tuorum corda visita atque ea lumine gratiæ reple

D & virtutum, quemadmodum hodie centum & viginti replesti personas inter quas gloriosa erat virgo Maria, quæ tua obumbratione nostrū concepit saluatorem. Ad quam deuotè recurramus pro gratia illa impetranda, & ad fructuosè audiendum verbum diuinum & eam salutabimus &c. Aue Maria &c.

Accipietis virtutem superuenientis &c. Verba propropolita sunt nouissima verba quæ locutus est saluator noster in suæ Ascensionis hora, relinquēdo apostolos suos. Hoc autem actum fuit quasi

E respondendo deuotæ cuidam preci & pio complanctu, quem discipuli & apostoli illi dicere potuissent, hoc pacto: O summe magister Iesu Christe domine noster & protector singularis, quomodo & quare nos deseris. Nos qui modo pauperes tui sumus discipuli, inter ingentia mundi huius pericula, quæ fragilitas nostra absque tuo subsidio superare poterit minimè? Nonne vidisti in hora passionis tuæ, quando à nobis fueras ablatus & à societate nostra nos omnes in fugam versos fuisse? Et ego ipse, inquit sanctus Petrus,

F ad vocem simplicis cuiusdam ancillæ fidem tuā negaui & legem. Qualiter ergo futuri sumus prędicatores, & constanter docturi in præsentia obstinatorum Iudæorum principum & dominorū, qui nos morti tradent? Si sic à nobis separeris, si sic nos dimiseris veluti orphanos sine patre, oues absque pastore, & discipulos sine magistro: Heu domine periculosissimum prælium, non corporale modo, verum etiam spirituale aduersum nos conciliabitur. Et faciet humani generis inimicus crudelissimos contra animæ nostræ domicilium insultus. Adducet superbiam falsum tyrannum,

qui in nobis voluerit dominari. Obstinata auaritia multū conabitur nos destruere, atque prosternere. Somnolenta pigritia, inuidia odijs referta, ira violenta, luxuria cæca, turpis gula, & alia sine numero vitia, concordi fœdere nos adoriri tentabunt. Modò quidem vi, modo fraude, iam proditione iniqua, iam subtilitate castellum nostrum intrare nitentur, vt excludant & exterminent omnem virtutum militiam per te nobis concessam, commissam & administratam. O domine quæ est fortitudo nostra, potestas nostra, vt tam periculosæ resistere queamus inuidiæ, & tam crudelibus insultibus nisi tu nobiscum sis ad nos cōseruandos, iuuandos & confortandos, præcipuè cum iuxta dictum tuum, sine te nihil facere valeamus. Sine me, inquit Christus, nihil potestis facere. Quo pacto infideles conuertere poterimus nouas terras acquirere, si tu qui imperator noster es, magister & dominus, nos deseras? Te igitur gloriosissime magister oramus, ne à nobis abscedas, verum ad finem vsque continuè nobiscum permaneas. Nam pro recessu tuo tristitia adimplebit cor nostrum. Ad humilem hanc precem & complanctum lamentabilem quo vti poterant apostoli respondit dominus noster Iesus Christus per verba proposita, dicens: Accipietis virtutem superuenietis spiritussancti in vos. Tunc apostoli habita illa promissione receperūt aliquale gaudium & consolationem. Et cum primum sanctos ascendissent cœlos dominus, discipuli de monte Oliueti in Hierusalem descenderunt, & ad dignè recipiendum adeò nobilem atque gloriosum hospitem qualis est spiritussanctus, vnusquisque circa seipsum sategebat domum animæ suæ, & spiritualem habitationem ita præparare, ne puluis auaritiæ in ea reperiretur, nec festucæ luxuriæ, araneæ inuidiæ & iræ, nec fumus superbiæ. Post hac sparserunt & seminauerunt viridem studiosarum operationum herbam, mixtam placentibus puratum affectionum floribus, vt rosa alba castitatis, rubea charitatis, margarita humilitatis, saluia obedientiæ, purpureo abstinentiæ flore, lilio nobilitatis, libertatis, & omnis excellentiæ, discreti, ianuam obseruabat cum domicella sua malè agendi timore, quæ tenebat claues obedientiæ. Diligentia erat ancilla quæ fatuam expellebat otiositatem, somnolentam acedia, malam agendi dispositionem, nec defuit studiosum periculum nobilitatis filius, cum verecundia rationis filia sapientis, qui ambo simul repellebant malè agendi occasionem, adulatricem & deceptricem, nec quamcunque dignabuntur recipere turpitudinem. In hac spirituali domo apostolorum protensa fuerunt tapeta, & panni ex lino confecti magno quidem texti artificio, & per diuinam sapientiam subtiliter compacti, texti & figurati. Quoniam imagines & exempla omnium militum validorum ipsius Dei, virtutes sc. & nobiles triumphi descripti & figurati fuerunt. Propter quam causam? Vt daretur occasio imitandi eos, quemadmodum antiqui faciebant Romani, vt notat Salustius in prologo Iugurthino, & Valerius lib. 2. cap. 1. Et vt summatim dicatur, apostolorum ordinationi nihil prorsus deerat quod spirituali congrueret habitationi, immo erat pura & munda, secundum quod canit mater nostra sancta ecclesia. Inuenit corda discipulorum receptacula munda, & dedit eis charismatum dona. Vt autem bonus hospes spiritussanctus citius dignaretur descendere, miserunt obuiam ei orationem deuotam. Nam erant vnanimiter perseuerantes in oratione. Actum 1. Nec cessauit oratio, quoadusque hospitem adduxit, & Iesu Christi promissio adimpleta fuit, in qua dixerat: Accipietis virtutem superuenientis spiritussancti in vos.

Profectò sic hodie factum fuit, cum apostoli decem post diebus sanctum receperunt spiritum. Qui cum tonitruo & similitudine ignis descendit, per quem confortati fuerunt, & vigorose admodum consolati. Quomodo confortati? Multis certè, modis præcipuè tribus. Quia enim futuri erant milites sui ad legem suam seruandam & tutandam, eos scuto donauit fidei. Gladio veræ sapientiæ, & insuper armis prorsus à pedibus vsque ad capita munientibus armis scil. communis confœderationis. Donauit eos scuto firmæ fidei. De quo apostolus ad Ephes. 5. In omnibus accipientes scutum fidei. In Psal.: Scuto circundabit te veritas eius. Gladio veræ sapientiæ, de quo ibidem. Accingimini gladio spiritus, quod est verbum Dei. Armis autem communis confœderationis. Nam multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Act. 4. Prima confortatio ad patris spectat potentiam, quia omnia possibilia sunt credenti, firmiter. s., ait Christus. Secunda ad sapientiam filij. Tertia ad bonitatem & vnitatem spiritussancti. Et in declaratione trium istorum articulorum noster continebitur sermo.

Audite primum, quomodo gloriosus hic hospes spiritussanctus scutum dederit firmæ credulitatis. Antequam reciperetur ab apostolis, Petrus (vt dictum est) ad vnius ancillæ verbum fidem violauit, & omnes apostoli versi sunt in fugam. Sed modo cum omnes principes, reges & prælati eos varijs duxerunt modis & tractarunt, qui vetuerunt eis sub magnis pœnis & minis, ne deinceps in nomine Iesu Christi prædicarent. Quid respondit sanctus Petrus, negauit ne eum, dixit nescie illum non cognoscere? Non, sed mox supradicto se armans scuto, dixit constanter: O principes inquit, decernite, si digna sit & iusta petitio, vt potius vobis quam Deo obediamus, profectò tacere non possumus quæ vidimus & cognouimus de Iesu Christo, resurrectione eius & Ascensione. Vtinam Deus vellet ad omnia præcepta iniusta quæ magnates faciunt simili responderetur pacto, nec plus obedientiæ præstaretur hominibus, qui solum Dei sunt satellites, quam Deo qui summus est Dominus. Sic autem non est. Sunt enim plerique famuli, qui siue iniuria, siue bene siue malè, volunt per adulationem ad eorum damnationem suis obedire dominis, putantque se sufficienter excusatos, posteaquā à dominis missi sunt, nec se credunt delinquere posse. Et quod detestabilius est, plerique serui sūt diaboli, qui plus malorum faciunt quam eis præcipiatur, sic non obediant apostoli principibus, vt Deo fierent inobedientes. Et cum hac de causa opprobrijs afficerentur, irriderentur & pœnis affligerentur varijs non reclamabant, nec irascebantur, verum gaudentes ibant eò quod tales sustinebant

stinebant iniurias, fidem defendendo. Ibant gaudétes à conspectu concilij &c. Act. 5. Eá constantiam virtuosam, eam confortationem, hoc firmæ fidei scutum concessit spiritussanctus sancto Paulo, cum de suo aduersario & inimico milite, legitimum suum fecit famulum, cum firmam recepisset fidem. Nonne dixit? Certus sum, quod neque mors, neque vita, nec tribulatio, nec angustiæ, nec fames, nec persecutio, nec aliud quodcunque malum me separabit à charitate Christi. Huius scuti auxilio vigoroso superarunt omnes Dei martyres grauissima quæque tormenta quæ potuerunt eis inferri aut offerri per horribilem tyrannorum crudelitatem. Valde igitur gratiosam consolationem dat spiritussanctus, concedendo scutum hoc firmæ in Deum credulitatis. Niti debet quisque Christianus vt ipsum recipiat & custodiat: & præcipuè tu metuendissime domine, qui es principalis miles Dei & certator. Reperio enim per veteres bibliæ historias, quod maxima laus quæ possit inesse principi alicui aut regi est firma in Deum fides. Nonne habemus persecutiones Regum Israël & populi eorum, ob huius virtutis defectum euenisse? Patet in libris Iosue, Iudicum, Regum, Parali. quasi per totum. Et hoc dicebat Achior Iudith. Et etiam secundum doctores, vna causarum principalium propter quas Saül primus rex Israël regnum suum perdidit, atque crudeliter mortuus est, fuit, quia consuluerat quandam diuinatricem & sortilegam per superstitionem falsam & prohibitam, patet 1. Re. 30. Timeo quosdam esse qui potius credant, & confident magis rebus fictis, superstitiosis & irrationabilibus, vt somnijs, sortilegijs & incantationibus quam sanctæ scripturæ. Et illa stulta credulitas ex illusione prouenit maligni spiritus, atque sanctæ contrariatur fidei. Ob defectum huius virtutis Salomon suam amisit sapientiam & gloriã, cum in idololatriam cecidisset in fine dierũ suorum. Omnis quoque progenies Achab Regis Israël destructa fuit ob illud, immo & ipsemet Achab falsus & deceptus fuit per eos, quibus credebat, diuinatores. Egrediar & ero spiritus &c. E diuerso regnum Dauid stabilitum fuit & confirmatum. Et sic etiam erat regnum Fráciæ, quãdiu reges Franciæ firmam seruauerunt fidem, secundum prophetiam sancti Remigij Remensis, quam dixit baptizando Clodoueum primum regem Franciæ Christianum, & hoc pacto eam modò seruabunt volente domino.

Et tu nobilissime & excellentissime princeps diligentia adhibe, vt nobilem prædecessorũ tuorum laudem, qua Christianissimi vocantur non patiaris in te desinere, aut vlla ex parte diminui aut labefactari. Assume & constanter accipe scutum hoc fidei firmæ, quod per simile dici potest scutum firmum, cum tribus liliorum floribus aureis, propter fidem Trinitatis in vnione diuinitatis. Per hoc scutum resistere poteris omnibus periculosis insultibus inimici humanæ creaturæ, qui continuè castrametatur animæ tuæ castellum, quod continuè castrametatur animæ tuæ castellum, quod solo nititur æquare, destruere & intrare, téque prorsus perdere, siue iaciendo duros ingratitudinis lapides, siue venenatiuas sagittas iræ & impatientiæ, siue immittendo fœtulentum & ardentissimum stulti amoris ignem, siue emittendo horribiles machinas superbiæ & præsumptionis. A Tu verò ex opposito hoc te armabis scuto, & in teipso per bonam dices credulitatem. O humani generis inimice, hoc non me vinces pacto, nec me falles, quia cum credam Deum esse, & illum Deum meum esse, meum creatorem, patrem meum, dominum meum, & omnia bona, & honor quem vltra alios habeo ab eo proueniat, valde à me amandus est, timendus & metuendus, illi gratiæ agendæ, honorandus est, & præcepta eius seruanda & ei obediendum semper adeò bene, aut melius quam vellem subditos meos mihi facere. B Si autem incommodum aliquod aut tribulationem mihi miserit, debeo ne propter id cõtra eum murmurare per impatientiam? non profectò. Posteaquam enim ipsum esse credam sapientissimum, iustissimum, cognoscere me oportet, quod omnia quæcunque ab eo fiunt, fiunt propter melius, sapientissimè quidem & ex maximo consilio quamuis forsitam percipere nequeam, sicut filius aut discipulus non semper nouit bonum propter quod pater aut præceptor ei C infligit punitionem. Dic insuper cum scientia amorem stultum & cæcum displicere Deo, & per eum fit periurium, & violatur fides in matrimonio charissimæ sponsæ promissa, quod nobilis quisquam etiam inimicis suis minimè facere deberet vsque etiam ad mortem, non me tam rigide submittere debeo magistro, per quem in hoc mũdo bonam quis perdit famam, & in alio paradisũ. Et quicquid dicant aliqui falsi, violenti, & damnati homines, militem nil valere, nisi fatuo amore D sit amator. Hoc falso dicitur & iniquè atque est in Deum blasphemia, nunquam enim adeò forte, sapiens aut potens negotium, aut opus quodcunque quantumcunque apparenter magnum, si per fatuum fiat amorem, studiòsum est, sed vitiosissimum, & idololatriæ assimilatur, nec temporalem habebit remunerationem, sed æternã damnationem. Demum contra superbiam dic per bonam fiduciam. Rex sum potentissimus, & nobilissimus inter cæteros. An tamen ob hoc præsumE ptuosè superbire debeo? non reuera. Quoniam scio & credo, omnia hæc de gratia Dei mihi collata esse absque meis meritis, qui hodie aut perendie rationabiliter omnia mihi potest auferre morte aut alio quouis modo, & regnum meum alteri dare, absque hoc vt iure conqueri possum. Domini enim est regnum, cuicumque voluerit dabit illud, duntaxat famulus eius sum voluntate sua commissus & ordinatus ad iustè & debitè gubernandum populum suum, rationem quoque redF diturus sum vsque ad postremum denarium in computorum camera coram ipsomet. Et si perperam egerim, accusabor in cõsistorio suo sublimo, ipso sedentem super iusticiæ lectum, conscientia quoque propria me accusabit, & condemnabor coram diuina maiestate confusè admodum toto spectante mundo. Est itaque mihi grandis humiliationis causa, non superbiæ, timoris, atque subditos meos rationabiliter & pacificè gubernandi. Reputare debeo memetipsum mortalem hominem & debilem, quemadmodum alium hominem & subiectos meos homines esse ad æternam ordinatos salutationem, & non canes inutiles, si-

cut sunt aliqui in inferno more canino latrabunt ob pœnarum duritiam & asperitatem tormentorum, nisi eorum emendarint vitam, cum hi qui sic vocantur, in paradiso gaudebunt. Rex christianissime, pro scuto capere sic debes firmam credulitatem, contra malas inimici tentationes, sine enim tali scuto homo facillimè superatur, & spirituali traditur morti. Sæpe autem per miraculum scutum istud protegit eos, qui hoc armati sunt scuto. Quis saluauit Noë tempore diluuij? firma credulitas. Quis diuisit mare rubrum & fluuium Iordanis vt transirent filij Israël & saluarentur? firma credulitas. Quis victoriam dedit Iosue, Iudæ Machabæo, fratribus eius, & alijs cõpluribus? firma credulitas. Quis sanitatem dedit innumeræ multitudini infirmorum tempore Iesu Christi? apparet per textum euangelij fuisse firmam fidem & bonam credulitatem. Et breuiter nullus vnquam hominum bonam habuit fiduciam & credulitatem erga Deum suum, quin eum iuuerit & in morte remunerarit, aut in vita miraculis aut quouis alio modo, quis sperauit in domino & confusus est: De hac materia egregiè perorat Apostolus ad Heb. 11. Hoc bene nouerant apostoli ante Iesu Christi passionem cum orarent vt fides in eis sumeret incrementum. Domine inquiunt adauge in nobis fidem tuam, quam hodie sensibiliter spiritumsanctum recipiendo perceperunt, qui eos donauit scuto firmæ fidei, tanquam vna ex efficacibus confortationibus, de quibus loquitur thema nostrum dicens. Accipietis virtutem superuenientis spiritussancti in vos, & in hoc primam finio partem.

Insuper quoad secundam partem intelligere velitis, quo pacto gloriosus hic hospes spiritussanctus apostolis vigorosam dederit confortationẽ, dando eis gladium veræ sapientiæ. Gladium spiritus de quo Apostolus. Viuus & efficax est sermo Dei &c. Priusquam apostoli reciperent spiritumsanctum, simplices erant homines, absq; literis & absq; doctrina, & modò superant & vincunt eorum sapientia subtilissimos quosq; mundi doctores, secundum enim Iesu Christi promissum, receperunt omnem scientiam & omnem veritatem. Cum inquit, venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quod intelligitur de omni veritate vtili ad bene viuendum, & ad salutem animæ proficiente. Omnis enim alia scientia est velut vmbra veritatis: Si scire volumus quod dictum est, consideremus sanctum Ioannem euangelistam, qui prius in mari simplex erat piscator, qui tamen in principio sui euangelij tam sublimiter locutus est & subtiliter de Trinitate & diuinitate, quod si paulo sublimius locutus fuisset totus mundus capere non potuisset. In principio inquit erat verbum, & verbum erat apud Deum. Hoc doctus Plato nesciuit, hoc Demosthenes eloquens ignorauit, ait Hieronymus. Nec obliuioni dandum est euidens huius diei miraculum. Vt enim apostoli (qui in omni terra docturi erant Dei sapientiam) intelligi possent ab alijs habuerunt subitò omnia idiomata, Hebraicum, Latinum, Græcum, Chaldaicum, & sic de alijs. O quam vigorosa est hæc operatio, quam bonus spiritussanctus est magister, quam bonus animæ doctor, non enim opus est prolixa mora vt doceat, sed quam primum aliquid facere vult, iam factum

A est & completum. Recitant historiographi Valerius, Horatius & alij, principem quendam Mitridatem nomine vigintiduo nouisse idiomata, vt intelligibiliter sine medio capere posset, loqui & respondere omnibus subditis suis. Hoc autem non fuit absque magna diligentia & multũ temporis consumendo. Apostoli subitò omnia habuerunt idiomata per orationem & diuinam inspirationem. Et sicut in fundatione Babylonicæ turris per gigantes vnum idioma in plura fuit diuisum, ne vnus alterum intelligeret, ita è diuerso

B hodie ad fundandam turrim sanctæ ecclesiæ, omnia idiomata in apostolis fuerunt vnita, vt intelligerentur ab omnibus & omnino, vt in omnem terram exiret sonus &c. Hoc est vnum mirabiliũ spiritussancti operum, qui sine mora docet. Hoc apparuit non solum in apostolis, verumetiam in multis alijs, quibus apostoli manus imponebant, & recipiebant pariter spiritumsanctum, vt omnia etiam haberent idiomata. Sic enim intelligitur illud quod nondum in quemquam illorum vene-

C rat spiritussanctus, supple in dono linguarum. Modus iste docendi apparuit in Daniele puero paruo, qui senes per suam iudicauit sapientiam. Dan. 13. In Amos simplici pastore, qui factus fuit propheta. Et quodam (cuius meminit sanctus Augustinus libro de doctrina christiana) qui loqui sciuit & intelligere Latinum per sancti spiritus inspirationem. Ideo bonum dat consilium & sanum sanctus Iacobus apostolus: Si quis indiget sapientia postulet à domino, qui dat omnibus af-

D fluenter. Et profectò multum rationabile erat apostolos, qui instituere, fundare & gubernare sanctam debebant ecclesiam, sapientiam pariter cum eis habere. Sine enim ipsa non magis gubernari potest corpus reipublicæ, aut vita haberi ciuilis, quam corpus humanum sine anima viuere possit, quæ ipsum gubernat & viuificat. Hanc postulauit Salomon ad bene populum suum gubernandũ, potius quam potentiam aut diuitias, & de seipso loquitur: Per me inquit, reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Ipsa enim sapientia

E gladius est omnem destruens iniusticiam, quam princeps in sua habere debet societate, si tamen bene vult regere. Tyrannus enim sapientiã non curat, vt dicit Aristoteles 4. Polit. immo optaret & velle subditos suos omnes idiotas esse & ignorantes, quia qui malè agit, odit lucem: Per prædicta apparet falsa cuiusdam hæresis quæ erat tempore sancti Augustini dicentis diuinam scientiam scripturæ sanctæ (quæ plerumque nominatur theologia) impedire ad bene gubernandum regnum aliquod aut imperium. Contra quem po-

F tenter sanctus Augustinus argumẽtatus est. Certum est enim scripturam sanctam nihil præcipere, quod sit contra bonam prudentiam & rationem naturalem benè intellectam. Lex namque naturæ & sanctæ scripturæ lex, ab eodem principe, vt puta à Deo sunt institutæ. Si autem leges aliquæ aut constitutiones particulares terrenorum principum illi legi non concordant, falsi sunt abusus, non constitutiones veluti si præpositus aliquis legem conderet, domini sui legi repugnantem. Cum autem sic sit quod dominus Iesus Christus est summus rex regum, ipse est qui habet in fœ-

more suo & in vestimento scriptum: Rex regum & dominus dominantiū. Necesse est omnes alias leges cum hac concordare, quod facile fieri non potest nisi cognoscatur. Et est argumentum, euidens, scientiam sanctæ scripturæ inter christianos necessariam esse ad bene rempublicam gubernandam.

Hi autem qui aliter faciunt aut facto aut verbo non boni sunt christiani, & se non ostendunt habere magnum affectum ad bene gubernandum secundum Deum politiam communē. Vtinam Deus vellet, vt dicit sanctus Augustinus vt haberemus regnum aliquod aut communitatem talis gubernaminis, sicut sancta præcipit & docet scriptura. Et reuera res melius sese haberēt quam se habent & quam vnquam habuerunt se temporibus idololatrarum Græcorum & Romanorum, qui siue iure siue iniuria iniuria infestabant totum orbem, subiugabant asperè, & admodum inhumaniter debellabant. Contra illud preceptum: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Qui magnam tyrannidem virtutem dicebant, & grande latrocinium imperium, quemadmodum pirata quidam, hoc est, raptor marinus, Alexādro Magno respondit, cum interrogaret eum, ob quā causam hos persequeretur qui mare nauigabant. Ob eam inquit, causam propter quam tu hos persequeris qui habitant in terra, quia autem paruam & vnicam habeo nauiculam, vocor pirata, at tu armigerorum habes multitudinem diceris imperator. Et hoc est quod dicit Augustinus recitando hanc historiam. Semota iustitia, quid sunt regna nisi latrocinia? Ad hoc Prouerbium commune dictum fuit: Parui latrones suspenduntur non autem magni, subticeo alia vitia, auaritiam, ambitionem, & luxuriam talem quæ nominari non debet, quibus contaminati erant supradicti idololatræ: Et si in Deum credidissent, non in idola, si sapientiam habuissent diuinam, non diabolicā, & secūdum eam seipsos rexissent proximos suos dilexissent sicut seipsos, non inferendo eis damnum, non exhæreditando, & iniustè occidendo contra sanctæ scripturæ doctrinam. Qualis esset respublica si sapientia gubernaretur diuina? Profectò pulcherrima, decentissima & pacatissima. Principes enim præcipuè pro communi bono populi ditarentur, nec curarent vltra modum aurum & argentum cumulare, sed eis sufficeret hominibus dare, & quoad Deum remuneratione perpetua contenti essent. Subsidia quæ capiuntur sub titulo conseruationis reipublicæ, non expenderentur in pompis & prodigis donis, alijsq; rebus parum proficientibus, armigeri stipendijs suis contenti essent secundum doctrinam sancti Ioannis Baptistæ, nec quicquam spoliarent aut furarentur Nec oporteret miseros homines, qui maximo labore pecuniam lucrantur qua illi persoluuntur, & panem quem manducant coram eis celare & ab aspectu amouere, atque sua bona cum eos appropinquare perceperint, ab eis abscondere & occultare, veluti à latronibus aut lethalibus inimicis. Satisfieret enim rectè armigeris, & ipsi satisfacerent debitè. Nec tam copiosa famulorum esset multitudo quę ad nihil prodest, nisi ad deuorandum & spoliandum, numerum augendum, atque domum aliquam diminuendam, depauperandam & expilandam. A Præpositorum, baliuorum, aliorum quoque officia non venderentur tanti, nec darentur his qui plus offerunt, non satis enumerari possunt mala inde emanantia. Clerici & ecclesiastici sanctæ ecclesiæ non venderent beneficia, introducerenturque ad veritatem prædicandam absque adulatione. Nec aliæ dignitates & prælaturæ ab idiotis ignorantibus & talis qualem Deus nouit vitæ, occuparentur hominibus, nec à pueris quibus nec securè pomum committeretur quin ipsum B manducarent, & tamen eis subijciuntur & committuntur mille autem decem milia hominum. Et profectò magnopere culpantur principes & domini, diciturque hoc esse propter preces eorum importunas. Sed insuper si respublica gubernaretur secundum sanctam scripturam, aut mutuo sumptiones non fierent, aut bene his satisfieret, aut remedium adhiberetur de officiarijs qui capiant. Nouit enim Deus & etiam populus, quales fiant extorsiones & damna atque inho- C norationes à principibus, cum expensæ eorum & tributa non debitè persoluuntur. Demum qui gladio vterentur sapientiæ in reipublicæ gubernatione omnis ab eo destrueretur iniustitia, prohiberentur & punirentur omnia mala iuramenta, omnes inhonesti homines, rapinæ omnes & rebelliones. Sancta enim scriptura omnes tales res prohibet, sicut facile esset ostendere si opus esset. Propter quod apparet ipsam non repugnare bono gubernamini regni, quemadmo- D dum dicebat falsus supradictus hæreticus. Nam aliàs Deus non præcessit in veteri lege principes scire & intelligere Dei legem, sicut expressè præcepit Deute. 17. & satis innuit Iosue. 1. Sic modo eam princeps scire debet aut per se, aut ad minus per suos si bene gubernare velit, rectè iudicare & iustas condere leges. Quo autem ad prælatos sanctæ ecclesiæ, certum est quod ipsimet Dei legem scire tenentur docere & defendere. Nec sufficit alios pro eis scire, nisi quis dicere vellet puerum nouiter natum licitè prælatum esse posse, dum- E modo per alios suum exerceret officium, & dicere vellet quispiam eos nō tenere apostolorum locum nec eos insequi obligari. Quod minimè verum est, quia apostoli & discipuli qui astricti erant bene gubernare ecclesiam, docere & defendere, gladium hodie receperunt veræ sapientiæ. Et sic vigorosam habuerunt confortationem, cuius meminit thema nostrum in persona Iesu Christi, dicens: Accipietis virtutem superuenientis spiritussancti in vos. Et sic secunda pars nostri thematis terminata est, accedo ad ter- F tiam.

Dico deinde vigorosam confortationem apostolis concessam fuisse (non solum vt dictum est) per receptionem scuti firmæ fidei & gladij veræ sapiētiæ, quibus virtuosā habuerūt cōfortationē. Sed pręterea per hoc quod spiritussāctus armauit eos omnino, quasi vnius alligationis & confœderationis, hoc est (vt clarè dicatur) eos ad inuicem vniuit, quo Dei aduersarijs resisterēt constātius, quia frater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma hoc dictū est, ꝙ frater qui adiuuatur & con-

fortatur à fratre suo, aut amicus ab amico suo, & fortissimus & inuincibilis, & quasi turris fortissima, quæ à nullis capi possit. Recitant Romanorũ historiæ specialiter Valerius lib. 4. ca. 2. duos validos & nobiles Romanos, videlicet. M. Æmilium & Lucium Flaccum, maximum ad inuicem habuisse dissentione, cum primum electi sunt, vt simul essent iudices, pacem pepigerunt, vt officium eorum melius exequerentur & exercerent. Simile recitat de duobus alijs, Sexto Liuio scilicet & Claudio Nerone, cum ituri essent contra Hannibalem ducem Carthaginensem, ne particulari odio turbarent & vastarent negotiũ, ad quod autoritate & monitione Romani senatus missi fuerãt concordiã inierunt. Simili modo voluit spiritussanctus, quod milites Iesu Christi vniti essent ad mundum trahendum ad Christi legẽ. Si enim diuisi fuissent, facillimè victi fuissẽt nec profecissent. Ratio huius, nam hi qui se mutuo odio habent, aut contra se inuicem bellant, maiorem habent occasionem vnus alteri nocẽdi, & se mutuò destruendi quam complendi id ad quod ordinati sunt. Hinc egregiè dicit Salustius, & ab Augustino reperitur: Concordia paruæ res crescunt, discordia maximę dilabuntur. Rationabiliter igitur spiritussanctus hodie suos armauit milites & electos pace & allegatione. O nobilissime & excellentissime princeps te principaliter respicit hæc doctrina, intueri potes christianitatis aduersarios indies magis magisque multiplicari, qui post tempora quatuor doctorum sanctæ ecclesiæ, obtinuerũt plures quam sex aut octo partes christianitatis propter peccata nostra, & damnabilem negligentiam pręlatorum atque principum. Necesse ergo est, vt paruum id christianorum quod reliquum est, pacem adinuicem habeat & confœderationem, alioquin absque dubio christiani in via sunt perditionis & destructionis per diuisionem, qui vnione denuo multiplicarentur, & infideles Saracenos destruerent facilius, qui ad maximam nostram confusionem terram nostram occupant, hæreditatem nostram, terram sanctam Hierusalem, terram in quam spiritussanctus hodie descendit, & sic iniqua Machometi lex terminari posset & destrui, quemadmodum videtur aliquas denuntiasse prophetias in breui hoc futurum, inter alios Methodium martyrem. Heu quid prosunt prælia, diuisiones & ciuilia inter christianos bella, nisi vt seipsos destruant, ac si vna manuum aliam abscinderet, aut si oculi per seipsos creparent? Vos christiani principes obligati estis & iuramento astricti ad tutandam, defendendam & multiplicandam christianitatem. Et quomodo adimplebitur hoc per diuisionem & persecutionem, per mutuam inter vosipsos destructionem? Si vna partium contra aliam gladium assumpsisset, nonne per hoc christianitas debilitata esset & diminuta, & vnum ex principalibus eius membris damnosissima affectum ignominia? Sic profectò minorem letitiam & confortationem maiorem christiani principes facere nõ posset falsis infidelibus, Iudæis & Saracenis, quã se mutuo impugnare, & per prælia crudeliter sese destruere more bestiarũ siluestrium, quia (vt dicit Tullius 3. de officijs) tale bellum magis est beluinum quam humanum. Si duo vicini simul morarentur, & viderent propriam eorum vrbem per inimicos suos impugnari, dimitterent omnem rãcorem & odium ad succurrendum periculo communi, in quo eorum inclusum est periculum. Videt autem principes christiani, quod generaliter toti christianitati insultus fit per infideles, & quod ipsa in seipsa periculosissimam publicam habet diuisionem per damnosissimum. s. ecclesiæ schisma. Iusta ergo ratione vos christiani principes, omne dimittere debetis prelium, & ad inuicem vniri, & si non velitis inuadere, saltem cõmunibus resistite inimicis: ne nos in ignominiam dedant & damnosissimam perditionem. O quam felix erit dies illa, cum hoc omnino fiat, quando pace & confœderatione spiritussanctus vos armabit. Ad quid agendum? Ad christianitatem tutandum, & specialiter complẽdum quod sanctissimè ex diuina inspiratione tu principaliter cum alijs promisisti, videlicet vnionem sanctæ ecclesiæ: Difficile namque esset conuenientius habere medium quam illud est, quod si bellum ineatur (quod Deus auertat) valeat sanctę ecclesię pax, actum est, profectò nulla amplius fient verba, & vna partium aduersus aliam erit obstinata, plus quam Latini sint contra Græcos. Et tunc christiana religio desolabitur, & fere perdetur & dissipabitur, vtinam vnusquisque adeò bene perciperet periculum hoc sicut opus esset, & aliqua alia pericula particularia, specialiter duo regna, Franciæ & Angliæ tangentia, quæ me dicere non est necessarium: Affirmo non esse cor tam induratum & crudele (nisi omnino christianitatem sanctam ecclesiam, & nobilia hæc duo regna odio habeat) quin de pace lętaretur & concordia.

Videtur enim mihi secundum paruam meam æstimationem, nunquam pacem fuisse adeò necessariam sicut modò, nec forsitã vnquam maior erit opportunitas pacem habendi. O validi christiani, principes Herodes & Pilatus amici facti fuerunt vt persequerẽtur Iesum Christum, amici sitis meliori de causa. Vniti sitis ad similitudinem apostolorum ad Iesum Christum, non quidẽ persequendum, sed adorandum, & suam tutandam ecclesiam, vniendam, & conseruandam. Sed mox ex aduerso venit crudelis dissensio spiritui sancto contraria, spoliationes desiderans magis quam iustitiam, mala cupiditate inflammata prorsus, ad proprium respiciẽs commodum & vtilitatem, temeritate & ficto amore associata, atque per præsumptionem & friuolas quasdam allegationes, persuadere nititur bellũ pace esse eligibilius. Ad confirmandum autem iniquam eius assertionem allegat in primis dictum sapientis Romani Scipionis, qui consulebat, ne ciuitas Carthago destrueretur, dicens vtilius Romanis esse, vt contra se bellum haberent quam pacem, quo materiam haberẽt se in armis exercitandi, & ob hanc causam dicit scriptura sancta Iudicum 3. Deum multos inimicos in populo suo Israëlitico dimisisse. Etiam dicit crudelis dissensio potius habendum esse pręlium cum angelis quã pacem. Quid enim inquit, deinceps boni facerent armigeri, quod opus aggrederẽtur? Insuper esto pacem bonã esse, vt fieret inquit dissẽsio, an ne propterea dominus noster rex ius suum quod manifestum est, regni

sui & coronæ suæ diminui sinere debet. Dare patriam suam & se ostendere impotentem quo se defendat? Factum esset cordis timidi & nimis exiguæ nobilitatis non pugnare pro patria sua. Pugna pro patria. Qui bonum ius habet, ipsum tueatur absque hoc vt pacem faciat subductitiam seu duplicatam. Et quę prodesset à die hoc ad crastinum vsque, deinde peius accideret quam prius. Vide metuendissime Domine, vide maximè abominabilem & crudelē exhortationem. Intellige quo pacto dissensio inflammata crudelitate, maligno progenita, spiritu maligno partes commouere studet, vt perpetuum habeant prælium, sed ne ei credideris, nec facies volente Domino, & experientia satis id declarat.

A

B

Satis nosti, & percipis talibus rationibus concludi posse, nunquam fieri debere pacem, sed persecutio fieri deberet semper vsque ad omnimodam alterius partis destructionem, aut ambarum simul. Vides bene qualem tibi faciat exhortationem, qui talia tibi dicunt, & alia similia. Nō dico quod te hortentur primò vt christianitatem deuastari sinas per paganos, hortantur te vt sanctam perire sinas ecclesiam per damnosissimum eius schisma, hortátur absque misericordia & sine extrema necessitate pręliari cum christianis, qui fratres tui sunt, vnius fidei tecum, hortantur te contra patriam tuam bellare, quod Themistocles princeps Græcorum priusquam facere vellet, potius mori elegit, seipsum voluntariè occidendo, bouinum potando sanguinem, ne compelleretur patriæ suæ bellum inferre. Et reuera tota christianitas Domine, patria tua est, sicque reputare debes & teneris, vt princeps christianissimus, toto nisu tuo ipsam tutari & seruare, quamuis principalius nobilem regni Franciæ partem quam aliam quamcunque. Propterea ad quid hortantur te tales? Hortantur te, vt exponas ad mortem horribilem & crudelem nobilem tuam militiam, vt dedas bonum populum tuum obedientem & deuotum in persecutionem, miseriā & desolationem. Desolationem dico miserabilem, magisque miserandam quam lingua recitare possit, aut cor humanū meditari. Fingamus prælium verti in melius, & te inimicos tuos victurū. Heu qualis esset perditio illa? Nonne tanto minor facta esset christiana religio quam teneris defensare? Certè esset. An hoc fieri posset sine magno periculo perditionis? Quia varius est euentus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius, vt sacra scriptura, Terentius & experientia manifestant. Euentus belli varius est, & interdum minor pars maiorem superat propter malam ordinationem, aut ob aliam causam. Interdum iniustus iustum superat, propter punitionem quorundam aliorum peccatorum, & ideo bonum est euitare pręlia vbi fieri potest. Timendum enim est, ne magna occisio bonorum tuorum militum & amicorum fieret, qua facta, regalis persona tua (quam Deus seruare velit & conseruare) in magno esset periculo. Pauloante audiui à nobili quodam milite curiæ metuendissimi Domini & præceptoris mei Domini Bytuicensis, quod in prælio inter Gandenses & Brugenses commisso, extincta & mortua sunt quinquaginta millia hominum numeratorum. Cōsiderate qualis timor, qualis fremitus & qualis horror futurus esset, si bellum concitaretur inter duo regna magna.

C

D

E

F

Venio autem ad respondendum rationibus friuolis crudelis dissensionis & eius complicum. Quoad dictum Scipionis, quod melius valebat prælium Romanis cum Carthaginensibus quam pax. In primis dico, non prorsus antiquis Romanis fidem adhibendam esse pro tempore illo quo infideles erāt & idololatræ. Omnis enim eorum finis & felicitas erat, vt in armis essent potentes, & conquirendum & subiugandum eorū ditioni vniuersum mundum, siue iure, siue iniuria, quod fieri minimè debet, præsertm inter christianos, sine rationabilissimis & iustis causis. Aliter enim qui sic agunt, in hoc nō sunt reges aut principes, sed tyranni, furibus & homicidis in nemoribus latitantibus deteriores. Insuper dico causam eam quam assignabat Scipio ad nostrum esse propositum, tum quia protunc Carthago Romanis subiecta erat, & dominabátur ei, tum quia christiani milites materiam habent in armis sese exercitādi, & eorum fortitudinem demonstrādi alibi quam contra proprios eorum fratres vnius eiusdemque cum ipsis religionis. Et ideo solutum est quod de sancta scriptura adducebatur, inimici enim quos relinquebat Deus inter populum suum Israel, infideles erant. Reperio etiam populo suo prohibuisse bellum ad inuicem, cum decem progenies diuisę sunt à regno Roboam filij Salomonis. Non ascendetis inquit, nec bellabitis contra fratres vestros. 3. Reg. 12. Et vtinam nunquam fieret exercitium in armis, præsertim cōtra christianos, nec vnquā esset necesse, sed haberetur bona pax. Finis enim belli est pax. Bellamus, inquit Aristoteles, vt pacem habeamus. Cum Hānibal Romanos vicit, taliter vt anulis qui ablati & recepti fuerūt à digitis militum occisorum duo repleta fuerunt vasa, aut secundum alios quatuor. Si citò voluisset adire Romam, mox eam obtinuisset, & de Romano actum erat imperio, credo Scipionem non dixisse tunc bellum melius fuisse quam pacem. Sic est futurum, si quis diligenter excogitare velit grandia inexcogitabiliaque damna, quæ per hoc bellum duorum talium regnorum contigerunt, & essent hi spurcissimæ mentis, qui ob vindictam aut particularem eorum vtilitatem in spoliatione vel aliter bellum peterent cōtinuari. Et reputari deberent crudeliores quam quidam dictus Polyphemus, de quo loquuntur poëtæ. Ouidius & Virgilius, quod carnibus vescebatur humanis. Peiores essent & detestabiliores Bursyride tyranno ab Hercule occiso, qui hospites suos equis suis dabat deuorandos. Nam bene considerando huiusmodi homines, si qui essent qui vellent nutrire se & equos suos per hoc vt permitterent euenire bella contra pauperem, populūq; desiderarēt vesci humanis carnibus, & bibere sanguinem pauperum ac diuitum qui perirēt, & meritò affirmari potest tales esse christianitatis inimicos, sanctæ ecclesiæ contrarios, adulatores Saracenorum, hospites diabolorum nec audiri debent, nec eis fides adhiberi, quotienscunque de pace tractatur. Causa est manifestissima, desiderāt enim bellum vt coruus cadauer. Et sicut aliqui opifices, vt fabri lignarij de casu gaudēt domuū, aduocati nonnulli & procuratores de litibus &

processibus, aliqui medici pestilentiam appetunt & infirmitates. Aliqui presbyteri mortem suorũ diuitum parochianorum, vt magnæ eis cedant exequiæ. Et illud esse dicit Terentius comicus pessimum genus hominũ, quod ex alterius incõmodis sua comparet commoda. Puto me legisse in Seneca tertio de beneficijs, quod quidã factor feretrorũ & instrumẽtorum, quibus pro sepeliendis mortuis vtimur, quia quodam anno magnã fecerat huiusmodi instrumentorum multitudinem, condemnatus fuit, videbatur enim hominum mortem desiderare. Maiori ratione condẽnari hi deberent qui prælium desiderant. Præterea quoad hoc quod crudelis tibi dicit dissensio, magnam te passurum iacturam, & magnam fore verecundiam sinere capi manifestè ius tuum & & terram tuam. Respondeo eam tantundem dicere alteri parti. Et est hoc per quod inflammare vult partes ad mortale bellum habendum, associando sibi cupidam auaritiam & dedignantem præsumptionem, hoc est, in tantũ nititur facere, quod nullus sit qui velit aut dignetur quicquam dimittere illius quod suum reputarit aut sui iuris, sed vt quælibet pars velit defendere suum ius ad vnguem. Et sic nouit nunquam pacem futuram, nihilominus excellẽtissime princeps, dato quod aliquam partem terræ tuæ perdas. Benedicta & gloriosa est perditio quæ bonam lucratur pacem. Et secundum commune prouerbium, bonus est quadrans qui conseruabat denarium. Valde diligendum est argentum hoc quo redimitur tam crudelis sanguinis effusio tantorum nobilium principum & militum, qui in prælio perirent. Ad redimendum vnum militem in bello captum dantur interdum decem milia aut triginta millia francorum. Ad redimendum ergo non tantum vnum militem non solum vnum ducem, vnum comitem, vnum regem, vnam vrbem, vnã ciuitatem, aut vnam patriam, sed generaliter totam vnam patriam, vnum regnum aut duo, dãda est terra aut argentum in magna copia. Indignũ nimis est principem aliquem (qualis tu es) auaritiæ se dedere, aut cupiditati inordinatæ, aut contentiosæ superbiæ. Et quod propterea dimitteret pacem facere is qui esse debet liberalis & beneficus, & principaliter post virtutes veri honoris cupidus, ad quem non spectat indignum hoc prouerbium minus dare & plus recipere. Princeps satis habet ad bibendum, comedendum & vestiendum, bona etiam laude opus est ei & fama, quoad bona huius mundi. Considera precor si non maioris sit famæ & gloriæ habendo pacem in tempore tuo concedendo & dimittendo aliquam terræ partem quam tenes, quã eam tenẽdo in bello & dissensione? Primum faciendo multo plus adipisceris laudis. Recordare historiæ Theopompi Lacedemoniorum regis, quam recitat Aristoteles in politic. & Valerius li.4.ca.1. Vxor sua cõquerebatur dicens magnũ esse dedecus, quod regnum suum filijs eius sineret diminui, minus. s. quam recepisset eis relinquẽdo cum ephoros eis adhibuisset. Relinquo inquit, regnum ipsum minus, sed firmius & stabilius, erit enim absq; bello & diuisione, ac si dicere voluisset: Bonum esset regnum permittere deminui, aut aliquam partem terræ dimittere quam quis tenet, vt pax habeatur.

A Alius quidam princeps dictus Antiochus, gratias egit Romanis, eò quod partem à sua abstulissent dominatione, vt facilius & in pace reliquum gubernare posset. Nõ semper est lucrum nimis magnam possidere patriam, præsertim cum ipsa est causa bellorum & litium. Demum cum dissensio crudelis allegat timorem breuitatis & instabilitatis pacis, dico vt prius, quod tali ratione cõcluderetur nunquam pacẽ faciendã esse, nec per bella, nec aliter. Et minus bello quam alio modo, quia facilius est credere pacem firmiorem fore & stabiliorem quæ ex communi eueniet cõsensu, quã

B quæ per vim belli facta esset. Nullum enim violentum perpetuum. De tam sancta conclusione sicut est pax, potius bonum sperandum est quam malum. Nos christiani sumus. Nescio quando vnus alteri debeat confidere, qui non vult vt omnia semper sic permaneant, & de malo in peius labantur. Non dimittẽdum est certum bonum pacis, ad euitandum malum aliquod incertum & respiciendum ignorantiam & inductionem &

C & cæcitatem crudelis dissensionis. Maximum enim quod inuenire potest ad pacem impediendã est, quod à pace rursum fieret regressus ad bellum Attamen hæc est res quam ipsemet consulit persequendam, & vult semper fieri certam litem & præsentem, vt euitetur lis incerta futura quę si inchoaretur, non esset adeò difficilis vt ad concordiam reduceretur, secundum exiguum meum iudicium sicut alia quę modò fieret, tum quia vnio ecclesiæ per Dei gratiam fiet inter dominos, erit

D quoque papa concors, qui mirum immodũ prodesse poterit, tum quia lis non esset de re tam ardua, nec tantæ expediendę extarent difficultates. Interrogo te ô dissensio. Nonne facilius est (responde mihi) pacem solummodo continuare, quæ per Dei gratiam futura est, quam eam continuare, & cũ hoc ipsam per lites & bella incerta acquirere? Nulli dubium est quin sic. Et si scire cupis, quomodò? Dico quod eo modo per quẽ fieri est incepta. Quia vt dicit Salustius in prologo Catheline. Imperium facile his artibus retine-

E tur, quibus initio partum est & similiter pax. Et quis est modus quo pax fieri est incepta? Respondeo esse bonam humilitatem principum nostrorum, per bonam eorum prudentiam, sapientiam & liberalitatem, habendo misericordiam & pietatem de paupere eorum populo christiano, fidẽ amando & christianitatem, & eam conseruando conuentiusque defendendo. Et præterea ad sanctam ecclesiam amandam & eam liberandam ab horribili & periculosissimo scismate quod eã deuastat. Ad hoc enim obligãtur generaliter omnes

F principes & pręlati sub pœna peccati, & si in statu esse velint salutis. Scio multa documenta & doctrinas dari posse & considerationes vt modus haberetur pacem continuandi, quæ Dei gratia fiet, ad euitanda grandia mala quæ solent, inde accidere per otiositatem pacis filiã, hoc est luxuriam, malam dissolutionem, & virtutum subuersionem, sicuti dicit Iuuenalis satyricus: Nunc patimur longæ pacis mala, sæuior armis, Luxuria incubuit. Hinc ait Augustinus quod plus obfuit euersa Carthago quam aduersa. Attamen in præ-

præsentiarum apparere posset; quod hoc esset faciendo bonum pactum communi assensu Gallorum & Anglorum. Et bene poterit haberi modus faciendi talem consensum & eum reperiendi. Et si nihil aliud esset, nisi vt ecclesiæ fieret vnio, materia tamen est sanctissima & maximè necessaria.

Ideo in summa supreme rex christianorum, rex sacerdotalis diuinitus consecrate, noli dissensioni fidem adhibere, quæ contraria est spiritui-sancto. Meditare meditare, quod pulchriorem hæreditatem, ditiorem thesaurum domino Delphino & alijs tuis filijs relinquere non potes quam pacem, pessimus thesaurus est & periculosissima hæreditas bellum. Considera quod per nullam aliã rem melius populi tui boni & deuoti & obediẽtis habebis amorem, quam hanc pacem coram oculis mentis tuæ statuendo, nec gratius quicquam Deo facere potes (qui adeò pacem commendat) quã pacem habendo. Nil placitum sine pace Deo inquit Prudentius. Nil inferre bellum Deo in proximis membris suis, de proprijs eius bonis. Cogita pristinum tempus bonum & seculum aureum, de quo loquuntur poëtæ, melius redire non posse quam per pacem, nec magis displicere poteris, nec maiorem incutere timorem falsis incredulis inimicis tuis, & tibi malè volentibus quam per pacem. Non te melius verum christianum ostendere posses, & verum Iesu Christi discipulum quam per pacem. Pax enim ea est quæ filios Dei facit. Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur. Demum ad sanctissimum tuũ propositum vniendi sanctam ecclesiam peruenire nõ posses nisi per hãc pacẽ. Nec dubito quin tu & dominus meus, frater tuus, auunculi tui, & alij alti tui consilij bene omnia consideraueritis res omnes, & multo melius sine comparatione quam mea cogitare aut recitare possit ignorantia, & hoc bene necessariũ est. Nihilominus tamen dabis (si placet) veniam. Non enim temeritas est aut pręsumptio quæ me loqui compellit & te hortari ad id quod facis, sed est affectio magna ad pacem. Et quia materia hodierna, quæ est tota de pace, vnione & concordia, postulabat me dicere aliquid saltem in generali, non descendendo ad magnam particularitatem. Nec hoc est ad perhibitionẽ bonę tuę volũtatis, sublimis tuæ prudentiæ, syncerę tuę affectionis ad bonum commune ipsius pacis. Verum verisimile est te spiritumsanctum habere in spirituali animæ tuæ habitatione, qui te ordinare velit principalem electum suum & singularem militem, ad tuendã & augmentandam christianitatem, cum adeò diligenter quæras pacem, & cum christianis confœderationem. Quod si sic sit (& ita certè Deo volente est) scias quod cõuertet inimicos ad pacem. Prouerb. xvj. Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. Te donabit vigorosa confortationæ dando scutum firmæ credulitatis, gladium verę spei, & insuper te armabit communi confæderatione ad apostolorum similitudinem, quibus dixit Iesus Christus per verba proposita. Accipietis virtutem superuenientis spiritussancti in vos. Quam nobis concedere dignetur ille qui est Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

Gerson. Quarta pars.

A

ALIVS SERMO DE SPIRITV-SANCTO FACTVS PER EVNDEM *Ioannem de Gerson.*



MANSIONEM *apud eum faciemus.* Originaliter Ioannis. xiiij. & recitatiuè in Euangelio pręsentis celebritatis. Lętare popule Christiane. Bona enim tibi affero nuncia, qualia nuncia: Annuntio vobis sicuti nuntius benedicti Filij Dei Iesu-Christi, & sicut ille qui litteras portat patentes & autenticas ex parte illius quod Deus in illa anima habitabit quæ verbum eius adimplebit. Mansionem apud eum, &c. Quæ ergo est altior nobilitas, beatitudo, excellẽtia, dignitas tibi ô Christiana anima quam te esse Dei tui hospitam Domini tui summi regis & imperatoris. Nec tamen dubito de bonis his nouis scripta enim sunt per diuinum secretarium sanctum Ioannem Euangelistam. xiiij. cap. Confirmata hodie & publica in Euangelio maioris missæ per vniuersam sanctam Ecclesiam in persona Dei propriè. Si quis inquit diligit &c. Quo pacto autem verbum Dei custodies, si ipsũ minus cognoueris, quomodo melius cognoscere poteris quam per auditum? & ad hoc agendum sumus in pręsentiarum ad inuicem congregati. Et sine gratia & spiritussancti virtute nihil proficit verbum Dei, secundum Gregorium in homilia hodierna. Si non adsit &c. Recurramus igitur ad te virgo dignissima quæ es & fuisti principalis hospita, post Iesum Christum gloriosi huius hospitis benedicti spiritussancti, & quæ dõna eius gratiæ cum apostolis abundantissimè hodierna die recepisti. Non solum pro te sola sufficienter, sed vt ea impartiaris pauperibus alijs egenis & missellis indigentibus vicinis tuis, hoc est omnibus qui humani sunt generis te deprecantes. Quanquam prius plena esses gratia secundum angeli Gabrielis salutationem, quam quidem salutationem per deuotionem modo rememorabimus, dicentes: Aue Maria, &c.

Mansionem apud eum faciemus, &c. Si ita sit ô deuota anima, quod Dei tui hospita esse possis, profectò sic est. Ille enim hoc dicit qui mentiri non potest. Qualis stultitia, qualis turpitudo & vtilitas tibi esset spernere talem hospitem non enim honorabiliorem nec delectabiliorem habere potes. Crede ergo mihi, & fac quod dicã. Dispone te modò in benedicta hac die in sacrato hoc festo & iubileo, vt dignè eum recipias exemplo apostolorum qui hodie repleti sunt per aduentum huius gloriosi hospitis. Fac vt hospitium tuum mundum sit ab omnibus peccatis, & ab omni eo quod illi displicere posset. Expelle saltẽ pro tempore paruo omnem aliam curam ac sollicitudinẽ, & de rebus mũdanis cogitationem, non sit corpus in ecclesia, & cor in coquina. Spiritussanctus enim hospes ille gloriosus, cum voluerit hospitium tuum intrare, & ostiũ pulsabit, nisi inuenerit cor tuũ paratũ ad se recipiẽdum, si nõ repererit quem alloquatur, nõ dubiũ est quin mox abscedat. Ipse dicit: Ego sto ad ostiũ & pulso, & si quis aperuerit mihi, ingrediar & cœnabo secũ. Valde iucũda est

cœna & pulchra hospitalitas, cum spiritussanctus dignatur sedere. Si aliquis magnus princeps, vt dicit sanctus Gregorius in homilijs hodie domum tuam ingredi vellet ad te honorandum & remunerandum, diligētissimus esses vt domus pulchra & munda esset. Deus tuus & summus tuus dominus desiderat venire in conscientiæ tuæ hospitium, mentes habitare & pectora gaudet, inquit Statius Thebaidos, & Sapiens, Prouer. 8. Deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Omnem ergo abijcere peccandi debes immunditiam, puluerem auaritiæ, araneas iræ & inuidiæ, lutum seu fimum luxuriæ, vt hunc recipias hospitem, de quo canit sancta ecclesia: Dulcis hospes animæ & consolatio eius. Tres ancillas in hospitio conscientiæ tuæ habere debes, orationem, obedientiam pacem seu vnionem. Oratio spiritum-sanctum deuotè vocat. Obedientia apertè aperit. Pax iucundè retinet. Secundum quod apostoli hodie & discipuli cum domina nostra ad numerum vsq; centum & viginti personarum orabant, cum spiritussanctus descendit. Ecce orationem: Erant in loco quem Deus præceperat eis scilicet in monte Syō, & obediebant. Ecce obedientiam. Erant pariter sedentes, pacificè se tenentes in eodem loco. Ecce pacem. Videamus quo pacto prima domicella suum exequatur officium & sanctum vocet spiritum, veluti conquerendo & vocando humiliter, facie plorabunda cum lachrymis & gemitibus. O dulcissime & benignissime sancte spiritus, protector certus & desolatorum cōfortator, pater pauperum, orphanorum tutator, lumen cæcorum, conductor errantium, lætitia tristium, subsidium afflictorum, vere vnice amice, qui non abis in necessitate, modo ante oculos misericordiæ tuæ, ante thronum sublimis maiestatis tuæ facio complanctum meum & querelam. Heu dulcissime hospes pauperum, tuum hospitium, videlicet hospitium animæ meæ, crudeliter vndique est obsessum, ex omni parte crudeles ei fiunt insultus, & periculosissima prælia absque mora, per mundum, per carnem, per inimicum. Est hospitium quod iure tuum est. Ipsum enim per creationem fecisti & fundasti, & dotasti per gratiam in sancto baptismo & per virtutes, tu solus morari debes, ipsumque inhabitare, protegere & gubernare.

Veni huc domine, eijce hos omnes proditores & aduersarios. Scio enim quod læto tuo aduentu, dulci tua visitatione, subitò fugiēt & dissipabuntur, sicut modicum fumi omnes inimici mei. Superbia cadet quæ iam altè vult scandere. Ira violenta non morabitur. Luxuria spoliatrix & immunda gula, alia quoque mala vitia hospitium hoc intrare non possunt. Veniat ventus, veniat pluuia, descendat tempestas, nihil domum illam dimouere poterit, quæ à te sustentabitur & fundabitur. Domine in gloriosa die tali, sicut est dies Pentecostes dies veniæ & remissionis, iubilus gratiæ, apostoli & discipuli, cum benedicta virgine inclusi erant propter metum Iudæorum in domo, in qua cœna fuerat facta magnæ diei Iouis, cum agnus manducaretur Paschalis, in monte Sion, ibi erant in magno pauore, in timore & in sollicitudine, intra illam habitationem, sed tuum in necessitate implorarunt auxilium & eis non denegasti, immo subitò descendisti ad eos

A confortandos stabiliendos & confirmandos. Domine sicut hoc verum est descende & modò in pauperem domunculam animæ meæ, defende habitationem tuam & ius tuum. Et cum intraueris, conforta hanc animam desolatam, doce famem tuam nutri præ fame morientem. Calefac igne amoris tui ipsam quæ glacie est ad bene agendum frigidior. Vesti eam virtutum pulchris tunicis, ipsam quæ nuda est valde verecundè. Reædifica & stabili miseram suam habitationem, immo tuam per septem pilaria & columnas tuorum

B septem donorum, & custodi ne hospitium hoc ardeat & comburatur. Hospitium quidem Dei, & hospitale spiritussancti, per damnosas flāmas malorum desideriorum & auaritiæ vt anima mea semper tecum absque separatione viuat in iucunda libertate & sobria lætitia, in hoc mundo per gratiam, & in alio per gloriam. O deuote popule christiane hoc modo aut simili potest & debet vnaquæque anima deuota, spiritumsanctum vocare in domum suam spiritualem, ad habitationem

C cordis, vt ibi maneat & habitet. Et hoc officium explet prima ancilla, quam orationem nomino.

Secunda ancilla quæ dicitur obedientia, apertè debet aperire domus huius ianuas & fenestras in aduentu spiritussancti. Ipsa [illegible]m est ostiaria. Scire debetis & experientia ostendit (heu sæpius, quam necesse sit) multos esse adeò rudes atq; inciuiles seu immorigeratos veluti si irriderent spiritumsanctum. Eum appellant & sæpius vocant

D vt ad eos veniat, & in hospitium eorum descendat, sed mox cum intrare vult, quid facit inobedientia? Præbet spiritussancti voci aurem surdam, vel est adeò somno capta vt nil prorsus audiat, aut tenet ianuas eius clausas pessulis & obicibus diuersorum peccatorum, aut ignominiose eum remittit. Si mihi non creditis, aut minus me intelligitis, vobis aperiam die qualibet, immo fere qualibet hora spiritussanctus ad hospitium animæ nostræ introitum quærit. Intelligite sanè. Nolo dicere spiritumsanctum non esse vbi

E que per essentiam & potentiam, sed non est vbique per specialem gratiam & assistentiam virtutum suarum & donorum. Dicitur enim esse longè à peccatoribus. Longè à peccatoribus salus. Psal. 118. Quia gratia eius & amore suo sunt vacui. Spiritussanctus ergo venit sæpius ad cordis nostri ostium & pulsat per sanctas inspirationes sanctarum volitionum, vt dignè intret, vt se dignè det per gratiam, & quamuis mille & mille modos sancta scriptura recitat, quibus spiritussanctus

F creaturis apparet, nihilominus tamen secundum euangelium tribus modis visibiliter apparuit, aut tribus speciebus visibilibus ostendentibus quomodo inuisibiliter animam ingreditur. In primis spiritussanctus pulsat ad ostiū sanctæ animæ suæ, per ingentem sonitum, tremorē & terrefactionē. Vnde factus est repēte de cęlo. Per linguas igneas prædicationis apparuerunt apostolis dispertitæ linguæ. Per columbam quæ significat dulcedinem & mititatem, & in columbæ specie. O deuote popule christiane, quotiens sentis in te tui status displicentiam, mortem formidas, horrorem de

de pœnis infernalibus habes, certò scias de spiritussancti esse sonitum, qui ad ostium tuum pulsat vt intret. Statim dirigere debes obedientiam quę illi aperiat, hoc est dictum, te corrigere debes & vitam tuam emendare secundum Dei mandata. Si enim semper permaneres vt prius, non obstāte spiritussācti appellatione, eum ignominiose remitteres. Obedientia eum non recipit, nec tu eius verbum seruas, legimus quod sanctus Paulus gloriosus huius ecclesiæ patronus ibat Damascū, vt fidem persequeretur christianam. Spiritussanctus ad ostium cordis sui fortiter ad modum pulsauit. Dicit enim textus quod fuit tremens & stupens, sed quid igitur? Remisit ne spiritumsanctum? Negauit ne ipsi introitum? Non profectò, immo mox obedientiam emisit quæ aperuit ostium, & dixit ei: Domine quid me vis facere? sic faciamus & nos. Habemus de sancto Hieronymo qui ob metum inferni deserto se tradidit, & sic de mille & mille alijs. Paulo ante legi de quodam fratre ordinis prędicatorum, qui pœnitentiarius fuit in episcopatu Cameracensi, qui de duabus aut tribus recitat personis, quarum audiuit confessiones. Vna erat sola in lecto suo, & faciebat peccata tam immunda & abominabilia vt nec sint nominanda. Fœmina illa audiuit vocem inter lectum & parietem, pfij, psij, pfij, in tantumque timuit vt confestim confiteretur, & se ipsam emendauit. Alia in simili vitio audiuit aliam vocem dicentem: Fac misera quod facis, merces te expectat copiosa, quæ venit ad confessionem, & præ ingenti timore paulo post obijt, pœnitentiam quoque suam valde asperam in purgatorio compleuit. Vtinam spiritussanctus pulsaret & vocaret ad ostium cordium singulorum hominum quæ talibus coinquinati sunt vitijs, vt abstinerent & confiterentur. Sunt enim paucissimi qui perfectè ea confiteantur, & quod peius est aliqui sunt qui impediunt ne confiteantur illi vel illæ qui consentiunt peccatis ipsorum. Reuera nescio quid hic dicam. Ignoro quod eligibilius sit tacere an loqui. Multi dicunt se ignorare talia peccata mala esse, quia nunquam audierunt ea redarguit, & id me hortatur ad loquendum. Sed immunditia peccati (de quo verbum solum corrumpit aërem) me constringit ad tacendum, ne etiam dem occasionem mali innocentibus. Sed etiam cum considero modum illorum & illarum qui tales docent abominationes aut alias, videtur mihi loquendum vt innocentes sibi caueant, siue parui sint siue magni, & hi qui decepti fuerint, pœnitentiam agant & confiteantur. Ipsis enim affirmo quod comedere carnes die veneris sancta, non est tam magnum malum, & potius ferre deberent homines, vt membratim dilanianrentur quam ferre tales abominabiles iniurias, & & magis resistere deberent quam nobilis aliqua puella, quam quis violare vellet, aut vi eius virginitatem rapere. Recitat dictus pœnitentiarius de quodam scholastico qui fuit mortuus, &c. Nota capitulo 30. de apibus.

Pro Dei amore qui se senserit culpabilem, me bene intelligat, se corrigat, & quicquid sit de trāsacto tempore, sibi caueat de futuro. Chari homines hæc nescite, quod quotiēscunq; vobis aliqua accidit tribulatio, aut senectus, aut infirmitas, aliqua amissio, tribulatio, pręlium, aut aliud malum, est spiritussanctus & nuntij sui, qui venit cū magno sono, sicut hodie, vt intret animæ vestræ domicilium, nisi vos obstiteritis. Consideremus illorum admirationem qui nec mortem formidāt, qui obstinati sunt sicut Pharao, & spiritussancti nuntios remittunt per magnam iram, impatientiam & contra Deum murmurationem. Nota de de illo cui dixit deuotus vir in infirmitate, vt Deus teneret eum in statu quo melior erat, & de quodam clerico Burgensi. Nota de eo qui orauit pro diuite quodam infirmo, vt eius continuaretur infirmitas &c. Nota de clerico qui orauit vt ciuis etiam in alia tibia dolore afficeretur, &c. Spiritussanctus interdum iure suo vtitur. Ostia rumpit & fenestras facit clauem regis, ô vtinam talem vim & violentiam die qualibet spiritussanctus animæ meæ inferre vellet, vt omnia frangeret quo intraret. Nimis surda est anima quæ ad tale non excitatur tonitruum, ad sonum talem acutissimum, qui omnem mouet locum in quo hic inferius sumus. Frange inquit Augustinus illam surditatem, certe qui non obedierit huic sono, audiet horribile tonitruum sententiæ pœnalissimæ: Ite maledicti in ignem æternum.

Secundò spiritussanctus pulsat ad hostium nostrum linguis inflammatis sancta prædicatione, quemadmodum hodie visibiliter descēdit super discipulos suos, & eos omnibus fecit loqui linguis. Et in lib. Actuū apostolorum habemus quomodo habemus quomodo spiritussanctus descēdit super omnes illos qui audiebant verbum Dei. Hodie verò complures obedientiam non habēt quo aperiant ianuas cordis sui in aduentu hoc spiritussancti, licet multa ad extra audiant, & pulsare & vocare, hoc totum nihil proficit. Non dico quin defectus interdum sit in concionatoribus, qui verbum non habent inflammatum, sed frigidum & mortuum, aliter quam habebat sanctus Ioannes Baptista, qui erat lucerna ardēs & lucēs, & aliter quam Helias, cuius sermo vt ignis ardebat. Principaliter tamen defectus est in auscultātibus quibus non inest obedientia, & qui non veniunt vt audiant pulsare ad ostium per bonam prædicationem, vt se emendent, sed potius vt tēpus transigant, aut quicquam stulti retineat. Et si quid inter prædicandum dictum fuerit & cū illa stultitia infernalem inimicum recipiunt, spiritūsanctum verò remittunt. Alijs videtur fabula aut fatuitas, quicquid de rebus dicitur spiritualibus, sicut generis, id est maritis filiarum Loth, de quibus Gen. 19. Alij audiunt verba quibus ad malum alliciuntur, & quæ peruersum ignem Dei domibus, & hospitali spiritussancti imponunt, hoc est animabus. Oblocutores ignem imponunt.

Tertiò spiritussanctus venit ad ostium nostri hospitij, in similitudine colūbæ, cum nobis prosperitates mittit ad reddendos nos dulces & alliciendos ad amorē suum. Legi de quodam ecclesiastico, qui inhonestè viuebat, hoc tamen non obstante illi pręsentatus fuit episcopatus, tunc se ad Deum conuertit dicens: O inestimabilis & incomparabilis Dei bonitas. O benignissima misericordia certè modò sum adeò immundus, peruersus & iniustus & iniquus, tamen taliter voluisti me exaltare qui dura morte dignus sum, & in

profundissimum inferni labi. Tunc dimisit totũ mundum & Deo deuotè in quadam seruiuit religione Quid autem de his dicemus qui mali sũt in aduersitate,& peiores in prosperitate? Qui cõtra Deum bellant de suis proprijs bonis. Fœmina diues & pulchra his donis vtitur ad superbiã, aut carnalitatem persona quæcunque vir aut mulier pulchros nacta est filios & prolem pulchram, quã potius nutriet in malo, quam in bono. Quid mirum si tandem spiritussanctus abscedat, & graue inde sumat vindictam? Legimus in diluuio, in submersione quinque ciuitatum peccatricum paruos pueros vna cum maioribus perijsse. Et dicunt doctores, Deus eis fecisse magnam gratiam & beneuolentiam. Parentes enim ipsorum induxissent eos ad malum. Sic esse potest de mortalitatibus quæ pueris superueniunt, multo melius profectò foret cõpluribus adolescentibus parentes eorum eis cerebrum contra murum aliquem effregisse, quã eo modo illos tractatos fuisse quo tractantur. Heu ô deuote popule christiane spiritussanctus ad ostium nostrum vocat, tum per sonum aduersitatis, tum linguis tribulationum aut columba prosperitatis, sed nos eum excludimus, ac si diceremus expecta (si vis diutius) modò te excipere non possumus. Expecta, expecta modicum ibi, &c. Nota Augustinum qui petebat castitatem, sed non modò. Si verò mundus pulset per pompas & vanitates, mox illi aperimus, & animam nostram facimus veluti forum publicũ aut publicam conuentionem. Si caro pulset per iniquam carnalitatem mox illi aperimus & facimus veluti immũdum porcorum habitaculũ. Si inimicus pulset per fraudes, per malas crudelitates, per superstitiones atq; sortilegia, confestim illi aperimus & facimus veluti latronum foueam & idolorum habitaculum. Et breuiter si spiritussãctus aduenerit, nihil inuenit parati, nihil est ad introitum suum frigidius.

Sed dicebam in tertio sermonis nostri mẽbro, quod postquam oratio spiritumsanctum vocasset, & obedientia eum introduxisset, tertia ancilla eundem retinere debet, pax videlicet & vnio pax conscientiæ, spiritussanctus diu morari non vult in loco nociuo. Psalmus: In pace factus est locus eius, quamprimum introducis peccatum mortale in domum tuam, conscientia talem cõcitat litem vt spiritumsanctum expellat. Esa. Nõ est pax impijs. Est fœmina litigiosa quæ hospitem suum expellit, sicut dicit Salomon. Considerate, maior est verecundia hospitem talem expellere, quam ipsũ non recipere. Naso: Turpius eijcitur quam non admittitur hospes. Cõsiderate etiam quod interdũ aliquis sese credit spiritumsãctum recipere & malos recipit spirit⁹, quia sub specie boni ad ostiũ pulsant, & fingunt se spiritumsanctum esse, atque sic sanctam fallunt animam. Anima verò sic decepta maxima committit peccata, in quibus bene putat agere. Cuius remedium est sæpius bonum petere consilium & illi credere. Nonnulli sub spe faciẽdi magnas eleemosynas aut sacella fundãdi, seu filios eorum promouendi, rapinas exercẽt & iniquas mercimonias. Alij vt euitent verba hominum, & ne deuoti iudicentur, se dedunt verbis, & vitæ mundanæ, potationi & cibo, & plerumque in peiora labũtur. Alij propter amorem pro-

A geniei nimis & familiarem, decidunt & labuntur in carnalem voluptatem, nihil est securũ, alij non omnia eorum peccata plenè dicunt, quia metuũt presbyterum inde malam sumpturum occasionẽ. Et certè timor ille quandoque bonus esse potest, sed prouidendum est de tali confessore qui inde non peior efficiatur, sunt deceptiones innumeræ qui per Dei gratiam euitari possũt in virtute spiritussancti & bono consilio.

Sed hic aliquæ mihi fieri possunt quæstiones. Prima, potest ne cognosci aduentus aut præsentia spiritussancti? Respondeo, non sine speciali B reuelatione aut certitudine. Nemo scit an amore vel odio dignus sit. Attamen aliqua habentur signa. Primum & principale est pax conscientiæ, quando nullum noscitur peccatum, de quo quis non sit confessus & contritus aut ad minus habeatur firmum propositum ipsum confitendi tẽpore & loco, & quando quis non habet odium, aut quicquam sui proximi &c. Secundum est humilis timor de mirabilibus Dei iudicijs. Hic nota contra scrupulos. Tertium est libenter loqui de C spiritusancto, & libenter verba de eo audire, sicut hodie, & talia cogitare. Alij non habent peius domicilium quam proprium, ad missorum nuntiorum similitudinem. Quartum est dulcis misericordia de se & alijs ad similitudinem columbæ. Alia signa sunt quæ ad altos spectant contemplatiuos, de quibus loquitur sanctus Bernardus & magister Richardus de sancto Victore, alijque, sed eo priores. Secunda quæstio est, quare aliqua peccata dicantur contra spiritumsanctum, & quę sunt, & quare dicuntur irremissibilia? Si quis bene D respondere vellet, prolixo opus esset sermone. Respondeo ergo duntaxat ad illam. An sit peccatum cõtra spiritumsanctum, cum quis peccat sub spe pœnitẽtiam agendi in posterum? Dico quod non. Et multo peius esset semper velle peccare, nec vnquam pœnitentiam agere velle. Peccare namque est fragilitatis humanæ non velle verò pœnitentiam agere, obstinationis diabolicæ. Si peccas, ad minus pœnitẽtiam age. Peccasti, quiesce. Qui cecidit, adijciat vt resurgat, sicut Petrus. E An confiteri sit bonum, licet homo non proponat abstinere? Dico quod sic, si se non reputet absolutum. Si semper necesse sit facere omnia bona ad quæ persona sentit se inclinari? Dico quod non. Et sæpius melius est expectare & diligenter examinare, propterea quæ dixi pericula & similia. Sufficit adimplere mandata. Quarta quæstio, an apostoli hodie in receptione, spiritussãcti omnes sciuerint scientias? Respondeo quod sic, loquendo de conscientia quæ necessaria erat ad F salutem & ad prædicationem. Fuerũt hodie facti magistri, atque positi firmiter in cathedra veræ fidei. Prius autem licentias acceperunt, cum diceretur: Ite in orbem, &c. Quinta quæstio, quomodo sciuerunt omnia idiomata? Dicunt aliqui vno idiomate ipsos varijs modis fuisse intellectos. Alij dicũt quod omnes simul omnia loquebantur idiomata. Alij dicunt quod separatim nec intelligebant ea, & hoc erat propter dilatationem fidei. An de scripturis suis erat sic in principio? Puto quod non. Sexta quæstio, quare Iudæi apostolos censebant ebrios? Dico hoc fuisse propter eorum malitiã, sicut modò si quisquã bene viuere velit,

velit,fatuus existimatur. Psalmus: In te cantatio mea semper tanquā prodigium factus sum multis &c.Hic dilata de mundanorum finibus respectu contemplatiuorum. Et quia fines eorum sunt diuersi.Si porcus loqui sciret,alias irrideret bestias, quæ se veluti ipse luto nō inuoluerent. Aliæ quæstiones multiplicari possent & fieri videlicet de processione spiritussancti, de errore Græcorum. An Græci sint in statu salutis? An eorum possint audiri officium &cum eis haberi participatio?Insuper quare nominantur septē dona spiritussācti, & ad quid proderunt?Quare attribuitur spirituisancto clementia &bonitas.Et sic de talibus quęstionibus quas relinquo. Reuertamur ad finem faciendum & omnem christianam alloquamur animam hoc pacto. Voca modo quæso christianissima anima, voca & appella alta voce sanctis desiderijs mediante bona domicella oratione deuota gloriosum hūc hospitem spiritumsanctum. Cum autem intrare venerit,manifestè illi aperias per alteram domicellam quæ ianitrix est, & obedientia nominatur. Deinde tertia domicella cōscientiæ pax,ipsum reseruabit. Tunc illi sobrietatis mensam parabis veræ fidei candelam, panem sapiētiæ, vinum compunctionis,salem discretionis, fructum bonorum operum, sparges pulchrā ac viridē bonarum meditationum arborem cum sanctarum cogitationum floribus coram illo hūc lætissimo vultu & iocundè excipies, illi lauando aquam præbebis deuotionis calefactā boni amoris igne deuotionis &dilectionis.Deinde illi gratias ages, illum cubare facies purè & mundè in pulchro lecto, linteaminibus omni castitate redolentibus. Benedicta est mulier quæ sic operabitur.Affirmo hospitem talem qui adeò liberalis, bonus & gratiosus est, bene persoluturum symbolum, & vicem relaturum in hoc mundo, sed multo plus in alio. Vides ô anima deuota? vide quod qui spiritumsanctū recipiunt in hoc mūdo, quasi semper sobriè & sanctæ lætātur, quæcunq; illis accidat aduersitas, habent enim spiritumsanctum qui eos cōsoletur,& in bona spe confortet. Non est iocunditas maior quam bonæ & sanctæ vitæ,vides tales securè mori & promptè sine reluctantia.Quid mirum?Pergunt enim de carcere &captiuitate in gloriam &perennem delectationem,nouerunt optimè quod qui bonum recipit hospitem,bonam expectat mercedem. Hi verò qui expulerunt spiritumsanctum per varia crimina,sunt fere semper tristes, non habentes puram lætitiam & liberam. Et si interdum videantur ridere aut iocari, tristis est & cantus oppressorum sensu captorum. Rectè sensu capiuntur, qui sese suspendunt & perpetuò occidunt. Et demum in hora mortis audi quid misera eorum faciat anima,quæ tunc in magna constituta est necessitate, angustia & dolore, quærere vult more suo aliquam mundanam consolationem per quinque corporis portas, vti vult oculis aliquam inspiciendo vanitatem, sed eos aperit clausos & obturatos.Quęrit aliquam confortationem sumere per complanctum & ore loquendo, aut dulcem quempiam gustando cibum, dentes repperit clausos & linguam amaricatam. Sic vult adducere consolationem aliquam per aures, sic per nares, sic per tactum vilem & immundum. Sed A totum hoc nihil prodest, quia omnia clausa sunt per horribilem mortis seram. Tunc tunc.Quid miserabilis facit anima malè conducta, misera sola & omni auxilio atque confortatione destituta? Fiunt illi insultus & accusatur vndique, vt ad æternam trahatur mortem & perditionem. Deus mundus, inimici,opera eius eam condemnant. Ipsa videt infernum apertum ad se deuorandum, ardentem ignem ad se puniendum. Heu quid facit ipsa? quid dicit? quid postulat quæso? Intra se cadit, quoniam desperat vllum B sibi affuturum subsidium, omnia enim in necessitate ei deficiunt, & cadit sub se per æternam damnationem. Sed sancta anima bene & verè dicta spiritussancti hospita,in illa hora secum habet & in se bonum hospitem suum spiritumsanctum, hic est refugium eius, spes eius, auxilium eius, consolatio eius, cum amplexatur,illi adhæret & omnia ad talis animæ occurrunt subsidium sicut ipsa cunctis rebus bene vsa est ad Dei gloriam.Tunc locatur à spiritusancto ad perpetuum C spiritussancti regnum remunerando & compensando paruum hospitium quod in hoc mundo illi præparauerat, quod regnum nobis concedere dignetur spiritussanctus qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IOANNIS GERSON CANCELLARII VNIVERSITATIS *Parisiensis. In festo sanctæ & indiuiduæ Trinitatis habitus.*

D

Videmus nunc per speculum & in ænigmate. 1. Corint.13. Inter omnes materias de quibus verba fieri possunt non est vnquam tam sobrie,cum tanto timore & reuerentia se tenendum (secundum quod dicit Aristoteles &recitat Seneca)sicut cum de diuinitate sermo habetur. Et dicit sanctus Augustinus nihil esse quod possit quæri fructuosius, inueniri difficilius, & in quo errari possit facilius & periE culosius. Tenete vos nunc ô deuote popule christiane cum magna reuerentia, pace, silentio, sancta, humili & pura deuotione, intantum aut plus quam feceritis in præsentia benedicti corporis Iesu Christi, non quidem propter personam meam, absit talis præsumptio, sed propter Dei maiestatem, & ad melius impetrandam gratiam, veritatem absque errore dicendum de benedicta diuinitate & Trinitate ad nos illuminandum. Rem etiam fructuosam ad incitandum nos quo bene operemur&Deum F amemus salutemus sanctum templum palatium & singulare diuinitatis Tabernaculum virginem gloriosam & deuotè dicamus illi. Aue Maria, &c.

Videmus nunc per speculum, &c. vbi supra. Finis, gloria & felicitas humanæ creaturæ, est Deum cognoscere, sic probauerunt & testati sunt excellentissimi quique & eleuati philosophi. Plato, Aristoteles Hermes Trismegistus, Tullius & alij. Et quod amplius est hoc tenore dicit summus doctor noster Iesus Christus hæc

est vita æterna vt cognoscant te Deum. Et Augustinus: Visio est tota merces. Et Psalmus: Ostende faciem tuam & salui erimus. Ad hunc namque finem & intentionem à Deo humana facta est creatura, vt eum cognoscat, & in hoc superat omnes inferiores creaturas. Nulla enim est bestia nec auis nec piscis quæ ad hoc peruenire possit, quamuis fere omnes aliæ excellentiæ & perfectiones quæ in homine sunt, in aliqua bestiarum reperiantur aut auium. Inuenitur enim cognitio temporis præsentis, memoria præteriti, aliqua prouidentia futuri. Cernuntur quinque sensus corporales in eis adeò perfectè, aut perfectius quam in homine. Canes absque comparatione perfectiorem habent odoratum, & etiam vultures, simea gustum, porcus siluestris auditum, aquila & lynces visum, ibi etiam reperiuntur imaginationes, phantasiæ & variæ industriæ ad euitandum quod malum est, & bonum prosequendum. Ad hoc verò nulla peruenire potest bestia, & Dei sui habeat cognitionem. Ex quo clarum est argumentum in homine esse animam quandam perfectam, immortalem & diuinam, cum ipsa facta sit ad diuinitatem cognoscendam, vt eam laudet & honoret. Ideo facta dicitur ad imaginem & similitudinem Dei. Homo enim tanto est perfectior quanto de Deo perfectiorem habet cognitionem. Sed quo pacto habebimus talem de Deo cognitionem? Respōdet apostolus in prędictis verbis, quod pro præsenti vita non possumus videre Deum, nisi in vmbra & in speculo. Nec tamen adhuc qualibet humana creatura sufficienter disposita est vt hic Deum tali modo videat. Aliqui propter corporis impedimenta quæ vsum auferunt rationis, siue propter ætatem vt pueri, siue propter infirmitatem vt in maniacis & sensu capitis, siue propter malam complexionem sicut in stultis à natiuitate, alij impediti sunt per abundantiam vitiorum & malæ vitæ & per defectum bonæ doctrinæ & cōsuetudinem malam audiendi. 3. physicorum. Auerrois in prologo. Sicut enim dicit Aristoteles 4. Etic. tales efficiuntur sicut bruta, & brutales sunt, nec tales homines dici debent sed canes, porci aut leones secundum quod declarat Boëtius in hoc quod magis assimilantur talibus brutis, quæ bene ordinata non sunt. Debet ergo quilibet homo peccata fugere & malam consuetudinem. Malitia enim impedit ne Deum cognoscere possit & veritatem. Sapien. 2. Excæcauit eos malitia eorum, ante omnia peccata carnalitatis animam obscurant & impotentem faciunt, ne quicquam cognoscere posset de Deo & rebus spiritualibus, patet ibidem 2. Sicut per exemplum videmus in speculo aliquo aut oculo, si contaminata sint luto & immundicia oculus nil videre poterit, & in speculo nihil apparere. Magnopere itaque argui debent omnes personæ quæ non prohibent neque interdicunt iuuenibus hominibus ne sint dissoluti, dum hi sub eorum positi sunt gubernamine, ab omnibus eos protegere & pręseruare debent occasionibus talium peccatorum, & quoniam tempore nostro plures omnibus peccatis ab eorum ineunte ætate dediti sunt omnibus vitijs & omnibus turpibus immundicijs magis quam bestiæ, & fingunt se abstinere non posse, non agunt pœnitentiam, sed semper peiores efficiuntur & in peiorem labuntur casum. Quid mirum si illi exiguam aut nullam de Deo habeant cognitionem, si Deum non videant, nec in vmbra quidem, nec in speculo? Quid igitur Deum cognoscere vult, sicut in hac vita cognosci potest, debet in primis bene viuere, purè, sobriè & mundè. Debet insuper sæpenumero reuerti ad seipsum & intra se. Cur? vt se cognoscat. Quoniam si semper extra te exeas, & animam tuam per quinque corporales portas animæ ad cognoscendum solummodo res sensibiles ad extra, non opineris vnquam te Deum bene cognoscere posse & res diuinas, sicut dicit Plato in Thimeo, sed eris fere similis mutis animalibus, ac si dicere vellet, animam non esse dignam ad Deum cognoscendum, nec inter creaturas rationales numerari, nisi seipsam cognouerit. Psalmus: Comparatus est iumentis insipientibus, &c. O pulcherrima inter omnes creaturas (dicit Dominus noster sanctæ animæ) si te non cognoueris, exi & sequere greges ouium mutarum. Ac si dicere voluisset, quod anima non est digna Deum ipsum cognoscere, nec esse inter creaturas rationales si seipsam non cognouerit, sed de nullo iudicet nisi de sensibilibus rebus & corporalibus. Dices cum insipienti in corde tuo, non est Deus: Dixit, &c. Nec mirum est animam humanam seipsam cognoscere debere, cum sit imago & forma summi magistri ad similitudinem Dei & benedictæ Trinitatis, ipsa est pulchrum admirandum speculum, quod Deum præsentat. De quo dicit apostolus, nos bene Deum posse videre sicut in ænigmate & speculo.

Memor sum superiori anno de tribus me dixisse speculis, naturæ, scripturæ & humanæ creaturę, in præsentiarum solum principaliter de tertio loquar humanæ creaturæ, & de pulchra imagine benedictæ Trinitatis, quæ ad intra relucet cum purificata est, mundata & bene polita per bonam vitam, sanctam doctrinam, per sancti spiritus quoque operationem, & per veræ fidei lumen. Verum est me de hoc speculo plura dicere posse, & de hac imagine animæ quæ non caperetis. Formo hic Iesu Christi argumentum, si terrena dixi vobis & non creditis, &c. Ioan. 3. Si terrena in vobis vobis dico & ea non intelligitis, quomodo si cœlestia supra vos vobis dicerentur comprehenderetis? Scio tamen magnam esse consolationem loqui audire de Deo & diuinis rebus, nec frustra tempus eo in negotio consumitur. Et si non omnes me intelligant, sicut simplices audiunt ad vtilitatem in lingua Latina ecclesiæ officium quamuis non intelligant. Exponam secretum quoddam colloquium, & sicut dialogum quendam deuotæ animæ cum ratione sapienti sorore sua ad ostendendum aliqualiter modum perueniendi ad Dei cognitionem & benedictę Trinitatis in simplicitate & vnitate & potius immorabor rationibus, quam allegationibus.

Paulo ante in speculatione mea apparuit animam sic sapientem rationem alloqui & dicere: Pulchra

Pulchra soror ratio, diu extra me fuisti, per quinque corporalium sensuum portas, ad inuestigandum de Deo nostro. Et sciendum, si quisquã te facere posset certiorem. Quid dicis mihi? Quæ noua refers? Chara soror tibi dicam. Respondit ratio: inuestigaui per mare terram, aërem & per cœlum, terram autem interrogaui si ipsa esset Deus meus. Respondit, non. Interrogaui mare, quod eodem tenore respondit. Interrogaui aërem, cœlum, solem & stellas si aliquid horum Deus meus esset, quæ omnia simul ac clamabant sonora quidem voce: Deus nos fecit, idololatræ & pagani erant, nos dij non sumus, quærite eum alibi & supra nos. Hoc modo respondit mihi omnis sensibilis res & corporalis. Omnes mihi affirmarunt se Dei appellatione indignas esse. Habēt enim multas imperfectiones, partes habent magnas & paruas, suntque mutabiles. Conuenit autem Deum omnino perfectum esse, immutabilem & sine partibus. Quare sine partibus? Quoniam totum est perfectius sua parte, sicque aliquid esse Deus, quod non omnem haberet perfectionem. Ista videlicet pars non tantæ esset perfectionis quantæ esset suum totum. Soror mea ratio postquam extra me Deum nostrum reperire non potes, sed aliquid est quod omnes illas res fecit, redi ad me & me contemplare, quæ spiritualis res sim & sine partibus, si forsitan non nihil noui audieris. Anima mea ita prius feci. Consideraui prorsus qualis nam sis, quanta sit memoria tua, clara intelligentia tua, voluntas tua, immortalis essentia tua, vita tua spiritualis. Attamen Deus non es, nec pars Dei, secundum Manichęorum mendacium. Mutabilis enim es de non esse tuo ad esse, de cognitione in alteram, de vna affectione in alteram affectionem, & de velle in velle, & sic subiecta es mutationi. Ideóque constat te ab alio factam esse, quo enim pacto potestatem habuisses creandi te, cum prius esses nihil? Percipio tamen in te & supra te aliqualiter Deum nostrum in ænigmate & speculo. Verum est (ait anima humana) me percipere suspensum quoddam lumen, bona soror ratio. Quæro à te quodmodo esse possit, quid est quod cognoscis, cum Deum nostrum cognoscis? Estne res colorata? Est res illa luminata, est sonus, est odor, est dulcor, est sapor est res quæ tangi possit, tractari aut amplecti? Intrat ne per portam oculorum, aut aurium, aut per aliquem quinque sensuum corporis mei? non, non anima mea, Deus noster nihil talium est quæ ad extra cognoscis. Et quid mirum? Nos ipsi enim non sumus talium conditionum, nec sumus ego & tu albæ nec nigræ nec calidæ, nec frigidę. Non sumus res quę audiri possit, odorari, gustari aut tangi. Nihilominus cum Deũ nostrũ cognosco, cognosco lumen aliquod omnino aliud ab eo quod cernunt oculi. Audio melodiam aliquam & harmoniã super omnes melodias, odoro aliquem odorem omnes odores excellentē, sentio dulcedinē & saporem aliquē, facio aliquos amplexus, sed est valde magna distãtia & alterius modi quod dixi, quã sint hæ res sēsibiles quas cognoscis. Noli vlteri⁹ quęrere, aliter enim nõ possum declarare aut mõstrare. Rectè dicebat Plato, difficillimũ esse Deum inuenire, vt philosophus quidã tres petijt dies ad respondendũ quid esset Deus, deinde decē, postea triginta. Quanto enim inquit, plus cogito, minus describere aut nominare ipsũ valeo. Sicut in abysso non percipitur finis, hoc nõ est mirabile, scimus enim incõprehēsibile cõprehendi nõ posse, alioquin tale nõ esset.

A Scimus rem quæ paruã habet cognitionē, intelligere non posse tantũ sicut virtus cognoscere põt quæ altioris est cognitionis, vt oculus corporalis videre nõ posset id quod cognoscit imaginatio, nec posset cõprehendere hoc quod ego ratio cognosco, cognoscere nõ posset, quod illi dicerem de cõplurib⁹ reb. quas scio veras esse, & per diuersas sciētias cognosco clarissimè. Et quoniã Deus

B noster est & esse debet sine cõparatiōe perfectioris intelligētiæ, facile sciri põt quod ipse seipsũ & cognoscit, & scit omnino alio modo quã ego ipse cognoscere valeã. Et adhuc magnũ est miraculũ, me aliquid etiam in vmbra, & sicut in speculo de ipso cognoscere posse, sed hoc est per virtutē suã & per lumē suũ quod irradiat & aliqualiter splēdet super oculos meos spirituales, & supra te anima mea quæ es speculum & imago diuinitatē cognoscēdi. Saltē pulchra soror ratio, dic mihi quę sunt Dei

C nostri conditiones secundũ quod eã cognoscere potes, sicut in ęnigmate & speculo. Libēter faciã inquit ratio. In primis considero Deũ nostrũ rem esse immutabilē & perpetuã sine fine & principio. Scis anima mea te ab alio quã à te factã esse. Concludo ergo quod prima & sũma causa per quam facta es, perpetua est & immutabilis, quia non est nec posset esse per aliquem priorem causam & perfectiorem. Consimiliter ipsa destrui non posset, quia omnia ab ea dependent, & hanc pri-

D mam causã per quã tu facta es & creata, Deũ voco. Insuper anima mea, te cognoscere nequeo, nisi esse tuũ & essentiã tuã cognoscã, sed cognoscere nõ possum esse aliq̃ imperfectũ (quale tu es) absq; cognitione esse alicuius imperfecti. Certũ ergo est me nil cognoscere posse absq; hoc ꝙ vt Deũ nostrũ cognoscã saltē veluti in vmbra. Quamquã non sēper eã percipiã cognitionē more noctuæ, quæ nihil videre potest sine aliquali solis lumine, non tamen propter hoc solē in eius claritate videre potest, nec quicquã de sole iudicare, immo

E sol ei est veluti tenebræ & obscuritas, quæ nihil eius videre potest. Simili modo est de diuinitate, quoad visũ meũ spiritualē, quia & si nihil cognoscere possim nisi per cognitionē diuini esse, non tamen plenè cognoscere possum quale est ipsum Dei esse nisi quod scio ipsum esse, & de hoc minus dubitare possem, quam me simul esse & non esse. Chara ratio assentior bene Deũ esse, & sic testantur omnia secundum quod prius dicebas, Deum esse, & vox naturæ inquit Damascenus.

F Ideo solet dici de aliquo valde certo. Hoc adeò certum est, sicut Deus est. Sed declara mihi vnum solum Deum esse, & non plures. Nouisti anima mea Deum nostrum omnem potentiam & omnem perfectionē habere debere, quia debet esse perfectissima res quę cogitari posset aut inueniri, quò magis cogitari non potest. Quapropter sequitur primò Deum esse rem indiuisibilem & spiritualem. Id enim quod materiale est diuisibile ac corporale, non adeò perfectum est in suis partibus, sicut in toto suo, & sicut spirituale & quod totam virtutem suam vnitam habet. Virtus vnita fortior est seipsa dispersa. Secundò sequitur Deum esse summam vitam & cognitionē;

Id enim quod vitam habet & cognitionem, perfectius est & præstantius non viuentibus & sine cognitione existentibus. Tertiò sequitur Deum nihil de nouo acquirere aut deperdere posse. Alioquin enim faceret se interdum non omnino perfectum; & sic tūc Deus non esset. Quia etiam perfectio est totum bonum suum, & perfectionē suam vnitam habere absq; mutatione de meliori in peius, aut peiori in melius. Quartò sequitur Deū esse sine principio & sine fine in æternitate omnino perfectum in essentia, in vita, in cognitione, in bonitate & potestate, nihil amittendo, diminuendo, augendo, aut obliuiscēdo, alioquin enim non omnino perfectus esset. Quintò sequitur Deum perfectissimè cognoscere omne quod est, fuit & futurum est. Ideo meditari debemus diligenter quæ facimus, quia nihil vsqueadeo secretum est quin ipsum cognoscat. Ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. Boëtius in fine, & est Augustini in soliloquio ca.14. in fine. Sextò sequitur solum vnū talem Deum esse qui & ipse aliquam habeat potestatem, ex te quæro si illa eadem potestas in Deo nostro sit, an minor. Si dicis quod Deus noster non talem habeat potestatem, sequitur tunc ipsum non esse perfectissimum & potentissimum si habeat illam eandem potentiā. Est ergo sola vnica potētia, quas tu duas dicebas.

Chara soror mea ratio ostendis (& rectè quidē) solum vnum Deum esse posse, propriè de Deo loquēdo, sed quomodo est quod lex nostra christiana dicit esse vnum Deum patrem, vnū Deum filium, vnum Deum spiritumsanctum, vnam Trinitatem. Si pater Deus est, & filius Deus est, & spiritussanctus Deus, nonne conuenit cōcludere tres esse Deos? Reuera anima mea non. Non potest eo modo cōcludi, & videre potes per id quod dixi, quoniam pater & filius & spiritussanctus solum vnicam possunt habere potentiam, eandem perfectionem, vnam & eandem bonitatem, vnā vitam, vnam cognitionem, est omnino vna res de his tribus, sed in creaturis alijs sic non est. Si enim Ioannes homo vnus est, & Robertus homo vnus est, & Martinus est homo vnus tres sunt homines. Cur? profectò quia vnus non habet potestatem alterius, nec vitam suam, nec cognitionem suam, & quamuis anima mea & quæcunque alia creatura immo creatori suo assimilari non possit, nec factura suo factori (sicut imago alicuius personæ ad extra aut in speculo non potest omnino esse similis in vita, in cognitione & potestate personæ illi quam repræsentat, nec vmbra lumini) tamen aliqua inuenitur similitudo & per cognitionem imaginis (vt imaginis regis) cognoscitur rex quem repræsentat, obscurè scilicet & imperfectè, simili quoque modo anima mea dico, quod per te & intra te, sicut per imaginem quandam & speculum hæc aspicere possum quæ prius de Deo nostro dixi. In primis essentia tua immortalis est & incorruptibilis, sed multo perfectius Deus noster talem habet immortalitatem ab omni corruptione alienam. Vitam habes quæ mouet & gubernat paruum suum mundum, totum videlicet corpus ad libitum suum. Multo plus Deus vita est perfecta quæ mouet & gubernat vniuersum mundum vndique ad liberam suam voluntatem & libertatem. Si enim Deus quod facit veluti coactè faceret, & tanquam nihil facere posset nisi

A quod agit, qualis esset perfectio, qualis libertas, quale arbitrium, qualis ei deberetur gratia? Si tu anima mea liberam ad corpus tuum, & affectiones habes voluntatem, multo potius libertatem habere debet Deus noster omnipotens super res cunctas. Et hic errauit Aristoteles & ferè omnes philosophi. Quapropter Deo ingrati fuerunt & in horribiles ceciderunt errores in idololatrias, in contra naturam turpitudines, & negārunt liberā Dei prouisionem, bonorum in altera vita remunerationem, & malorum punitionem, ad Rom.1. Obscuratū est &c. Tertiò formare potes & facere

B in memoria tua & in cognitione mille & mille mundos quos ponere potes veluti in esse vno quodam spirituali intra te. Quare ergo Deus non facere posset & formare ad extra in materiali esse & visibili tot & plures quam tu cogitare posses? Non ergo est mirabile Deum posse facere miracula, quæ in sancta recitantur scriptura, & multo maiora, nec mirandum est Deum posse operari maiora, quam nos comprehendere possimus.

C Contra stultos qui omnia se opinantur capere posse. Nec mirandum est si Deus mundum formauerit secundum prædeterminationem liberæ voluntatis æternæ, quando & tali modo ei placuit. Quartò vno eodemque oculo motum percipis præteriti temporis, præsentis & futuri absque vllo in te motu. Quare ergo Deus cognoscere non posset res esse mutabiles sine sui mutatione? Quintò tu per omnia membra es corporis tui tam in capite quam in pedibus corde &

D brachijs, absque hoc vt sis minor in minima parte, quam sis in maiori, sine hoc quod intra cor sis; simul es & in capite. Quare Deus esse non posset vbique sine augmentatione aut diminutione? absque hoc vt diceretur extra, sic quod non sit intra, & sine hoc vt omnino comprimatur aut concludatur, vel seipsum includat in quauis creatura. Sextò, tu es adeò liberæ voluntatis, & ea quæ tibi subiecta sunt, perdere potes aut conseruare ad libitum tuum, occidere aut non occidere, quod vna eademque

E terrea massa aut plumbea siue argentea facere potes vas ad contumeliam vel honorem, de vno eodemque ligno facere potes ignem & cineres, aut pulchram imaginem quam custodias. In grege tuo ouino accipere potes ouem vnam & occidere, alteram autem custodire. Si duo tibi sint famuli quorum vterque deliquerit contra vitam & statum tuum, vnum tradere potes morti, & alteri parcere.

Congruum igitur est & rationabile Deum posse facere de omnibus nobis creaturis suis ad

F liberam suam voluntatem absque vlla reprehensione, absque hoc vt ei dicatur, quare hoc agis? Et est contra stultam præsumptionem humanæ creaturæ, quæ alteram vult inquirere rationem & causam, quam iustam Dei voluntatem, murmurando quidem contra eam, quare Deus saluet hos, & non illos, quare potius gratiam confert & remissionem his, quam illis? Illorum qui generaliter de humano genere captiui sūt in carcere peccati saltē peccati originalis, nonne ius est vt gratiā faciat quib. placet ei, nullā faciēdo iniuriā his quos dimittit in carcere, in quo sūt inclusi?

Reuera

Reuera sic nullus gratiam confert nolens hanc libertatem ô anima mea habere vis. Nihil ergo melius est quam semper humiliare te sub manu Dei potentis, & expectare gratiam suam, diligentérq; ac deuotè eam postulare, interea dum in hac vita fieri potest. Qui enim sic perseueranter fecerit, proculdubio damnari non poterit.

Deuoti auditores hoc pacto mihi videbantur colloqui ratio sapiens & anima deuota de benedicta diuinitate atque de sublimitate sua & maiestate. Cum intellexissem horũ verborum finem, ex imo pectore suspirabam,& præ magna admiratione tremebam, prorsus stupidus & extra me raptus. Clamabam cum Apostolo sancto Paulo. O altitudo incomprehensibilis Dei & iudiciorum eius,quis ea cognoscere poterit?quis comprehendere posset sensus domini nostri,iustitiam suam & misericordiam eius? O vere Deus iustissime & potentissime,ostende erga me miseram tuam creaturam misericordiæ tuæ dulcedinem, nõ rigorem & iustitiæ tuæ seueritatem, nihil enim in me est quod eam ferre valeat. Dulcissime Deus tibi gratias ago de omnibus quæ mihi contulisti, vt te cognoscerem esse omnipotentẽ,iustissimum & optimum, & quod intra profundas cordis mei tenebras splendere fecisti mirabile lumẽ tuum. Meritò itaque me nihil esse iudico quoad tuam sublimitatem, sed rem esse inutilem & stultã quoad tuam infinitam sapientiam, me esse rem vanam & inanem quoad tuam bonitatem. Cognosco & iudico omne quod facis & facere vis, iustè factum esse, sapienter, dulciter, siue in puniendo per iustitiam, siue parcendo per gratiam. In omnibus domino (si placet) tua erga me vtere gratia, sicut prius pater erga filium suum vt dulcis dominus ergo inutilem famulum. Gloria domine tua est,& vtilitas mea. Et te meritò semper amare debeo, tibi seruire, atque honorare te. Si vti vis domine (quod absit) si vti vis erga me iustitia, sicut iudex iusticiarius contra proditorem & malefactorem captum & talem conuictum & probatum. Certè domine iustè merui illud iustè facere potes, attamen propter hoc non te dimittere debeo, nec cessare tibi seruire & honorare quantum possum, & quamdiu mediante gratia tua non in talem cecidero errorem, in furiosam talem obstinationem quod te malum censeam aut inuidum vt faciunt damnati. De misera creatura tua facere potes ad bonum tuum placitum. Nihilominus tamen faciam quod in me est tibi seruiendo,& me ad tuam refero misericordiam interea saltem te amando & seruiendo, quemadmodum es dignissimus, paradisi partem adipiscar. Quid enim est paradisus, nisi te amare & seruire? Et certè si ita compleuero vsq; ad finem legem tuam & mandata seruiendo fieri non potest quin mei miserearis. Misericordia tua & promissiones verissimæ non minus magis ferre possent, quam mater de filio suo quod perirem. Nota de sancto Bernardo qui diabolo dixit, si petere veniã vellet & dicere: Miserere mei Deus, ipse veniam consequeretur. Inimicus inclamando vt dæmoniacus alta voce abscessit. Sic complures faciunt qui non dignantur ex corde pœnitentiam agere verum continuè volunt in eorum immundicia permanere. Hic adduci possunt duo de duabus personis exempla. Vna rogabat quod si damnaretur, saltem vt Deus hoc Dei concederet, vt eum semper amaret. Altera dicebat, se hic recepturam aspersionem aquæ paradisi, & quod in inferno ipsa se balnearet. Sic loquebar apud memetipsum, & facere debet persona quælibet terribilia & admirabilia Dei cogitãdo iudicia. Cum iterum audirem animam deuotam & rationem sapiẽtem, quæ accinctæ erant ad loquendum de benedicta Trinitate.

Posteaquam de diuina vnitate collocutæ fuissent, verum est rationem solam non fuisse, immo sibi fidem bonam Christianam associarat, quæ rationis & animæ illuminabat oculos, ad cognoscendum melius hoc quod relucebat in speculo & imagine animæ. Deinde superuenit amabilis deuotio aut contemplatio, de qua in sequentibus sermonem habere potero, si breuitas temporis id admiserit. Bona soror inquit, ratio ipsi animæ. Tu es pulcherrima imago quam te summus artifex facere voluit ad suam artem ostendendam ad extra, suam potentiam, suam sapientiam, beneuolentiam suam, & omnino sicut inspiciendo aliquam bene depictam imaginem, siue sit in speculo aliquo claro & polito, siue ad extra in pictura aut lapidũ scissura, habetur cognitio de artifice qui imaginem fecit aut speculum quod erat sapiens, pariformiter anima mea cum te propè aspicere possum, & in lumine Christianæ fidei habeo cognitionem aliquam talem qualis ad præsens sufficit de Deo nostro, quod est vna essentia in tribus personis, Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Nonne ea sola & simplex substãtia? sic profectò. Nihilomin[9] tamen tres habes virtutes, quæsũt memoria, intellect[9] & volũtas. De memoria nascitur cognitio, & de memoria & cognitione procedit voluntas & amor. Ecce quo pacto si habeas in memoria tua similitudinem aut repræsentationem alicuius rei. Loquamur de teipso, potes deinde ponere hanc similitudinem tuijpsius in intellectum tuum per claram & actualem cognitionẽ, & cum te cognoueris, formabis in voluntate tua amorẽ aliquem & dilectionem de teipso. Non dico hoc adeò perfectũ esse, quod cognitio tua & amor tuus de substantia tua sint. Non enim ad istud posse habes, faceres tamen si posses, est ergo hic memoria tua tanquam parẽs cognitionis tuæ, & de memoria cognitionéque procedit simul amor tuus & dilectio. Per similitudinem aliquã (quamuis imperfectã) in benedicta Trinitate, pater in seipso repręsentationẽ habet sui ipsius & suæ deitatis, atq; cuiuslibet rei quę vnquã fuit est, erit vel futura est, sicut ille qui cognoscit omnia, & potest omnia. Pater ergo potest illã repræsentationẽ de se & de sua deitate & omniũ rerũ ponere in cognitionẽ personalẽ, vt se dicendo, cõmunicando & diffundẽdo. Et quoniã dictio & cõmunicatio illa imperfecta esset si nõ prorsus assimilaretur patri, ei autẽ non prorsus assimilaretur si nõ esset vna eadẽmq; substãtia & potẽtia & sapiẽtia cũ eo. Cõgruit hãc dictionẽ, quæ filius dicitur, vnius eiusdẽ substantiæ cũ patre esse, & hoc modo solũ vn[9] est De[9]. Pręterea nõne fili[9] perfectè patrẽ suũ amare debet? Ita certè. Nam omne ꝙ habuit, ei contulit, nihil sibijpsi retinẽdo, & tale ei dedit donum. Oportet ergo filiũ per memoriã & gratitudinẽ dare dõnũ patri adeò perfectũ sicut est donũ quod recepit, & sic facit. Dat enĩ ei Spiritũ sanctũ

qui est perfectus amor personalis patris ad filium, & filij ad patrem. Ex quo sequitur Spiritum sanctum procedere tam à filio quam à patre cõtra errorem Græcorum. Videre potestis insuper Deum nunquam solum fuisse sine perfectissima & iucundissima societate, quæ est Patris & Filij & Spiritus sancti. Propterea non est interrogandũ, vbi Deus fuerit ante mundi creationem, & quid fecerit? Erat enim in seipso, & ducebat gloriosissimam atque iucundissimam vitam Pater cum Filio & Spiritusancto. Et in hoc apparet necessitas, nec Deum solum esse dici posse, nec vnquam solum fuisse. Bonitas enim sola esse non potest sine sui effusione, gaudium perfectum non potest esse sine perfecto amore, perfectus autem amor non absq; societate est. Oportet ergo in diuinitate societatem esse, nec est intelligẽdum societatem illam tam diuersam esse & vnius personæ extra aliam, sicut in rebus cernimus corporalibus, hęc enim esset rudis nimium & falsus intellectus. Ideo falluntur rudes Iudæi & Saraceni, & aliqui simplices homines, qui nihil intelligunt de rebus spiritualibus. Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt.

Attamen (dicit hic anima) necesse est (velint nolint) vt aliquas res spirituales esse confiteantur, & quæ quinque corporalibus sensibus cognosci non possunt, & tu ratio rectè prædemonstrasti, & quælibet anima in seipsa id potest probare, conueniens est hunc qui me fecit de nihilo, & tam pulchram & inter alias admirandam creaturam potentissimum esse. Cognosco ergo prudentiam quam nec video nec tango nec gusto. Conuenit ipsum valde sapientem esse, igitur sapientiam cognosco, & nõ per aliquem corporalium sensuum. Postremò expedit eum esse magnæ liberalitatis. beneficentiæ & beneuolentiæ. Nec sensibiliter cognosco quæ res sit liberalitas hæc, amor hic & beneuolentia, sic dicerem de veritate & iustitia, bonitate cum absolutè considerantur. O anima mea (ait hic ratio sapiens) reuera propriè loqueris. Sed dico vlterius, quod qui videre posset bonitatem, vitam, veritatem & charitatem, vt per lineam rectam & sine speculo cognosceretur, tollendo omnes imperfectiones quæ in creaturis inueniuntur. Diuinus & sanctus Dionysius dat exemplum, sicut sculptor imaginum format suam imaginem, auferendo partes circunstantes quoadusq; imago perfecta remaneat. Si cum auditur sermo de bonitate aut de veritate qui omnem auferret imperfectionem quæ in bonitate & veritate est tali qualem in te cognoscimus anima mea, nos videremus, sed hoc hic perfectè fieri non potest nisi in speculo & vmbra. Cum enim quis nititur intelligere, & flectit spiritualem oculum extra animæ speculum, nihil videt, nisi per speciale miraculum, aut valde subitò sicut est tonitrui abscessus. Si imago aliqua appareret in aëre absque hoc vt speculum videretur, aut persona se speculans (sicut per artem perspectiuam fieri potest, non est dubium quin per imaginem videretur persona, quamuis non opinaretur quis se eam videre qui ignoraret quidnam esset. Et hoc conspicimus in pueris, qui se speculantur & imaginem puerũ aliquem credunt esse, non autem talem imaginem. Sicut etiam recitatur de Narcisso qui in fonte suam adamauit imaginem. Sic faciunt fatui mundani qui amant Dei imaginem & in hoc peccant atque falluntur. Nota A de eo qui fuerat rex, quia primum viderat solem in altitudine domus, dorsum orientem versus vertendo. Nota de illo qui spinis pungebatur dum pomorum mordere vellet vmbram. Inter secretum colloquium rationis & animæ quod libentissimè sentiebam, sustuli paulisper faciem meam. Nescio ob quam dulcedinẽ & subleuamen quod à nouo percipiebam, hoc mirandum non erat. Dulcissima enim & benignissima soror sanctæ animæ & rationis sapientis descenderat, quæ B nominatur deuotio aut contemplatio amabilis & religiosa, spiritus eam misit ad instruendum & perfectius docendum secreta benedictæ Trinitatis in anima sancta. Deuotio enim profundius accedit ac intuetur id euidẽtius & familiarius quam possit ratio sapiens. Amor intrat vbi cognitio foris stat, inquit Hugo supra septimum capitulum cœlestis Hierarchiæ. Deo placet reuelare se & secreta sua, abundantius deuotioni quam rationi, dilectioni quam cognitioni. Hinc Seraphin proximiores sunt quam Cherubin.

C In hac annunciatione, coniunctione & secreto colloquio deuotionis, & sanctæ animæ, taliter cauata & disposita est anima sancta Spiritus sancti operatione, quod filius Dei spiritualiter ibi concipitur. Sed mihi digito compescere debeo labella, quoniã mysterium hoc & collocutio deuotionis cum anima sancta admodũ secretè fit, & tanquam in silentio aliquo & quibusdam tenebris intra animam valde propè & intimè profundissiméque tangens aurem spiritualẽ per sermonem quendam D rationis & cognosci non potest nisi sola cum sola. Et per illam animam cui deuotio loquitur, & ratio etiam quæ proxima est locutionem hanc intelligere non potest. Hæc est pax quæ exuperat omnem sensum. Nemo quidem nouit nisi qui accipit. Considerate igitur, quomodo vobis hanc explicarem locutionem, quonam modo edissererem? Inde est quod interdum persona simplex, deuota & Deum amans altiorem habet & digniorem cognitionem de diuinitate, de sua potentia, sapientia, bonitate, dulcedine & benignitate, quam habue- E runt philosophi aut complures docti theologi, & alij qui sunt sine amore & deuotione. Postquam enim anima sancta quæ ad Deum tendit mouerit alterum pedem, scilicet intellectus ad viam Dei, credendo Deum talem esse sicut ratio illuminat, & vera fides Christiana attestatur, eum etiam esse totum bonum, totum amabilem, & totum desiderabilem (totus est vtique desiderabilis) tunc profert alterum pedem affectionis per amabilem deuotionem, & transgreditur omnia & per omnia F fiducialiter. Amor enim nihil timet quoadusque Deo se iungat amori suo dulcedini suæ, placentiq; desiderio, & quoadusque de Deo & amore tali fiat tanquam vnus spiritus. Qui adhęret Deo vnus spiritus est, & amor transformat in amatum. Hic anima mutatur veluti in cineres humilitatis in fornace ardenti veræ charitatis. Deinde efficitur vt pulchrum vitrum, clarum, mundum & purum. Et disponitur facile ad recipiendum talem figurã & spiritualẽ proprietatẽ, qualem Spiritussanctus illi dare vult ad sui similitudinem, cui anima hęc coniuncta est & cõglutinata. Tunc anima efficitur speculũ immaculatũ, non gibbosũ, planũ & politũ ad

æstatem

æstatem repræsentandam. Et quia anima pro illa hora omnium obliuiscitur, obliuio illa dici potest plumbum quod est in altero latere illius speculi. Alioquin enim animæ oculus transgrederetur, & res videret terrenas per quod impediretur à visione cœlestium. Et potest dici illa obliuio vmbra, obscuritas & tenebræ in quibus Deus videtur, hic anima Deum cognoscit etsi non omnino taliter & talem qualis ipse est ei. Et qualis est Deus animæ deuotæ? Psalm. Quam bonus Israël Deus his qui recto sunt corde. Bonus, dulcis mitis, delectabilis, salus, amor, auxilium, si imago quam facit sculptor ad suijpsius similitudinem posset habere omnes conditiones sculptoris, videlicet esse talis vita, talis figura, talis intellectus, talis sine differentia naturæ, illa imago tunc propriè imago esset sculptoris in distinctione personali, relatiua, tali qualis est inter factorem & facturam.

Ad melius intelligendum quod dictum est, & alias pulchras speculationes, adduci posset exemplum de speculis materialibus, quorum aliqua sunt fracta, alia gibbosa, alia verò maculata & immunda. Aliqua solummodo repræsentant colores rerum ad extra sine quacumque figura. Alia ostendunt res ex opposito, & in compluribus huiusmodi deceptionibus, & omne hoc applicari posset per simitudinem ad speculum spirituale animę, respiciendo diuinitatem & res cœlestes. Hic expedit animam formaliter memoriam suam intrare absque extranea euagatione & intellectum suum fugando & auferendo. Non quidem auferendo, quia non potest sed supprimendo & obliuioni dando omnes nubes obscuritatésque imaginationum ac phantasiarum rerum sensibilium, quod factum est difficillissimum. Hic est diuisio spiritus & animæ, & mors eius siue sopor & requies vbi cor vigilat. Deinde voluntas separata esse debet ab omni carnalitate ac turpibus & immundis desiderijs, vt in hac Trinitate purè Trinitas reluceat diuina. O quomodo hoc erit? Fortunata erit anima illa cui gratia hæc tribuetur, lætari debebit quod taliter Deum suum cognoscere poterit. In hoc glorietur (inquit dominus) qui gloriatur scire & nosse me. Et ad hoc magis prosunt lachrymæ, fletus & deuota suspiria, quam clarum ingenium aut qualecumque studium. Sic se à nobis videri Deus nobis concedat hic per gratiam veluti in ænigmate & speculo & in paradiso facie ad faciem per gloriam. Amen.

DE SANCTA TRINITATE
ALIVS SERMO
Ioannis Gerson.



I terrena dixi vobis & non creditis, quomodo si dixero cœlestia credetis? Si dico vobis res terrenas & non intelligitis eas. Si dixero res cœlestes considerate quomodo comprehendetis illas? Ad melius sciendum qualiter sit loquendum & audiendum de sublimi mysterio benedictæ Trinitatis, & ad habendum propositorum verborum intellectum, scire dignemini ô deuote popule Christiane, &c. Præsumptuosa curiositas, quæ semper plus scire vult & inquirere quam ad eam spectat, contra præcep-

A ptum Apostoli: Nolite sapere plus quam oportet facit sæpenumero errare rationabilem creaturam tam in statu Ecclesiastico quam extra illum, eò quod non est contenta credere purè & simpliciter quod Deus præcipit credendum, sed vult & conatur inquirere rationem illius & euidentem certitudinem, immo etiam in veritate fidei. Et dicet non credendum esse, nec sic esse posse, si per intellectum suum non comprehendat quod dicitur ei. Talem superbam curiositatem reprehendit Sapiens in lib. Prouerb. 25. Perscrutator maiestatis

B opprimetur à gloria. Et Sapiens alibi: Vix & magno labore veritatem huius quod supra terram est, & ad oculos nostros inuenire possumus ait Salomon. Quod ergo superius in cœlis est quis inquiret, quis intelliget, quis comprehendet? huiusmodi rationem facit supremus magister noster & doctor Iesus Christus, dicendo Nicodemo in in verbis propositis. Si terrena dixi vobis & non creditis quomodo, &c. Proposui istam introductionem propter illos qui habent nimis magnum desiderium, & maius quam ad ingenium eorum

C studium vel intellectus spectet loqui de sublimi benedictæ Trinitatis mysterio, nec sunt contenti ipsum purè credere, immo quærũt rationem. Sed prosequendo ratiõé domini nostri & Salomonis ad nos reducendum. Primò ad humilitatem veram, quæ est ianitrix scholæ Iesu Christi, sine qua introire nemo potest, nec quicquam intelligere vel addiscere quod prosit, immo quis offẽdit se in porta qua est valde demissa, pro hoc quod caput animæ, hoc est intellectus est nimium eleuatus per

D superbiam & curiosam præsumptionem. Veni humana curiositas, quæ tãta vis vel existimas scire, & quæ interrogas quid sit de benedicta Trinitate. Veni te oro, & responde primum ad ea quæ proponam tibi de rebus terrenis, vt postmodũ videre valeas, qualem cognitionem de cœlestibus habere queas. Dic mihi, quę res est Sol, Luna, & stellæ, quę quotidie inspicis, & quo motu vniuersum cœlum defertur? Sed dices forsitan hæc nimiũ à te distare, sic & magis est de Deo creatore omnium, sed descendo ad terram. Responde mihi, quomodo for-

E matur nix, glacies, arcus cœlestis aut iris, terremotus, fluxus marini, tonitrua, fulgura, & venti? Quomodo de parua glande maxima nascitur quercus, ex ouo struthio qui ferrum comedit, vel pauo vel phasianus qui tam pulchras habent pennas, vel alia auium genera admodum dulciter cantantia, vt alauda vel cassita, luscinia vel philomena, & aliæ eiusmodi aues. Quomodo parua hirundo adeò bene nidificat? Arena telas suas, aut formica prouisionem, aut apis mel facere nouit? Qualiter ma-

F gnes attrahit ferrum, & quidã alius lapis stipulam, & piscis quidam echinus dictus solum dimidij pedis longitudinem habens, trahit in mari aduersus omnes ventos magnam nauim? Quomodo ex herba fit vitrum, qualiter theriaca quod fit ex veneno fugat venenum? Quomodo calx extinguitur oleo, & inflammatur aqua frigida? quomodo ex dura silice feriendo salit ignis, & nix seruatur in paleis absque hoc vt liquescat, cum tamen fructus in straminibus vel paleis calorem adipiscatur. Si quis quæreret admirabilibus sententijs quæ sunt, & de naturis earum, quid dicemus de floribus, & de eorum pulchritudi-

ne & colore, ac virtutibus lapidum preciosorum? Audeo curiositati affirmare quod non potest mi- A nimæ rei quæ sit in mundo concipere virtutem, naturam, colorem & figuram. Et sic de centum milibus veritatibus quæ de ea re affirmari possunt, quas Deus videt & nouit adeò vt Socrates & philosophi Athenienses Cinici qui veritatem tantopere quæsierant & inuestigauerant dixerunt finaliter ipsam inueniri non posse, & hoc solum sciebant quod nihil sciebant, hoc scio quod nihil scio. Concludo ergo cum Iesu Christo & Salomone, si terrena dixi vobis, &c.

B Sed dicetis mihi fortassis: O deuote popule Christiane qui hic estis, dicetis mihi, nō per curiositatem vos scire velle & concipere sublime benedictæ Trinitatis mysterium, sed vos habere velle & scire modum ipsam credendi sine errore, & dicetis mihi sic, secundum nostri thematis verba, si cælestia dicas nobis, quomodo credimus? Respōdeo, bene, si estis socij humilitatis, non loquendo de humilitate quæ ad extra in verbis factis & gestibus, inuenio in anima nostra duplicem humilitatis modum, secundum duas quæ in ea sunt vir- C tutes, intellectum videlicet & voluntatem: Humilitas voluntatis est, quando ipsa se subdit voluntati alterius per obedientiam, & vult omnino quod vult voluntas alterius, altera humilitas est in intellectu, quando scire nostrum & proprium nostrum iudicium ac propriam rationem nos subdiuimus ipsi scire & iudicio ac rationi alterius. Dico ergo, quod quemadmodum obligati sumus Deo ad faciendam omnem voluntatem eius, sic sumus obligati eidem intellectum nostrū (secun- D dum quod dicit Apostolus, redigētes intellectum in captiuitatem in obsequiū fidei) ponere in subiectionem & tanquam in captiuitatem, vt credamus per fidem & ipsi seruiamus, & per hoc videtis qualiter credere possitis mysterium Trinitatis. Deus enim qui mentiri & errare non potest, hoc nobis præcepit & affirmat, rationabile vtique est ignorantem sapienti credere, discipulum magistro, filium patri suo subditum suo domino. Habemus de Pythagora primo philosopho quod eius discipuli erant quinque annis priusquam au- E derent inquirere rationem rerum quę dicebantur, nisi solummodo tantum quantum dixerat præceptor Pythagoras, & reuera, si discipul⁹ vellet mox inquirere causam omnium quæ diceret præceptor suus ei, nec aliter credere vellet, nunquam perueniret ad scientiam, fortiori ratione credere debemus Deo. Ideo scriptum est: Nisi crediteritis, non intelligetis. Si ergo me interrogaueritis modo prędicto, si cœlestia dixero, respondebo vobis, absq; fide intelligere vos non posse. Cognosco perso- F nam quæ semel tentata erat de quodam fidei nostræ articulo, & diu bellabat contra illam tentationem, multásque in contrarium habebat rationes, finaliter reuersa est ad humilitatem, cogitando intellectum suum esse valde paruum & obscurum. Tunc venit ei quædam claritatis intellectus talis, quod omnis dubitatio ei ablata fuit, nec sciebat ablationis illius modum. Legimus in historia Ecclesiastica lib. 9. cap. 9. quod quidam philosophus argumentis multum impugnabat fidem nostram, nec quisque erat qui eum se vincere posse cogitaret, venit senex quidam probus homo, & postulauit quod ei responderet. Alij qui eum cognoscebant in admirationem versi sunt, tandem data est ei audientia. Deinde proposuit simpliciter philosopho fidei veritatem sine argumentis, & interrogauit philosophum si ita crederet, & tunc dixit quod sic, & quando fuit processum contra eum argumētis, ipse etiam obuiarat argumentis, sed virtute & humilitate illius quæstionis conuersus fuit, & dixit præsentibus, quod si sensissent virtutem quam sentiebat, ipsi sequerentur eum, quia erat bonus Christianus. Videte ergo quod prodest humilitas ad res diuinas credendas. Simile legitur de sancto Bernardo, qui dixit cuidam qui tentatus erat de fide sacramenti Eucharistiæ: Vade inquit, & celebra in fide simpliciter, sic fecit & tentatio simpliciter eum dimisit. De sancto Antonio legitur, quod cum admiraretur mirabilia Dei iudicia, dictum fuit ei: Antoni, de teipso cogita, Deus satis sapiens est vt bene gubernare noscat. Et magnum mirabile est de simplicibus hominibus, qui intelligere volunt talem materiam, nec se referre ad doctos, & ad tam multos testes, scilicet martyres, cum non sit tam paruus artifex quin sibi fidem adhiberi velit in suo artificio, si litteris eruditus dicat latomo murum suum sic faciendum esse, aut carpentario de domo sua, aut aurifabro de vase suo, aut coquo de cibis, & sic de alijs, vnusquisque irridebit talem eruditum, & diceret ei, vt sibi cura sit de libris suis: & adeat scholam, nec curet de alijs artificijs. Multo maiore ratione fides adhiberi debet docto de scientia sua, quæ difficilius intelligi potest. Et hic manifestè videtur naturæ corruptio, cum simplices homines potius & citius credant nonnullas stultitias & sortilegia ad verbum alicuius vetulæ, quam fidei veritatem ad assertionem tam sapientum hominum doctorum & testium qui miraculis & morte eorum hanc veritatem testati sunt, & sicut dicit Richardus. Domine si decepti sumus, à te decepti sumus.

Credo quod post hæc verba ô deuote Christiane popule, assumetis humilitatem in societatem vestram vt credere possitis altum sanctæ & benedictæ Trinitatis mysteriū. Et si sic feceritis (quemadmodum spero & confido) summam audiciam ducendi vos in tres scholas quas intrabitis, vt vobis aliqualiter dicam figuraliter de materia nostra, non quod velim probare euidenter vel concipere hoc enim fieri non potest, sed vobis adducam aliquam similitudinem, & aliquam speciem rationis ad ostendendum quod non omnino sine ratione credimus id quod credimus. Prima schola & primum speculum est naturæ. Secundum est scripturæ reuelatio. Tertium humanæ creaturæ illustratio. Te rogo naturam, philosophorum magistram & Dei filiam te rogo non quidem per curiositatem aut vanitatem, sed per humilitatem in bona fiducia vt nobis dicas, si quicquam cognoscas de sublimi diuinitatis & Trinitatis mysterio. Respondet natura se certò scire quod facta sit & formata à Deo. Sic respondet omnis creatura. Ipse fecit nos & non ipsi nos, inquit Augustinus. Sed quid est Deus in substantia sua & maiestate? non possum intelligere dicit natura nisi per specialem reuelationem. Nec rationabile est ancillam cognoscere omne consilium domini sui & magistri.

Ideo

Ideo potius interrogari debet fides aut reuelatio, quæ est magistra quam ego. Tamen dicit natura in A schola mea per aliqua signa & aliquas coniecturas, & interdū de creaturis ego cognosco (quamuis valde obscurè) aliquam rem de maiestate Dei de sua diuinitate, virtute & æternitate. Nam per visibilia mundi, inuisibilia Dei cognoscuntur &c. per magnitudinē rerum creatarum cognosco Dei potentiam, per pulchritudinem sapientiam, per ordinationem & bonitatem cognosco suam liberalitatem. Ideo cognosco tanquam per vestigium & odorē, tanquā in speculo & vmbra benedictam B Trinitatem, inquantum potentia attribuitur patri, sapientia filio, & liberalitas & bonitas Spiritui sancto. Video in omnibus rebus esse vnitatem, veritatem & bonitatem, & mensuram, numerum & tendentiam. Video in cœlo rotunditatem figuram & ordinationem. Video solem & ignem habere claritatem, lumen & colorem, & omnino in vna substantia, vnum pomum habere saporem, odorem & colorem, & omnino in vna substantia, vnū triangulum, tres triangulos in vnitate. O deuota plebs C Christiana, sic potest imaginari intellectus noster, vt natura loquitur in schola sua, & teneo nihilominus nos non posse concipere omnino & credere exēpla quæ ipsa dat, & etiam est multo maior dissimilitudo in benedicta Trinitate quam similitudo. Ideo dicere vobis possū verba Iesu Christi. Si vobis dixero &c. Et per vestigia & signa & vmbras peruenerunt discipuli mei inquit natura, ad vnitatis Dei cognitionē & suæ æternitatis, quamuis errauerint in multis rebus, quia non habebant humilitatem, & nimium inquirere volebant, nec D Deum secundum dignitatem suam glorificabant. Nonne audistis quod Plato & Hermes Trismegistus aliqui alij expressè locuti sunt in diuinitate esse Patrem & Filium, sed ad Spiritum sanctum non peruenerunt ob eorum ingratitudinem, & alij opinati sunt fieri non posse vt in natura diuina esset filiatio, nimis enim rude concipiebant opinantes generationem semper fieri per coniunctionem maris & fœmellæ, quod erat stultum cogitare, quia de tali generatione non fit sermo, cum dicitur Deum patrem generare filium. E

Teneamus semper firmiter sociam nostram & comitem humilitatem, & adeamus aliam scholam sanctæ scripturæ, in qua legitur & docentur discipuli sui quadā reuelatione, quę est magistra naturę. Reuelatio enim quæ est magistra naturæ nos doceat tam in veteri quam in nouo Testamento esse vnum Deum in tribus personis. Reuelatio docuit hanc veritatem ipsum Abraham quando tres vidit & vnum adorauit. Reuelatio docuit hanc veritatem ipsum Dauid, cū dixit: Dominus dixit ad me, F &c. Et iterum: Dixit dominus domino meo, &c. Reuelatio docuit hanc veritatem. Esaiam cum audiuit, quod cantarent altis vocibus Seraphin: Sanctus sanctus, &c. Et expressius in 58. cap. Non à principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam fierent ibi erant. Et iterum: Deus Deus misit me & spiritus eius. Sed in nouo Testamento hęc veritas tam clarè ostensa est per reuelationem, quæ docuit Apostolos vt contradici non posset. Nonne præcipit Iesus Christus vt baptizetur in nomine patris &c? Nonne dicit sanctus Ioannes Euangelista expressissimè quod tres sunt? Et si aliquis admiretur de hoc quod dicit reuelatio, ipsa facit ei vel facere potest argumentum Iesu Christi in themate nostro, adducendo ei miracula visibilia & manifesta quæ facta sunt, quæ tamen nullo modo comprehendere possumus. Si intelligere non potes (dicit reuelatio naturæ magistra) quomodo mūdus fuit ex nihilo creatus, mare rubrum diuisum, sol versus, mortui resuscitati, cæci illuminati, leprosi sanati, inimici eiecti, quæ sunt tres sensibiles, & quæ videre potuimus ad oculum. Considera qualiter concipies quod videri non potest, nec hunc qui habitat lucem inaccessibilem, si ergo terrena dixi vobis, &c. In hac schola errauerunt omnes hæretici ob defectum humilitatis.

Demum maximè vellem ô deuota turba Christiana, vt bene intrare possetis tertiam scholam, quemadmodum propria est in nobis & intra nos, quam voco scholā humanæ naturæ, scholam animæ nostræ. Vtinam ibi videre & audire possimus illius scholæ magistram, quæ nominatur diuina illuminatio vel illustratio vel inspiratio. Secundum quod dicit propheta. Signatum est super nos, &c. Profectò si hanc scholam intrare possumus & in ea quiescere, videbimus ibi pulcherrimam benedictæ Trinitatis imaginem animam nostram, quæ facta est ad similitudinem & imaginem Dei, & per ipsam, tanquam per pulchrum quoddam speculum, legere possumus & inspicere nostræ fidei veritatem, & multo plus quam in schola communi & generali naturæ, & clarius, non autem verius vel certius quam in schola scripturæ. Sed dices mihi veluti per maximam admirationem, quare dubitem quod non omnes possumus leuiter intrare hanc scholam humanæ creaturæ, cum sit nostra, & nobiscū & in nobis. Sumus enim creaturæ rationales, heu veritas est, sed alibi est impedimentum, & quale impedimētum? Certè magnum & diuersum, quod est? est peccatum cum vniuersa maledicta societate sua & sequela ac complicibus, priusquam peccasset Adam erat in ista schola, & clarè se speculabatur, in hac pulchra imagine Trinitatis & diuinitatis anima nostra. Sed cum peccatum intrauit, fecit eam obscuram & circundedit eam ingenti quadam nube caliginosæ ignorantiæ, & fuit scholæ illius introitus tanquam clausus & munitus, adeò vt vix posset quis intrare vel videre diuinam inspirationem aut illustrationem quæ est occultata & circundata à magna nube veræ ignorantiæ & hinc est paucos esse homines qui velint vel dignentur quærere introitum, sed currunt & ambulant semper extra per res terrenas, aut aduersas eorum affectiones ad carnalem sensualitatem, quæ eas ducunt nunc huc, nunc illuc vndiquaque sine requie, modò exit extra se homo per portam oculorum, videndo mundi vanitatem, modò per portam auriū, audiendo fabulas & mendacia, modò per portam oris supra escas, & per verba diuersa, & per portam tactus in diuersis inordinatis delectationibus. Ideo mirandum non est, si non intremus scholam nostram quæ in nobis est, cum semper extra simus. Et si interdum intrare velimus ibi sunt phantasiæ & imaginationes terrenarum rerum in maximo numero, ibi sunt mala desideria in magna copia quæ disturbant & impediunt istum introitum in scholam nostræ animæ. Et si forsitan parum accedimus, non permanemus,

quia nec videmus nec sentimus vllā voluptatem, immo mox reuertimur ad peruersam nostrā consuetudinem, videndo & desiderando mundi vanitates. Et rectè assimilātur ioculatori aut cursori, qui nō habet peius habitaculum quam proprium. O vtinam quis bene intrare posset & introspicere in hanc nostram scholam, sicut faciunt sancti ipsius paradisi, & sicut faciebat Adam, quemadmodum etiam viderunt excellentes theologi qui omnem eorum curam tollebant à mundo sicut sanctus Paulus, sanctus Augustinus, sanctus Hilarius, & alij. Qui bene intrare posset & videre, dico vobis, quod audiret diuinam inspirationem seu diuinam illustrationem huius scholæ magistram, quæ valde subtiliter & profundè nobis loqueretur de excellenti mysterio gloriosæ Trinitatis. Ibi nobis ostenderet memoriam ad similitudinem Dei patris generare in se cognitionem, memoriam & cognitionem has simul producere amorem. Est ergo hic memoria vel ratio vt pater, cognitio vt filius, & amor est vt Spiritus sanctus. Sed sicut dicit Iesus Christus cum terrena dico vobis & quæ in nobis sunt, nec tamen ea intelligitis &c.

Omittamus igitur loqui de rebus diuinis, & quarum cognitio nobis promissa est pro mercede nostra in paradiso, & loquamur paululum ad instructionem nostram ac moralitatem. Et dicamus quod sub Deo benedicta Trinitate nosipsos humiliare debemus in omni posse nostro, scire & velle ordinatissimè posse quoad hoc est appropriatum Patri, scire Filio, velle Spiritui sancto, posse nostrum infirmitate plenum est, scire nostrum obscuritate, & velle nostrum malignitate, nisi anima nostra se iungat Deo & se associat tanquam ad summam potentiam, sapientiam & beneuolentiam. Qui dicere vellet de paruo posse nostro in omnibus rebus, parua tentatio nos superabit. Dicit sanctus Augustinus vbi se opinabatur plus posse ibi maius erat non posse, cum confidebat in propria virtute, & fortitudo interdum magis nocet quæ est causa infinitorum excessuum, bellorum, iniuriarum, bibendo etiam & comedendo. Nota de illo qui volebat scindere panem: Scire est obscurissimum, sicut dixi. Sed scientia Dei non deficit, & qui nimis scire vult in hoc mūdo, delinquit, ancillæ seruiendo, &c. Hoc philosophi ostendunt per eorum errores quomodo parum scire possumus & manemus vani & vacui. Labimurque ad malignitatem & delectationes. sola delectatio Dei ea est quæ nos satiare posset & sanare, ac dulcem facere omnem huius mundi tristitiam. Hoc patuit in sancto Paulo, sancto Laurentio, & sancta Agatha, quarum fidem & fortitudinem sequamur, vt eis in cœlestibus associemur: Ad quæ, &c.

SERMO DE EVCHARISTIA.

MEMORIAM *fecit mirabilium suorum misericors & miserator dominus, escam dedit timentibus se.* Psalm. 110. Ad bonum iocunditatémque vertatur pulchra hæc atque solennis processio. Hic sumus vt loquamur & exponamus mysterium & maxima mirabilia gloriosissimi huius sacramenti, sicut dicit thema:

A Dominus noster misericors & dulcis memoriam fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se. Qui scire vult qua reuerentia, pace & silentio verbi Dei cibus recipi debeat (præcipuè autem de fidei nostræ mysterijs) intelligat quod dicit sanctus Augustinus, quod non minus est peccatum contemnere verbum domini nostri aut impedire, quam dominicum corpus inhonestè tractare. In quali tamen reuerentia & honore se habendum sit in præsentia dominici corporis vnusquisque Christianus cognoscere debet & scire, de quo di-

B cam etiam in sequentibus. Videtis processionem & solennitatē hodie fieri visibiliter, sed dico quod per verbum Dei vti per septem vascula preciosa Deus hodie spiritaliter portari debet in ciuitate animæ de vico cognitionis in affectionis vicum vt Deus ipse cognoscatur & ametur. Hunc concomitari debent omnes virtutū processiones cum magna quidem solennitate. Domina fides ministrare debet incensas tædas duodecim articulorū, spes debet eum eleuare quatuor Cardinales virtu-

C tes ipsum portare debent, charitas dicere debet dulcia & deuota Cantica. Ad alias autem virtutes alia spectant officia. Ad vnam quidem spargere viridem bonarum cogitationum herbam, ad aliam seminare & deijcere sanctarū affectionum flores diuersos, pulcherrima est visu talis processio, tale cordis gaudium, talis exultatio. O deuote populus, quis dabit vt nunc talem faciamus processionem? fœlix fuerit anima illa quæ sic fecerit. Sed certè hoc dignè fieri non potest sine gratia & au-

D xilio Spiritus sancti ciuitatis huius domini qui & portas aperit clausas per peccatum. Ad te igitur nos conuertamus virgo gloriosa ad hanc gratiam impetrandam, quæ ea es in qua factus fuit & formatus panis iste vitæ, panis Angelorum, & te salutabimus, dicentes. Aue gratia plena, &c.

Memoriam, &c. Scribitur vbi allegatum est. Considerandi sublime sancti Sacramenti mysterium paulo ante mihi, visum fuit quod falsa, illegitima & obstinata infidelitas syluestris bestia, monstruosa & simulata appareret in secreto cogitationis

E meæ. Turpis erat figura eius, nigra, obscura, multumque formida, oculos suos semper deorsum fixos tenebat, quos claudebat. Non enim aspicere poterat clarum superiorem solem. Cum autem sese ostendisset ipsam, veluti per iram & irrisionem turpiter exclamare cœpit. Simulata hæc infidelitas optimè fidem percepit loquentem, nec tamen eam inspicere poterat. Nam solus aspectus eius ipsam necasset infidelitatem. Fuit ergo impatientissima & veluti furiosa obiurgans & arguens

F verba hæc ipsius Dauid nil esse aut conducere ad propositum, aut ea nihilipendenda esse. Quid cogitas (inquit) has esse falsitates quas specularis & meditaris tuum amittendo tempus? Quomodo Iesus dare posset carnem suam manducandam & sanguinem suum potandum? Si tremerem, metuerem totus & præ grandi sudarem fremitu, interrogandum profectò est minimè. Attamen confortaui memetipsum in hoc quod mox percepi ipsam ab incredulis Missam esse Iudæis secundum euangelij textum Ioan. 6. cap. Litigabant ergo Iudæi &c. A tali magistro, talis nuncius. Et cum me ad respōdendum disponerē, posteaquam animum

animum in me sumpsissem & audaciam. Sustuli aliquantisper oculos, & vidi theologiam fidelem & veracē gubernatricem sanctæ Ecclesiæ de cœlis descendentem ad hæc inferiora. Quæ postquā descendit in domicilium cordis mei, respexit paululum ex transuerso per indignationem, aduersarium suum infidelitatem. Et sese mox me versus vertit, & ait dulci ac secura voce, me in nullo dubitare debere, quia Iesus Christus dare posset, carnem suam manducandam, & sanguinem suum potandum. Memoria inquit, fecit mirabiliū suorum. Dulcis ait, & misericors Dominus, secundū Dauid prophetiam memoriam fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se. Quam escam? Escam preciosi sui corporis & sanguinis sui. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Nihilominus diuina theologia in suo perseuerabat sermone, & dixit sic si bene memini, veluti conquerendo, suspirando: O humana creatura quibus tenebris ignorantiæ & falsitatis inuolueris, maledictum sit peccatum quod tibi talia adduxit, postquam creata eras in pulchro & claro die cognitionis & veritatis in statu innocentiæ. Sed ô stulta humani cordis præsūptio, quæ in obscurissima hac nocte omnia videre putas & cognoscere. O miserabilis conditio status tui cum sis in nocte illa obscurrissima, & tamen meam recusas claritatem veræ fidei Christianæ, quia videtur tibi quæ decepta es, te satis clarè videre. Nihil vides quò ducaris, meum tamen recusas auxilium. Sed ô stulta humani cordis conditio, quæ prorsus cōprehendere niteris opera & cōsilium magistri tui, Dei tui, summi Domini & omnipotentis sapientissimi imperatoris. Exiguus & pusillus nimium foret Deus noster, si nihil facere posset quod ingenium tuum vsque adeò rude saucium obscuratum omnino comprehendere non posset. Te itaque humiles vt scholasticus, id est, discipulus coram præceptore, stultus coram sapiente, vt creatura coram creatore, veluti omnino ignorans ad hunc qui omnia scit & cognoscit. Reuera capere non poteris quod tibi mōstratura sum, nisi prius credideris. Si non credideritis, non intelligetis: Bonos excipio Christianos qui mihi credunt, & me sequuntur. Volo igitur ad eorum consolationem, non autem per curiositatem & contentionem adducere extra scripturam claram rationem, propter quam Deus supremus Dominus ordinauit admirabilissimum hoc sacramentum & velatissimum preciosissimi sui corporis & sanguinis sui pro spirituali refectione animæ, relinquens mirabilia sua in memoriam & miracula suis seruitoribus, eum timentibus, eique seruientibus perpetuo testamēto dedit illud. Non dubium est quod nec ipsa negabit infidelitas vnumquemque dominum ad bene gubernādum suos subiectos, tres debere habere conditiones, potentiam, sapientiā, & beneuolentiam. Potentiam ad eos tutandos. Sapientiam ad eos ordinandos. Beneuolentiam ad eos amandos & gubernandos. Et cum Dominus aut princeps talis fuerit, vnusquisque subiectus recognoscere debet talem potentiam seu potestatem, honorare hanc sapientiam, amare hanc in Domino suo beneuolētiam, alioquin talis subiectus ingratus esset, illegitimus & animaduersione dignus seu punitione. Sed quis est ille Dominus in quo hæ conditiones sic inueniantur, quēadmodum in Deo nostro? qui in essentia sua potentia est infinita, sapientia infinita, beneuolentiā infinita. Ideo vnusquisque subiectus eum recognoscere debet esse talem scilicet omnia potentē, omnia scientem, omnia amātem. Nec est Iudæus, nec Saracenus, aut alius infidelis quisquā qui hoc negare debeat.

Ad declarandam igitur hanc potentiam, sapiētiam & beneuolentiam ad extra, quamuis etiam opus non erat vt crearet mundum, & inter alias creaturas vt crearet creaturam humanam quæ eū dominum cognosceret, illi honorem deferret & reuerentiam, ad vtilitatem quidem humanæ creaturæ, non autem ipsius Dei, & si etiam bene cognosci fecerit potentiam suam, talem formando mundum suam sapientiam, ipsum ordinando suā beneuolentiam, ipsum sic conseruando & gubernando, taliter quod excusari non potest humana creatura si illum non cognoscat dominum. Modò quia opera illa sunt nimis communia & nimis sæpè visa complures paruipendunt, in eo quidem quod videtur eis Deum non posse aut scire, aut velle facere aliam rem quam eam quam fecit ostendit & facit. Nonne scimus aliquos etiam qui sapientes dicebantur & philosophi illius fuisse erroris, negantes Deum quicquam de nouo producere posse, non vtendo materia quæ iam est producta? Negabant ipsum mutare posse vnam rem in aliam. Et peius adhuc dicebant, Deū non gubernando prouidere ipsis hominibus, sed omnia regi fato, destinatione aut fortuna, voluit itaque Deus perfidos hos destruere errores, & maledictos venenosósque à cordibus subiectorum extirpare, ideo dedit omni creaturæ humanæ expressum præceptum ad credendum aliquas res, alias quidem ab illis quæ sentiri & die quolibet percipi possunt per corporeos sensus sicut faciunt bestiæ, vt credendo omnes homines Deum suum cognoscerent, iudicarentque eum omnia potentem, omnia cognoscentem & omnia gubernantem ad puram suam & liberam voluntatem, absque limitatione aut contradictione quacunque. Et illa est causa propter quam Deus misericors Dominus memoriam fecit & recordationem mirabilium suorum hanc dando escam vt humanus intellectus subiectus esset ad credendum de eo quod est omnipotēs, & potest omnia facere multo plura quam creatura humana intelligere possit, & omnino aliter quam esset secundum communem naturæ cursum. Reuera paruus nimium & impotens foret Deus noster, si nil aliud facere posset præter illa quæ tu assuetus es videre bestiarum more, aut si sapientia taliter esset numerata vt nihil facere posset, nisi quod ingenium tuum stultum & obscurum comprehēdere posset, aut quomodo eum amaret voluntas tua præ omnibus alijs creaturis nisi gratiam suā spiritualem cognosceres ac beneuolentiam suam, & eius de te & ad te prouidentiam singularibus modis alio modo quam ad bestias? Cognoscere ergo potes quare Deus memoriam fecerit mirabilium suorū in sancto isto Sacramento: Est enim vt intellectus tuus se illi subdat, per omni potentiæ suæ cognitionē, & immensæ suæ sapientiæ, atque voluntas tua prorsus dedita sit ad illi obediendum, amandum,

charum habendum gratiásque agendum, cum talem adeòque specialem curam tui habeat gubernaminis per singularem beneuolentiam. Non ideo hic audiri debet illegitima infidelitas ingratitudinis plena quæ iniurijs afficiat Dei potentiam. De sapiētia & beneuolentia murmurat ac diffidit, dicendo: Quomodo posset Iesus dare, &c. Bono quidem iure Deus potest, vult & sciat. Sic facere potest, & si non esset nisi ad confundēdam stultam humani cordis præsumptionem, & damnandæ suæ infidelitatis quod omninò sibi subdi non vult. Sic loquebatur Christina theologia bona religiosa, cum infidelitas non diutius continere potuit, quin alta voce diceret, quod diu impatienter valde in corde, & modis inter dentes suos rodendo murmurauerat. Et adducebat multas rationes friuolas, dicens, Deum sic facere non posse secundum potentiam suam, sapientiam & beneuolentiam quod panis mutaretur in carnem, quod res tam magna sub tam parua re contineretur, & quod vnum idémque corpus in tot esset locis. Insuper quod panis consecratus nullam à nō consecrato habet differentiam, quin corruptioni subiectus sit, & tamen Deus immortalis est. Demum non videre beneuolentiam, cum vt dicitur mali efficiantur peiores. Et boni quo pacto meliores efficerētur quoad animam per corporalem escam quæ animam illam non intrat. Quapropter mirandum non est, ait infidelitas, si quæram quomodo? Est ne idololatria hoc? Quomodo potest Iesus dare, &c. Sed ad omnia hæc argumenta & similia non fuit dignata respōdere theologia, immò dixit obstinatam infidelitatem dignam non esse quòd talia coram ea declararentur mysteria, nec coram adhærentibus sibi Iudæis vt falsis Christianis. Hoc esset ponere margaritas ad porcorū pedes, & sanctum dare canibus. Dixit insuper nūquam mysterium hoc intelligi posse plenè sine fidei lumine, nisi credideritis non intelligetis. Nota de Pythagora. Scholasticus priusquam adiscere possit quicquam necesse est vt id credat quod præceptor suus illi dicit.

Postremò theologia infidelitatē misit ad scholas, non quidem ad quascunque, sed scholas suas theologiæ, approbatissimos & electos legendo doctores, sed infidelitas ire non dignabatur, nec quicquam proficere hæreticis suis, Iudæis, & alijs incredulis. Redij ad meipsum & per auxilium veræ fidei suique luminis theologiæ scholas intraui ibique intellexi, quomodo respondendum esset infidelitatisque soluendę rationes. Si autem aliqui qui in his scholis minimè fuerūt omnino has prædictas solutiones intelligere & comprehendere vellent, non admodum magna foret humilitas vt videtur. Vnusquisque suum curare debet officiū, non est scientia vsque adeò parua quæ perfectè sciri possit absque studio diligenti & longo, & mediantibus bonis præceptoribus, immò nec murus fieri posset ex plastro qui malis est multum sine longo vsu, nec posset aliquis bene cibum aliquem præparare, aut calceos facere, aut seras fabricare, aut horologium, aut scire venandi artem aucupandi. Multo minus præsumere debet homo simplex quod possit ad primum verbum altissimā & digissimam omnium scientiarum adipisci quæ ingenium requirit subtilius, eleuatum magis, & minus impeditum ab omnibus alijs terrenis curis.

A Si clericus mechanicorum discernere vellet artificia, mox illi diceretur quantumcunque parum scirent: Curam geras librorum tuorum. Si tamen aliqui alij quam theologi velint audire loqui de sublimi huius sacramenti mysterio pro eorū consolatione humiliter, deuotè & sobriè, non autem per superbam præsumptionem & per curiositatē, dicendo nil se credituros nisi intelligant. Dici potest rectè, de hoc recitatur ad laudem sancti Ludouici (si bene memini) quod miraculū quoddam tempore suo factum fuit in sancti sacramenti approbationem, sicut sæpius fiunt tempore

B nostro etiam. Dixerunt familiares sancto Ludouico vt iret visum prædictum miraculum. Quare irem respondit sanctus rex, bene credo sacramētum absque hoc vt nouum videam miraculum. Reuera fuit hæc responsio boni & firmi Christiani, qui Deo absque vadio aut pignore vllo credebat. Vadia fidei sunt miracula & rationes. Pari modo debet vnaquæque persona Christiana credere in Deum & opera eius, non immorando so-

C lummodo rationi, alioquin enim talis persona non potius crederet in Deum quam in quemcunque hominem mundi, nullus est homo tam infirmæ conditionis cui non crederes si dicti sui bonā adduceret rationem, & clarè ad omnes responderet obiectiones. Quamuis si in fide Christiana & in hoc sacramento vadia quæras & testimonia ad credēdum, mille habeas & mille personas sanctissimæ vitæ, & scientiæ altissimæ, quæ hanc testatæ sint veritatem ad mortem vsque sustinendam

D & per mille & mille miracula. Ipse etiam Berengarius qui huius sacramenti veritatem impugnabat, post cōfessionem suam cum venisset ad mortem, dixit in die apparitionis. Hodie Deus meus apparebit mihi, aut ad meam saluationem, quemadmodum spero propter meam pœnitentiam, aut ad meam damnationem, quemadmodum timeo propter illos quos auerti ad malam viam, & emēdare nequiui. Iudicate hic quantum malum sit esse causa peccati alterius, & præsumptuosè loqui sine mensura contra fidem, & veluti ipsa prorsus

E noua esset, vt faciunt nonnulli, qui seipsos sapientes reputant in omnibus scientijs propter diuitias eorum aut eorum statum aut vulpinam & malam in terrenis rebus subtilitatem volunt vnicuique verbo suo de quacunque loquatur scientia ab vniuersis omnino hoc modo assentiri. Dominus meus bene dicit: Ius habet. Tunc tales quærunt non humiliter, sed arroganter. Quomodo posset Iesus, &c.

Reuertor ad infidelitatis argumenta & ostensu-

F rus sum humilibus quod Iudæi ex vna parte & generaliter omnes rationales homines talia percipere possunt mirabilia, vel adeò magna in mundi gubernatione. Si mirabilia hæc non essent tam communia quæ tamen non perfectius intelligi possunt quam sancti sacramēti altaris mysterium, in quo Deus memoriam fecit mirabilium suorum dando escam illam timentibus se. Si miraris quo pacto panis transsubstātietur in verum Iesu Christi corpus, considera quomodo panis materialis & vinum conuertitur in stomacho tuo partim in carnem, partim in sanguinem, & partim in ossa, partim in neruos, partim in medullam, partim in crines,

crines, partim in vngues. Quomodo petræ durissimæ conuertuntur etiam in ventre columbarum, A & ferrum in animali quodam & cinis mutatur in vitrum, ouum in pauonem, paruaglâs in tam magnam quercum, mille & mille tales sunt mutationes, de quibus non scitur alia ratio, nisi quod videntur ad oculum. Quare ergo Dominus noster facere non potest aliqua quæ non possumus nos percipere? Sed etiam Iudæi credunt & confitẽtur mutationes valde mirabiles factas fuisse per prophetarum antiquorũ verba, vt de virga Moysi in serpentem, aquæ in sanguinem, pulueris in B muscas, virgarum prorsus siccarum in virides, mulieris Loth in petram aut statuam salis. Mille modis etiam concedunt mutationem primi cursus naturæ, quemadmodum mare se diuisisse, Iordanem se conuertisse, mortuos fuisse resuscitatos, solem stetisse. Pagani etiam credunt iuxta fabulam Diomedis socios in aues fuisse conuersos. Socij verò Vlyssis diuersæ factæ sunt bestiæ per mulierem quandam incantatricem Cyrce dictam. Et philosophus quidam Apuleius dictus, de seipso affirmat se in asinum fuisse conuersum, C & fecit librum quendam de mirabilibus quæ tu cognoscere non potes. Sic in omnibus scientijs sunt excellentes magistri. Si puer aliquis in nullo credere vellet patri, matri, aut præceptori, nisi daretur causa & ratio, quas ipse intelligeret, irrideretur aut verberibus afficeretur. Qualis autem est scientia nostra quæcunque quoad diuinam scientiam? Sed dicis te videre non posse, quomodo tam magnum corpus sub adeò parua hostia esse possit. Doce me quomodo omnes figuræ & D imagines quæ erunt, sunt vel esse poterunt, sunt plenè scriptæ aut figuratæ in minima re corporea, quæ sit, vt in vno corillo aut grano frumenti. Exemplum sol est sine comparatione maior oculo tuo, attamen oculus tuus de eius iudicat quantitate, & intellectus tuus recipit vniuersum mundum intra se per cognitionem. Si dicas non esse simile, quia sol non est in oculo tuo per suã quantitatem, nec etiam mundus in intellectu tuo. Dico tibi quod corpus Domini nostri quamuis verè sit in sancto sacramento altaris, non tamen sic E est, vt vinum est inclusum & mensuratum secundum vas suum, aut aqua in vna olla, aut sicut ego sum in tunica mea, & hoc est quod fallit complures, quia opinantur corpus Domini nostri mensuratum esse secundum hostiæ partes, & pedes esse ad vnam partem, corpus verò ad aliam. Corpus Iesu Christi est vndiq; in hostia personaliter. Scis & credere debes quod Deus scit & potest inuenire modum ponendi corpus ad locum aliquem, per alium modum, habitudinem & ordinem quã F tu communiter percipias. Et breuiter corpus Domini nostri est in sacramento, quia sic panis cõuersus est in corpus suum quod in cœlo est, quod si corpus Domini nostri nõ esset prius fieret de nouo, per exemplũ solis respectu luminis quod pri⁹ factum fuisset à Deo solo, deinde à Deo & sole. Ad tertium, & per hanc rationem & mutationem est in vna quaque parte hostiæ totum corpus Domini nostri, sicut anima est tota in capite & tota in pedibus, sicut imago tua tota est in mille speculi partibus, licet simul eam non videas nisi in vno loco, nisi speculum ipsum disrumpatur in cœlesti arcu, sunt in vna quaque parte eius quantumcunque parua omnes colores qui apparent. Nec etiã hoc incredibile est quod vnum corpus sit in tot locis. Miraculum habemus de sancto Ambrosio, qui simul fuit Mediolani & Turonis. Et de alijs pariter. Deus à nouo in hoc loco creare potest corpus nouum, quare ipsum ponere non possum cum est alibi.

Ad quartum me cõuerto, ad respondẽdum huic quod dicit incredulitas, nõ esse sapientiam credere vnam partem panis manentem alteri similem in Deum mutari aut in corpus suum, & quod corrumpi possit talis pars panis. Teneo & respondeo quod omnes hæ mutationes quas vides, solũ sunt ad extra in accidentibus, & si aliquæ generentur substantiæ vt vermes, aut sicut nutrimentum in corpore tuo, hoc est per aliquam materiam quæ est iuxta, aut quæ est de nouo formata. Si etiam respiceremus diuersitatem hostiæ consecratæ ad non consecretam qualis virtus aut laus esset illud credere quod nos videmus? Adijcio huic corpus Domini nostri maculari aut deturpari non posse, in quocunque fuerit loco positum nõ plusquam lumen solare, aut aliam rem spiritualem, sicut anima sua non amittit puritatem per corporales immunditias. Non debes igitur hic habere horrorem aut abominationem, aut cogitare hic quamcunque rem inhonestam. Ratio corrigere debet corporis iudicium. Videtis solem ab oculo duorum pedum dumtaxat iudicari, baculus partim in aqua & partim in aëre fractus apparet. Vnica faba sub digitis supra seinuicem positis apparet duæ, & sic de mille illusionibus quas corrigit ratio. Ratio autem dirigi debet per summæ veritatis lumen. Pariformiter dico in hoc sacramento sancto, hi bestiæ sunt calciatæ qui nil volunt credere nisi quod corpore sentiunt.

Ad quintum. Demum quærit infidelitas, qualiter sacramentum hoc prodest bonis nocet autem malis? Quæstio hæc admodum exigua est. Nonne videmus idem vinum prodesse alicui homini sano, & nocere huic qui fortes habet febres, sic de cibo aliquo. Sicut ignis corporeus tormentis afficit animam, Et generaliter omnis res per quinque sensus actionem suam faceret in anima mediãte corpore. Ad sextum. Quare non est idololatria? quia adoratur Deus solum. Scio argumenta multiplicari posse. Verum etiam darentur solutiones. Nos autem hic non sumus ad curiosè disputandum aut in scholis legendum, sed ad humiliter credendum sanctum hoc mysterium & reuerenter amandum vt non similes simus Iudæis infidelibus qui litigabant adinuicem, dicentibus: Quomodo dare potest escam timentibus se, &c. Reuera bene poterit secundum potentiam suam, sapientiam & beneuolentiam. Omittam ergo omnem hanc disputationem, & conuertam meipsum in exhortationem bonámque monitionem faciendam ad dandam escam timentibus eum.

Pulchra anima Christiana anima, pulcher ô deuote popule Christianę, quod est cor quod cogitare posset? quæ est lingua quæ recitare sciret dulcissimam & inæstabilem Domini nostri bonitatem? veri nostri patris, veri Creatoris? Nihil eramus, ipse nos fecit, vnanimiter cibo indigebamus, & esca non solum quoad corpus, sed multo

plus quoad animam. Ministrauit nobis & dimisit preciosum corpus suum in escam, & sanguinẽ suum in potum. Non quidem in propria figura visibiliter (quoniam nihil hoc profecisset, caro enim non prodest quicquam) sed inuisibiliter & spiritualiter, sicut anima inuisibilis est & immortalis, sic debet esca sua spiritualis. Quæ esca? Amor, dilectio, fides, spes, & aliæ virtutes. Quis dat hanc escam? Dominus noster per digni sui sacramenti mysteriũ, pulchra anima, anima Christiana, anima mea, si contra tentationes debilis es, Ita veni huc ad fontem omnis potentiæ. Figura de Helia: Si stulta es & inualida ad inimici tentationes euadendas, accede ad totius sapientię lumen. Figura de Ionathan, fractione panis. Si dura es & ad benefaciendum frigida, immitte te fornaci totius amoris & beneuolentiæ. Quia hic propriè & veraciter est qui scit omnia, & potest omnia, inflammat omnia, & comburit omnia amoris igni. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis quando loquebatur nobis? Est illud: Deus noster ignis consumens est. Qui alijs dominatur, sumere hic debet exemplum & speculum doctrinæ imitandi summum suum Dominum, hoc est, quod sit talis in subiectos suos, qualem vult Deum esse sibi, & qualis de facto sibi est. Habeatis potentiam, sapientiam & beneuolentiam, habeatis sapientiam, non quidem ad ipsos destruendos, sed defendendos iure & iustitia, siue sit contra extraneos inimicos, siue (quod peius est) contra ipsos principes. Habete sapientiam & prudentiam, non verborum solummodo, non sciendo ipsos grauare & deplumare, & ipsorum bona subtiliter attrahere, se eos bene sciendo in pace ordinare in debita libertate, ne quis exhæredetur & iniustè perdatur. Habete beneuolentiam ad eos benigne & humaniter amandos & tractandos per misericordiam & clementiam. Sed modò omitto dominorum gubernamen. Satis eis dicitur & satis sciunt, sed in ipso facto est magisterium & in ipsis & in alijs, hæc est infirmitas nimium communis & mihi & humano generi. Redeo ad sancti sacramenti materiam, & dico Christianam animam frigidam esse & congelatam, quæ mollis non fit in præsentiarum ex tam magno igne dilectionis. Nimis gustum amisit, qui hunc non percipit saporem, nimis est opilatus qui non hunc odorat odorem nimium, est mortuus qui non resumit vitam & vigorem. Pulcherrima anima, anima Christiana, si pulchritudo aut dulcor rerum corporalium (quæ solum sunt vmbræ respectu pulchritudinis & dulcoris diuini) te vsque adeò trahunt, & per talem voluntatem ad eas amandas & prosequendas, interdum etiam vsque ad graues infirmitates, aut vsque ad hoc vt aliquis stultus efficiatur & furiosus (sicut apparet in stulto amore viri & mulieris.) Quid tibi impedimento est vt non muteris ad præsentiam huius pulchritudinis & dulcoris summi ac diuini? Tu capis talem voluptatem in preciosis lapidibus propter eorum virtutem. Non est virtus similis huic. Et si dicas te res spirituales videre non posse in sacramento sancto vt vides res corporales ad extra, sed debes & potes videre spiritualiter per veram fidem & sentire tactu per deuotionem.

Hic igitur est principalis defectus fidei veræ
A bene vnitæ & actualis ac deuotionis propter quẽ defectum non funditus percipis sancti huius sacramenti dignitatem, nec amorem & charitatem huius qui ibi continetur, quam tibi cum pro te mori voluit, demonstrauit. Mori quidem tam ignominiosè ac cum magna angustia, non cogites mirabilia sua. Alius defectus est, quod tu accedis ex amore prorsus mortuo per peccatum mortale, quid mirum si nil boni percipias seu sentias? Quid mirum si peior hinc euadas? Sed
B quæres quam securitatem habere possis, qui te dignum esse ostendat, quod dignè hoc recipias sacramentum postquam oportet hominem esse in gratia, nec tamen scitur quando quis sit in gratia constitutus? pulchra soror anima mea, sufficit te pœnitentem esse & confessam de omnibus peccatis tuis, cum bono proposito non recidiuandi Deo auxiliante. Et si hoc habeas, tu scire potes te dignam esse, non quidem certitudinaliter quin falli possis, sed certitudine tali quæ ad hanc sufficit materiam, & sine hoc quod facias
C nouum peccatum recipiendo hoc sacramentum. Fingamus etiã pro tunc te in peccato esse te ignorante.

Attamen si sic sit quod sis in peccato aut in proposito peccandi, specialiter peccatis immundis & abominabilibus, magis inhonoras hoc sacramentum, quam si ipsum in lutum proijceres. Rursum enim crucifigis Dominum nostrum inquantum in te est. Assimilaris Iudæ, qui prodidit Dominũ suum osculando, venis ad nuptias non habens
D vestem nuptialem, ideo deijcieris ligatis pedibus & manibus in horribilem inferni carcerem. Te enim præsentas effrontem coram corporali facie tam magni principis, tam magnæque maiestatis, tu qui es proditor osor persecutórque eius nec tamen verecundia afficeris nec timore. Alij dicẽdo missas cum hoc quod sunt malè interius ordinati, irreuerendissimè ad extra se habent in gestu & modo. Mirum est dignationem & patientiam in Deo tam magnam esse, quod non subitò confundat, aut per seipsum, aut per angelos suos
E eos qui scienter indignè recipiunt ad maximam eorum damnationem & perditionem sæpius in hoc mundo, nec tamen pœnitentiam agunt quod graue est ad finalem eorum damnationem, fiat mensa eorum deserta.

Dices fortassis tanta bona & prosperitates accidere huic qui quotidie indignè recipit, sicut illi qui cum magna recipit deuotione. Te rogo quid bona voces & prosperitates? Si loquaris de bonis transitorijs & defectibilibus, bene esse potest in
F aliquibus qui recipiunt hic præmium eorum, sed hoc est ad grande eorum malum, & per iram Dei nimis enim carè posthac hoc sunt empturi. Non est ergo hic prædicandum, quod bona temporalia aut infirmitatum defectus accedant his qui sæpius missas audiunt, aut sæpenumero dominicum corpus recipiunt. Credulitates istæ stolidæ sunt & superstitiosæ, atque cõtra bonam ac sanam doctrinam. Hoc esset interdum ad magnum malũ, aut ad hominis amissionem, cui Deus talia mitteret bona, quia pessimè illis vteretur: Quemadmodum sacramentum spirituale est, sic pro spiritualibus ordinatum est nobis, non autem principaliter

paliter pro temporalibus quæ prosunt ad spiritualia seruanda & acquirenda. Et reuera sic est, quod A bona hæc spiritualia dantur & multiplicantur per hoc sacramentum dignè frequentatum. Quæ bona? Gaudium animæ spirituale, sobria lætitia, continuè cum timore sancto sufficientia sine ardenti cupiditate, patientia, benignitas, pax conscientiæ. Non est gaudium simile huic. Insuper venit desiderium rerum spiritualium & cœlestiũ, & certa spes illuc perueniendi. Expectare mortẽ securè & leuiter & in breui fit in homine talis mutatio per sanctum hoc sacramentum. Quia in figura ex homine ad extra homo est factus Deus B intra Deum. Intellige sanè per imitationem & participationem, non autem per naturam. Hic ergo est panis qui fortificat cor hominis contra omnem aduersitatem. Est vinum quod lætificat in omni necessitate. Panis cor hominis confirmet & vinum lætificet cor hominis. Est manna cœleste quod nos in horribili huius mundi deserto sustentat, ad terram vsque promissionis omnẽ habens dulcedinem & saporem. Et sapor ille ostenditur interdum ad extra eleuando corpus C à terra duobus aut tribus pedibus aut cognoscendo certitudinaliter in quo positum est hoc preciosum corpus quantumcunque fuerit in secreto loco, secundum quod recitat Guillelmus Episcopus Parisiensis. Est hic panis vitæ qui comedi debet ad similitudinem agni paschalis quia significat nostram peregrinationem & transitum. Est panis qui edi debet supra mensam sobrietatis, supra gausape album puritatis manibus per innocentiam lotis, aut per bonam pœnitentiam in voce exultationis & confessionis. Est panis Ange- D lorum qui factus & formatus in precioso ventre Virginis gloriosæ, & decoctus in fornace ardenti dilectionis in arbore crucis. Qui manducari debet cum baculo spei, cum boni exempli calefactorio, cum acetosis lachrymis bonæ pœnitentiæ, velociter recordando finem nostrum. In vna domo per vnitatem integrè, per veram credulitatem. Tostum per ignem charitatis. Et in fine tenetur quilibet dicere: Domine adiuua incredulitatem meam, credo firmiter. E

Possent hic tres moueri quæstiones, de quibus ob temporis angustiam supersedere decreui. Prima quæstio. An semper peccet persona quæ sacramentum hic recipit in peccato mortali? Responsio, aut diligentiam suam agit & facit aut non, aut habet conscientiam vel non. Item nota etiam qualis requiratur certitudo. Secunda quæstio: An tantumdem valeat vna missa sicut duæ? Tertia quæstio. Ad tantum valet missam audire à malo sicut à bono? F Demum est panis qui ducit sanctam animam ad exemplum Heliæ vsque ad mõtem Dei, & montem paradisi. Ad quem nos perducat hic per gratiam & alibi per gloriam Iesus benedictus saluator noster. Amen.

SERMO DOMINI CANCELLARII DE CONCEPTIONE VIRGINIS *Mariæ, in Ecclesia sancti Germani habitus. Anno Domini* 1041.



OTA *pulchra es amica mea*. Cantic. 4. cap. Si dignè atque fructuosè loqui & audire volumus, de ea quæ per verba proposita. Pulchra Dei amica est appellata. Necesse est vt à corde nostro eijciam⁹ horrendum turpe & odiosum peccatum mortale, per perfectam pœnitentiam & contritionem, vt anima nostra purificetur & pulchra efficiatur, sitque digna vt sit Dei amica, & laus sua delectabiliter audiatur. Quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Eccles. 15. & Augustinus super Psal. Vis vt Deo iocunda sit laudatio, noli bonæ cantilenę tuæ obstrepere moribus malis. Quis dat illam puritatem, amorem illum & pulchritudinem donũ gratiæ, quod nomine alio charitas appellatur cuius quidem doni, tota pulchra (de qua dicturi sumus) est thesauraria? Ideo ab ea ipsum petemus donum, eámque salutabimus, dicẽtes: Aue Maria.

Tota pulchra es amica, &c. Paulò ante recreabat, per delectationem & fructiferum sanctæ scripturæ hortum, vt obliuiscerer miseriarum, curarum & solicitudinum mundi præsentis, & expellerem stultam otiositatem, audiendo laudes sanctorum & sanctarum vt eorum exemplo, allocutione & doctrina bona facilius transigere possem breuissimam & periculosissimam mortalis mundi peregrinationem. Secundum enim sapientem sancta & diuina scriptura, aufert tædium à persona quæ se illi dedicat siue applicat. Sapient. 8. Erit ipsa allocutio cogitationis & tædij mei, habebo propter hanc claritatem ad turbas & honorem apud seniores, & docet verum psalterium perpetuæ felicitatis, doctrix est disciplinæ Dei. Ibidem insuper volebam specialiter inuenire & habere thema conuenientius ad dicẽdum magis propriè de præsenti solennitate ad laudem virginis mundissimæ ac purissimæ, ad nostram quoque instructionem. Et cum delectarer inspicere delitiosum & cœlestem campum floridúmque hortum diuinæ scripturæ plantatum, auctum & ordinatum propria manu Spiritussancti, & de vno loco ad alterum per studium atque meditationẽ delectabilem me transferrem. Accidit vt descenderem in partem quandam huius horti delectabiliorem & floridam magis, quæ nominatur Cantica, vbi audiui sapientem Salomonẽ, qui in persona veri Dei amoris iocundum cantabat cãticum de suis amatricibus, sicut esse canticum noui sponsi & sponsæ. Inde appellatus est liber ille epithalamiũ spõsi & sponsæ. Illuc intrauit & bene recordor verborum quæ cantabat ille idem verus Deus amoris. Benedictus filius Dei de noua sua sponsa & amica quæ hodie concepta fuit, sponsa mea, soror mea, amica mea, ornata es omni pulchritudine. Tota pulchra es amica mea. Tunc admodum lætatus sum, nec videbatur mihi quod conuenientius thema habere possem vt laudarem puritatem, excellentiam & pulchritudinẽ illius gloriosæ dominæ. Vidi enim illis verbis in campo illo verum Deum amoris qui mentiri non potest, vocare & appellare benedictam hanc virginem quæ hodie sancta concepta fuit, omni pulchritudine ornatã. Tota pulchra es, &c. Nominatur insuper ea domina singulariter amata. Tota pulchra (inquit) es amica mea. Et vnum satis sequitur ad alterũ. Non

enim digna est aliqua mulier esse amica tam excellentis imperatoris nisi sit tota pulchra. Ideo Psal. 44. Et concupiscet inquit, rex decorem tuum. Ideo loquendo de rebus diuinis ad similitudinem humanarum rerum, quemadmodum prophetæ sæpius fecerunt in scripturis eorum, & exemplo Boëtij, Alani, aliorumque poëtarum Catholicorum sumere possum talem figuram & poëticam imaginationem ad delectabilius explicandam cóceptionis huius veritatem. Et quæ fundata est super eo quod dicit Boëtius, lib. de consolatione 4. prosa. 6. Viri sacri corpus virtutes ædificauerunt, dicit Boëtius, quod virtutes fecerunt atque formarunt corpus & animam personæ sanctæ. Nec volo me onerare allegationibus vel concordantijs, quamuis in alia quacunque materia maiorem abundantiam habere possem minimè. Hominibus namque Latinum nó callentibus parum sunt delectabiles, conducibiles vel ædificantes eos, & sermo nimis per hoc prolixior redderetur & obscurior. Et diuido sermonem nostrum in partes tres. Prima applicabit thema nostrum ad materiam huius solennitatis ipsius conceptionis. Secunda exponit ipsum secundum moralitatem pro nostra instructione. Tertia iuxta illas duas partes bipartitè satisfaciet quæstioni.

Cum misericordia pro humano genere redemptionis viam impetrasset, & ordinatum fuisset ac constitutum per sublime Trinitatis consilium vt satisfieret iustitiæ (quemadmodum contradicebat) quod filius Dei carnem assumpturus esset humanam, & quod diuinitas vnienda foret ac iūgenda humanitati ad satisfactionem faciendam. Et tempus venit vt incarnatio compleri deberet ac celebrari, Deus elegit facere & formare dominam secundum sapientiam suam infinitam, talem qualis pertinebat ad eum qui erat tam sublimis & generosi generis, quæ in his inferioribus illi esset mater qui in cœlis Deum habebat patrem.

Consilium hoc propositum & ordinatio mox publicatum est in mundo varijs modis. In cœlo inter Angelos. In terra inter Prophetas. In inferno inter iustos, qui suam expectabant redemptionem. Sicut in principio noui temporis seu veris, aut cum stella matutina proximè surgere vel oriri debet in aurora diei, omnia germinant & lætari videntur, aues canunt & ros descendit, similiter tunc in illa mundi nouitate facta est maior lætitia, & abundantior ros gratiæ descendit. Sanctæ quoque personæ sursum eleuatæ per desideria deuota ac deuotam meditationem, per prophetiam cantabant, vt est illud. Esa. 7. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Et illud Num. 24. Orietur stella ex Iacob & consurget virga de Israël & percutiet duces Moab. Et quia secundum quod probauit excellentissimè Boëtius lib. 3. prosa vltima. Omnis creatura naturaliter conatur obedire, seruire & complacere creatori suo. Nam in hoc consistit eius felicitas, eius bonum, eius nobilitas & pulchritudo. Possum per figuram & imaginationem rationabiliter fundatam dicere, quod dominatura quam magnus describit Alanus libro suo de complanctu naturæ, in principio, accessit mox cum suis ancillis quæ sunt influentiæ & causæ naturales, se offerens ad formationem huius dominæ & pulchræ Dei amicæ. Et coram diuina maiestate admodum humiliter reuerentérque se inclinauit. Deus meus, inquit ipsa, magister meus & imperator meus, nó omnino ignara sum pulchri incepti quod facturus es, & excellentis dominæ quam proposuisti formare. Et quamuis tua potentia, bene scio, tua sapientia & magnificentia in nullo meo egeat seruitio, me tamen humiliter offero, quod tibi placitum est præcipe, libenter enim obediam. Hocque tibi notum sit nec me nec ancillas meas vlla vsuras fictione, quo minus omnia demus & plantemus in hac domina, omnem corporalem pulchritudinem. Nam super animam eius nil habemus potestatis, sed quoad corpus conferemus ei omnem delectationem, omnem sanitatem, harmoniam & tēperantiam complexionis. Et breuiter bene dicere poterit quod erit bonis meis, bonis naturæ (cum sit pro te) super omnes alias quæ vnquam fuerunt, erunt & sunt abundantissimè adornata & dotata. Expandam & inspirabo per faciem eius luciditatem quandam, pulchritudinem, dulcedinem, plenam simplicitatis, honoris & benignitatis. Et taliter componam castum eius aspectum, dicta sua facta & mores quod omnibus eam aspicientibus erit exemplar, liber & speculum pulchritudinis, nobilitatis, boni amoris & honestatis. Et sicut formaui & figuraui corpus regis magni Priami taliter vt sola specie & aspectu eius dicebatur esse dignus imperio, species Priami digna est imperio, excellentius faciam de illa ita quod omnes quamtumuis etiam inuidi dicent, ecce dominam dignam quæ sit imperatrix coronatáque regina. Potest hic applicari de Hectore, qui non videbatur viri mortalis puer esse sed Dei, vt patet in ethicis. Sic virgo illa beatissima.

Eo pacto loquebatur natura, cum ex parte altera scilicet ex parte cœlesti veniebat domina altera quæ suo gestu, habitu & moribus valde propriè assimilabatur reginæ. Facies eius multa clarius fulgebat quam sol per quod poterat iudicari natiuitatem eius potius diuinam esse & cœlestē, quam mortalem vel terrenam. Ipsa nomen habebat: Charitas amorosa, prima filia veri Dei amoris, regina omnium virtutum, domina naturæ & magistra. Et est virtus quæ facit Deum amari super omnia. Quæ nomine alio gratia Dei appellatur. Pulchra erat eius societas. Nam ab vna parte circundabat eam soror sua sapientia & veritas, prudentia, intellectus consilium, & fides. Ex altera parte fortitudo, continentia, fidelitas, iustitia, pax, misericordia, humilitas, diligentia, liberalitas & benignitas. Et per has virtutes dicit hic Boëtius, factum esse corpus hominis iusti, quemadmodum prius allegaui. Cum natura eas vidisset valde reuerenter se coram eis inclinauit. Nec Deus non cognouit filiam suam charitatem, sed ad osculum eius castum atque amorosum ipsam recepit. Deinde concessit illi dicere quod videbatur ei placitum. Tunc conuiuium fecit sorori suæ germanæ & sociæ sapientiæ, afferre verbum & exponere quod inter ipsas virtutes fuisset conclusum in earum simul collocutione seu consistorio. Quamuis sapientia se humiliter excusaret, nihil tamē erat quin ab ea charitas obtineret

Quæ.

Quæ quidem sapientia hoc modo est extorsa. Altissime, potentissime, sapientissime, incomparabilis vnice ac summe imperator, ignara sum & me vsquequaque indignam existimo quicquam coram diuina tua maiestate effari præsertim de re quæ tangere possit propositum tuum, prouidentiam, voluntatem & ordinationem. Attamen benignitas tua, clemētia atque libertas quæ nos liberaliter & generosè absque meritis nostris creauit, mihi audaciam contulit loquendi & recitandi id quod humilis filia tua charitas & sociæ eius deliberarunt, mihíque dicendum iniunxerunt. Ipsæ melius id facere noscerēt, sed quoniam sic eis placet, libenter obtemperabo. Imperator altissime charitas humilis filia tua & deuota & nos cæteræ virtutes afficimur non sine causa magna inæstimabilíque lætitia cum ad misericordiæ supplicationem venis, & te inclinas ad terram descēdere, humanum genus redimere, nobis quoque habitationem nostrā à qua tādiu expulsæ sumus restituere, quoniam aduersarius noster lætalis, peccatū ignominiosus & crudelis tyrannus cum omni sua maledicta societate, ignorantia, infidelitate, idololatria, superbia, auaritia, luxuria, inuidia, acedia, gula, & alijs vitijs innumeris. Occupauerunt in terra quasi omnia hospitia, & violenter tenent castella, ciuitates fortaliciáque spiritualia tuæ humanæ creaturæ, adeò vt non inepte ad hanc humani generis miseriam adaptari possit quod Ouidius primo methamor. de cataclysmo scribit.

Qua terra patet fera regnat Erinnys,
In facinus iurasse putes, dent ocius omnes,
Quas meruere pati sic stat sententia.

O quam benedicta erit hora, cum crudelis fellicitus & despiciendus tyrannus peccatum scilicet & detestabiles sui spoliatores expellentur à iusta nostra hæreditate & domo propria. O Deus nonne hoc videbimus? Fortunatæ erimus cum illud fiet & cum loco iræ erit clementia, in loco luxuriæ cōtinentia, in loco mendacij veritas, loco superbiæ humilitas, & sic de alijs. Et hoc est primum meæ legationis punctum, tibi de hoc gratias agere: secundum nostram facultatem & vires, licet multo maius sit benefactum (frater equidem) quā gratiæ quæ per nos agi possint. Præterea quia tuam percepimus voluntatem esse creare atque producere summam quandā & excellentem dominam super omnes alias quę vnquam fuerūt vel erunt. Et breuiter talem quę digna sit esse mater tua, soror tua, sponsa tua & amica. Ad te verum & certum patrē venimus humiliter laborem nostrum offerentes diligēter & ex corde bono, ad hoc negotium vnaquæque secundū posse suū & officiū quod nobis accommodasti sine præsumptione, adulatione & iactātia dicimus nil nos obliuioni traditurās, quin sit omnino perfecta, tota pulchra & digna quę à te ametur. Sine nobis non dubiū est quod vis potes. Sed te rogo non contemnas oblationem hanc & seruitium, quoniam in hoc honorem nostrum nobilitatem, bonitatem, valorem, & famā maximopere augmentabis. Nos eam donabimus innocētia & virginitate Abel, fide Abrahę, constantia Iosue, sapientia Salomonis. Ipsa pulchra erit vt Rachel, fæcunda vt Lya, Sapiēs vt Rebecca, deuota vt Helias, nobilis vt Dauid. Excedet Moysen in clementia, Iob in patientia &c.

A Interea dum hæc fieret allocutio venit (sic etenim Deus voluit) de terra sancta de ciuitate Nazareth in patria Galilææ domina quædam, virtutum filia quæ oratio dicebatur, & submissa facie paruáque lætitia veniebat feruidè instanter & deuotè, ex parte Ioachim & sanctæ Annæ vt eis impetrare posset sobolē, vt essent immunes & liberæ à legis maledictione & opprobrio. Postquam natura hoc vidisset & sanè intellexisset, dixit bene hoc fieri non posse, quia Ioachim & sancta Anna senes essent, infæcūdi & steriles, ideo frustra & in vanum

B ipsos eiuscemodi rē postulare. Sed oratio nō magnifecit ipsam naturam, nec verba eius, immo se conuertit fiducialiter ad charitatem & erga virtutum collegium ab eis quærēdo subsidium & opitulamen, allegando quod veniret à bonis earum amicis & hospitibus Ioachim & sancta Anna. Tūc haud mora omnes cōmuni assensu genua flexerūt ante thronū diuinæ maiestatis, & per ipsarum virtutum ordinationem sermonē continuauit domina sapientia, & dixit in hunc modum: Pater omni-

C potens benedicta & felici die si tibi placet & tēpore opportuno huc venit oratio deuota ex parte duorum bonorum famulorum & amicorum Ioachim & sanctæ Annæ postulare sobolē. Vbi enim in terra inuenies personas duas quæ te magis integre ament, seruiant, honorēt, & legem tuam obseruent. Non malo vsu consumunt nec dissipant bona quæ eis concessisti, nam diuidunt ea in tres partes. Vnam pro templo tuo & ministris tuis. Aliā pro pauperibus. Tertiā pro eorū gubernatione & re familiari. Honestius & iocundius nos vir-

D tutes non suscipimur in terra quam in pulchra, ornatissima & spirituali habitatione conscientiarum illorū duorū. Si itaque tibi cordi esset vt hęc quam facere vis vt sit tota pulchra & amica tua singularis fieret per eos & generaretur atque conciperetur magnum gaudiū & exultatio foret nobis omnibus. Quo autem ad nobilitatē quamuis omnes nobiles sint facti per te, qui bene operantur. Satisfacere tamen oportet mundanæ reputationi. Scis illos duos esse de genere & sanguine regali, boni amici tui Dauid & sacerdotali ipsius Aaron. Ideo

E non deficiet in nobilitate quę ab eis descendet. Et parum me mouet quod allegat natura ipsos esse infructuosos & steriles. Potentia enim tua infinita est, & melius spectat (vt videtur) quod illa quæ debet esse mirabilior inter alias, in omni pulchritudine & bonitate à te mirabiliter & per miraculum formetur potius quam per solam naturam.

Verum est domine (ne quicquam celem) quod scrupulus quidam dubitatio & quæstio me arripit in hoc negotio. Si sic adimpleretur per opus ma-

F trimonij, & percipere potes iustitiam quæ me notat, consulit & in aurem aduertit. Nouisti verè Deus qualiter primo homini Adæ dedisti pro se & pro omnibus filijs eius successoribus, hæreditatem non tēporalem modò, vt puta paradisum terrestrem, sed (quod eligibilius erat & melius) ei concessisti hæreditatem spiritualem. Hæc hæreditas erat donum gratiæ, & virtus quædam, ex numero nostro & societate quæ iustitia originalis dicebatur. Talis virtus per tuam ordinationem taliter eum gubernasset, & omnes eos qui ipsam habuissēt & seruassent quod anima tenuisset pacatè in subiectione & obedientia carnem membra,

corporeos sensus sine vlla rebellione vel inobedientia, in hoc quod ratio sapiens deliberasset, A voluisset aut præcepisset. Et quod maius est per excellentiam illius virtutis & hæreditatem iustitiæ originalis. Homo semper habuisset verum iudicium sine errore, bonam volūtatem sine peccati perpetratione, sensualitatem bene gubernatam sine motu vel passione detestabili, in videndo, in audiendo, in gustando, vel in tangendo. Præseruasset & custodiuisset hominem à morte, & ministrasset ei vitam corporalem sine sudore, pæna, seu labore. Nec in dolore mulier peperisset. Ecce donum pulchrum & hæreditatem bonam. Sed Heu B Adam & Æua ingrati huius, citò deliquerunt cōtra maiestatem tuam regalem, diuinam & imperialem transgrediendo præceptum tuum, de non manducando pomum. Et præponendo voluntatem eorum tuæ voluntati per originalem stultámque rebellionem &c. Quapropter secundum omnem legem scriptam & iustitiam etiam quæ conseruatur inter homines, meruerunt, nō modò mori, sed cum hoc perdere omnem hæreditatem pro se & filijs suis, tam temporalem paradisum ter- C restrem, quam spiritalem iustitiam originalem, ratione criminis læsæ maiestatis.

Fuit vlterius permissum regnare in eis in eorum spirituali regno dirus quidam & iniuriosissimus tyrannus, qui peccatum originale nominatur, pro loco bonæ virtutis, & regimine iustitiæ originalis. O heu plus quam centies, heu quam dura mutatio de quam magno bono, in quam magnum malum, de quali felicitate in qualem miseriam & aduersitatem. Maledicta sit inobedientia quæ D tale generauit malum. Merito ô humana creatura expauescendum habes exemplum quam Dei præcepta qualiacunque sunt, non infringas nec transgrediaris. Cum ergo facta fuerit lex per te summū iudicem & legislatorem, vt omnis progenies ab Adam & Æua descendens per societatem naturalem viri & mulieris perdet hanc hæreditatem & subiecta erit peccato originali. Quemadmodum dictum est si amica tua quam tam pulchrā efficere vis, percipiatur per Ioachim & sanctam Annam. Sic oratio & nos te deprecamur, debito pro iustitia, ne cōcipiatur in tali macula peccati originalis. E Et ne habeat talem puritatem, innocētiam & pulchritudinem quæ pertinet ad illam quæ mater tua esset debet, sponsa tua & singularia amica. Ne tamen audias iustitiam rigorosam solum, sed intellige si placet, quod natura & virtutes præsentes super hoc dicere volent.

Natura postea quam concessa ei à Deo loquendi facultas fuisset, sic est locuta. Scis domine quod secūdum primariam meam & legalem institutionem producere deberem homines tales, quod in regno eorum spirituali nulla esset rebellio carnalitatis vel sensualitatis cōtra rationem, quia lex mea naturalis iustissima est. Ideo peto quod caro quæ est ancilla, serua & famula, nihil faciat contra auctoritatem & voluntatem animæ, quæ est regina sua, domina & magistra. Ob hanc causam passiones & inordinati motus turpes sunt & culpabiles in hominibus, qui non sunt tales in bestijs vt superbia peccatum, vel turpitudo in equo, non inest crudelitas in leone, astutia in vulpe, inuidia in cane, auaritia in cornice, & sic de alijs. Quare? quia in se rationem non habent, quæ alio modo talia bruta regere debeat, sicut ratio est in homine. Ideo mihi apparet sub correctione tua indecens esse tibi summo principi & mihi, quod amica tua haberet talem discordantiam in spirituali regno suo potius quam bruta. Et quod prima mater Æua in hoc habuisset maius priuilegium in natiuitate sua, quam illa quæ erat mater tua. Nam ipsa Æua sine rebellione facta fuit. Addo huic quod ius meum ius naturale est, quod filius debet honorare matrem suam, quemadmodum semper in schola mea prædicauerunt discipuli mei, philosophi & poëtæ. Sed quomodo sufficienter honoraretur, si inhonestum peccatū in ea aliquo tempore dominaretur? Veritas est (ait mox obedientia) cum tu summus princeps vis habere matrem carnaliter in terra, illi debebis honorem, reuerentiam, seruitium, obedientiam. Nec huic contradicet iustitia. Nunc autem apparet illam legem non bene adimpleri in huiusmodi abominatione, immundicia & subiectione peccati, aliquo tempore permitteres illam, quæ esse debet habitaculum, templum & palatium totius puritatis.

Sic argumentabatur obedientia cum sensit charitatem quæ & causam suam voluit enartare, cui reuerenter cessit. Verè pater omnipotens (ait charitas) tu me fecisti (& in te me glorifico) reginam virtutum, & sine me quæcūque ipsarum non perfectè conueniret humanę creaturæ, nec concederetur. Sum illa quæ eas illuminat sicut sol calores, & viuifico animam sicut anima corpus, & sine me mortua est anima ac imponens facere quamcunque operationem studiosam sicut corpus sine anima. Si ergo contingeret (quod absit) quod aliquo tempore in cōceptione eius vel postea essem elongata & extra illam dominam ratione peruersi tyranni peccati originalis, quis eam custodiret? Nullo enim pacto in ea habitare possem, videam⁹ quid esset. Primò anima eius spiritualiter mortua esset, & ideo turpis, fætida, deformis, non placens tibi, Deo nec à te amata, indigna societatis tuæ & societatis angelorum, & digna separati perpetuò ab eis. Et si in illo statu moreretur, absque dubio æternam ingrederetur damnationem. Etiam ipsa esset habitatio tenebrarum quæ lumen portare debet. Rectè dixit sapientia, admodum impertinens esset si sic fieret, Et matutina stella in ortu eius eclipsim faceret, Rosa noua deficeret, Fons gratiæ desisteret, Flos filij pallesceret, Mater vitæ mortua esset, Regina mundi subijceretur. Sed cui subijceretur? Subijceretur fædiori & abominabiliori subiectioni quæ esse possit illi. F s. quæ est ipsius peccati.

Sed etiam pater totius bonitatis inquit misericordia, postquam intantum cōdescendisti nostræ conditioni miserabili vt redimere velis humanum genus à seruitute peccati, iustum est sis perfectissimus redemptor, & saltem redimens vnam personam excellentissimè. Et nouisti quod inter sex modos redimendi perfectior est præseruare personam taliter ne labatur in subiectionem peccati cuiuscunque siue originalis, siue actualis, quæ alias sine tua tali pręseruatione in illud caderet, sicut maior sit gratia pręseruando hominē ne cadat in lutum, quam postquā cecidit eundem reuelare, sed

ſed quam perſonam perfectius redimere debes, quam matrē ſuam & ſingularem amicam? Virginitas dixit quod non minus eſſet pertinens ad filiū Dei habere matrē ſemper virginē ſpecialiter, quæ nunquam fuiſſet violata per peccatum quoad animam, quam habere virginem corporaliter inquātum virginitas & integritas animæ nobilior eſt & perfectior, quam illa quæ eſt corporis. Sed peccatum mortale quodcunque certū eſt corrumpere, violare & eneruare animę puritatē & innocentiā. Eapropter ſine tyranno illo peccato cōcepta eſſe debet virgo illa, ſicut debet virgo corporaliter. Nec eſt obliuioni dandū quod pars carnis ſuæ debet eſſe caro puriſſimæ humanitatis, quā accipiat Deus noſter. Ideo eſſe debet nitidiſſima, mundiſſima & puriſſima. Prudentia quæ leges legaliter interpretatur, cum loqui deberet valde eleganter rationem ſuam aſſignauit. Non video inquit, in materia hac repugnantiā vllam, quin tota pulchra amica Dei noſtri debeat omni tēpore in ſuā conceptione & poſt abſoluta eſſe & libera à dānifero tyranno peccato originali, niſi forſitan ſecundum legem illam generalem quam prętēdebat ſapientia, adhortatione iuſtitię quod omnes peccauerūt in Adam. Miror ſi iuſtitia velit quod ſummus imperator & legū cōditor ſit tam aſtrictus ipſi quod nihil poſſit aut debeat immutare propter quēcunque caſum contingentem. Magis eſſet ſeruus ad leges ſuas, quam princeps temporalis ad ſuas. Et magis ſerua eſſet ſponſa eius cælique imperatrix, quam terrenæ reginæ, quæ priuilegiatæ ſunt cōtra omnes ciuiles ſeruitutes (priuilegiata Auguſto.) Interrogo iuſtitiam cum eo modo velis eſſe leges ſeruatas, ſi domina noſtra non complectitur in generali hac lege & maledictione quā dedit Deus mulieribus propter peccatum Æuæ. ſc. quod in dolore & anguſtia eſſent parituræ? Scio quod hoc dicet, quoniam ſine dolore eſt paritura & lætitia. Quare ergo non æquè bene poterit excipi à graui maledictione peccati originalis, cum tam rationabiliter & rationabilius fieri poſſit in hoc caſu ſicut in alio? Dicit diſcipulus meus Ariſtoteles in Polit. leges dari vniuerſaliter, non quin in aliquibus particularibus caſibus poſſit & debeant habere rationabilem exceptionē, ſed quin ſæpius ita fit, quemadmodum lex dicit, te rogo iuſtitia cōſidera qualiter ſupremus imperator ſæpenumero pro valde minori cauſa, quam ad honorandum matrē ſuam & amicam, mutat & variat communem & cōſuetum curſum tam naturæ quam ſcripturæ, operādo ſæpe miracula, gratias, venias & priuilegia. Nonne ſiſtere fecit ſolē propter Ioſue? Reſuſcitauit mortuos propter Heliſęum? prohibuit ignem vrere propter Danielem? Et etiam ad propoſitū noſtrū contra communem curſum ſanctificauit Hieremiam ante natiuitatē eius, & reddidit hæreditatē temporalem paradiſum terreſtrē Enoch & Heliæ. Certum eſt igitur quod lex generalis non debet eſſe in præiudicium gratiæ ac priuilegij ſpecialis. Et apparet mihi (iuſtitia) te non modo ad hoc inclinare debere, ſed illud idem petere. Nonne officium tuum eſt poſtulare, vt filius matrem ſuam honorat magis quam alios? Quemadmodum bene dixerunt natura & obedientia. Certè ſic eſt. Nōne officium tuum eſt quod imperatrix habeat priuilegium contra omnē ſeruitutem, præſertim

ignominioſam? Sic certè. Nōne ad iuſtitiam
A pertinet petere, vt theſauraria gratiæ, amica Dei, nunquam ſit ſine gratia ſua & ſuo amore? Ita reuera. Sed finaliter iuſtū eſt, quod regina illa & magiſtra angelorum, quę ſecundū promiſſionem diuinam debet conterere & frangere caput ſerpentis, id eſt infernalis inimici, nō ſit vllo tempore membrum ſuum & ſubiecta eius. Alioquin ſemper poſſet improperare ipſi, & per irriſionem dicere. Ecce mulierem quæ (vt inquit) contriuit caput meum, ſed prius calcaui caput ſuū per peccatū originale. Ecce
B dominā quæ dicitur tota pulchra, ſed ſub me fuit maculata, contaminata & proſtituta per peccatū originale. Ecce amicam regis veſtri ſed ipſius ego primum rex fui & dominus per peccatū originale. Ecce illam quæ ſe dicit domicilium & matrem virtutum, ſed prius ipſa obediuit mihi, & me hoſpitio ſuſcepit per peccatum originale. O Deus optime & potentiſſime, abſit vt eo pacto irridere poſſit tuus & noſter inimicus.

Ad hanc vocem ſurrexit ſonus & murmur inter virtutes & inter loquendum adinuicem & pro-
C bandum orationem prudentiæ, verſus iuſtitiam, oculos ſuos vertebant & deflectebant, quæ rectè iam victa apparebat. Iuſtitia ſe notatam eſſe pręcepit, & poſt multa verba vt ſe exoneraret, proteſtata eſt publicè quod ſuper his omnibus rebus dictis & propoſitis ipſa ſe referret ad bonam iuſtitiam & ſapientem Dei ordinationem, & quod ſuum eſſet præcipere, ordinare, ſuámque legem interpretari, quia cuius eſt condere, cuius eſt & interpretari. Huic omnes ſimul virtutes paratæ erant
D obedire. Ad verbū hoc omnes concordarunt, & maximū tunc tenuerunt ſilentiū, auréſque arrectas vt reuerenter audirent concluſionē atque ſententiam. Tūc benedictus Dei filius in ſublimi diuinæ ſuæ maieſtatis throno ſedens, eleuauit paululum cum maturitate magna reuerendum ſuum & tremendum aſpectum & per magnam grauitatem, magnificentiam & auctoritatem, ſub his verbis blandè reſpondit. Audiuimus vos amantiſſimæ filiæ & gratioſè recepimus dicta veſtra, oblationes veſtras & veſtros amicos, & cum concluſiuè
E noſtram expectetis ordinationem breuiter vobis eam ſumus explicaturi. Concedimus in primis ex gratia ſpeciali humilem orationis ſupplicationem, quam porrexit pro bonis noſtris ſubditis ex dilecta vrbe noſtra Nazareth Ioachim & Anna attenta bona & veraci relatione quam vos omnes vnanimi conſenſu de eis feciſtis. Et volumus non contriſtando allegationem filiæ noſtræ ſuper eorum ſterilitate quod ſint parentes illius, ex qua volumus humanæ naturæ eſſe filius.
F Inſuper præcipimus, nuncium hoc ipſis duobus per vnum angelorum nunciorum noſtrorum citò deferri. Et tu veritas noſtra ſecretaria expedi literas ſine mora. Conſentimus præterea, volumus & iubemus quod ſecundum quod obtuliſtis, cōcedatis, tribuatis & apponatis omnem curam veſtram, poſſe & ſtudium ad amicam meam totam pulchram, componendam, & adorandam, & dotandam. Et quoad diſputationē veſtrā quandiu tenuiſtis ſcitote nos non velle vos habere reſpectū ad regulam noſtram & legem generalem ac pęnalem impoſitā propter forefactum primi parentis quoniam pro alijs lex illa facta eſt, non pro ipſa,

quemadmodum singulariter eam eligimus, ita singulariter eam priuilegijs dotare volumus. Talem conclusionem & sententiam (vt credo deuotè) dedit benedictus Dei filius. Si quis tunc vidisset gaudium, gratias & exultationem quam habuerunt virtutes, & lætitiam etiam naturæ reuera ingentem sumpsisset voluptatem. Quælibet in particulari recensebat dona bona & donaria quæ virgini illi esset datura. Et omnes vno consensu se verterunt ad hoc & promiserunt quod nunquam fecerunt de bonis earum talem liberalitatem, & quod (nihil retinendo) omnia ei vellent tribuere. Huic se infudit plenitudo gratiæ tota, cæteris per partes datur, medians se & per angelum gratia plena autoritate appellata est.

Ante omnia impetuosè minabatur perfidus tyrannus peccatum dicens, quod inutile, infortunatum & fœdatum malum se præsentare vellet, & quod omnia nihil penderet nisi ante ipsas virtutes vel post hospitium illud intraret. Ad recitandum omnia ipsarum dicta libenter persisterem, sed breuitatis affectio me auertit. Nota quod hic potest introduci locutio virtutum particularium permittentium & enarrantiũ dona quæ quælibet tribueret. Et de hoc habetur in Guilhelmo Parisiẽsi diffusè in lib. de virtutibus. Angelus qui ordinatus fuit nuncius, citissimè descendit referens nuncia patri Ioachim & sanctæ Annæ. Et breuiter tãtum operatus est Deus & natura cum virtutibus super ius nominatis, quod duo hæc concepta fuit & viuificata tam in corpore quam in anima, sine hoc quod nullum peccatum auderet accedere. Quid vultis dicã vlterius? Apparuit adeò pulchra, adeò pura & munda, quod verus Deus sancti amoris mox incensus fuit amore suo & imagine sua, sicut de Pigmalione fingunt poëtæ. Neu continere se potuit quin iocundè caneret amorosum illud supradictum canticum: Tota pulchra es amica mea &c. Hic innumeræ concordiæ sunt de pulchritudine & amore eius. Scribit Ouidius 10. metham. de Adonide.

Laudaret faciem liuor quoque, qualia namque
Corpora nudorum tabula pinguntur amorum.

Talis erat Cantic. 2. facies tua decora Iudich. 11. Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum. Hester. 2. Erat enim formosa valde & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. Cant. 6. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Rex amauit Hester plus quam omnes mulieres. In hoc finio primam nostri sermonis partem, in qua audiuimus sub poëtica figura, facta clariori, breuiori & veriori quo potui modo conceptionis gloriosæ dominæ nostrę modum. Tangendo aliqualiter aduentum domini nostri in quo sumus. Et posui in persona virtutum rationes quę facile monere possum omnia deuota corda ad credendum & tenẽdum quod domina nostra non fuit vnquam in conceptione sua & post nisi tota pulchra, viua, pura & munda. Et quod rationabiliter celebrari debeat conceptionis eius dies.

Priusquam respondeam ad rationes contrarias, expediam secundã nostri sermonis partem, faciendo admonitionem, quandã omni animæ deuotæ, vt sit pulchra & perseueranter Dei amica. Et continuando priorem imaginationẽ posset fieri hoc in persona charitatis admonendo animã istius virginis. Sed volui generalius loqui in hac materia.

A O anima deuota à Deo creata ad imaginem suam, & suo precioso sanguine amorosè redempta. Considera & in memoriam reuoca, quod cum prius esses turpis ac deformis per peccatũ originale, placuit Deo tuo te regenerare, pulchrã facere & purã per baptismatis sacramentũ, & tãquam nouiter te concipere per gratiam, in tantum quod tunc cum te talem videre dignatus est te amicã suam totam

B pulchram vocare. Tota pulchra es &c. O Deus quam sublimis hæc est generositas esse amicã, cuius amicã? amicam non quidẽ hominis mortalis, non angeli vel archangeli, sed Dei regis regum & domini dominantium. Ipse bonus est amicus qui nunquã deficit in necessitate, qui nunquã improperauit amorẽ suum, qui nihil petit ab amica nisi duntaxat amari, & nihilominus abundantissimè reficit & cõsolatur, cũque offenditur & irritatur, facile ignoscit atque remittit. Nõ solũ est hic ami-

C cus ore, amicus brachiorum, amicus bursę, amicus mensæ, amicus curiæ, amicus itineris, amicus verborum adulationis vel ostentationis. Quia reuera omnes hi in necessitate deficiunt. De hoc Eccl. 6. Est amicus secundũ tempus suum, & non permanebit in die tribulationis, & est amicus socius mẽsæ, & non permanebit in die necessitas. Et sicut Ioab feriunt & occidunt osculando. 2. Regum. 3. Et exemplo latronis & cuiusdã piscis qui polypus dicitur, occidunt amplexãdo, & sub tunica bonæ

D apparentiæ occultam habent proditionem, rapinam, fraudẽ, irrisionem, detractionẽ. Aliter facit ô anima deuota, bonus tuus amicus verus Deus sancti amoris & filius hodiernæ virginis sanctè & mundè cõceptæ. Nam in eo nihil est fictionis, nec deficit in aduersitate. Et nihil aliud petit quã amorem tuum. Quem amorẽ? amorem qui se ostẽdit non modò verbo, sed & facto & operatione. Si enim dicas te amare Deũ, & non facis volũtatem eius & præcepta, es (secundũ quod dicit sanctus Ioannes) mendax. 1. Ioan. 2. Et Grego. in homilia,

E festi Pentecostes. Charitas operatur magna si est, si renuit operari, charitas non est. Certum est & pro regula generali tenendũ, quod persona quęcũque sit Deũ non sufficienter amat quæ in se non habet illã virtutẽ quæ charitas nominatur quæ sola diuidit inter filios Dei & diaboli, regni & dãnationis, hęc exponuntur priuatiuè. Ideo egregiè dictum: Plenitudo legis est charitas. Ad Rom. 13. Nullus homo charitatem habere potest qui in aliquo peccato mortali est, nec absque peccando mortaliter

F transgreditur quis præceptum Dei aliquod. Vnde Iacob. 2. Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omniũ reus. Ideo dicit Iesus Christus, Ioan. 14. quod si quis diligit eum, mandata eius seruabit. Vnde sequitur, quod qui non seruat mandata, Deum non diligit. Et est etiam præsumendũ quod veraciter nullam aliam diligat personã. Reperio in historia tripartita lib. 1. quod Constantinus volens experiri fidelitatem illorum qui ministrabant ei, finxit publicum mãdatũ, quod omnes hi qui vellent negare legẽ christianam, permansuri essent secũ in honore, alij verò cũ ignominia & dedecore recessuri ab eo. Aliqui

mox

mox fidem ipsam negarunt, alij verò minimè. Tunc Constantinus contrario & opposito modo fecit. Nam constantes & firmos in fide, præceptísque Dei retinuit, alios verò tanquam proditores expulit. Quomodo inquit fidelis esset homo mihi, qui infidelis est Deo suo patri & legali domino. Et hoc est notabile & arduum exemplum pro principibus &c. Sed forsitan dices mihi hic ô anima deuota, quod ergo amor Dei nimis carè venditur, si sic oporteat eum custodire. Respondeo quod non. Non enim carè venditur si bona respicias quæ ab eo recepisti, & mercedem quam expectas. Nullus enim bonum habet si ipsum minus acquirat. Et vt dicit Ouid. 2. de arte.

Militiæ species amor est, discedite segnes.
Non sunt hæc timidis signa tuenda viris.

Et rursum in de fine titulo :

Militat omnis amans, & habet sua castra cupido.

Possem recensere dura seruitia, pericula corporis & animæ quæ ferre & pati oportet, vt acquiratur & conseruetur admodum mutabilis, incertus & deficiens amor diuitum huius mundi. Vlterius allegare possem per historias innumeras, molestias, grauitates & pœnas, quas sustinuerunt aliqui mundani amici pro alijs vsque ad mortem perpetiendam. De quibus Valerius maximus lib. 10. cap. 1. Sed mihi sufficit quod consideres martyrium quod amatores pecuniæ vel vanæ gloriæ patiuntur. Amor pecuniarum præcipiet mercatori relinquere vxorem suam & filios, & ire per mare, per terram, per calorem & frigus, per omnia pericula latronum & mortis, & obediet. Horatius:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens per saxa, per ignes.

Amor pecuniæ præcipiet spoliatori vel stipendiario adire prælia & se exponere plagis, fami, siti, morti, obediet, amor pecuniæ præcipit latroni surgere mane diligenter vt furetur vel occidat, obediet. Horatius:

--- *Vt iugulent homines* &c.

Amor pecuniæ præcipiet alteri adulari, mentiri, peierare, iniurias inferre, blasphemare, assentire omnibus qui dicuntur modò vni, mox huic contrario. Nota Terentium : Aiunt, aio. Negāt, nego. Facere res quantumcunque horribiles, crudeles vel abominabiles Deo & mundo, sine recusatione obtemperabit. Heu ô deuota anima vbi est amor Dei tam dura & aspera magistra in præceptis suis sicut vides damniferum nunc tyrannum pecuniæ amorem ? Assero quod tantum pœnæ afflictionis, solitudinis & verecundiæ te perpeti nō oportet vt seruias Deo bono & legitimo amico tuo, & paradisum habeas, sicut hi capiunt ad pecuniam & infernum acquirendum. Sed vide insuper quid faciat vanæ gloriæ amor, quid fecit Iulium Cæsarem perferre omnia incōmoda quæ in bello sunt per omnē ætatem suam etiam contra generum suum Pompeiū & proprios ciues suos Romanos ? Amor vanæ gloriæ id fecit. Quis fecit Hanibalem bellum inferre Italis, transire montes, pati extrema frigora ad oculi vsque amissionem ? Amor vanę gloriæ. Quis fecit Catonem seipsum occidere, Darium & alios innumeros? amor vanę gloriæ. Aliqui etiam martyrium sustulerunt, sed damnati sunt. Quis fecit hypocritas fictè Deo seruire per magnam pœnam & laborem missas audiendo, peregrinando, omnibus complacere volendo, & per hoc omnium serui essent in stulta prodigalitate ? Reuera omnia hęc & alia innumerabilia facit vanæ gloriæ amor. Verecundia igitur est dicere anima deuota te non posse vel velle tantum facere pro amore Dei tui, patris tui & saluatoris, sicut alij faciunt pro te fragilissima amore videlicet vanæ gloriæ. Nomina mihi præceptum aliquod Dei amici tui factu difficilius, vt exempli gratia, castè viuere. Ausim dicere quod ob amorem pecunię aut vanæ glorię facile compleretur, præterea miserabilissimas miserias quas facit amor stolidus peruersæ carnalitatis. Non ergo conqueratis ô deuota anima de præceptis amici tui, quæ tibi valde erunt facilia, si eum perfectè dilexeris, quia fortis vt mors dilectio. Can. 8. & de Iacobo cui videbantur dies pauci &c. Bona quoque consuetudo ipsa tibi dulcia faciet & delectabilia. Quod malè fers, assuesce feres, ait Naso. Et Tullius in rethorica. Optima forma viuendi eligenda est, quam iocundam reddet consuetudo. Qui dicit Dei præcepta nimium dura esse & ponderosa, Deum mendacem facit, qui contrarium affirmat, iugum meum suaue est, & onus leue &c. Mat. 11. Nonne magna est dulcedo de illo amico qui non obstante quocunque delicto contra se omnibus parcit si integram habes contritionem, id est displicentiam de peccato præterito, propositum firmum non recidiuādi, & confidēdi tēpore & loco per ecclesiam ordinatis quacūque hora &c. Ezec. 18. Dulciorem amicū habere non posses. Sed tibi dico eum valde plenū esse zelotypia, nec vult te vllam rem aliam amare plus quam se, ne in pręsentia sua facias fornicationem, vel spirituale adultęrium, diligendo infernalem inimicum, & iaceas inter brachia eius per iniquam delectationē peccati mortalis. Videtur ei quod meritò super omnes alios dignus sit amari, & dicet animæ verba Terentij in eunucho: dies &c. Dicit Aristo. 2. & 9. libris Ethicorum. Et Tullius libello de amicitia quod solent quæri amici tribus de causis vel ob bonum vtile, aut ob honorabile, aut propter delectabile bonum.

Sed meditare ô anima deuota, si quæris amicos diuites vtiles, quis est magis quam is qui concedit vitam, hæreditatem & felicitatem perpetuam. Mecum sunt diuitiæ & gloria. Sap. 2. Si quæras amicos placētes & delectabiles ? Audi quod dicit sapiens, quod amor suus est magnus, bonus & placens. In amicitia illius bona ibidem. Non est delectatio similis amoris pacis & securitas conscientiæ quæ haberi non potest absque dilectione Dei. Hinc exclamat Psalmista, quod magna multitudo dulcedinis tuæ dominæ &c. Si quæras amicum bonum & honorabilem, ausculta quod dicit Sapiens, quod innumerabilis honestas venit per manus illius. Si quæras demum amicum qui in necessitate tibi succurrat, profectò alium neminem meliorem inuenire poteris, quare tibi volo breuiter recensere exemplum satis commune, sed vtile est. Et idem recitat Damascenus in historia de Balaam eremita.

Homo quidam bonus erat qui semel filium suum interrogauit, quod sibi essent amici. Respondit iuuenis plures quam quinquaginta, immo plures quam centum, videbatur enim iuueni tanquam

inexperto, omnes illos amicos suos esse qui ostendebat sibi iocunditatis signa verbo vel brachijs. Mirum est ait pater, quoniam in tota ætate mea quæ est tam grandæua, solum acquirere potui dimidium amicum. Et cum filius affirmaret contrarium opinans patrem multos habere, ob seruitia quæ in illos conferebat. Dixit pater: Fili, adibis eos quos dicis esse amicos meos, & finges me esse in carcere condemnatum ad mortem, nisi mihi in postrema hac succurrant necessitate. Filius assensit, & cum vndiquaque iuisset, fecit relationem patri. Reuera pater inquit, veritatem dixisti, & inique nimis falsus eram, quoniam audiui primũ quem credebam potiorem amicum tuum esse, ob bona quæ in eũ confers, qui respondit mihi quod te associabitur ad patibulum vsque, sed illic te relinquet. Secundus pro quo tantas sustulisti pœnas, dicit se libenter tibi daturum indusium vel camisiam vel linteamen quo operiaris, aliud nihil. Tertius dixit quod libenter ipse te suspenderet. Vade inquit pater ad eum qui est medius amicus meus, quoniam minus seruiui ei quã alijs, sic fecit filius, & in eo reperit omnem cõfortationem, qui dixit se liberaturum eum, etiam si pro eo mori deberet. Ad moralitatem conuertendo hoc exemplum. Tres illi amici sunt caro, mundus, diabolus. Caro cuius adimples omnia desideria in vltima necessitate videlicet in articulo mortis, non faciet tibi aliud subsidium, nec aliter succurret nisi quod te conducet vsque ad sepulchrum, & ibi te dimittet in inimicorum tuorum manibus. Secundus amicus. s. mundus & amici tui carnales, ad quos ditandos tantos sumpsisti labores & pœnas, quas suppetias ferent tibi? Certè vix tibi dabunt linteũ quo sepeliaris. Diabolus si aliud non habeas subleuamen, non dubium est quin te libenter suspẽdet ad patibulum inferni ob seruitia quibus eum affecisti, in fraudibus, rapinis, hypocrisi, vitijsque alijs. Sed dimidius amicus, hoc est Deus qui sæpius minus amatur, & illi seruitium præstatur pro vna media hora, qua illi inseruitur, immo horas centum sexagintaocto in hebdomada, de quibus vix vna cedit Deo die festo. Alij habent plures quam viginti, ipse tibi solus succurret, in extrema & metuenda necessitate solummodo si in amore eius permaneas.

Fortunata est anima illa quæ talem habere potest amicum exemplo nostræ dominæ, valde niti debet vt pulchra appareat in præsentia eius. Sicut enim dictum est in principio, à pulchritudine enascitur amor. A qua pulchritudine? non quidem pulchritudine ficta hypocritarum qui extrinsecè pulchri sunt, sed interius habent horribilia peccata. Tales similes sunt pulchritudini fimi niue cooperti. Vel sicut dicit Christus, sepulchris dealbatis & pictis, aut quibusdam pomis, ad extra quidem pulchris, & ad intra cineribus plenis. Comparantur pauoni, qui vt ostendat suam pulchritudinem aspectantibus, discooperit partes postremas, quæ significant finem mortis. Sed etiam est picta pulchritudo iuuenis ipsius carnis quæ est fallacissima, breuiórque & mutabilior quam flos vnius diei. Prouer. vlt. Fallax gratia & vana est pulchritudo. Mulier timens Deum &c. Et Boëtius Vernalium florum mutabilitatis fugacior. Illa pulchritudo est sæpe castitatis inimica. Inde Iuuenalis satyricus: Rara est concordia formæ atque pudicitiæ. Ipsa fuit causa multis ad abominabilia peccata perpetranda, & mortem temporalem æternámque sustinendam. Et iam aliqui ob eam fuerunt vilipensi in bello & se mutuo in certamen prouocauerunt. De quo quidem facto recitat Frontinus libro stratagematum, quod princeps quidam dictus Agesilaus, iussit exui coram militibus suis aliquos amicorum suorum, vt ostẽderet eis pulchrum & album colorem, quo bene apparet ipsos esse homines fœmineos, in pœna & labore minimè exercitatos. Propterea milites sui sumpserunt animum & inimicos superarunt. Et Iulius Cæsar lib. 2. de bello Gallico dicit quod pro tempore suo Alemani assueti erant facere eorum pulchrum & album colorem nigrum, horridum & expauescendum inimicis eorum in bello. Sic debet facere anima deuota per ieiunia &c. Corpoream pulchritudinẽ habes, sed parua quædam febris omnem eam tibi tollet. Pulchritudinem habes corporalem, sed senectus omnem eam abducit. Pulchritudinem habes corporalem, sed vermes mox ipsam corrodent, habes corporalem pulchritudinem, caue ergo ne comburatur & incẽdatur igne æterno, hoc enim damnosum foret. Habes corporalem pulchritudinem, sed scias ipsam interius esse turpem immundam & fœtẽtem, si homines lynceis &c. Pulchritudinem habes corporalem, sed scias multo pulchriorem, delectabiliorem esse eam quæ est animę tuę. Ad quam conseruandam omnem adhibere debes curam, ô anima deuota ne minuatur per luxuriæ turpitudinem, inflatur per superbiam, efficiatur nigra & maculis obsita per inuidiam, cæca & fugax per infidelitatem vel ignorantiam, muta per pigritiam laudandi Deum, & ipsum deprecandi rigida & per fraudem & duplicitatem, fœtida per malam famam & sic de alijs coinquinationibus pulchritudinem spiritualem corrumpentibus. Vt benedictus Dei filius de te dicere possit cum te viderit verba proposita: Tota pulchra es amica mea. Sed nouisti ô anima deuota, quomodo senties in te si bene Deum amas, considera si in te ipsa signa habes veri amantis, potest prosequi prolixius &c. Primum signum est, libenter audire verba fieri de amico suo, siue per litteras, siue per nuncium siue aliter. Litteræ Dei sunt litteræ sanctæ scripturæ, per quas sciri potest status Dei, voluntas & promissiones eius. Nuncij ipsius & secretarij sunt omnes hi qui ipsam prædicant in occulto vel publico loco. Sunt alij heraldi & maquerelæ, carnis, mundi & diaboli, quos audit meretrix anima &c. Secundum signum est inuitè audire blasphemare amicum. Contra detestantes, iurantes &c. Tertiũ signum est amare seruitores & amicos amici. Cõtra vilipendentes ecclesiasticos & bonos. Quartum reuereri præsentiam amici, contra facientes mala abominanda in conspectu Dei &c. Quintum interpretari facta amici in bonum exemplũ, hic Platonis de Hippocrate discipulo, cõtra murmurantes de prouidẽtia Dei, præsertim in aduersitatibus. Apostolus omnia operantur in bonum &c. Et quos amo, hos & castigo. Nota quod trahit homines per caminum mortis sicut curialis amicus, &c. Sextum signum, constantia in amore, Exemplum de Augusto, contra non perseuerãtes viriliter.

viriliter. Nota dicit Deus animæ illud Terentij in eunucho: Noctes diésque me ames, me desideres, me somnies, me expectes, de me cogites, me speres, te me oblectes, mecum tota sis, meus fac sis postremò amicus, quando ego sum tuus.

Sic finio secundam sermonis nostri partem, & accedo tertiam, quam breuissime expediam respondendo ad duas quæstiones breues, multum huic loco conducentes & vtiles. Prima est, quomodo respondendum est sanctis doctoribus vt sancto Augustino, sancto Hieronymo, sancto Bernardo, & alijs qui videntur dicere contra hoc quod probatum est in principio dominam nostrā conceptam fuisse in peccato originali? Ad hoc respondeo non allegando dicta eorum per considerationes quatuor figurales, & quæ facile capi possint.

Prima Consideratio.

Quod spiritussanctus interdum reuelat ecclesiæ vel doctoribus posterioribus aliquas virtutes vel expositiones sanctæ scripturæ, quas non reuelauit eorum prædecessoribus sic dicit Gregorius Daniel.12. Pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia domini. Ideo Moyses sciuit plus quam Abraham, prophetæ quā Moyses, apostoli quam prophetæ. Et doctores addiderunt multas veritates vltra apostolos. Quapropter dicere possumus hanc veritatem, beatam Mariam non fuisse conceptam in peccato originali, de illis esse veritatibus quæ nouiter sunt reuelatæ vel declaratæ, tam per miracula quæ leguntur, quam per maiorem partem ecclesiæ sanctæ, quę hoc modo tenet, fuit tempus aliquod in quo non tenebatur generaliter Mariam virginem esse in paradiso in corpore & anima, sicut modo tenetur, & similiter post institutionem festi natiuitatis sancti Ioannis, natiuitas dominæ nostræ ordinata fuit per reuelationem vnius solius fœminæ, & multa similia. Nota de opinione sancti Augustini de igne purgatorio, qualiter tenetur opposita.

Secunda consideratio.

Omni tempore doctores in sacra scriptura instructi auctoritatem habent exponendi & declarandi veritates quæ ex ipsa sequuntur, & sicut habuerunt doctores antiqui. Et si dicas quod non habent talem sanctitatem. Respondeo hoc non impedire quin talem habebāt autoritatem, quemadmodum prælati noui, similem habent autoritatem cum antiquis ad eorum populum gubernandum, licet non talem habeant sanctitatem. Propterea dico quod cōsiderata multitudine doctorum nouorum & prælatorum ecclesiæ qui dicunt hanc opinionem veram esse, dominam scilicet nostram semper fuisse totam pulchram sine vlla turpitudine peccati originalis, venialis vel actualis, securius est sic tenere quam oppositum, contra hoc quod voluerunt dicere aliqui quod esset hæresis expressa vel peccatum mortale, contra quos vniuersitas Parisiensis determinauit. Nec est obliuioni tradendum multo maius esse periculum errare blasphemando hanc virginem, quam ipsam laudando, quæ humana laude sufficienter laudari non potest.

Tertia consideratio.

Sancti paradisi interdum generaliter locuti sunt

A de domina nostra & alijs in hac materia volentes dare intelligere quod sine priuilegio speciali, & secundum generales causas; domina nostra habuisset peccatum originale sicut aliæ. Et per hoc ponunt differentiā inter Iesum Christū & dominam nostram, quoniam Iesus Christus nunquam eguit priuilegio, redemptione vel præseruatione contra peccatum hoc, sicut domina nostra. Et inuenio etiam quod sanctus Augustinus, sanctus Anselmus, & alij expressè eam exceperunt. Augustinus de natura & gratia, cum de peccatis agimus &c.
B Et Anselmus de conceptu virginis quis dicere audeat &c. Et sanctus Thomas super psal. dicit.

Quarta Consideratio.

Sancti doctores in materia fidem tangente & religionem christianam semper maturè processerunt, non citò determinando dubias veritates. Ideo locuti sunt in hac materia magis inquirendo quàm determinando. Hinc est quod interdum videntur dicere contraria, non tamen dicunt & potest in tali casu teneri contra eorum opinionem
C absque hoc quod periculosè erretur. Ideo sanctus Bernardus in epistola quam scripsit ad canonicos Lugdunenses, eos redarguit; quia cum festinatione nimia celebrare volebant festum huius conceptionis, vt si modò aliqui celebrare vellet festum sancti nondum canonizati vel assueti sine autoritate Romanæ ecclesiæ. Ideo sanctus Augustinus in fine se refert ad hoc quod sancta ecclesia voluerit ordinare. Aliud autem est modò quam tempore sancti Bernardi. Nam veritas magis est elucidata. Et celebratur hæc solemnitas quasi per vni-
D uersalem ecclesiam Romanam & alibi. Quale non est periculum conscientiæ, vel culpabilis erroris, vel præsumptionis celebrare hanc solemnitatem, multo maius est ipsam non celebrare.

Quinta consideratio potest addi quod licet virgo non habuit fomitem vel extinctum, tamen iustitia originalis non fuit in ea, sed loco illius gratia, sicut in nobis baptisma gratiam affert & secūdum hoc respondebo appositionibus quoad defectus
E corporales. Et si fuisset mortua ante passionem, descendisset in limbum & similia &c. Secundum & vltimum dubium. An domina nostra habuerit summam pulchritudinem corporalem? Et videtur quod non, quoniam huiusmodi pulchritudo (vt dictum est) vana est, periculosissima & occasio peccandi. Respondeo quod pertinebat ad dominam nostram habere illam pulchritudinē corporalem, Deus enim principaliter corpus formauit, & Dei perfecta sunt opera. Et debebat porta-
F re speciosiorem inter homines. Psalm. Speciosus forma &c. Ideo virtus erat gratior sicut dicit Virgilius 5. Æneidos:

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Et Aristoteles:

Non omnino felix est, qui specie turpissimus est.

Sed dico vlterius quod hæc pulchritudo & physionomia talis fuit temperantiæ & naturalis harmoniæ, talitérque compacta ac disposita quod nō mouebat vllo pacto aspectantes ad iniquā vel dissolutam delectationem, immo ad castam & deuotam, vt dicit Bonauentura in tertio sententiarum.

Et hoc volo persuadere & declarare per quatuor considerationes.

Prima consideratio est.

Habemus quod physionomia Iesu Christi erat talis, vt in ea elucerct omnium virtutum exéplar, malis apparebat tremenda, & autoritatis plena, vt moueret eos ad bonum timorem, hoc satis apparuit quando in die palmarum exemplo eiecit innumerabilem Iudeorum multitudinem vendentium & ementium. Et super hunc locum dicit Hieronymus quod quidam fulgur exibat à vultu eius qui terrebat eos, &c. Etiam cum filij Israël adorarent eum tanquam regem & cum prius semel videbatur quasi non bene apud se habere sensum, propter magnum ardorem quem habebat seruandi honorem Dei patris sui, inter Iudæos blasphemantes eum. Mat. 10. Et hoc est contra eos qui volunt quod patienter, temperatè & frigidè audiantur iniuriæ Dei & tanquam per contemptum & proprias iniurias, immo vero iniurias famulorum suorum acerrimè nituntur vindicare. Bonis autem physionomia Iesu Christi apparebat delectabilis & amicabilis, & ad hoc incitabat eos. Discite inquit à me. Pariformiter dico quod physionomia dominæ nostræ mouebat aspicientes ad omnem puritatem & castitatem, & luxuriosas extinguebat, mortificabátque cogitationes. Habemus quod cum Moyses fuisset allocutus Deũ, facies eius fulgebat, & tanquam sanctum quendam timorem in his qui eum aspiciebant generabat. Quare ergo & facies dominæ nostræ non poterat talem sanctum timorem generare, ne turpiter cogitarent qui eam videbant, cui Deus non solum locutus est, sed & in ea habitauit.

Secunda consideratio est.

Quod secundum dictum Aristotelis. Natura facit physionomiam principum dignam talem, vt moueat aspicientes ad timorem & reuerẽtiam. Et experientia hoc docet, sicut aspectus leonis est tremendus brutis. Quare non potuit aspectus dominæ nostræ per visionem suam extinguere malũ & carnalem motum & mouere ad castitatem & temperantiam.

Tertia consideratio est.

In operibus naturæ videmus quod basiliscus solo aspectu occidit hominem, quare non potuit domina nostra aspectu suo extinguere malum & carnalem motum & incitare ad castitatem, sicut syren secundum quosdam, vel animal dictum gallice *sainnier*, vel sicut videmus in lapidibus præciosis quod aliqui naturaliter mouent ad gaudium?


Quarta consideratio est.

Quod experientia cognoscimus vitia hominis ostendere se apertissimè ad extra in visu vel gestibus hominis vt superbiam, iram, luxuriam, timorem, elationem. Hinc Ouidius methamor.

O quam difficile est crimen non prodere vultu.

Multo facilius credendum est quod virtutes dominæ nostræ (quibus prorsus repleta fuit) se extendebant, radiabant & extrinsecè manifestabant, vt simplicitas, humilitas, continentia, virginitas, quemadmodum de sancto Antonio sua testatur legenda. Et de sancto Dionysio habemus quod plebs armata eum respiciens timebat &c. Et propterea aspicientes minus mouebantur ad malam voluptatem, quam aspiciendo paruam aliquam filiam & innocentem. Nota de statu innocentiæ. Et facies Helenæ tam lubrica erat quod sine continentia aspici non poterat. Ideo (vt dicit Aristoteles) clamabãt senes Troiæ, vt eijceretur per oppositum de domina nostra, &c. Eccl. 9. vt in facie sapientis luce sapientia, si possunt aliæ virtutes &c. Ea propter concludo quod sua pulchritudo corporalis ei periculosa nõ fuit, quia ipsa optimè vtebatur ea, ne alijs fuit nociua propter illud quod dictum est. Fuit ergo pulchra corporaliter & spiritualiter, ideo digna vt diceretur Dei amica, & ab eo vocaretur hoc modo. Tota pulchra es amica mea. Cuius amoris nos participes faciat hic per gratiam, & in paradiso per gloriam benedictus Dei filius qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

ALIVS SERMO POMERIDIANVS INCOMPLETVS, ET SVB EODEM *themate vt supra.*



O Virgo dignissima, virgo gloriosa, virgo dulcissima & benignissima, virgo quæ per verba proposita thematis nostri, tota pulchra es appellata, Dei amica, quæ hodie generosè concepta fuisti, quæ es refugium singulare & certum omnibus te requirentibus & orantibus, velis permittere modò domina quod te laudem, cõcede mihi fortitudinem & virtutes contra omnes aduersarios tuos, & omnes hos qui præsentes sunt, concede dignè audire & intelligere aliquid quod ad sanctam tuam sit laudem, & communem nostram ædificationem. Ad quod faciendum, & vt omnes animæ nostræ sint pulchræ & Deo placentes, impetra nobis aquam gratiæ ad nos purificandos. Tu enim fons es omnino plenus gratiæ illius, sicut in gratiosa tua salutatione testatus est Angelus. Quam quidẽ salutationem tibi præsentamus dicentes. Aue gratia plena.

Vtinam omnes tam diligenter sicut hic sumus congregati, vt audiamus loqui de tota pulchra amica Dei pænam apponeremus & diligentiam suum imitandi exemplum, vitam suam & suos mores, conuersationem denique eius in pulchritudine & spirituali bonitate. Sed heu timeo, ne multi nostrum assimilentur coruicolæ quæ sæpe balneat, nec tamen alba efficitur. Sic multi veniũt ad Dei verbum, quod dicitur ad animam lauandam, & eam albam efficiendam per puritatem placentem Deo, sed exeunt sæpius tam nigri sicut prius vel nigriores. Assimilantur his de quibus dicit Aristoteles qui diligenter audiunt medicos, nil tamen secundum eorum operantur præcepta. Vt ergo cum fructu & vtilitate audire possimus verbum Dei, ad faciendas animas nostras pulchras & placentes, reuertamur ad eam cuius celebramus solemnitatem, totam pulchram amicã Dei, cui diues diuinitas matrimonio coniunxit pauperem humanitatem nostram hoc opulentum fuit matrimonium,

matrimonium, & eam salutemus dicentes. Aue Maria, &c.

Cæteris paribus, melius valet confiteri curato suo, non enim dubium est, quin ipsi curati habeāt potestatem, nec te decipient dando tibi absolutionem maiorem quam eorum se extendat potestas. Item eis confiteberis magis meritoriè ratione verecundiæ, & quia melius tibi consulere poterunt secundum statum tuum, nec semper singulari confessione denuo omnino incipere oportebit. Valet etiam melius pro toto tuo hospitio, vxore & liberis quam si vnus vadat hac & alter illac. Non dico religiosos non habere potestatem, sed bonum est & tutius saltem habere facultatem & veniam à curato, quoniam ipse est quæ tibi omni momento est ad ministranda sacramenta astrictus, etiam si sis pestilens, non sic frater mendicās, ipse etiam est qui pro te tenetur Deo respondere, non sic religiosi. Ideo omni iure decet, vt saltem ab eo habeas licentiam vel testimonium confessionis alteri factæ, quomodo enim aliàs pro te posset respondere Deo. Tene certum, & dimitte incertum. Æquitatem sequere honora antiquitatem parochialis ecclesiæ, ad cuius ædificationem, non autem destructionem postea admissi sunt mendicantes, vt sint coadiutores & minus principales ordinati ad curatos ipsos, quos in necessitate adiuuare possint & debeant, non autem contra voluntatem & in diminutionem ordinariæ iurisdictionis, aut in manifestum damnum parochiarum se temere intromittere, quoniam & hoc esset contra charitatem & cōtra salutem propriarum animarum ipsorum mendicantium. Et si dicas. Quare confitebor curato meo, habeo enim multos casus, à quibus me absoluere non posset. Respondeo, curatus te remittet, & sufficit hoc dicere, vel pro te facultatem petet, immo episcopi committunt curatis suam autoritatem. Supplico & hortor, vt quælibet persona christiana quantumcunque contaminata sit immundis peccatis & abominabilibus, confiteatur. Nam humanæ fragilitatis est peccare, sed diabolicæ peruersitatis est perseuerare. Cogitet persona quod citò vel tardè dicere oportebit peccata, nec ipsa scit quando habebit tempus & horam. Cogitet etiam quod præsbyter si lucrari posset mundum aliquem, non reuelaret peccatum. Cogitet præsbyterum melius se amaturum quam prius. Supplico & hortor omnes patres, matres & magistros, vt diligenter curent quod eorum filij confiteantur, neque celent quicquam. Et si dicat aliquis, quid potuisset mali agere puer octo, decem vel duodecim annorum? Vtinam nihil mali, nec per se nec per alios, sed credo quod in pluribus instruuntur malis quam credi posset. Quis diceret, quæ mala docerentur? & quis eos docet nihil hoc dico. Remitto matres, patres & alios ad eorum conscientias. Et teneo quod ecclesiæ reformatio incipi debet ab eis. Quod curati & filij ecclesiastici qui ad hoc sunt ordinati diligentiam adhibeant, vt benignè tractent eos qui confitebuntur, vt hoc honestè manu teneatur.

A

SERMO CORAM REGE FRANCIÆ NOMINE VNIVERSITATIS

Parisiensis, pro pace ecclesiæ & vnione Græcorum.

PAX *hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. Sæpenumero multísque de causis fiducialiter venit ad regalem tuam maiestatem ô rex christianissime (perpulchriorem titulum tibi dare non possum dominus
B noster summus est rex sacerdotalis diuinitus consecratus) venit inquam humillima tua & deuotissima filia. Parisiorum Vniuersitas studiorum mater, defensatrix fidei, sanctæ ecclesiæ lumen, sed nunquam pro sublimiori, nescio si tam pro sublimi & generali materia sicut in præsentiarum, quæ est de pace vniuersali totius sanctæ ecclesiæ, tam Latinorum in se quam Græcorum cum latinis, vt simus (si fieri potest) cum omnibus hominibus pacem habentes, vt sit pax hominibus bonæ vo-
C luntatis, velit Deus pacis, velit benedictus saluator noster Iesus Christus, qui est dominus & spōsus creaturæ totius sanctæ ecclesiæ qui est princeps pacis, vt pulchrum hoc & iocundissimum canticum, quod cantauit multitudo magna cælestis militiæ angelorum in gloriosa sua natiuitate, quam proximè celebraturi sumus, verificetur, veniat & omnino adimpleatur in tempore nostro: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Clarè monstrauit Deus pacem
D illam sibi esse per claram, cum fecit eam tam solemniter denunciari mundo in noua sua natiuitate, qui nil fecit nisi vt pacem faceret, pacem prædicaret, pacem relinqueret, mortuus est & resuscitatus pro pace illa. Qui enim interrogaret, quare ex te natus est Deus virgo Maria gloriosa? Responsio, pro pace vt faceret vtrunque vnum. Quare fuit circuncisus, à tribus regibus adoratus, ad templum delatus? Responsio, propter pacem. Quare suscepit mortem amarissimam & passionem pænalissimam? propter pacem. Esa. Di-
E sciplina pacis nostræ super eum. Quare resuscitauit semetipsum, nisi vt pacem daret, & nunciaret pacem? Pax vobis. Quare cælos ascendit, & spiritum sanctum misit. Certè omnia hæc fecit vt ad pacem traheret, & vt in hæreditatem perpetuam daret pacem. Nihil enim aliud est paradisus, quam pax sine fine, sicut dicit August. 19. de ciuitate. Omitto concordantias. Quapropter mirandum non est, si filia regis filia tua qui rex est christianissimus, & propter hoc amantissimus &
F desideratissimus pacis exemplo Assueri &c. mittat modò ad loquendum & hortandum ad pacem illam vtendo angelorum verbo & dicendo: Pax hominibus bonæ voluntatis. Sed heu mala voluntas semper conatur turbare, frangere & impedire dulcem illam & concinnissimam pacis melodiam. Non admirandū est hoc, habet enim vocem nimis fractam, rudem & discordātem, etiam sibi ipsi, nec concordare potest, semper enim litigat semper se turbat, & dissentiones mouet, & quod maius est per diuersa contraríaque vitia, atque malas affectiones se dissipat ac dilaniat. Con-

fuſa ſunt hic omnia, ſpes metus, meror, gaudium, vix hora tibi dimidia fit in cælo ſilentium, qualem ergo concordiā cum alijs inuenires? Conueniet nulli, qui ſecū diſſidet ipſe. Ideo nō dixerūt angeli pax hominibus ſolū, ſed addiderunt bonæ voluntatis. Scire itaque dignemini me recitare velle, qualiter paulo ante quaſi me retraxerā in ſecretam cameram mentis meæ, claudēdo oſtia & feneſtras corporalium ſenſuum, vt melius conſiderarem & decernerem quod dicendum foret, poſteaquam regis filia mater mea honoratiſſima me ordinaſſet ad proponēdum hoc factum pacis generalis, tam Græcorum quam Latinorum corā regali tua maieſtate in præſentia dominorū & procerum tuorum nobiliſſimi ſanguinis tui & ſapientiſſimi cōſilij. Nec erat mirandum ſi cogitabundus fuerim effectus, & tanquam timens multúmque attētus, cum ex altera parte ſentirem exiguitatem meam, ignorātiam meam ac debilitatem, in tanquā breui tempore vt trium vel quatuor dierum, & inter tam plures alias occupationes, propter indulgētiarum factum præſens iubilei. Inter cogitandum ergo viſum fuit mihi, quod mala voluntas res horrēdiſſima, turpiſſima & mōſtroſa ſe manifeſtaret mihi. O Deus qualis horror? Rectè videbatur infernalis inimici filia. Et reuera ſic eſt ipſa. Vos ex patre diabolo eſtis &c. Approprietatē conditionem gerebat peruerſe cuiuſdam vetulæ litigatricis & iracundiſſimæ, & figuratur per beſtiam monſtroſam, quam vidit Ioannes in Apocalypſi, exire mare, quæ ſeptem habebat capita, & cornua decem quæ ſunt ſeptem peccata mortalia, & decem præceptorum Dei tranſgreſſio. Conſiderādo beſtiam illam horribilem & monſtroſam, audiui eam clamare quaſi per irriſionem, deinde vertit ſe in magnam iram & indignationem. Quomodo (inquit mala voluntas) quomodo vel quo pacto, qua ve præſumptione vult modò hęc vniuerſitas proponere pacem Græcorum & Latinorum, ſibi curæ eſt anſeres reddere ſuffeeratos, aut in ordinē diſponere ſimearum multitudinem vel formicarū. Mirabile eſt qualiter perſiſtere poſſit aut viuere, quæ ſic ſe omnibus vult immiſcere & de omnibus loqui, ſed in facto fuerit magiſterium. O ſancta Maria, quale inceptum, ô Deus qualis ſenſus, non poſſunt cōcordare Latini ad inuicem, nō quidem media pars non quarta, non certè duo parua regna: vt Frāciæ & Angliæ, quid dico de regno aut ciuitate, non facile ad adinuicem concordantur quatuor vel ſex perſonę, quemadmodū dixerūt Athenienſes oratori eis de pace loquenti, quod non poſſet cōcordare tres perſonas in ſua domo, ſeipſum vxorē & ancillam, & nos veniemus modò omnem mundū parare & cōcordare? Sancta Maria quale inceptū, nec dum habes finem, vnde emergit nouum hoc propoſitū, noua inceptio potius quam aliàs. Quis dedit nouū hoc conſilium, & illam ſpem vel fiduciam de gręcis qui ſuper omnes alios odio habent (vt dicitur) & contēnunt Latinos, iudicātque eos hæreticos & ſciſmaticos, & etiam potius ſe verterent ad Turcos quam ad Latinos, ſed & hāc materiam quis proſequitur? quibus medijs, quibus elargitionibus, quibus expenſis practicabitur? Hoc modo conabatur mala voluntas & multo fortius quam dicam, reprobare, retardare & prorſus impedire ſanctiſſimū hoc & digniſſimum vniuerſalis pacis negotū cum Græcis & Latinis. Et demum minabatur per iram magnā, iurauit per poteſtates ſuas omniū vitiorum atque mortalium peccatorū, iurauit per patrem ſuum ſathanam, cui nō eſt poteſtas ſuper terram quę poſſit cōparari. Iurauit per quatuor filias eius, quæ à poëtis dicuntur Eumenides, furiæ infernales, & philoſophis paſſiones nominantur, quod pacem illam ſit impeditura, & tantum ſe effecturam, ne ſit poteſtas nec occaſio cantandi ſuper terram hanc, notā pax hominibus bonæ voluntatis. Nam omnia ad ſe eſſet tractura, prius hoc inceperat per hæreſim, hoc eſt quod mala volūtas nutritura eſſet diſcordiam per filiam ſuam dominandi ambitionem. Sed Deo volente mentietur illegitimā illa proditrix, quoniam bona voluntas virgo pulchra, nobiliſſima & Deo placēs filia, diſſipat omnem eius conatum. Et quomodo hoc fiet? Certum bene fiet, bona voluntas habitabit cum hominibus, quibus dabit cōfortationem per nobile omnium virtutum exercitium, cum omni militia cæleſti, quæ quidem militia auxilium eſt multo potentius quam poſſit habere mala voluntas, ſecundum quod monſtratum fuit Heliſęo prophetæ. Plures inquit pro nobis fuerunt quam aduerſatiorum: Bona voluntas figuratur per hoc quod dicit Ioan. in Apoc. ſua. Signum magnū apparuit in cælo: Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim. Per ſolem conuenienter intelligitur ſancta vniuerſalis eccleſia, vel eccleſia Francorum, vel Pariſienſis vniuerſitas, vbi ſunt ſapientes, fulgentes tanquam firmamētum. Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplēdor firmamenti, dicit Daniel. Fœmina illa quæ eſt circundata & amicta ſole iuſtitiæ eſt bona voluntas, quæ habet lunam vniuerſæ mutabilitatis ſub pedibus affectionum eius. Ad hoc aſpirat hoc quod modò ſignum papale & arma eius ſunt, ſol, & p. luna, eſt tanquam ſubiecta pedibus bonæ voluntatis. Duodecim ſtellæ bonam voluntatem coronantes ſunt veritates pulchræ & claræ, tam fidei noſtræ quam aliarum rerum, & vbi meliorem coronam faciunt & pulchriorem illæ veritates quam in filia regis vniuerſitate Pariſienſi? Ideo decreui ſecundum hanc figuram ſumere duodecim conſiderationes, veluti duodecim veritates fulgentes in corona bonæ voluntatis quæ apparet in cælo vniuerſitatis. Non enim mirandum eſt domine, ſi filia tua vniuerſitas (quæ bonam habet voluntatem, aggreditur loqui de hac pace vniuerſali. Ipſa namque eſt ea quæ exemplo fortis & ſtudioſæ mulieris (quam laudat Sapiens) manum ſuam miſit ad fortia.

Ipſa ſuſcipit res grandes & fortes. Et in Canticis: Facta ſum coram eo tanquam pacem reperiens. Si nunquam locuta fuiſſet de pace ſanctæ eccleſiæ quæ diuiſa erat per damnabilem voluntatem duorum de papatu contendentium, res nō eo in ſtatu eſſent in quo ſunt & erunt indies meliores (Deo volente) vt obtineatur nunciatio iſta angelica: Pax hominibus bonæ voluntatis, & videtur melius in præſenti neceſſitate quam aliàs quamuis aliàs deliberatum fuerit per totum concilium Gallicanæ eccleſiæ, hanc materiam proſequendam eſſe. Ideo non eſt res tam noua vel ſingularis, ſicut allegabat mala voluntas. Habemus modò certum quendam & vnum papam, qui doctor

doctor est excellens in theologia. Ideo melius nouit in quo consistit illa diuisio Græcorum, & quid sit de ea. Ipse natione Græcus est, magnæ experientiæ, & qui iam commisit legationem. Insuper generale concilium celebrandum erit infra triennium, in quo Græci comparere poterint. Insuper Græcorum imperator & sui maximopere hanc desiderant vnionem & pacem, cum multis alijs bonis circunstantijs quæ poterunt in sequentibus declarari. Sed ad respondendum obiectionibus malæ volūtatis, quæ miratur & irridet quod vniuersitas in præsentiarum de hac vniuersali pace loqui velit, & ad ostendendū iustificationem & rationabilitatem huius incepti, accipiemus (vt dictum est) nonnullas considerationes, apponēdo aliquas deliberationes & consilia vt ponatur ad practicam & executionem hoc sanctum negotium. Et fient septem principales quæstiones vel suppositiones.

Prima consideratio tanquam pro prima stella, quæ erat in corona bonæ voluntatis, dicamus homines esse ordinatos à Deo veluti corpus quoddam mysticum ad exemplum corporis naturalis quod pacem habere debet & vnionem in suis membris. Hæc est determinatio apostoli in pluribus locis. Ad Roma. 12. & 1. ad Cor. 12. Et ad Eph. 4. Ideo non se ostendit membrum viuum inter homines, qui non sentit nec dolet quando aliqua diuisa sunt membra, & si non nitatur ne schisma discordia & diuisio hoc corpus dissipet & frangat. Propterea dicebat Plato, quod melior conditio in aliquibus hominibus est illorum qui se reputant natos vt alijs sint præsidio atque opitulamini. Ideo apparet vlterius quod ad vnumquemque quantumcunque paruum, spectat acquirere hanc pacem & vnionem, quod verum est inquantum conditio sua facere potest, modo vno vel altero secundum quod corpus vnum naturale nullum habet membrum, quin ad aliquid deseruiat, & quod non habeat interdum officium ad ædificationem & conseruationem totius corporis. Et quia in filia regis in vniuersitate sunt membra ex omnibus partibus mundi venientia, vt se vndiquaque expandant, ideo non est mirabile, si ipsa vnitatem quærat ac pacem in toto corpore mystico hominum. In hac consideratione fundatur hoc principale præceptum. Diliges proximum tuum sicut teipsum, quoniam in bono suo tuum consistit bonum, nec malum habere potest, quin tu quoque aliquid amittas, in hoc fraterna fundatur correctio, Matthæi. 18. Si peccauerit &c. Nec est quisquam quin huic subiectus sit legi si peccet, quia nocet vnicuique. In hoc fundatur quod dicit Sapiens, quod vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Et in hoc reprobatur damnabilis irrisio Cain: Nunquid custos fratris mei sum ego? Nota quomodo sumus omnes fratres sub vno patre Deo, & ab vno homine Adam. Hic errant illi qui dicunt. Saluet se qui potest, ego duntaxat de me curo, nescis in cuius manu mundus sit sicut intelligunt dissimulantes. Nota quomodo eremitæ proficiunt alijs.

Secunda consideratio.

Quod homines ad inuicem debent esse vniti per bonam voluntatem ad loquendum de bonitate; non modo naturali vel morali sed gratuita & spirituali. Quare sciendum est tres modos bonitatū
A esse inter homines quantum sufficit ad præsens. Vna quidē naturalis est, quæ in donis naturæ fundatur, sicut est intellectus, memoria, ratio & libertas, de hoc dicunt metaphysici, quod ens & bonū conuertuntur. Vnaquæque res tantum habet bonitatis quantum habet esse vel entitatis de illa bonitate non est meū propositum, quia vnusquisque homo quantūcunque malus vel damnatus, habet illam bonitatem naturalē, quilibet homo ad imaginem Dei formatus, quamuis aliqui eam turpem faciunt & immūdā per eorū peccata. Alia bonitas
B moralis fundatur in virtutibus moralibus, politicis & ciuilibus, vt sunt prudentia, tēperantia, fortitudo & iustitia, propter quas seruandas facti sunt fortes ciuiles. Et quamuis huiusmodi virtutes non sint perfectę sine gratia Dei sunt tamen laudandę. Et in his virtutibus cōmunicationē habent omnes hi qui bene viuunt secundū leges & ordinationes vitæ pręsentis. Et in hac bonitate vniti esse debent omnes homines cuiuscūque fuerint legis, pagani, Turci, Iudæi vel Saraceni. Debent enim viuere
C prudēter, tēperatè, fortiter, & iustè. In hac vnione fundantur temporalis dominia, regna imperia, ducatus, comitatus & alia, vbi sunt plures qui legem Dei non habent. Sed tertia bonitas quæ magis est ad propositū & quæ propriè sola est bonitas spiritualis gratiæ & theologicarum virtutum, fidei, spei & charitatis, quæ quidē bonitas cōmunicatur per sancta ecclesiæ sacramenta. De hac bonitate & vnione loquebatur apostolus, cū dixit: Vnus dominus, vna fides, vnū baptisma. Et quoniam omnes
D homines in hac bonitate vniti esse debent vnius fidei, vnius spei & vnius charitatis per idem sacramentum baptismi & alia sacramēta. Infideles non habēt illā vnionē, sed solummodo fideles & christiani qui faciunt & nominant vnā ecclesiam. Alij sunt tāquam mēbra mortua, pręcisa vel abscisa & putrida, adijci potuisset quarta bonitas quæ est iustitiæ originalis, & quinta quæ est gloriæ, sed sunt extra propositum nostrū, hic patet vnionē sanctæ ecclesiæ fundatā esse in multo nobiliori & diuiniori bonitate volūtatis quā alias politias, nec eam
E alias insequendo & more aliarū mutari posse, verū est quod inter mēbra quæ sunt extra corpus hoc mysticū ecclesiæ, aliqua talia sunt de quibus nulla habetur spes, quæ nunquā per humanā viā reuerti volunt. Alia sunt de quibus habetur aliqualis apparentia, & ad reducenda illa laborandum est, sed de primis esset dare panem sanctum doctrinæ canibus & preciosos lapides porcis. Contra illud Nolite sanctum &c. Hic patet quomodo, quādo & quibus prędicare debēt pręlati atque theologi.
F Nūc autē dicitur Gręcos pro maiori parte nō esse obstinatos, ideo &c. quia vexatio dat intellectum.

Tertia consideratio.

Homines bonæ voluntatis habere debēt super terram caput vnum cui sint vniti, quemadmodū cernim⁹ in corpore naturali quod sine capitis vnitate viuere non potest. Hæc est determinatio apostoli in locis præfatis. Et quamuis principale caput & tanquam essentiale sit Deus in carne humana caput ecclesiæ Christus, voluit tamen constituere caput secundum tanquam vicarium quod in his inferioribus esset. Et quemadmodum solummodo est vna bonitas spiritualis ipsius gratiæ, hoc

est vna fides, vna charitas & vnum baptisma, sic solummodo esse debet vnum caput summum per quod communicetur illa bonitas defensa & custodita, & caput hoc vocamus papam, patrem nostrum sanctum, qui est verus & solus Christi Iesu vicarius, alioquin facile ecclesia laberetur in diuisionem, nisi esset ei caput quoddam principale & summum, ad quod potest & debet fieri recursus. Hoc potest amplius dilatari ex scripturis legis nostræ. Ideo patet illos esse scismaticos, qui impediunt vel turbant illam vnionẽ per malitiam vel stultam assertionem, propterea laborandum est vt omnes obediant vni capiti principali, sicut laborandum est ad vnitatem. Et conducit hæc consideratio proposito nostro, si Græci dicere velint patriarchã eorũ Cõstãtinopolitanũ esse caput sanctę ecclesię, absque hoc vt sint subiecti vniuersali papæ Romano: hoc enim esset dicere sanctũ Petrum nõ esse vniuersalẽ papã. Et etiam cõducit ad ostẽdẽdũ quomodo ipsi tenere debent determinationes factas per sanctũ papam Romanum.

Quarta Consideratio.

Hominis bonæ voluntatis non adeo & intantum astringuntur habere vnũ caput tẽporale sicut vnũ spirituale. Hæc cõsideratio conducit nostro proposito de Græcis, si dicere velint quod imperator Constantinopolitanus debet cognosci pro vno & solo capite temporali totius mundi, tanquam successor Augusti Cæsaris, vel Constantini. Huius cõsiderationis veritas liquet per hoc quod non est adeo expediens omnes homines gubernari & vniri per similes leges ciuiles atque pollitticas, sicut gubernari debent per vnam eandémque fidem & eosdem articulos ac sacramenta. Dicit expresse Aristoteles quod secundum varietatem hominum variandæ sunt & leges, ideo comparat lineæ plumbeæ quæ plicari potest & flecti. Et nos hoc videmus in diuersis consuetudinibus & localibus legibus, quæ non seruant leges Romanas. Nota de regula Lesbyæ &c. 5. Ethicorum. Sed posset hic obijci fortiter & subtiliter, & dici quod in ecclesia sancta multa sunt decreta & decretales quæ pariformiter sunt immutandæ secundum diuersitatem hominum & patriarum. Ideo per hanc rationem potius esse deberet vnus papa quam vnicus imperator. Potest hic responderi, quod qui solum respiceret gubernamen sanctæ ecclesiæ in decretis & decretalibus, quæ sunt pro gubernatione iurisdictionis & possessionum ecclesiæ eiusque temporalitatis, obiectio hæc locum haberet, sed non est principale de iurisdictionibus suis, sed principale est de lege euangelica quæ solum vna esse potest absque vlla variatione, non obstãte quacunque varietate hominum vel patriarum. Et dicere contrarium est error communis, quod vnusquisque sit saluatus in secta sua. Hoc enim esset dicere, quod quisque saluandus esset in errore suo & fallitate, quia duntaxat esse potest vnica vera lex. Sed adhuc instabit aliquis & fortius quam prius, & dicere quod pari modo solummodo est lex vna naturalis quæ immutabilis est & inuariabilis, & sic solum habendum esset vnicum summum caput, quod cognoscat de hac lege naturali, sicut est vnicum quod cognoscit de spirituali lege. Respondetur hic, & inter respondendũ notabilissima aggreditur consideratio. Fatetur respondens quod cõcludit aduersarius, solũ vnicam A esse legẽ naturalem, & consequenter non dicere esse plura quam vnũ caput, quod de hac lege cognosceret per modũ summitatis, & de modo illius legis, sed est illud idem quod cognoscere debet de lege diuina, quia illi & secundũ illud subditum est, & regulari debet lex naturalis, vt ad sciendũ quid sit vera prudentia, vera temperãtia, vera fortitudo & vera iustitia. Ideo dicit diuina sapientia. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Et apostolus. 1. Cor. 2. spiritualis anima di- B judicat & multa ad hanc habentur sententiam. Nota rationes Aureoli ad hoc.

Quinta consideratio.

Homines per hoc quod vnicũ principale caput habent ad tenendos ipsos tam in bonitate voluntatis, quã bonitate morali & bonitate spirituali cõuenientius & diuinius se hoc modo in vnitate tenent, nec hoc vllo modo est in præiudiciũ cuiuscunque dominij tẽporalis spiritualis, siue regũ siue pręlatorum. Aristoteles demõstrans solum posse esse vnũ Deũ, nobis hanc ostẽdit cõsiderationem, C cum ait: Entia nolũt malè disponi, pluralitas principantium mala, vnus ergo princeps. Hic sunt duo extremi errores. Dicunt aliqui homines ecclesiasticos papã vel alios non posse vllam tenere tẽporalitatẽ vel iurisdictionẽ, sicut de Padua & Vcleff. Alij dicunt terrenos dominos nullum prorsus ius habere in temporalitate. Sed hoc verum non est, quẽadmodũ de manu mortua exẽplificari posset, immo aliquid subiecti possunt esse principibus, & principes eis secundũ diuersos modos tenendi tẽ- D poralitatem, nec dicere oportet omnes reges vel principes hæreditatem eorum vel terram tenere à papa & de ecclesia, vt papa habeat superioritatem, similem & iuridicã super omnes, quemadmodum aliqui imponũt Bonifacio octauo. Omnes tamen homines principes, & alij subiectionem habent ad papam inquantũ eorum iurisdictionibus, tẽporalitate & dominio abuti vellẽt cõtra legẽ diuinam & naturalẽ, & potest superioritas illa nominari potestas directiua & ordinatiua potius quã ciuilis vel iuridica. Nota cõtra dominãtes in clero. Hæc ma- E teria admodũ ampla est vt declaretur & expediẽs foret, vt sæpius & prolixiuũ declararetur exponeretúrq; à theologis tã dominis quã eorũ officiarijs, tam prælatis quã eorum locũ tenẽtibus ad diuisionem tollendã, & pacem nutriendã, quę persistere non potest sine iustitia reddente vnicuique quod suũ est, cui tributũ, tributũ, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.

Sexta consideratio.

Homines recognoscere debent generaliter de- F terminationẽ quã facit papa Romanus per generale cõcilium suũ ecclesię in materijs fidei & legis diuinæ veram esse & tenendam. Hæc cõsideratio fũdatur in articulis fidei nostrę, quod est vna sãcta ecclesia catholica, quæ per spiritũ sanctũ gubernatur, nec in fide errare potest, credo vnã sanctã catholicam ecclesiam. Et valet hæc consideratio ad inducendum Gręcos quod non teneant determinationẽ ecclesiæ in articulo processionis spiritus sancti, & in alijs quæ sunt de fide, & si allegẽt se nõ sufficienter vocatos fuisse, vel quod appellent de illa determinatione ad cõcilium generale tam Latinorũ quam Græcorũ, per hoc nõ debẽt reputari

pertinaces

pertinaces obstinati vel anathematizati. Hic diligenter considerandum esset, quid dicere vellent, vel inueniendum esset medium expediens, vt omnia ponerentur ad concordiam, non persistendo in probatione omnimoda veritatis huius articuli contra eos. Vix enim cõuincerentur homines qui vellent repugnare. Nota hic quomodo aliquæ determinationes Parisijs factę, dũtaxat ligãt Diocœsanos, & si sic dici posset de Latinorum Ecclesia. Notate si de vno articulo posset fieri nõ articulus, ponendo res in talem statum, in quali erant ante determinationem. Exemplum: determinatio Bonifacij annihilata fuit per quendam successorem eius. In hac consideratione fundata fuit lex quæ dicit, quod leges non dedignantur sacros canones imitari, ita nec principes prælatos.

Septima consideratio.

Homines nõ generaliter astringi debent per determinationes positiuas paparum, ad tenendũ & credendum vnum eundémque gubernandi modum in rebus quæ non proximè respiciunt vel sine medio fidei nostræ veritatem vel legis Euangelicæ. Hæc consideratio bene capta & intellecta est tanquam principalis clauis, vt inueniatur introitus concordiæ inter Græcos & Latinos, sunt enim diuisi à Latinis in multis viuendi modis quę fortassis non verterentur in præiudiciũ legis Dei & in omnibus talibus dicit Augustinus patriæ cõsuetudinem seruandam esse. Si fueris Romæ, &c. Exemplum, ipsi celebrant in pane eleuato vel fermentato, hoc contra fidem nostram non est, nisi inquantum alias errarent ob hanc occasionem, vt dicendo quod tres Euangelistæ mentirentur in scribendo, scribentes Deum celebrasse pascha suũ tempore ordinato secundum legem antiquã, quia si ad scripturam sacram admissa fuerint vel ostensa mendacia, tota scripturæ vacillabit authoritas, vt dicit Augustinus ad Hieronymum. Aliud exemplum, quia Græcorum sacerdotes matrimonium contrahunt, habent etiam multas cerimonias & obseruationes Ecclesiæ, alias quam Latini, sicut dicit quædã authoritas: Quælibet prouincia sensu suo abundat. Aliud exemplum de modo baptizandi. Baptizetur seruus Christi. Aliud exemplũ esset, si sint astricti confiteri plusquam semel in anno, & recipere eorum sacramentũ, quamuis enim confessionis sacramentum de necessitate sit, & dicere oppositum est hæresis, ipsum autem impedire vel turbare est crimen admodum enorme, possunt tamen seruari complures ordinationes ad hoc sacramentum recipiendum, quæ non sunt de iure diuino. Nota quod potest hic materia interseri de secreto confessionis, & quomodo apud multos fuit abolita confessio propter reuelationẽ. Aliud exemplum, si Græci habeant leges vel consuetudines beneficia conferendi, vel soluere eorum decimas tali vel tali modo alio quam Latini, vel si non soluant talia subsidia vt fieri solet in Ecclesia Gallicana, & ad hoc facit quod dicunt aliqui eos alias scripsisse Papæ. Potentiam tuã recognoscimus, auaritiam tuam implere nõ possumus, viuite per vos. Nota ad propositum diuisionem populi Iudaïci sub Roboam. Nota quod bonus princeps permittet leges & consuetudines diuersorum subditorum si non sint clarè contra ius naturale. Et facere contrarium esset sæpè destructio politiæ, sicut dicebat Dominus de Arras ciuitate A Picardiæ, Flandriam aliter se gubernare velle quã Gallia vel Burgundia gubernari vellet, per hanc considerationem bene captam initum est, vt procedatur in reformatione Ecclesiæ Gallicanæ & libertatum eius, non obstante contradictione, quã facere volent forsitan aliqui de curia Romana.

Octaua consideratio.

Homines bonæ voluntatis ad habendam pacem in sancta Ecclesia, tam in generali Græcorum B & Latinorum quam in particularibus reformationibus debent dirigi & instrui principaliter per sanctam scripturam, in qua datur ius diuinum, & consequenter per philosophiam moralem. Insuper per sancta decreta & decretales, deinde per leges ciuiles. Hæc consideratio patet, quia qui non potest discernere & cognoscere quod est ius diuinum, vel solùmodo ius positiuum leuiter errat iudicando de vno sicut de altero, & nescit separare preciosum à vili, & adhuc magis necessariũ est post Ecclesiæ dotationem quam prius, nihil C enim magis turbat totius Christianitatis politiam quam velle eodem modo gubernare hominum spiritualitatẽ & temporalitatẽ, & existimare quod temporalitas propriè sit spiritualitas & iurisdictio propriè spiritualis. Dico propriè, quia in omni eo quod sanctè datum est Ecclesiæ est aliqualis spiritualitas per dedicationem, appropriationem vel attributionem. Hic clarè habemus quare & quomodo spectet ad filiam regis & matrem studiorũ vniuersitatẽ Parisiensem, quærere pacem & laborare ad eam, quoniã in ea sunt viri docti, experti in D supradictis scientijs plures & potius quam alibi, præsertim in theologia, secundũ quod dux Delẽcastre dicebat antiquo Domino Burgundiæ, quẽadmodum sæpius audiui ex ore eius: Habemus dicebat Dux Belencastre, habemus in Anglia viros subtiliores in imaginationibus, sed Parisienses veram habent solidam & securam theologiam. Nota quod cauendum est ne mala theologia & curiosa hanc vniuersitatem inuadat, sicut in Anglia & in Praga. Posset adiungi quomodo sit expediẽs E multos esse theologos Parisijs tanquam in fonte, vt si aliqui vellent seminare malam doctrinam populo vel principibus secretè, vt mox possent conuinci per authoritatem theologiæ magis interdum quam per argumenta. Ideo admodũ necessarium est principi quam nunquam credat viro perito vel alij de facto fidei nostræ, si talis non audeat vel nõ velit publicè doctrinam suam dicere, immò talem reuelare deberet princeps, posset hic videri quod malè faciunt hi qui infamant viros F doctos cum prædicãt veritatem, imponẽdo quod malam habent intentionem, si aliter dici nõ posset doctrinam eorum falsam esse. Certè non sunt homines quos magis quam tales vitare deberent principes, quoniam ponũt eos in periculum persequendi veritatem, & vt efficiantur tyranni, & per illos euenerunt quasi omnia mala præterita in Christianitate. Notemus hic & concludamus quod regnum Franciæ non gubernatur per tyrãnidem cum diligat studia.

Nona consideratio.

Homines bonæ voluntatis debent post hanc vnionẽ factã in concilio generali Pisano, laborare

magis quam prius ad vniendos Græcos cum Latinis. Primò (vt dici solet) quod vna bonitas aliam postulat, si Deus nobis inter nos vnionem contulit, eo plus laborare debemus ad honorem & augmentationem Ecclesiæ suæ alioquin esset ingratitudo. Deinde debemus habere maiorem spé quod Deus nos audiat & exaudiat quam prius, quia ex exhibitione præsentium munerum fit certior expectatio futurorum. Vlterius ista prosecutio est expediens, ne aliquis dicere possit primum vnionem prosecutam esse ob aliquam malam affectionem, sed solum propter bonum totius Ecclesiæ sanctæ sine odio vel fauore in ordinatis, Papa etiam est Græcus natione, & doctor theologus excellens, ideo Græci potius induci debent sub eo & per eum. Et hic accipio & formo primam supplicationem & petitionem quam facit regis filia, quæ est vt vnio iam incepta omnino perficiatur taliter quod omnes Latini obediant vero Papæ nostro Alexandro quinto, alioquin hæc vnio Græcorum (de qua loquimur) non tam conuenienter fieri posset. Et etiam forsitan dici posset, quod scribitur in Euangelio hoc, homo non potuit consummare, rex non potuit perficere vnionem quam inchoarat. Et illud. Medice cura teipsum, id est vni te prius. Ideò expedientissimum videtur, quod per legatos solennes procuretur reductio Hispanorum & Arragonum, Scotorum & illorum de zenodia aliorũque quod est multo potius faciendum quam prius, inquantũ materia clarior est & parata magis quã prius, nec obliuioni dandum est, quod persecutio vnionis Græcorũ nullo modo impediet illam quæ est Latinorũ, sed dabit magnam occasionẽ hominibus bonæ volũtatis, vt citius veniant ad communem vnionem, nisi dicatur quod alij nollent laborare super reductione Græcorũ, nisi sub eis ita oportet vnũ facere, aliud non omittere, sed debet obuiari & tolli tantũ malum. Ideo expediẽs apparet quod in primis in hoc regno tam inter principes quam inter milites, ciues & Ecclesiasticos fiat vnio quantumcunque fieri possit, obliuiscendo diuisiones præteritas siue contigerint ratione duorum damnatorum contendentium de papatu siue aliter.

Decima consideratio.

Homines bonæ voluntatis debent faciendo vtilitatem vniuersalis pacis habere principalem spẽ in auxilio Dei potius quam in potestate aut scientia humana. Heu quid potest fragilis humana voluntas sine Deo, qualis præsumptio est de illis de quibus loquitur scriptura: Qui dicebant manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia, hoc est, potestate nostra fecimus res illas, & non Deus eas fecit. Et rursus: Ecce homo, id est, hic est homo qui non posuit Deum adiutorium suum &c. Eleuemus considerationis nostræ oculos ad res mirabiles, quæ factæ fuerunt tempore elapso, & inueniemus omnia facta esse per bonam volũtatem, habendo spem in Deum potius quam in seipsam, hoc potest videri de mirabilibus quæ fecit Moyses in veteri lege de bellis, de Iuda Machabæo, & alijs sine numero. Et singulariter omne hoc apparet in fundatione sanctæ Ecclesiæ, inter quos dicebat sanctus Paulus: Omnia possum in eo qui me confortat Christus. Nota de sancto Thoma. Domine, &c. Habemus quod Angeli in nocte natalis Domini cum cantarent primi hoc dulce canticum: Gloria in excelsis Deo, &c. fecerunt quasi quandam partitionem, dederũt gloriam Deo & pacem hominibus. In signum quod omnia debemus ordinare ad gloriam Dei, & illi omnia attribuere. Ideo mala voluntas præsumptuosa nec potest nec debet habere pacem, quæ potius quærit gloriam suam quam illam quæ est Dei, & Deo partem gloriæ suæ (quantum in ea est) tollit, quid mirum si & Deus eidem gloriã suã tollat. Exemplum de gigantibus & alijs, etiam de illis in libro Machabæorum, qui volebant se reddere nominatos, sed non erant illi per quos salus facta est in Israël. Et Iudas Machabæus cum primum pactum fecisset cum Romanis, & nimis confidit in eorum auxilio, superatus fuit. Hinc sumo & formo secundam supplicationem petitionémque filiæ regis quæ est vt processiones & orationes publicè fiant per vniuersum regnum, cum prædicationibus ad inducendos omnes ad morũ correctionem, & ad auxilij de cœlo postulationem. Et per hoc in primis processionem fecit regis filia Dominica transacta, quæ fuit Dominica tertia aduentus, & hoc fieri potest intantum vel plus vt videtur, sicut credo quemadmodum fieri debet tranando mare. Posset hic sisti ad magnificandam orationis vim & potestatem, sed hoc fieri poterit in prædicationibus & exhortationib⁹ supradictis. Expediens est hic & necessarium eijcere omnia sortilegia & stultas credulitates, falsas prophetias & obseruationes superstitiosas damnatásque contra honorem Dei, fidei & spei, quæ debet haberi in eum, quia quæ cõmunicatio Christi ad Belial? Notate contra alia peccata abominabilia ad Deum vindictam clamitantia, &c. Notate quod prædicationes & cõuersiones morũ per quos & qualiter fient, simul & legationes, & apparet aliquibus quod mendicantes multum debeant se intromittere & fortiter ingerere, professio eorum est mendicare.

Vndecima consideratio.

Homines bonæ voluntatis debent diligẽter per prudentiam humanam & per magnam consultationem ac laborem procedere in isto negotio pacis vniuersalis. Sumus (vt dicit Apostolus) coadiutores Dei, & vt dicit vulgatum adagium: Iuua teipsum, & Deus te iuuabit, alioquin hoc esset tẽtare Deum. Et forsitan mala voluntas quę semper ad benefaciendum cor habet deficiens hunc refugit laborem, dicendo pacem illam nimis difficulter obtineri posse. Respondet bona voluntas hoc verũ esse, sed tendit ad ardua virtus, difficile est pacem obtinere, sed merces erit ingens & gloria perpetua, Herculem duri celebrant laboris, difficile est, etiam reges & principes incipere & aggredi debent res difficiles & arduas, & non se in paruis occupare negotijs. Magnum magna decent. Notate de occupationibus curiæ Romanæ in beneficijs conferendis difficile est, sed Deus est omnipotens, à quo auxiliũ expectamus & cuius causa agitur. Spera in Deo & ipse faciet, nec est manus Domini abbreuiata. Notate de mirabilibus diuisionibus difficile est facere, sed nihil est adeo difficile quod nõ bona volũtas exequatur per magnũ laborem & diligentiam, labor impro-

improbus omnia vincit. Et etiam bona voluntas vnus spiritus est cum Deo, difficile est, sed qui nõ poterit reducere omnia ad vnionem, magnum erit reducere partem, nec labor erit perditus illorum qui ad hoc conabuntur. Mercedem recipiet & vnusquisque secundum laborem suum, mille & mille se saluare possunt in hoc labore, qui fortassis damnarentur in otiositate & delicijs. Item quotidie melius inuenietur veritas, & negotij pũctum & difficultatem quæ ibi sunt difficile est, sed melius est attentare id quod fieri poterit, quã semper sinere vt incrudescat horribile hoc schisma de peiori in peius per incuriam. Nescio quando incipere oporteat eum qui nunquam laborare volet, & melius valet citius quam tardè, & tardè quam nunquam, sicut in schismate præterito difficile est, sed nullum est negotium religiosius nec deuotius, quam reducere ad vnitatem & bonam viam fratres nostros, immò verò patres nostros per quos fides ad nos deuoluta est. Nonne sanct⁹ Dionysius Galliæ Apostolus natione Græcus fuit, per quem suscepimus veram pacem & fidem Christianam, nec hoc fuit sine magna fortitudine & labore: Ideo simili modo laborandum est, quod Græci ad nos reuertantur, præsertim vniuersitas, de qua fuit sanctus Dionysius pro tẽpore quo erat Athenis, difficile est, sed difficilius assumpserũt prædecessores tui Domine rex Christianissime, vt sanctus Ludouicus qui his mare transijt aduersus infideles, & se mortis periculo exposuit, hic non est tale periculum mortis, & tamen quis vellet dicere quod opus est dignius & acceptabilius quoad aliquam considerationem, quam esset accipere crucem ad inferendum bellũ corporale infidelibus, difficile est sed exemplum docere nos debet, sicut sanctus quidam pater fecit de filio boni cuiusdam viri, qui quidem filius missus fuerat vt purgaret campum quendam plenum spinis & tribulis. Iuuenis ille cum videret tantam spinarum multitudinem, corde deficiens dormiuit, præ tædio nihil faciens primo die, sic fecit secundo die, sic & tertio donec pater interrogaret, si totum purgasset campum. Qui respõdit quod non. Tunc pater adijt campum, & interrogauit filium, vbinam cubuisset? Deinde præcepit ei vt quotidie tantum purgaret spatij in cãpo, quantum occuparet locus dormitionis eius, sic fecit, & in breui totus campus purgatus fuit. Applicatio facilis est, difficile est, & res sumptuosa ac laboriosa, sed vbi potest pecunia vel labor melius exponi, vbi poterit iudicare populus auxilia, & subsidia melius dari & cõsumi? hoc paulò antè vidimus in petitione quæ fiebat pro Græcis, quæ non erat tam apparentis vtilitatis sicut præsens, demum difficile est, sed auxilia tantarum spiritualium gratiarum possunt esse valde magna, vt concedere plenam remissionem, vt de transitu vltra mare, nec habebit illa prosecutio tantos aduersarios in se, vel per ignorantiam vel malitiam, sicut multæ aliæ prosecutiones habuerunt, non est Christianus quin iudicare debeat hanc prosecutionem sanctam esse, & sine suspicione cuiuscunque mali. Ideo læte recipi debent omnes hi qui volunt se in hoc negotio exercere & immiscere, & non modo recipi, sed inuestigari & hortari, sed etiam quis scit si Deus velit vt finis
A mundi appropinquet, & velit omnia verti ad vnã fidem Christianam, ad vnámque religionem & vnionem, qualis fieri debet priusquam mundus finiatur, quamuis nihil denunciem nec prophetizam de expectatione illius cum Deus non voluerit secretum hoc discipulis suis & Apostolis reuelare, dicens: Non est vestrum nosse, &c. Sumamus hic tertiam supplicationem filiæ regis, quæ est, quod rex velit ordinare solennes viros ex magno suo consilio, cum quibus esse poterunt
B deputati vniuersitatis, vt magis videatur de modo procedendi in hac materia, tam in regno quã in comitatibus, siue per litteras publicas & exhortationes illud faciendum fuerit siue per legatos, siue per ordinationem nouarum confœderationum, siue per manutentionem & confirmationem illarum quæ iam initæ sunt, ne etiam videantur alij vilipendi, & omnia fieri sine eis quod omnes tangit, &c. Notate de Lotoringis & Alemanis, &c. Et hic fieri posset mentio maior de necessitate, quæ est, quod Christiana regna
C adinuincem pacem habeant, & principes inter se sed superius dicti scient citò discernere, & poterũt fortè ordinare vt alias fiat verbum vel secretè vel in publico. Notate quod Deus vult vniuersum mundum vniri sub vno imperatore in temporalitate ad publicandam fidem vbique. Et videmus quod discordiæ in temporalitate admodũ nocent ad habendam generalem pacem in spiritualitate, & è contra. Et ergo ô rex benigne, fac in bona voluntate tua Sion, id est Ecclesiæ militanti, vt æ-
D dificentur muri Hierusalem cœlestis.

Duodecima consideratio.

Homines bonæ voluntatis diligenter laborare debent, quod concilium quod futurum esse est conclusum infra triennum teneatur. Et quia Græci possint & velint conuenire non est (vt apparet) dispositio altera conuenientior ad pacem de qua loquimur, quam esse debeat dictum concilium, nec aliò meliori modo negotiũ hoc poterit expleri, sicut postremum conciliũ fuit necessariũ propter pacem Latinorũ, & fuit prima via & con-
E clusio quam proposuit Vniuersitas Parisiensis, ad pacem habendam. Hæc est sufficiens occasio ad mittendum vndequaque, &c. Sumamus igitur hic quartam & finalem supplicationem filiæ regis, & est, quod tam erga sanctũ patrem nostrum & omne Collegiũ Cardinalium, quã erga Græcos & omnes alios Christianos, qui laborarunt quam negotia principalia & accessoria quæ requirentur ad celebrandum hoc concilium taliter prædisponantur, quod cũ ventum fuerit ad factũ, nulla sit
F diuisio, rixa vel confusio, prouideatur bonus ordo celebrandi hoc concilium, de loco, de tempore, de rebus tractandis siue reformatione Ecclesiæ in bonis moribus fuerint, siue de restitutione libertatum Ecclesiarum particulariũ, siue de facto hoc principali Græcorum, siue sit de modo se habendi contra omnes infideles ad Christianitatis augmentationem, ad honorem Dei & animarũ saluationem. Et pax Dei quæ exuperat omnẽ sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras illuminet, & dirigat bonã volũtatẽ omniũ in viã pacis vniuersalis & particularis tẽporalis &

ſpiritualis,& quod in tantū vocemus Noël Noël, hoc eſt, Pax pax, donec veniat, vt ſimus participes illius diuini & Angelici cantici: Gloria in excelſis Deo, &c. Hic fundatur vna de principalibus ſupplicationibus filiæ regis, quæ eſt quod reformatio bonæ iuſtitiæ & conuenientis fiat in vniuerſo regno. Charitas enim incipit à ſeipſa, nec eſt charitas ſimilis huic, quam ea quæ eſt ſanare ſeipſum & corpus ſuum. Verum eſt alias filiam regis curaſſe, vt proponeretur hæc materia adeò prolixè, & poſtremò eam renouauit ad petitionē dominorum noſtrorum. Et quamuis in particulari contineat fere innumerabilia puncta, in generali tamen omnia ad quatuor principalia puncta referuntur. Vnum eſt reſpectu regalis perſonæ tuæ, qui caput es & illorum qui ſunt proxima membra tua. Secundum in facto iuſtitiæ. Tertium in facto modi. Quartum in facto belli. Homines bonæ voluntatis habere debent ordinem & obedientiam ad vnum ſolum caput in ſpiritualitate. In bonitate vnius ſpei & vnius charitatis, hoc eſt, in vna Catholica fide, quemadmodum in vna anima. Aſpicio quod tria ſunt neceſſaria ad pacem faciendam, ſcilicet poſſe, ſcire & velle, aut potentia, ſcientia, beneuolentia, vel æquitas, veritas, charitas ſeu pietas, quæ ſunt tres pacis ſorores. Eà propter mala voluntas ad pacem peruenire non poteſt, quia pro poſſe habet languorem, pro ſcire errorem, pro bono velle furorem, nec in ſe habet æquitatem, vt ſubdat ſe Deo & ad gloriam ſuam, nec veritatem vt credat legi ſuæ, nec charitatem vt compaſſionem habeat de proximo ſuo, nec etiam de ſeipſa, tempora eſt ad bene operandum tanquam deficiens ſine vigore, ſicut dormiens ſine humore, ſicut indurata, ſine amore & feruore. Quid mirum ergo, ſi pax non ſit in hominibus, in quibus habitat mala voluntas. Sed bona voluntas, quæ conditiones habet omnino cōtrarias, amat, vult & deſiderat pacem, & inducit per multas rationes ad hanc pacem vellem Latinorum & Græcorum tendendum eſſe. Sufficiet in præſentiarum breuiter recitare duodecim rationes quarum quatuor fundantur in æquitate reſpectu Dei, quatuor in veritate reſpectu noſtri, quatuor in pietate & charitate reſpectu proximorum noſtrorum. Et eas recitando ponetur ad quamlibet rationem vna conſideratio per modū conſilij, vt detur ordo procedendi vel practicandi hanc materiam. Nec eſt quicquam quod bona voluntas reputet impoſſibile, quia figit ſpem ſuam non in ſe, ſed in Deo omnipotenti, vt dicebat ſanctus Paulus: Omnia poſſum in eo qui me confortat Chriſtus.

Breuis inſtructio ad ſenem, quomodo ſe ad mortem præparet.

Generoſè & religioſè Domine & pater in Ieſu Chriſto, gratias ago Deo quod parua illa ſcriptura quam aliàs feceram, peruenit in manus tuas, quodque feceris vtilitatem tuam ſumendo delectationem & voluntatem adimplendi illud quod in ea continetur. Iam ſe accingendum eſt operi, vt fiat quod cognoſcis & iudicas faciendum eſſe, vt ſcilicet deinceps cogites magis quam prius ad teipſum ſolummodo. Nunc enim ad finem tendis, in hoc igitur negotio non deficias. Nam periculum & amiſſio eſſet irremediabilis. Iudicaretur homo qui vadit ad mortem tanquam ſtultus, ſi tunc loqueretur in via, & de aliorum inquireret negotijs. Memento ſæpè tecum hiſtoriæ, quam tibi heri ſcripſi de ſancto Antonio, quemadmodum ei dictum fuit per Angelum Antoni cogita de teipſo, & relinque Deo aliorum gubernamen. Ipſe enim ſatis ſapiens eſt vt faciat quod ſibi placet. Talia ſunt exempla ad hoc innumera & authoritates, ſed ad comprehēdendum omnia & dandum in bona charitate conſilium, quod in præſentiarum apparet conducibile & quaſi neceſſarium tibi, & ad bene conducendum finem tuum, qui fortius infeſtatur ab inimico quam ætas altera, & ſubtilius eſt vt accipias ad te aliquē ſciētem legere Gallicum & Latinum, qui continuè iuxta te ſit die noctúque dormiendo & vigilando, bibendo & comedendo ad duos fines. Vnus ad legendum ſæpenumero aliquid deuotionis, ſiue ſint hiſtoriæ ſanctorum patrum, ſiue aliæ orationes aut doctrinæ, in quibus maiorem ſumas dulcedinem, quàm ſumpſiſti elapſo tempore. Nunc enim tempus eſt quo vti debes eo quod præterito tempore cumulaueras. Alius finis eſt vt te hortetur ſingulis horis, vbi videretur ei te velle facere contrarium per ſocietatem vel aliàs, ne loquaris de quacunque re mundana non amplius quam ſi mortuus eſſes mundo & mundus tibi. Nam ad perueniendum ad eam perfectionem fugiſti mundum, & elongatus es in ſolitudine, & quocunque modo vſus fueris, vel abuſus tempore iam tranſacto, melius eſt tardè quam nunquam exequi hoc quod dixi: Is ergo de quo dixi per præceptum tuum & inſtructionem, ſemper paratus erit ad dicendum tibi: Domine cogita ad te, cogita finem tuum, ad ſalutem tuam, ad mortem tuam, vel alium ſimilem ſermonem, exemplo imperatoris, & ſancti Ioannis eleemoſynarij, ſcis hiſtorias & habes, laus Deo, tecum viros bonos & deuotos, qui te in hoc adiuuent, & ad hoc quique quærant loca ſcripturarum, quæ tibi vt ea legas conducent, & dicant tibi in prandio vel alibi ſimilia verba, ſicut dixi de miniſtrāte tuo. Vlterius per paruum meum conſilium vale dices cuicunque alteri occupationi, & omni extraneæ ſocietati, quæ te diſturbare poſſet ne eo quod dictum eſt. Et ſuppoſito quod habeas aliquod tædium, malo quod dormias vel nihil opereris, quam te occupes in talibus periculoſis verbis, quæ generant peius in anima quam ſit tædium. Mitto ad te paruum quendam tractatum, quem iampridem feci ad addiſcendum bene mori. Poteris enim facere coram te legi & exſcribi. Nec tibi diſpliceat ſi tibi tam familiariter ſcribo & tanquam te inſtruendo, tu enim hanc contuliſti mihi audaciam, & amor bonus ad hoc me incitat, quod nouit Deus boni amoris. Scribo etiam tibi Gallicè. Robertus & alij legere poſſint pro te & tibi ſi opus fuerit. Deus tibi ſuam conferat gratiā, & in ea perſeuerantiam, omnique tuæ deuotæ ſocietati. Oremus pro inuicem vt ſaluemur. Bonū eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.

SERMO

SERMO DEVOTISSIMVS DE CHRISTI NATIVITATE FACTVS *Parisijs à Ioanne de Gerson.*

PVER *natus est nobis*. Esaiæ 9. cap. hæc scripta sunt. Deus vt nos liberaret, disposuit vt hodie natiuitatem suam faceret in gloriosissima hac solennitate, in qua gloriosa virgo Maria peperit benedictum Dei filium saluatorem nostrum. Vt possim dicere aliquid quod ad suam sit laudem & ad nostram ædificationem, quatenus Deum spiritualiter per gratiam in cordibus nostris pariamus, debemus modò confidenter humiles fundere preces quæ citissimè & facillimè exaudientur, nisi nos obstiterimus. Certum est enim quod puerorum proprietas est citò dare veniam de his quæ in eos quisquam deliquerit. Propterea potens Dei filius, qui verè in hac nocte sumere voluit pro salute nostra infantiam (quemadmodũ dicunt proposita nostra verba) omnia nobis relaxabit peccata, si humiliter pro hoc eum deprecemur. Et de hoc exẽplũ habemus de fœmina quadã multum lubrica, & peccato carnis dedita. Cũ ipsa interdum paradisi gloriã cogitaret cõsideraulit se ea indignã esse gloria. Cũ cogitaret infernũ, considerauit se bene iã, vt ibi sine fine damnaretur perpetrauisse propter peccata sua, & in igne quidem indefectibili. Cum ad passionẽ Domini nostri se verteret meditandã, iudicabat se esse plenã ingratitudinis peccato quod tam sæpè eum offenderat qui illam ipsam mulierem ad mortẽ vsque dilexerat. Et propterea quorsum se verteret prorsus ignorabat, & quasi desperata erat. Cum autẽ die quadam se in oratione prostrauisset, meditata est quoniã Dominꝰ noster & saluator puer pro nobis est effectus, tũc incepit gemere, & cordis habere cõpunctionem dicẽs: Dulcissime, pijssime & misericordissime Deꝰ, qui adeò miseram meã animam dilexisti, vt ad eã saluandã infans esse volueris, & assumere pueritiã, cũ ita res se habeat quod puerorũ cõditio & proprietas sit facile parcere, si quid in eos delictũ sit, nec eius meminisse iniuriæ. In hac veritate ego misera peccatrix & indigna tua ancilla, in magno cordis supplicio, dolore singultibus & lachrymis vt omnia fore facta contra te cõmissa mihi parcere digneris, nec de iniquitatibus meis & peccatis vindictam sumas, & quod deinceps mũdè & sanctè & secundũ placitum tuum viuere possim. Sic rogo per infantiam quã propter me suscepisti per tuæ misericordiæ abundantiam, per spem, fidem, fiduciam quam de te habeo. Hæc mulier hac supplicatione facta prorsus fuit confortata. Et in corde suo talem sensit dulcedinem & facilitatem talem, quod peccandi omnẽ perdidit voluntatem fuitque conuersa, & prorsus ad Deo seruiendũ dedita. Apparet ergo quod per filiũ preces nostrę citò exaudiuntur. Quis autẽ dubitat quin gloriosa sua mater angelorum regina, quæ in hac noctium nocte tam ingentem suscepit lætitiam, tam grandẽ excellentiam, & tam sublimem nobilitatem, sicut est esse matrem Dei, quis dubitat inquam, quin valde sit inclinata & parata ad exequenda omnia quæ sibi præcipiuntur. Certè ipsa vt verũ dicatur, quæ nunquã creaturæ defuit humanæ, quæ syncero corde ei impendisset obsequia, ob quã rem ad eam reuertemur, & ipsam salutabimus dicentes: Aue Maria. *Puer natus est nobis*, vbi supra. Charissimi fideles, postquã redemptionis nostræ mysteriũ per magnum Trinitatis conciliũ fuit, vt fieret, ordinatũ. Postquam veritas ordinasset & obuiasset misericordiæ, & iustitia pacẽ fuisset deosculata, de qua materia vt credo aliàs audistis concionari aduentus tẽpore. In hac nocte sicut modò est, hac hora, secundũ prophetiã Dauid: Veritas de terra orta est, hoc est, Iesus Christꝰ qui est veritas patris, natus est de gloriosa virgine Maria, quæ est terra virginalis absque quacũque corruptione. De qua dicit propheta Dauid: Benedixisti Domine terrã tuã. Cui aspirant verba proposita, Esaię prophetę. Puer natus est nobis. Sed quia congruum erat vt Dei filij natiuitas singularia aliqua super omnes alias natiuitates haberet priuilegia & excellentias, & quia etiam tota Trinitas eam operabatur natiuitatem, voluit Deus & ordinauit, vt admodum mirabiliter hæc fieret natiuitas per potẽtiam quæ patri appropriatur. Quod fructuosissimè fieret per sapientiam quæ filio attribuitur. Quis delectabiliter valde, amorosissimè & iucundissimè fieret propter delectationem, quæ Spiritui sancto est appropriata, quia ipsa est admirabilis, nos debemus eam timere, honorare, & cum tremore colere. Quia ipsa est fructuosa, debet glorificari & chara reputari. Quoniam est amorosa, amari debet, & de ea gaudium suscipi.

Et in declaratione istorum triũ punctorum noster continebitur sermo. Quantum ad primũ punctum dico natiuitatem hanc valde admirabiliter factã fuisse, per potentiã quę est appropriata patri. Fuit admiranda, quoad ea quæ ad extra acciderũt, admirabilior, quantũ ad virginem Mariam, admirabilissima, quantum ad puerum genitum. Reperimus in historijs Horosij & aliorũ, quod in huius natiuitatis hora, multa ad extra facta fuere miracula. Romæ fons quidam toto die illa reddidit oleũ in tanta copia vt vsque ad fluuium quendam qui iuxta Romam est, & Tybris nominatur, flueret. Et in huius miraculi memoriam fundata est Ecclesia, quæ sancta Maria trans Tyberim nominatur. Tunc tribus regibus in Oriente pulchra & clara apparuit Stella, quæ eos in Bethleem vsque perduxit, vt dominum nostrum adorarent. Eadem hora imago Romuli Romanæ vrbis fundatoris, quem Romani veluti Deũ adorabãt, in frusta est diminuta. Tunc templũ quoddam quod templũ pacis perpetuæ nominabatur, funditus Romæ corruit, de quo dixerat Appollo nunquã ipsum tẽplum casurũ, quoadusq; virgo pareret, tunc vineæ Engaddi, quæ sunt iuxta Hierusalẽ, flores protulerunt fructus & balsamũ, ibi enim crescit. Tunc vt dicit, beatus Hieronymus. Hi qui peccato carnis contra naturam erãt inuoluti, mortui sunt. Quia secundum quod dicit sanctus Augustinus Deus vsque adeò odio habet hoc peccatũ, & est tam graue & tam horribile, quod quasi non accepisset carnem humanam propter illos qui tam turpiter eorum abutuntur carne. Huius peccati grauitas bene fuit nobis demonstrata, dum Deus quinque confudit ciuitates per ignem fulmineum & sulphureum de cœlis descendentem: Causa huius peccati patet. Genes. 19.

Aliud miraculum. Quia in propria media noctis hora dominicæ diei, in qua Dominus noster natus fuit, tanta erat claritas, quanta esse solet in meridie, quando angeli apparuerunt pastoribus, vt hanc eis annunciarent natiuitatem, & claritas Dei circunfulsit eos, dicit euangelium. De hac etiam nocte dicit propheta Dauid: Et nox sicut dies illuminabitur. Et erat significantia, quod hic natus erat in terris, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Significabat etiam, quod nox & peccati obscuritas esset expellenda, & corda humana per gratiam & veritatis cognitiones illuminanda. Aliud miraculum fuit in hoc, quod bruta ipsa muta, asinus scilicet & bos, sese coram puero inclinauerunt. Et hoc est quod dicit Deus per Esaiam prophetam, quod cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Populus autem, inquit Deus, meus non me cognouit, quæ est magna vt postea dicam ingratitudo. Hæc miracula & alia breuiter pertranseo, quia sæpè de eis fiunt sermones.

Per ista apparet hanc natiuitatem fuisse admirabilem, quantum ad id quod fuit factum ad extra. Sed fuit multo admirabilior quantum ad gloriosam virginem Mariã, quia peperit virgo sine corruptione post partum, &c. Peperisti sine dolore tuum sanctum genitorem, & absque quacunque læsione. Fuit facta mater eius qui eam creauerat. Quid hæc dicet natura dum virgo est mater, dum virgo sine dolore suum parit filium. Dum filius suus pater & creator est matris. Nihil dicere potest, quia nunquam talia accidere vidit miracula. Nihilominus tamen sic est quoniam Deus naturæ non est subiectus, quæ prolem absque corruptione producere non potest. Quæ apparent per id quod canit mater nostra sancta Ecclesia. Post partum, &c. Per hæc etiam patet, quod magnum errorem & turpem blasphemiam dicebat hæreticus quidam dictus Heluidius, cum ausus est asserere Mariam virginem non permansisse. Contra quem potenter admodum argumentatus est sanctus Hieronymus. Et certum est fidei veritatem in contrarium esse. Verum hæreticus iste per malam scripturæ intelligentiam deceptus est, quemadmodum multi sunt qui scripturam intelligunt secundũ capitum suorũ opinionem, & non secundum sanctorum doctorũ expositionẽ; quã aut nesciunt, aut intelligere & cõsiderare nolunt. Et propterea sumo hic vnũ documentum, quod periculosissima res est, dare hominibus simplicibus (qui non sunt docti viri) libros sanctæ scripturæ in gallicum translatos, quia per malam intelligentiam continuò cadere possunt in errores. Debent audire per prædicatores, quia aliàs frustra essent. Hæreticus iste Heluidius errorem suum accepit per Euangelij verbum quod dicit, quod Maria peperit filium suũ primogenitum. Et cõcludit, quod postquã Iesus Christus fuit primogenitus, necesse fuit alios post eũ esse genitos. Sed istud argumentum nihil valet, quia sicut quando fœmina habet vnum puerũ absque hoc quod nullum prius habuerit, & nullum deinceps sit habitura, nihilominus tamẽ filius suus dicitur primogenitus, hoc est nullũ habuit filium ante eũ genitum. Aliud dictũ à quo errorem suum sumpsit, fuit illud quod scribitur: Matth. 12. Iesum Christum habuisse fratres & sorores: Nesciebat ille modũ loquendi scripturæ, A in qua sæpenumero totius vnius progeniei homines, sicut cognati & cognatæ, sorores appellãtur & fratres, sicut apparet in libro Geneseos de Loth & Abraham, & in pluribus alijs locis. Quapropter præfatum Euangelij dictum de cognatis Iesu Christi est accipiendum, sicut erat sanctus Ioannes Euangelista & sanctus Iacobus. Alia sui erroris occasio fuit, quia intelligere non poterat quomodo Iesus Christus qui tam magnus sicut alius quisquam erat puer, exijsset de vtero virginis B Mariæ absque dolore, & sine quacunque læsione, aut carnis suæ propriæ corruptione. Sed nos videmus in sequentibus huius veritatis aliqualem declarationem, secundum quod nobis fuerit possibile vt eam comprehendamus. Secundò per hoc quod dixi nobis est demonstratum, gloriosam virginem singulare super omnes fœminas habuisse priuilegium, quia absque dolore peperit. Et exépta fuit ab vniuersali maledictione, quam Deus propter Euæ peccatum, omnibus dedit mulieribus, quæ scribitur Genes. 3. In dolore paries filios. C Etsi virgo Maria ab eo peccato & generali ista maledictione fuerit exempta, non video quid obsistat, quo minus ab altera præseruata fuerit, quæ multo peior est, maledictione, à peccato scilicet originali. Nec est authoritas aut scripturæ passus, qui conuincere possit beatam virginem sub generali lege comprehensam fuisse quam ponit Apostolus, quod omnes in Adam peccauerunt, hoc est, peccatum originale contraxerunt, quia domina nostra æquè bene potuit præseruari, D & excipi singulariter de hac maledictione generali sicut de altera, à qua sine quocunque dubio extitit præseruata. Tertiò per dicta concludi potest & per textum euangelij hos dicere mendacium & fabulam, qui tenent virginem Mariam obstetricum vsam fuisse officio, dum nostrum pareret saluatorem. Non enim tali egebat subsidio, quæ absque dolore peperit. Propterea dicit euãgelium, quod ipsa inuoluit puerum, & pannis, inquit Euangelista, eum inuoluit & non alia mulier, & reclinauit eum ipsamet in præsepio animalium. E Et possum hic capere vnum documentum, quod matres si commodè fieri posset, nutrire debent & lactare proprios suos filios, quia nutrimentum æquipollet naturæ, & plerumque pueri melius edocentur. Videtis hanc natiuitatem valde fuisse admirabilem ex parte virginis Mariæ.

Sed ex parte pueri nouiter nati admirabilissima profectò fuit, quia in eo nostra fuit humanitas coniuncta cum sua diuinitate, taliter quod Deus homo dici poterat, & homo Deus is qui F est æternus, dicebatur nouiter formatus, & impassibilis passibilis, immortalis mortalis, & sic de multis. Sed anima eius creata habuit gaudium & gloriam sicut sancti in paradiso existentes, & multo maiorem cum qua tamen dolor fuit. Nam puer iste ad aliorum puerorum morem fleuit, esurijt, sitiuit, & tristitiam habuit, vt Deo pro peccatis nostris satisfaceret. Et breuiter, nunquam Deus adeò grande fecit miraculum in cœlo aut in terra, siue resuscitando mortuos, siue illuminando cœcos, & sic de alijs, sicut est miraculũ hoc vnionis humanitatis ad diuinitatem, & ad hoc potest adaptari illud dictũ eius, vnũ opus feci

& vos

& vos miramini. Sic patet natiuitatem hanc mirabiliter ex omni parte factam fuisse. Et ob hanc causam dicebam eam esse reuerendam, honorandam & tremẽdam. Verum mox superba accurrit & superstitiosa curiositas, inquirere volens & intelligere mirabile huius Natiuitatis mysterium, dicens non se credituram nisi intelligat & ei monstretur, quomodo talia fieri possint, vt virgo gignat, vt Deus homo fiat, & sic de alijs supradictis miraculis. O superba, peruersissima & præsumptuosissima curiositas, vis ne intellectum tuum sapientiæ comparare diuinæ? Vis vt non possit quicquam facere quod exiguum tuum & rude non queat capere ingenium. Valde magni te facis, & præsumptuosam te ostentas, si cogitas Deum nihil scire facere quod tu nequeas intelligere. O si paruum defectibile tuum ingenium ad intelligẽdum huius quod vides veritatem considerares, huius inquam quod quolibet die cernis, non ea tibi inquirendi esset audacia, quę diuina sunt secreta. Ob hoc dicit Salomon. Cunctæ res difficiles, & non potest eas homo explicare sermone. Id audeo asserere, non esse tam exiguam rem in mundo de qua non possent quæri mille & mille quæstiones, quas nec philosophus, nec subtilissimus mundi clericus secundum veritatem respondendo soluere posset. Et si vnus dicat vnum, alter dicet alterum. Et si docti viri qui magis quam alij eleuatũ habent ingenium, totúmque tempus in studio sciendi contriuerunt, & vt naturæ opera cognoscerent laborauerint, si ea intelligere nequeant, immo nec decimã eorum partem, quomodo alij præsumerent capere & intelligere Dei sublimia mysteria? Hic certè est curiositas superba, immo verò præsumptuosa. Propterea charissimi, tollite à societatibus vestris peruersam hanc hospitam quam superbam nominare solent curiositatem. Aliter enim natiuitatem hanc nec honoraretis, nec debitè veneraremini si existimaretis eam tam parui esse miraculi vt eam capere possetis. Et certè non dignaret nominare mundanam aliquam rem Deum meum, si possem intelligere omnia quæ faceret aut facere posset, esset nimis paruus Deus. Scis ne quid mala hospita illa curiositas superba, superstitiosa, in corde agat hominis eius qui ea recipit? Veram occidit fidem & sanctam fiduciam. Nam homines simplices qui ita sunt curiosi, scire & intelligere nostrę fidei mysteria, plerumque in hæreticos peruertuntur publicos aut occultos. Præterea periculosa hæc hospita sanctam de corde hominis expellit deuotionem. Et absque hoc deinde in hominis corde sortilegium generat, & malis ac prohibitis artibus vtendi voluntatem. Generat etiam superstitionem, hoc est, quod persona multa opinetur esse bona & sancta, vt fiant quæ tamen facienda non sunt, vel res aliquas aliquam habere virtutẽ quam minimè habent. Quemadmodum sunt nonnulli stulti homines viri & mulieres, qui interdũ credunt, quod portare stulta verba extranea, aut ipsa dicere, vel in pomo scripta ea manducare, liberare à febribus, vel dare propter Deum panem prius morsum, iuuare mulierem in partu. Sic de alijs infinitis, stultis & peruersis credulitatibus, quibus grauiter peccatur, quia adhibetur maior fides talibus sortilegijs quam Deo. Ex hoc considerate quam damnabilis sit superba curiositas, eò quod obstat & impedit

Gerson. Quarta pars.

præsertim honorem, reuerentiam & deuotionem A erga Deum. Ideo dicit Sapiens: Scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Intelligitur de scrutatore curioso. Et iterum: In pluribus operibus eius ne fueris curiosius. Nonne habemus in Biblia Exod. 9. quod cum Deus daret legem Moysi in monte Synai, ipsum prohibuisse sub pœna mortis corporalis & spiritualis ne quisquam præter Moysen montem accederet ad videndum & inquirendum quid Deus faceret? Quia nolebat eos esse curiosos, sed vt haberẽt firmam fidem & simplicem B credulatem eorum quæ dicebantur eis. In signum huius in lege prohibetur, ne populus intret in sancta. Et Iudæi quærentes miracula, à Christo reprehenduntur. Generatio peruersa signum quærit. Et Apostolus: Non plus sapere quam oportet. Est enim magna cordis duritia & magna infidelitas in his qui volũt de fidei veritate tanquam noua esset inquirere, & tanquam nunquam tam approbata fuisset per tantorum martyrum assertionem, qui ad eam sustinendam mortem passi sunt, & per tantos & tam magnos doctores & adeò prudentes, C qui tam constanter ipsam tenuerunt & tenent. Et timere debet homo cum sic à curiositate tentetur, ne sit ob alia peccata eius, & ne ordinatus sit ad æternam damnationem. Et cum homo se taliter percipit tentatum supremum remedium est vitam suam emendare & per deuotam orationem ad Deum reuerti, dicendo quod quidam dicebat saluatori nostro: Domine adauge incredulitatem meam. Et etiam dicẽdo quod postulabant à Christo Iesu Apostoli. Domine adauge nobis fidem. D Et si velis debitè audire loqui vel scire vel inquirere de sublimi admirabilis huius natiuitatis mysterio, non assumas curiositatẽ sed sanctam fidem & bonam credulitatem, quæ purificat & illuminat cor hominis, nec se altius erigit quam opus sit; & sufficit credere quod Deus præcepit. Et contingit sæpe, quod simplex aliqua bona persona, melius intelligit aliquod Dei mysteriũ quam magnus aliquis doctor, cum malus est & iniquus. Ideo dicebat Christus: Gratias tibi ago pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti E ea paruulis. Ideo Angeli nunciabant pastoribus, qui erant simplices homines, Natiuitatis huius mysterium, & non doctoribus & magistris legis Iudaicæ, nec magnis qui tunc temporis erant philosophis. Nihil melius est quam aliquem esse bonum & deuotum erga Deum. Assume ergo tecum sanctam, deuotam firmamq; credulitatem, & per eius subsidium iuuabo te forsitan aliqualiter quod credis intelligere, videlicet qualiter domina nostra peperit sine dolore, & sine læsione præciosæ F carnis eius. Quomodo Deus dici potest homo, & immortalis mortalis, æternus temporalis, & sic de alijs loquendo modis. Pro primo credere debes, quod saluandi & glorificandi in die iudicij taliter habebunt corpus dotatum vt possint omnia penetrare quæ volent, & vbicumque vt terrã, cœlos absque cœlorum aut aliarum rerum diuisione vel separatione eorumque penetrata fuerint quemadmodum operatum est domini corpus cum cœlos ascenderet, & ianuis clausis ad discipulos intraret. Certum est dominum nostrum statim post eius conceptionem glorificatum fuisse. Ideo non mirandum est si facere potuit vt corpus suum glo-

riosæ suæ matris virginis Mariæ exiret vterum sine diuisione, aut carnis fractione absque dolore virginis, nec eidem auferendo virginitatem. Vides enim simile aliquod in naturalibus de solis radio, qui vitrum pertrãsit absque vlla læsione, aut etiam aquam siue crystallum.

Quantum ad secundum, quomodo esse potest, vt Deus factus homo sit passibilis, &c? Principalis causa est, Dei potentia & volũtas, qui de creatura sua facere potest ad libitum & eã taliter sibi potest vnire, quod ipsemet Deus nominibus illius denominetur creaturæ. Dabo tibi exemplum in hac materia satis familiare, sed caue ne omnino credas esse simile, id enim causa esset erroris, sufficit enim aliqualem esse similitudinem. Vides hominem modo nudum, & die crastina tunica vestitum. Propter hoc eius non mutabitur substantia, & nihilominus dicetur vestitus & prius vestitus non erat. Et si sua dirumpitur tunica, dirumptus vtique dicetur homo. Si ardeat eius tunica, ipse dicetur comburi, si quicquam de eius videatur tunica sine hoc quod quicq; carnis eius conspiciatur, dicetur videri, & sic de multis loquendi modis. Pariformiter Deus qui est æternus & immutabilis, semper in eodem consistens statu, quia nostram assumpsit humanitatem tanquam vestimentum, dicitur de nouo homo, & prius non erat homo, dicitur eum passum fuisse, plorasse, manducasse, quia humanitas eius quem assumpserat hæc operabatur. Nec propter hoc Deus in sua mutabatur essentia aut aut natura sed erit & fuit omnino vnus sine principio, sine fine, & absque passione quacumque. Et per hoc exemplum videre potes, quo pacto virgo Maria mater dicitur eius qui eam crearat. Quomodo etiam solus Dei filius homo nominetur, quamuis Pater & Spiritus sanctus omnem illam operarentur Incarnationem, quia tres homines bene vestire possunt eandem vestem vni ipsorum, sic quod omnes tres vestiant, solum tamen vnus dicetur vestitus. Si per hoc exemplum aut simile id quod credis valeas intelligere, bene res se habet, sin minus, non minorem debes habere fidem, quia natiuitas hæc miraculosa est. Ideo sine magna curiosáque inuestigatione eam debes credere, reuereri, honorare, & cum tremore colere. Et in hoc principalem nostri sermonis & primum finio articulum. Et prius quam ad secundum procedam tribus volo respondere quæstionibus, quæ dictis nostris possent aduersari.

Prima. An fuerit maxima gratia & maximum donum quod Deus contulit virgini Mariæ vt eius mater fieret? Respondeo quod non, & quod domina nostra potius debuit diligere vt esset mater Dei spiritualiter per gratiam & charitatem, quam corporaliter sine gratia & charitate. Duo verò dona simul, meliora fuerunt quam vnum solum. Et hic vobis vnum trado documentum, quod magnum debemus habere desiderium, vt Deum nobiscum habeamus per gratiam, quod præstabilius nobis est, quam si Deus carnem solummodo in nobis sumeret, absque hoc vt in sua essemus gratia & in suo amore.

Secunda quæstio, quare nostra domina fuit desponsata, cum tamen semper virgo esset permansura. Doctores multas assignant causas, & ad præsens sufficiunt mihi tres. Prima, vt Ioseph testis esset virginitatis eius. Alia, ne Iudæi haberent occasionem dicẽdi dominum nostrum ex adulterio fuisse progenitum, & dominam nostram vt lapidaretur dignam esse secundum legem quæ præcipiebat omnes adulteras lapidari debere. Multos necesse esset habere lapides, si lex illa modo seruaretur. Tertia causa, vt Ioseph nostram comitaretur dominam in suis quas fecit itinerationibus, tam in Bethleem & Nazaret, quã in Ægyptum, quando Herodem fugerat prosequentem. Et si quæras, ob quam causam ipsa adierit Bethleem, cum tam vicina esset puerperio? Euãgelium respondet, quod fuit, vt Augusti obediret præcepto, qui vniuersaliter præceperat, vt vnusquisque suam adiret ciuitatem, quo scriberetur, & taxam sibi impositam persolueret, nostra autem domina obedire voluit. Et hic vnum capio documentum, quod nos debemus obedire dominis nostris etiam si mali sint. Sic præcipit scriptura: Obedite dominis vestris, etiam discolis. Et qui vobis aliter prædicaret, ipse malè ageret. Quamuis nonnulli minimè reputarent hominem aliquem bonum prædicatorem & virilem, nisi principum reprehẽderet vitia, quæ res coram populo fieri nõ debet, sicut nunquã coram principe arguendus est populus aut coram rege, quia esset occasio, vt princeps suum odio haberet populum ex vna parte, aut commoueret populum contra principem ex altera parte. Verum si principes peruersi sint, subditi pro eis orare debẽt, & propria emendare delicta, seipsos in bonum gratiæ statum ponendo, vt preces Deo placentes fundere valeant, & quæ facilè possint exaudiri. Nam vt dicit scriptura: Deus quandoq; iusto suo iudicio facit & permittit regnare dominari hypocritam aliquem & malam personam propter malitiam & demerita subditorum. Iob: Deus facit regnare hypocritam propter peccata populi.

Tertia quæstio, quare Deus potius voluit esse vir quam mulier? Doctor quidam Durandus nomine, tertio sententiarum dist. 12. tres assignat causas. Vna fuit, quia venit vt gubernator. Secũda, quia venit vt doctor. Tertia quia venit vt contra inimicum bellator, & hæc officia non spectant ad fœminas specialiter ipsa non debet prædicare, nec publicè docere, sicut dicit Apostolus. Mulierem docere non permitto. Alia causa esse posset vt Deus virum honoraret & mulierem, virum assumendo humanitatem, mulierem de ea nascendo. Super his quæ dicta sunt contra nonnullas fœminas, sumere potestis documentum, quæ volunt loqui & de theologia disputare, & audacius quidem quam theologus aliquis. Et cum opinionem aliquam suis impresserint capitibus, ab eis auferri nõ potest. Nõ sic virgo Maria agebat, de qua dicit Euangeliũ hodiernum: Maria autem conseruabat omnia verba hæc, &c. Virgo Maria conseruabat omnia quæ saluator dicebat, & omnia quæ dicebantur in corde suo. Non dicebat Bertæ nec nec Gualtero. Multæ aliæ quęstiones formari possent, quas breuitatis causa omitto, & ad secundum nostri sermonis accedo punctum.

Dicebam in secundo principali articulo, quod hæc natiuitas fuit facta fructuosissimè per (quæ filio appropriata est) sapientiam. Et propterea debet glorificari, seruari & chara haberi. Scire debetis naturam humanam paradisi hæreditate taliter

liter fuisse priuatam, vt nullus ingrederetur paradisum. A Modo verò natus est supremi regis filius, qui per suam potētiam & sapientiam ipsam (quantum in eo est, nisi nos ponamus obstaculum) sufficienter restituit hæreditatem. Secundus fructus est, quia idololatriam effugauit à maiori mundi parte, quia interea non inuenitur, quod homines tam frequenter idola adorarint sicut prius, nec serpentes, nec boues, nec arietes, & sic de alijs sine numero idololatrarum modis. Sacrificabāt filios per occisionem ipsorum filiorum inimico. Iuxta illud: Effuderunt sanguinem innocentem. Et iterum: B Immolauerunt filios suos, &c. Attribuebant vnicuiq; rei siue bonæ siue malæ aliquem Deum, vt mari Neptunum, inferno Plutonem, vineis Bacchum, aëri Iunonem, igni Vestam, lunæ Dianam, & sic de alijs rebus. Nec sufficiebat eis vt sic Deū inhonorarent, adorando res tam inhonestas & in tā magno numero. Sed cum hæc omnia mala & vitia de dijs suis proferebant, sicut de Ioue principaliori eorum Deo, publicè cantabant fœminarum esse oppressorem, & qui se in muta transformaret animalia, vt in taurum & in aurum. C Sed per huius natiuitatis fructum infidelis hęc idololatriæ falsitas de mundo est proiecta ad minus absque comparatione de maiori mundi parte. Tertius fructus singulariter est Christianis, & specialiter saluandis, quia per doctrinā Iesu Christi, per suam veritatem, per factorum suorum cōsiderationem, & ea credēdo, æternam paradisi adipiscentur gloriam, infernales quoq; pœnas euadent. Quia non solum Iesu Christi doctrina, verumetiam vita sua est tanquā speculum ac liber, in quo quilibet Christianus D videre potest & omnes addiscere virtutes. Si vis esse humilis, cōsidera Deum tuum, qui adeò se humiliauit, vt in præsepio inter bestias voluerit reclinari & cubare: Si vis videre sobrietatem, considera eum nutritum fuisse lacte virginali. Si castitatem quæris, considera quod virgo nata fuit, & adhuc permanebit virgo. Si desideras addiscere patientiam melius eam inuenire non potest quam in Iesu Christo, qui se ad amaram mortem crucis duci permisit, quemadmodum ouis non resistendo, E licet potuisset si voluisset, vilipendebatur, iniuriæ illi inferebantur, blasphemabatur nec tamen verbum reddidit vllum, cum malediceretur, non comminabatur, & tanquam ouis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum. Si vis videre perfectam charitatem & dilectionem, vbi melius eam inuenire poteris, quam in Iesu Christo qui pro te natus fuit & mortuus, quia maiorem hac charitatem nemo habet, vt animā suam ponat quis pro amicis suis, hoc est corporalē vitam pro proximo suo. F Si obediētiam libet inuestigare, perfectiorem reperire nequeas quam in Iesu Christo, quia factus est obediens vsq; ad mortem, mortē autem crucis. Et pariformiter de alijs virtutib⁹ quæ in saluatoris nostri vita possumus cōtemplari, sicut in perfecto quodam omnis bonitatis speculo, & totius honestatis libro. Nonne ergo natiuitas hæc fructuosa facta est specialiter Christianis, cum sic ad omne bonum peragendum edoceantur? Sic profectò est. Et quia hæc natiuitas fuit taliter vt dictum, fructuosa glorificari debet, seruari & chara teneri, hoc est dicunt, quod in hoc solennissimo festo ab omnibus operibus prohibitis & inhonestis est cauendum specialiter à peccato. Diligenter ad sermonem eundum est diuinum, Deo gratias pro tam ingenti beneficio agere debemus. Ad quod dignè faciendum nos ad statum gratiæ ponere debemus displicentiam habendo de peccatis nostris, & firmum propositum non recidiuandi, & ea tempore & loco confitendi. Et est conuenientissimum hodie fieri confessionem, quia quamuis non sit semper de necessitate, persona tamen hinc magnum acquirit meritum & se disponit facilius notabiliter ad Dei habendam gratiam. Heu multi sunt (de quo mirum in modum dolendum est) quibus fructuosam glorificare, seruare & appreciari curæ non est natiuitatem, nec puero huic nouiter noto honorem impendūt ad eorum saluationem. Quidam eum non cognoscunt, de quibus dicit sanctus Ioannes in suo Euāgelio. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Secundi sunt qui eum nec amant, nec recipiunt, de quibus dicit idem sanctus Ioannes: Dilexerunt homines magis tenebras (ignorantiæ scilicet & peccati) quam lucem. Et iterum: Et sui eum non receperunt. Tertij sunt qui non modo eum non recipiūt, sed spiritualiter eum occidunt, sicut Iudæi corporaliter, de quibus dicit Apostolus: Rursus in seipsis crucifigentes filium Dei. Primi sunt Saraceni, qui nō credunt, de quibus modo non loquar, quia si per eorum scripturas huius natiuitatis probare vellem mysterium, res esset nimium prolixa. Suppono etiam bene vos hoc mysterium credere. Secundi sunt Christiani qui se minimè disponunt ad gratiam habendam, & ad spiritualiter puerum hunc in cordibus eorum recipiendum, sed potius eligunt in peccati obscuritate dormire, & claudunt portas animarū suarum glorioso huic saluatori per peccati repagulum, quia Deus non intrat animam quæ se claudit peccato. Et hi assimilari deberent pastoribus qui diligenter vigilabant noctis vigilias custodientes gregem suum, & propterea huius pueri natiuitas eis fuit annunciata, & digni fuerunt illum videre & cognoscere. Spiritualiter loquendo vnusquisque bonus Christianus debet sicut pastor vigilare super oues suas, hoc est super quinque sensus, & animam suam quam ab omnibus periculis debet præseruare, vt de lupo infernali, de frigore auaritiæ, de ardentissimo peccati luxuriæ calore, de scabie pigritiæ, de tabe, hoc est de societate aliorum qui diuersis peccatorum infirmitatibus sunt impliciti. Quia vnica ouis infirma, totum inficit gregem. Cum sancto sanctus eris. Vnica parua pecus inficit, omne pecus. Et cum ita diligenter vigilaueris vt pastor animæ tuæ, certò scias hunc te puerum spiritualiter visurum, cogniturum & recepturum. Grande nimis periculum est animam suam in huius mundi deserto absque custode relinquere, quia eius perditio infallibiliter est damnosa, sicut prædixi. Si haberes gregem ouium, eniti velles ne perderetur, sic absque comparatione maiorem debes adhibere diligentiam ad hanc solam ouem tibi custodiendam traditam, animam scilicet tuam, cui de omnibus rebus huius mundi ad māducandum dare debes spiritualiter, cibo quodam qui nutrit cibanda est. Et quis est cibus ille? est verbum Dei. Non in solo pane viuit homo, &c. Hic est panis quem desiderās dicendo Pater noster: Panem

nostrum. Et qui hunc cibum non recipit, moritur spiritualiter. Sed dicebam tertios esse qui in cordibus eorum puerum hunc spiritualiter interficerent. Et sunt hi qui de peccatis non agunt pœnitentiam quæ perpetrauerunt, verum peccant de nouo, & expẽdunt sacram hanc noctem immunditijs, gula, taxillorum & cartharum & alijs prohibitis & inhonestis ludis in quibus iurant, peierant, mentiuntur, malè dicunt Deo & sanctis eius, & qui despectibilius iurare nouit, hic honorabilior est, aliorumque magister. Dicunt autem id fieri ab eis ne dormire compellantur. Sic me Deus adiuuet, si in campis aratrum tenendo ararent, non tam grandia mala perpetrarent. Sed eorum mox noui responsionẽ, dicent mihi, magnos dominos, clericos & prælatos id quoque facere, & quod adeò bene ipsis ludere liceat. Hæc parua est excusatio, quia vt credo, si domini tales & clerici seipsos oculis priuarent, non propterea eius generis homines eos imitarentur in facto simili. Si ita agunt domini & clerici malè proculdubio agunt, nec eos debes imitari, sed bonos potius & deuotos qui talia non perpetrant, si non vis vnà cum eis damnari. Nescio quid dicam, continuè fiunt sermones, sed semper frustra. Non credent quæ eis dicuntur quoadusque ab inimicis deferantur. Est magnus horror talia mala perseuerantius in hoc solennissimo festo fieri quam in alijs, veluti si Deus magnam ea in re susciperet delectationem, bibunt & cõmedunt interea dum de Deo deberent meditari, & ei de suis beneficijs gratias agere eumque deuotè rogare secundum vniuscuiusque capacitatem, sicut dicebam in principio, quod festum hoc natiuitatis & ipsa natiuitas quia fructuosa est, debet glorificari, seruari & magni æstimari.

Sed contra ea quæ dixit, tres fieri possunt quæstiones. Primam faciunt Iudæi dicentes, per hanc natiuitatem idololatriam in nobis non cessasse, eò quod ligneas & lapideas adoremus imagines, quibus respondeo nos tales non adorare imagines, quia propriè nihil adoramus nisi Deum. Si inclinor ante imaginem crucifixi, non oportet propterea me adorare illud lignum ex qua est facta potius, quam quoduis aliud. Sed est ideo, quia solum Deum adoro, quam crux illa repræsentat. Quantum ad sanctorum & sanctarum imagines pariformiter eas non adoro, sed honoro sanctos & sanctas, qui per has repræsentantur imagines. Sicut Iudæi dicent mihi quod se inclinant coram arca Moysi, & osculãtur tunicam suam, & habent Angelorum signa, nec tamen propterea dicent se esse idololatras, quia non adorent supradictas res, sed Deum ipsum solum. Et si mihi dicas, simplices homines non eo dirigere intẽtionem suam. Dico quod peccant, nisi excusantur aut per ignorãtiam inuincibilem, aut per hoc quod habent intentionem facere, quemadmodum facit Ecclesia in honorandis imaginibus. Et hic possunt dari multæ doctrinæ, sed sufficit mihi ad præsens dicere vobis, vos non debere adorare imagines potius quam lapides, & quando osculabimini eas, aut prostrati estis coram eis potius quam coram alijs rebus hoc solummodo est, vt per eas habeatis memoriam & Dei recordationem, quod scilicet etiã ipsæ repræsentant aut sanctos aut sanctas. Non enim propter

A aliam causam factæ sunt imagines nisi ad ostendendum simplicibus hominibus, qui non norunt scripturam, & quid credere debeant. Et propterea cauendum est ne falsa aliqua accipiatur historia, quemadmodum esset perperam exponendo scripturam. Hæc dico partim propter quandam imaginem quæ est in carmelitis & similes, quæ in ventribus earum vnam habent Trinitatem, veluti si tota tota Trinitas in virgine Maria carnem assumpsisset humanã. Et quod admirabilius est, depicti sunt inferi, quorum nullus cernitur exitus. Nec

B video quare talia fiant opera. Mea namque sententia nulla in eis est pulchritudo nec deuotio, & possunt esse causa erroris & indeuotionis. Proposueram dicere quare potius honoratur vna imago quam alia ad Ecclesias peregrinãdo, & de bacculis his qui Parisijs circunferuntur per fœminas Ecclesiarum vestitas ornamentis. Et qui plus offerenti conceduntur, sed timerem esse prolixior.

Secundum dubium, malè aliqui faciunt Christiani dicentes, quod post quam Deus mortuus est pro omnibus omnes demum saluabimur, & nun-

C quam Deus faceret virum aliquem aut mulierem vt eos damnaret. Profectò omnes hi qui sic credunt, hæretici sunt, & vt igni comburantur digni, quia blasphemant Dei iustitiam eum vocando mendacem & in scripturis suis duplicem. Et cum dicunt Deum mortuũ fuisse pro omnibus, verum est, sed mors hęc non proderit vt paradisus habeatur ab eis, nisi faciant Dei ordinationem tenendo legem eius, & adimplendo eius mandata. Cum dicunt insuper quod Deus nullam facit creaturam

D vt damnetur, verum dicunt, quia eam facit vt paradisum adipiscatur, si modo ipsum lucrare velit. Et in Dei nomine propterea punieris si te non disponas & laborem adhibeas ad finem habendum propter quem creatus es. Deus liberam tibi dedit voluntatem, tum bonam tum malam viam tibi ostendit, si malam elegeris, te ipsum argue non Deum. Tertiam quæstionem formãt alij qui concedunt non omnes paradisum adepturos, dicunt tamen quod postquam Iesus Christus nouit quibus sua natiuitas & mors finaliter proderit, & qui

E sint damnandi & qui saluandi, quodcumque agat homo sic erit quemadmodum Deus ordinauit, ideo non potius bene est operandum quam malè. Sed hi ignorant quod dicũt, simili enim modo de omnibus futuris contingentibus dicere possent, nec cauẽdum esset ab infirmitate, nec bibendum, nec manducandum, nec quoduis aliud agendum, quia Deus bene cognoscit quid futurum sit, & quando tales morientur. Est grandis stoliditas ita dicere aut cogitare. Breuiter credere debes quod

F facere potes & adimplere legem Christi. Et si sic feceris, absque vllo dubio saluaberis, & propterea conare vt eam impleas & serues, quemadmodum conaris vt in mercimonijs vt lucreris laborem, industriam adhibes & pœnã sustines, aut si frumentum habere desideras vt semines, & sicut à rebus contrarijs abstines vt infirmitates vites & te contra corporales tuos armas inimicos, bibis & comedis cum esuris aut sitis. Consimiliter fac quod in te est pro animæ tuæ saluatione, absque hoc vt dicas quicquid egeris, Deum nõ fore mutandum, sed adueniet quod aduenire debebit necessariò. Audiui alias recitare à patre meo cũ adhuc essem puerulus

puerulus, quod homo quidam seipsum submerserat. Fœmina quædam simplex & stolida per vrbem ibat & clamabat ipsum debuisse mori & submergi, & euadere non potuisse. Accessit clericus quidam qui fœminę illi magnas duas dedit alapas. Fœmina illa stupida & irata interrogauit quare clericus eam sic verberasset. Respondit clericus, ipsam irasci non debere, quin sic de necessitate accidere debebat, quemadmodum ipsa de eo qui se submerserat, diceret. Quæ omnino confusa, cum suis recessit alapis. In postrema parte declarabo vobis succinctim, quomodo hæc natiuitas facta fuerit valde amorosè quantum ad dilectionem & charitatem, quæ Spiritui sancto est appropriata. Et propterea est amanda & de ea gaudendum. In cuius signum dicebat Angeli pastoribus. Annuncio vobis gaudium magnum quod erit vniuerso mundo, & Angeli cantauerunt alta voce magnam lætitiam ostendendo: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Pacem scitis ex amore procedere, quomodo potuit Deus humanæ creaturæ maiorem ostendere amorem quam suum dando filium? Nunquid poterat nos alio pacto redimere? Certè potuit, sed perfectum amorem quem erga nos habuit, voluit declarare, bonam nobis dando spem, quod nostri miserebitur, si ei credamus & ipsi seruiamus. Frater noster est, non desinet nos amare, si ipsum amauerimus. Si timeas adire eum quemadmodum dominum tuum, accede ad eum vt ad fratrem, ad eum qui de tua est progenie. Si nihilipédas tuam creationem, magnifacias saltem tam pœnalem eius qua in te vsus est redemptionem. Plorauit, vt tibi gaudium acquireret. Passum est sitim & famem, vt te satiaret, omnino nudus fuit, vt te reuestiret (& in summa dicẽdo) suscepit mortem vt vitam tibi daret æternam. Nonne ergo hanc magnopere amare debes natiuitatem & lætari? Sed dices statim te eam magnopere amare. Ostende ergo per opera quia sicut dicit sanctus Ioannes in epistola sua, hic se decipit & est mendax, qui dicit se amare Deum, & mandata eius non seruat. Dicit etiam sanctus Gregorius quod non verbũ sed operatio facit & probat dilectionem. Vt ergo verbum tuum verum sit, posteaquã dicis te diligere Deum, eius serua mandata, gaude etiam de amanda hac & fructifera saluatoris tui natiuitate, Gaudio inquam sancto & spirituali, quamcumque vitando inhonestatem. Lætamini pueri, quoniam Deus vester similis factus est vobis. Lętamini virgines paruę & magnæ, quia sine dolore & corruptione peperit virgo. Lætamini fœminæ matres, quoniam fœmina vna modò facta est mater Dei. Lętamini homines simplices & pastores, quoniam talibus per cœlestes Angelos filius Dei est annũciatus: Lætamini docti & clerici, quoniam supremus doctor natus est. Lætamini reges, principes & domini, quia rex regum natus est. Et proculdubio sicut dicit Leo Papa, non congruit vt peruersa & odiosa tristitia in cordibus nostris locum habeat, cum vita nata sit in mundum. Nec animo consternari aut deijci debet hominum humilitas, cum tam dulciter cantando Angelorũ lætatur sublimitas, & amabilius concinẽdo cantico qui vnquam fuerit cantatum. Cantate modo deuotè cum eis vt gloria sit Deo in excelsis, & pax hominibus. Et caueat vnusquisque ne dissonantiam concitet, hoc est ne nimis ascendat per superbiam & vanam gloriam, sicut fecit Lucifer, nec nimis decidat per auaritiã & per terrenas carnalésq; cogitationes, sicut fecit Iudas. Aut ne vox sit adeò discordans vt nullo pacto quisquã cum ea possit consentire, sicut sunt mundana odia & inimici, qui odia seruant in cordibus contra proximos eorum. Et certè tales sunt sicut vox fracta & falsa, quæ cum alijs conspirare non potest. Sumat modò vnusquisq; secum melodiam, concitans aliquod instrumentum, scilicet psalterium decachordũ, quæ sunt decem legis pręcepta, sicut dicebat propheta Dauid. In psalterio decachordo psallam tibi. Sumat alter plectrum trium theologicarum virtutum, fidei, spei & charitatis. Et alter aliud quatuor chordarum instrumentum quæ sunt quatuor virtutes cardinales, fortitudo, temperantia, iustitia, & prudentia. Alter citharam duodecim chordarum, quæ sunt duodecim articuli fidei cum octo beatitudinibus. Alius organa viginti & vnum meatus habentia, qui sunt septem dona Spiritus sancti, septem opera misericordiæ spiritualia, & septem opera misericordiæ corporalia. O quam dulcis & Deo placens erit melodia, si nulla fuerit dissonantia. Profectò tota paradisi curia in audiendo Cantico nostro lætabitur, sunt tamen nonnulli conquirẽtes se canere ignorare, sicut sunt simplices homines, qui dicunt se propriam salutem operari non scire, nec Dei præcepta adimplere. Hi excusationem quærunt in peccatis, quia id eis affirmo, quod si fecerint iuxta posse eorum diligentiam vt Deo sciant seruire, sibi à peccatis cauere, & ea de quibus dubitarint, à doctis quæsierint, Deus eos non derelinquet, verum adiuuabit, & vbi opus fuerit redarguet. Et propterea me non piget dicere pro clericis & studentibus hic astantibus, & etiam alijs probis hominibus, qui filios habent studia sequentes, quod absque comparatione eligibilius est sanctam studere scripturam & theologiam, quamcumque aliam scientiam, eò quod ipsa docet magis & ostendit viam & modum sanctè viuendi & ad paradisum perueniendi. Et certus sum multos esse qui nullo pacto apud Deum excusantur, quia litteris nullam impendunt operam. Alij peiorem quærunt excusationem, quia dicũt se nec canere posse, nec ludere, hoc est non posse se adimplere Dei præcepta, quia ardua nimis sint, aut vt seruentur impossibilia, quemadmodum dicit gulosus se ieiunare non posse, superbus iniuriam se ferre non posse, luxuriosus non se posse seruare castitatem, acediosus vigilare non potest, mercator non potest quin peieret, alias enim nihil valeret sua (vt dicit) merx & sic de alijs. Hic valde damnabilis est non excusatio, sed accusatio, quia homines sic loquentes malè dicunt de Dei iustitia, misericordia & veritate, qui nunquam præcepit quicquam quod homo facere nequiret. Non dic, quia non potes, sed quia non vis. Quęro à guloso qui à potu nimio abstinere non potest, quemadmodum dicit ipse, si crederet poculum hoc veneno infectum esse, an ne biberet? Credo quod non, vt suum seruaret corpus, per multo efficaciorem rationem à nimio potu abstinere potest, cum sciat tale poculum animam occidere. Interrogo luxuriosum si crederet quod pro vno adulterio aut

fornicatione vnus ei à manu absci nderetur digitus, an ne abstinere vellet? Credo eum non vsque A adeò calefactum esse quin bene sibi caueret, quare ergo sibi non cauet, cum sciat non se solum digitum vnum aut manum amissurum, sed totum corpus & animam in perenni damnatione. Quis est adeò acediosus quin surgeret & vigilaret vt argentum lucraretur & taxillis luderet aut carthis? Quare ergo vigilare non posset vt lucraretur paradisum? Quis demum est mercator ille qui si crederet se quotiescumque falsò iuraret scienter duos amissurum denarios, aut album vnum, quis B inquam est qui non admodum caueret iurare? Permulto fortiorem rationem vitare possent ne tanta iurarent & totiens peierarent, vt euaderent damnum, non vnius albi, sed animæ suæ. Sunt friuola mendacia & contra Deum blasphemiæ, dicis te amare Deum, ostende per opera, nec eum irasci facias per tua peccata. Si ob lucri aut mundi amorem nos patiamur tantas ignominias, dolores & miserias, quomodo dicere audemus nos pro amore Dei sua mandata non posse adimplere. Si diabolus per aliquem comitum eius vt per super- C biam, auaritiam aut stultum amorem, iubeat te ire per terras, per maria, per prælia, per omnia pericula, vt tuam & eius malã adimpleas voluntatem, statim obedis. Hoc apparet in militibus, in mercatoribus, in stultis amatoribus. Quomodo ergo allegare audes & dicere, te non posse obedire huic quod tibi præcipit Deus, & à periurio cauere non posse? Valde magna est falsitas & grandis præsumptio contráque Deum contumelia. Manifestè ergo liquet nullum se excusare posse, qui nunc D cantet & lætetur modo supradicto, hoc est acquirendo virtutes & voluntatem Dei & quæ præcipit adimplendo.

Et hic volo sex ponere conclusiones, de his qui taliter se de iuramentis non disponunt. Prima conclusio: mercatores omnes & alij scienter falsum iurantes peccant mortaliter. Secunda: tales homines verè & sufficienter pœnitere non possunt, nec Deo acceptum opus facere, nisi bonum & firmum ab hoc abstinẽdi habeant propositum. Tertia: Verisimile est & præsumendum tales ho- E mines qui ob consuetudinem scienter peierant, non habere firmum abstinendi propositum, alias enim abstinerent. Quarta: verisimile est tales homines non habere bonam in Deum fidem, nec in suam iustitiam, cum non aliter pœnitẽtiam agant. Quinta: verisimile est Deum habere tales homines, & qui finaliter sint damnandi, cum non aliter nisi cum damnantur credant ea quæ eis à prædicatoribus dicuntur, quemadmodum verisimile est infirmum qui ab excessibus cauere non vult, nec F vti medici consilio, sanitatem non habiturum. Sexta & finalis conclusio est, quod eiusmodi homines si non eorum malam emendarint vitam, auferentur à diabolis absque hoc vt Deus habeat pietatem aut misericordiã de eis. Quæ certè dura est pro illis hominibus conclusio. Pariformiter sic dicere possem & in sex meis conclusionibus ponere de fornicarijs & vsurarijs assuetis. De his etiam qui sunt procuratores & aduocati & soliti sunt deducere & defendere iniquas causas & iniustas, siue sit per auaritiam, siue per fauorem, aut alteri proximo grauamen inferendo & luctamen, & præsertim pauperibus. De sartoribus etiam pelliparijs, argentarijs, & alios hospitio recipientibus hospitibus. Alijs quoque hominibus qui assueti sunt exercere fraudes, deceptiones, aut furta in eorum negotijs. Multo maior est duritia, & multo peius est per consuetudinem peccare, quam per ignorantiam, humanam fragilitatem peccando semel aut bis absque consuetudine. Sed sinamus hanc materiam quę tristis est, & natiuitatis Domini contemplemur gaudium. Ideo concludendo charissimi audistis quomodo natiuitas benedicti Dei filij admirabiliter valde facta fuit. Et propterea eam adoremus, eam reuereamur & timeamus, quemadmodum dictũm est. Ipsa facta fuit fructuosissimè, propterea glorificemus eam, seruemus & appreciemur. Tertiò ipsa fuit facta amabilissimè, propter illam causam amemus eam & de ea lætemur, lætitia inquam sobria spirituali & deuota absq; vaga dissolutione, vt de temporali hoc gaudio ad æternum cœlorum peruenire valeamus gaudium, quod nobis concedat Pater, Filius & Spiritus sanctus, qui est Deus benedictus in secula seculorum.

ALIVS SERMO DE EADEM DIE NATALIS DOMINI FACTVS PER *eundem de Gerson, in præsentia regis & complurium aliorum magnatum.*

GLORIA *in excelsis Deo, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quæ verba originaliter scripta sunt in Euãgelio sancti Lucæ 2. cap. Recitata verba in Missa mediæ noctis huius diei natalis, quę est lingua quę exprimere posset aut cor quod meditari posset diuinum gaudium, quod hodie recepisti mater Dei gloriosa? Melius enim te nominare nescio, quam matrem Dei gloriosam. Quæ fuit iocũditas & spiritus tui exultatio cum Angelorum cateruam altis vocibus cantantem in hora mediæ noctis intelligeres? Taliter inquam cantantem vt tota resonaret terra, resonaret & cœlum nouo isto cantico, quod pro nostro sumpsi themate, gloria sit in excelsis Deo, omni bono, omnino potenti. Gloria sit tibi domine in excelsis cũ in terra per fœlicem tuam natiuitatem cessare fecisti horribile duellum quod erat inter te & humanum genus, & pacem apportasti hominibus scilicet bonæ voluntatis. Et quid est bona voluntas, hic interrogabitis. Est voluntaria subiectio ipsi Deo, is impedit amorem & gloriam Deo qui Dei seruat mandata. Et quia Dei mandata seruari non possunt nisi sciantur, nec sciri nisi audiantur, nec fructuosè audiri absque gratia, nos qui vt audiamus aliquid de tua gloria & tuis mandatis in optima hac natiuitatis die congregati sumus, & quia huius gratiæ tu es tanquam custos & thesauraria virgo mater & puella Dei in hac benedictissima natiuitatis die, te salutabimus, vt gratiam à te impetremus, in quo vtiliter aliquid facientes ad gloriam Dei & nostram pacem audire valeamus. Et vt bonam voluntatem habeamus, salutabimus te inquam salutatione qua vsus est hic, qui benedictum hodie natum fructum tibi Angelum annunciauit dicens: Aue Maria, &c.

Gloria

Gloria in altissimis Deo, &c. Intelligite rex, principes & Domini, totæ omnesque deuotæ personæ, intelligite qualis hodie pax orta sit ipsa generalis, nec quicquã est quin eam sentiat, ipsa comprehendit cœlum & terram & Deum & hominem. Gloria data est Deo pro parte sua, & pax cadit in terram pro parte hominũ bonę voluntatis. Aliud non quærere debemus quam vt honor sit Deo & vtilitas nobis. Et quæ est vtilitas melior pace? In bona profectò pace omnia includuntur bona secundum quod dicit sanctus Augustinus quod etiam experientia declarat in his qui conscientiæ pacem habent, & ad extra videntur ad mala crudelia cogitare, quæ sunt & fiunt in bellis & pręlijs. Loquamur igitur de gloria quæ debet esse Deo & posthac de pace quam habere debẽt homines bonæ voluntatis. Debemus Deo gloriam magni & parui sine exceptione vlla recognoscendo ad mirabilem suam sapientiam in hoc quod nos refecit, & reparauit hoc quod peccatum deturparat recognoscendo finaliter dulcissimam suam bonitatem qua nobis administrauit pacem, gratiam & gloriã perẽnem, si nos nõ obstiterimus, hoc est peruersa nostra voluntas. Et omnia hæc nos recipere possumus, pręcipuè nos christiani mediante iocundo tuo hodierno partu Dei mater gloriosa per suam natiuitatem Noël, per natiuitatem benedicti filij tui Iesu Christi saluatoris nostri. In signum cuius postquam hoc gaudium quod erit vniuerso mundo fuit per angelum quẽdam præterita nocte annunciatum: Dixit angelus annuncio vobis gaudium magnum quod erit vniuerso populo, quia hodie natus est saluator mũdi Iesus Christus in ciuitate Dauid pro vestra vtilitate. Et continuò superuenit magna caterua, magna angelorũ multitudo, quæ alta voce nostri thematis resonabant verba. Gloria in altissimo Deo, quasi acclamando Noël. i. nouum Noël Noël, quia Deus natus est. Sed mox quęrit quispiam, si Deus habere debet gloriam propter suam potẽtiam & sapientiam, an ne aliter potuerit humanum redimere genus quam suscipiendo tales ignominias & impotentiam ad famem vsque sitim, vagitum, immo ad suscipiendam mortem amarissimam. Responsio: Deus potuit aliter secundum suũ beneplacitum mundum redimere, quia in vno solo verbo est volũtas, neq; erat quicquã quod ei deberet contradicere, quia omnia quæcunq; voluit fecit.

Verum Dominus Deus noster hunc nos redimendi assumere voluit modũ ob multas causas. Primò vt nos ad eius cõmoueret amorem. Quis est homo tam duri cordis, tam ingratus & peruersus pro quo si rex (qui hic adest) dominum delphinum proprium suum filium ad mortem daret vt alium à morte redimeret & eũ saluaret & honoraret, quin talis magnopere regem diligeret? nullus est quin ita faceret. Nihilominus Deus pater sic nobiscum egit. Et si dicas te eum amare, ostende signum, ostende opera tua, quia sicut dicit sanctus Ioannes qui dicit se diligere Deum, & mandata eius nõ seruat, mendax est. Et adhuc peior est is, qui aduersus Deum de suis beneficijs bellum concitat, quemadmodũ faciunt ingrati, & qui huius mundi abutuntur bonis. Secunda causa propter quã Deus nos hoc modo voluit redimere est, vt humiliemur. Ad humiliandum. scil.

A stultam præsumptionem, fatuã superbiã, quam in hoc mũdo humana suscipit persona, non obstãte quod sciat vel scire debeat cõtinuò se esse in terra sepeliendã, & cadauer suũ à vermibus rodendum. Et quod recipit in hac angusta vita pœnas, dolores, verecundiã, afflictiones, infirmitates & innumera infortunia. O stultam præsumptionem, ô cadauer elatum, ô saccum fimo plenum. Cur inflaris? Si omnes tuæ miseriæ non sufficiant ad te humiliandum? respice quæso regis tui, Dei tui & Domini tui humilitatem. Est irrationabile nimis

B videre Dominũ aliquẽ omni humilitate prędituũ, & famulum suum omni superbia & vanitate repletum. Aperite modò cordis vestri oculos, & per verũ fidei lumen hunc videte puerũ hodie natũ, videtis ne eum? Contemplamini eũ, ipse est in forma pueri in præsepio positi, at mutis bestijs associatus ab vna puella & antiquo homine, Maria & Ioseph. Nihilominus tamẽ sicut dicit apostolus, ipse est Deus in æternum, benedictus est tuus Deus, tuus iudex, hey vnde deinceps fastum tuũ

C sumes & gloriam? O stultum cor ac superbũ humorem creaturæ, erit ne ob tuam potentiam aut nobilitatem, quæ tibi apparere facit alios tibi similes non esse homines? Considera hic potẽtissimum & omnino nobilissimum pannis inuolutũ, positum & veluti impotentẽ reclinatum. Erit ne ex tua sapientia? Considera hic omnis sapientiæ Deum, qui nec vnum quidem dicit intelligibile non plus quam aliquis ignorans. Erit ne de bonitate tua, aut sanctitate? Ecce sanctum sanctorum inter bestias reclinatum & positum. Si tale exem-

D plar, tale speculum, talis medicina ab infirmitate superbiæ cor nõ sanat humanum, nihil aliud scio quod ipsum sanare debeat. Tertia causa est vt de facto prædicaretur contra errores mundi. Ante Iesu Christi natiuitatem mundus omnẽ in scholis suis habuerat voluptatem, diuitias, honores & carnales delicias, quas Christus omnes refutauit, & procul ab se abiecit, vt haberet famem, frigus, sitim, dolorem & mortem. Et in hoc tria breuia pro instructione nostra sumamus exẽpla. Primũ

E clarè per hoc nobis insinuatur, nos non in hoc mundo, sed alibi quærere & expectare nostrũ bonum, nostrã salutẽ, & beatitudinem nostram. Secundum quod pauperes non debẽt verecundari, aut de paupertate eorũ confusionem habere, nec diuites de eorum diuitijs gloriari. Teneri quidẽ status potest, modò fiat cum mensura & in humilitate & absque grauamine, aut alterius nocumento. Tertium, quod quanto Iesus Christus saluator noster vt nos redimeret plus contume-

F liæ, & ignominiæ sine causa suscepit, tanto plus honoris & gloriæ illi debemus. Sit ergo gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Insuper quæro, quare Deus potius pastoribus, quam alijs suam reuelauerit natiuitatem? Respõsio, primò quia vigilabãt & intendebant gubernamini ouium suarum. Per quod nobis ostenditur quod si Dominus aliquis vigilauerit diligenter ad populum commissum seruandũ & defendendũ & pacẽ eiusdẽ, seruandũ dico, nõ destruẽdum aut dissipandum, Deus se illi ostẽdet, & etiã vnicuiq; homini qui vigilat diligẽter ad vnicam

ouem sibi commissam custodiendam, quæ est anima sua. Sic eam fugauit Dauid cũ dicit: Erraui A sicut ouis quæ periit, seruetur & seruari debet ouis, hoc est anima christiana ne cadat in superbiæ foueam, ne dilanietur per spinas iræ, inuidiæ & rancoris, ne sit scabiosa per pigritiam, ne ardeat & exuratur per luxuriam, ne sit excęcata per bonorum temporalium appetitum, ne fœtens per gulam, & sic de alijs vitijs. Alia causa fuit propter eorum bonam simplicitatem & honestam gubernationem, quia non se manifestauit his qui versipelles erant aut immundi, dediti carnalitati, nisi ad eorum confusionem & mortem horribilem, B sicut dicit sanctus Hieronymus, quod omnes hi qui tunc peccatum carnis contra naturam (quod nominandum non est) exercebant subitò mala moriebantur morte. Et quasi propter execrabilẽ hanc immundiciam filius Dei omisisset, ne assumeret humanitatẽ nostram, hoc est quod à Deo vindictam petit, quod fœtidum est angelis & diabolis, qui ante omnia huius peccati propter eius horrorem impediunt confessionem, propter quod peccatum accidunt caristiæ, mortalitates & C regnorum mutationes, secundum leges quæ præcipiunt peccatum huiusmodi igni puniri debere. Hoc non dico absque causa, contempletur vnusquisque propriam conscientiam. Propterea aliqui scire volunt si domina nostra in pariendo vsa fuerit obstetricum opera. In pariendo inquam, benedictum Dei filium? Sanctus Hieronymus expresse dicit quod non, & huic concordare videtur euangelij textus qui dicit, quod ipsa virgo Maria reclinauit benedictum suum filium in pręsepio & eum inuoluit pannis. Nec hoc admiran- D dum esse debet, quia pariendo nihil prorsus habuit doloris, natus est enim ex ea benedictus ille filius absque læsione corporis virginalis, sicut solaris radius vitrum penetrat non ipsum corrumpendo aut frangendo.

Possent hic fieri variæ quæstiones quas prætereo, & solum respondeo ad illam quæ ad hanc primam nostri sermonis partem fieri posset. Quare angeli in hac gloriosa natiuitate cantauerint: Gloria in excelsis Deo. Apparet enim æquè bene E gloriam Deo esse debere hic in terra inferius. Secundum quod sancta canit ecclesia dicens? Pleni sunt cœli & terra gloria. Responsio: verum est quod dicitur, sed per hoc datur intelligi quod dando gloriam Deo, nos eleuare debemus corda & cogitatus nostros ad Deum in altum, nõ dãdo gloriam Deo ore solum, quemadmodum faciũt hi qui dicunt eorum pater noster, aut aliquam aliam orationem, aut missam celebrant, & cor eorum & in rebus habent mundanis, hoc est cogitationes mũdanas, turpes & carnales, qui habẽt vt F dici solet, cor in coquina. Aliqui dicũt pater noster simiæ aut picæ balbutiendo, nec quid dicant sciũt, nec ad Deũ excelsũ cogitãt. Alij dicunt pater noster vulpis, qui dicunt mane pater noster, & postea confestim accipiunt nostra. Tertij dicũt pater noster papilionis, qui se hypocrisis & fictionis pallio cooperiunt, hi ab operibus cognoscuntur. Congruit autem rogare Deum corde & cogitatione propter quod gloria sit Deo in excelsis, & in terra pax hominibus bonę voluntatis.

Secunda pars. Pro secunda nostri sermonis parte & nostri thematis, quo pax hominibus hodie bonæ voluntatis per sanctos angelos est denunciata, hominibus inquam in terra existentibus, sciatis velim secundum tres terrarum modos triplicem pacem per aduentum huius pueri hodie nati concessam fuisse. Vna in terra est temporalis, secunda spiritualis, tertia personalis. Prima pertinet ad rempublicam, secunda ad ecclesiam, tertia ad vnamquamque personam, quantum ad pacem temporalem & reipublicæ gubernationem certum est ex Romanorum historijs per aduentum & Iesu Christi natiuitatem toti mundo vniuersalem pacem fuisse concessam, qui tunc totus Romano subiectus erat imperio, sicut ostẽdit euangelium dicẽs, quod in illo tempore exijt edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis &c. Et etiam Sibyllæ & Virgilius de hac pace locuti sunt. Fuit etiam pax hæc prophetizata per Dauid dicentem: Orietur in diebus eius (scilicet benedicti huius filij) iustitia & abundantia pacis, & fuit pax illa temporalis in illo tempore sic concessa, vt pax significaretur spiritualis quæ per hanc natiuitatẽ reparabatur inter Deum & homines, & inter homines & angelos. Fuit etiam data ad significandum quod in terra spirituali ecclesiæ per Dominum nostrum Iesum Christum pax fuerit concessa secundum quod ipsemet dicit apostolis: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Fuit etiam signum tertiæ pacis quæ in personali terra relicta fuit, hoc est in spiritu, in conscientia omnis humanæ creaturæ quæ bonæ esset voluntatis. De qua dicit apostolus ad Philip. 4. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Et illud: In pace factus est locus eius. O pulchra pax. O ditissimum pacis donum in terra personali humanæ creaturæ derelictum.

O desideratissima pax quo abijsti? O deuoti principes & Domini, ô vos personæ deuotæ quæ hic simul estis aggregatæ, heu nonne in cordibus vestris suspiratis cum de illa triplici pace in omnibus his tribus terris verba fieri auditis, & consideratis tempus præsens in quo per omnia non sunt nisi diuisiones, schismata, dissensiones, odia, inuidiæ, bella, & crudeles dissensiones? Credo profectò ex imis vos suspirare pectoribus. Et fortassis nonnulli vestrum quærent vnde venerit talis mutatio de tam nobili & vniuersali pace in tam crudele bellum quod modò fere per totum mũdum cernitur dispersũ. Quid hoc sibi vult? vnde hoc emanat, non ad modum longe eundum est vt ad hoc habeatur responsio, conuertamus oculos ad thema nostrum quod dicit, vt pax sit hominibus bonæ voluntatis, mala ergo voluntas in hac pace partem non habet, quia non est pax impijs dicit Dominus. Quare? Rationes sunt multæ, principalis est, quia mala voluntas tollere nititur & furari Dei partem. Et quæ est Dei pars? est sua gloria. Gloriam meam alteri non dabo, dicit Dominus. Est ergo congruum vt omnia perdantur, postquam volũtas Deo partem suam auferre conatur, hoc est gloriam suam. Et ratio est, vt malæ voluntati sua auferatur pax. Quis restitit Deo & & pacem habuit? Certe nullus potest resistere Deo, ei suam auferendo gloriam & pacem simul habere, propter quã causã? quia profectò iustitia soror est pacis custos & nutrix, fructus iustitiæ pax. Et quid tum? Congruit quod postquã iustitia expel-

expellitur, pacem simul abire, & quod nunquam pax sola iustitia permanere possit, non eam osculando & castè amplexando. Iustitia & pax osculatæ sunt, quia etiam nihil est magis iustitiæ contrarium & deperditiuum, quam tollere supremo Domino & maiori suo quod sibi pro parte sua debetur, & quod est tanquam sponsus eius hæreditas & corona eius. Dixi gloriam esse Dei partem singularem, sicut dicit solet omnibus dominis omnes honores.

Videtis igitur admodum rationabiliter Deum malæ voluntati pacem auferre, cum mala volũtas Deo gloriam suam tollit quantum potest & quãtum in se est, paulo ante cum omnes expulissem alienas cogitationes & mentem recollegissem, essemque velut minus solus, sicut dicit Scipio maior, quod nunquam esset minus solus, quam cum solus esset. Cœpi valde considerare diuersos modos, quibus mala voluntas Deo suam auferebat gloriam. Et inter cogitandum videbatur mihi malam voluntatem in varijs modis & figuris turpibus, despiciendis & monstrosis sese mihi ostendere, monstrum horrendum ingens habebat secũ vt principalem suum capitaneum, superbiam, fatuum præsumptuosumque Dei legitimi Domini proditorem, nec solus erat capitaneus ille, sed maledicta omnium vitiorum secum erat caterua, quæ enumerari non posset, sicut nec maris arenæ, horribilem hanc aspiciendo visionem si stupefactus fuerim, non admirandum, quia videbam & legebam in memoriæ meæ libro mala, quæ iniqua voluntas per auxilium capitanei sui superbiæ, stolidè & violẽter exercuerat tempore præterito, & quolibet adhuc exercet die. Apparebat mihi quod superbia veluti se iactans & gloriã Dei auferens diceret. Sum iste famulus per quem magistra mea mala voluntas pulchram paradisi angelo lucifero abstulit pacem, quem cadere fecit à tam sublimi loco ad tam horribilem confusionem & æternam damnationem. Quare? Quia gloriam Deo auferre voluit & ascendere tam altè sicut magister suus in corde suo dicendo: Ero similis altissimo. Sed primos parentes Adam & Euam quis de terrestri fugauit paradiso, quis talem eis in semetipsis & contra Deum dedit diuisionem adeò irradicatam? Fuit superbia per hoc quod ego superbia eos desiderare feci, vt Deo similem haberent scientiam. Et interea quantos perdidi & confudi, & maiores quidem, sicut magnum Nabuchodonosor Holofernem, Xerxem, Antiochum, & alios innumeros. Insuper etiam ego superbia nollem rem quamcunque fieri aut incipi, nisi honorem ipsum adipisceret, laudem & omnem præterea gloriam. Quapropter diligo & omnem suscito diuisionem, & eam semper de malo in peius continuo in omnibus terris in regnis tam spirituali quam temporali, eò quod duo grossi ollam vnam intrare nequeunt.

Sic mihi apparebat loqui superbia, dum hæc considerarem oculos considerationis meæ flectendo. Ecce voluntatem malam quę se in varias mutabat formas, præcipuè in quatuor quæ eo sũt in loco in quo prædicaui. In primis sumpsit habitum, qui quidem habitus dissimulatio nuncupatur, quæ mihi familiaris proditio apparebat. Post hac suspexi quidnam mala ageret voluntas; sic dissimulationis veste vestita, & confestim se dominis commiscuit & principibus, quia apparebat domina magnorum sensuum prudentiæ & boni consilij. Ipsa ea quę mox nouit expediens reperire medium, & inter duas nouit natare aquas volaréque decliuius, ne eam offendant remi. Vidit quidem veritatem ipsam bonam & legitimam consiliariam, sed non magni pendebat, verum potius interdum irridebat, quia veritas sæpenumero despecta erat & desolata tanquam fatua & improuida. Ipsa eo modo habituata dissimulationis habitu laudabatur, appreciabatur atque pomposè recognoscebatur veritas quandoque mediante conscientia denunciabat malè voluntati sub dissimulatione occultata quod erraret, quod peieraret, quod Dominum suum & populum contra veritatem consulendo scienter deciperet. Et per hoc quod bonam expelleret voluntatem, pax prorsus amitteretur, non curo, respondit ipsi conscientiæ mala voluntas temporizandum est, tempori viuendum est, suus quoque seruandus status. Si hi quibus seruio, malũ assequãtur aut damnum, bene est, talem quærunt vitam, talem quoque inuenient. Si enim veritatem sustinere niterer, continuò cum verecũdia & dãno expellerer. Eorum voluntatem volunt, & quod contra voluntatem est, odio habent. Per Deum non contradicam, & si omnia eorum facta tenderent ad perditionem. Secundum eorum choream cantabo notas. Scientiæ quoque meæ lumen per viam qua ambulauerint feram, etiam si inter eundum collum sibijpsis effringant, sufficit mihi modò habeam pacem & bona: semper quoque iucundus sit aduentus meus. Accidat malum prælium, aut quicquid aliud accidere possit, omne id paruipendo.

De secundo malæ voluntatis habitu. Post hac suspexi tempus, in quo mala voluntas secundum suscepit habitum, primo satis similem quæ adulatio nuncupatur, quæ tantum valet ac si dicatur adulatio siue amabilis deceptio. Ipsa tunc exiuit concilium & per palatium sola ambulabat per cameram, & breuiter per quæcunque loca maiores deambulabant, mirabile erat audire & videre malæ voluntatis mores. Sic adulationis habitu vestitæ, quia valde magnas reuerẽtias & humiliationes præstabat, in omnibus consentiebat, ad verbum quodlibet omnia laudabat. Meus inquit, Dominus bene dicit, ius habet si Dominus album dicebat, ipsa quoque album affirmabat, si nigrum, nigrum. Mores quoque eius & signa mutabat ad imaginũ in speculis similitudinem erga eos qui eas inspiciunt, quæ quidem imago cum quis ridet, ridet, cum plorat, plorat. Propterea faciebat de sapientibus stultos, & de stultis insanos, secundum quod dicit Terentius, quia nihil erat (secundum quod mihi apparebat) quin faceret quantumcunque inutile aut stolidum. Dum tamen ad gloriam & magna tum esset honorem. Ipsa erat diaboli incãtatrix, quæ de bello faciebat pacem, & de pace bellum, de bono malum, & de malo bonum. Nec erat vitiũ adeò horribile, quin parata esset ipsi obedire, ipsum quoq; exequi, hęc omnia adimplebat mala quę dissimulatio adimplere nequiuerat, omne quoq; impediebat bonũ quod veritas bona cõsiliatrix cõsuluerat atq; or-

dinauerat. et hoc erat per malas eius suggestiones apertas & secretas, dicendo capitia illa subducta A nullius existimationis reputari debere. Et dicẽdo etiã, quomodo Domine? Nũquid satis estis sapiẽs, vt quod faciẽdum sit, sciatis? vultis statũ vestrum imminuere? vultis ad pueri morem aut pusilli sub aliorum virga gubernari? vultis famulos vestros dedecorosè coram vobis mori fame? Talia mihi apparebant malæ voluntatis verba quæ adulationis habitu erat vestita.

Præterea quid mala faciebat voluntas vt pacem adimeret? Alio sese induit pallio: quam superstitionem nominant, hoc est fatuam & dãnnabilẽ B assertionem aut credulitatem vt de sortilegijs. Et dicebat fidem talem bonę fidei & honestæ religioni contrariam, promittebat mira, nihil pręstabat, verum potius impediebat, quia magnos promissores videmus plerumque insignes mẽdaces. Non solita erat eo vti habitu, præterque inter vetulas. Ob hanc causam vetulę sortilegę nominatę sunt. Aut locum nõ habebat nisi inter Saracenos infideles & idololatras. Sed heu vidi quod nitebatur intrare pulchriorem & nobiliorem totius C christianitatis locum, Deus id auertat, quoniam periculosam nimium corpori & animæ secum adducit diuisionem. Omitto historias de Osia & Saüle, & alijs compluribus. Sufficit id quod dicit Deus in lege quod occisurus esset malam talem voluntatem in medio populi sui. Superstitio Dei gloriam aufert, veluti si diabolus Deo potentior, sapientior esset aut amabilior. Si verba bona sint, eò peius, quia homines eis abutuntur. Quid ergo fiet? Modus quæretur humanus aut natu- D ralis, & si deficiat, nil aliud agendum est nisi misericordia postulanda, nil aliud agendum est nisi misericordia postulanda diuina bene viuendo & seipsum corrigendo, nõ ad aduersariũ & Dei hostem recurrendo. Eò pacto considerabam malã voluntatem quæ deijciebat pacem veram & iustitiam sorores bonas varijs modis. Cum eam inspicerem & in horrendas odiosas mutari figuras aspectu abominabiles, adeò vt verbis explicare valerem minimè. Ipsa enim monstrosa apparebat bestia, duo simul iuncta habens corpora, quæ in E nullo corporibus assimilabatur humanis, præterquã in facie. Infernalis hæc bestia magnus à nonnullis nominabatur status, in clericali statu, ciuili & militari. Erat verò grandis destructio & dissipatio. Et in vna parte immersa erat aquis turbulentis carnalium deliciarum. Et circumquaque circundata sãgui-sugis, colubris, lacertis, per quæ intelligo vitiosos homines & peruersa desideria, quæ sugebant & corrodendo comedebãt bestiæ huius partem vsque ad ossa & omnibus rebus di- F scordabant, præterquam ad id faciendum, quemadmodum duo concordant lupi vt ouem vnam comprehendant, hoc quoque faciebãt volando dare intelligi magnam esse liberalitatem & summam ingenuitatẽ, vt sic nutriri permitterent. Sed profectò erat stolida & dãnabilis prodigalitas, aut fatua largitas & crudelis pietas proueniẽs ex vanę gloriæ desiderio. Et ecce quomodo quia altera huius bestiæ infernalis pars alijs diuersæ manerici animalibus erat circumamicta, vt vulpibus, lupis leonibus & vrsis famelicis, per quæ intelligo affectionẽ aut vitiosos & raptores homines qui illi seruiebãt sub iustæ necessitatis titulo. Verũtamen secundum veritatẽ auara erat rapacitas, quæ nec viro parcebat nec mulieri, nec puerulo, quin omnia expoliaret, extorqueret, roderet diuersimodè, modò per fraudẽ vulpinã, modò per lupinã violentiã, modò per leoninã occasiõnẽ & omne fiebat, vt altera bestiæ huius pars nutriretur; quam dixi fuisse exiccatã & ad ossa vsq; corosã. Neque erat quicquã quod aliquã ostenderet apparentiã ex omnibus quæ illi administrabãtur, nõ amplius quã in abysso est marina. Verũ mala emoriebatur fame, sicut fingũt poëtæ de Tantalo. In ea tunc visione totus tremebam, & hærebam atque præ pauore pallescebam ne hæc infernalis bestia Galliam inuaderet. Quamobrem? Quia tunc ad memoriã redierũt multa sãctæ scripturæ dicta, historiæ & experientiæ. Nunquã scilicet fuisse domũ adeò opulentã, tam nobilẽ aut firmã ciuitatẽ, tam potẽs regnũ, tam stabile imperiũ, quin bestia hæc infernalis ex duobus repugnantibus cõflata vitijs prodigalitate. sc. & appetitu auaro, perdantur, deijciantur vastentur & prorsus subuertãtur si bestia hæc rebellarit & mansionẽ in eis habuerit. Præterea Tullij, Valerij & ecclesiasticas allegationes. Imperium Romanum & præsens status ecclesiæ id satis declarant.

Sub hac poësi aut imaginatione quæ videri potest obscura quatuor breuia & clara sumo documenta, ad vestram (Domine) regalẽ personã ad quam præcipuè debeo meum dirigere sermonẽ. Primum documentum est hoc quod dedit sanctus Ludouicus vester prædecessor amato suo filio, vt scilicet prębeatis vos talem cui dicere liceat veritatẽ absq; hoc, vt erga vos aliqua vtendum sit dissimulatione, quia quemadmodũ dicit Tullius qui claudit aures veritati, & specialiter huic veritati quam dicunt amici & Deum timentes homines, hic dimittendus est talis qualis est, quemadmodum infirmus, de cuius vita desperatum est, & emendationẽ libero suo relinquitur arbitrio. Boni Domini bonos faciunt consiliarios, vt veritas sine adulatione dici posset. Audiui Dominos de vobis loquentes qui de ingenua hac vos commendabant cõditione, quod scilicet libenter audiatis & bonis consilijs credatis, nil ergo restat, nisi semper bonum habere consilium. Et propterea secundum adiungo documentum, ne seruaueritis Domine quamcunque personam quæ vos adhortetur ad malum aut ad veritati cõtrariũ, quoniã dicit Sapiẽs, quod princeps qui libenter audit verba mendacij & adulationis à famulis, omnes ministros suos habet impios. Et quid quęrunt huiuscemodi famuli apud vos? Quærunt ne bonum vestrum & honorem aut regni vestri vtilitatem? Facile est videre & cognoscere quod non. Retrahite Domine manum vestram & magnifica dona & constãtes contẽplabimini. Dicit Seneca: Eiusmodi generis homines sequi Dominũ veluti muscæ mel sequũtur, Miluus cadauer, & latro mercatorẽ, hoc est vt habeãt, acquirãt & ad se trahãt. De malis loquor & secũdũ quod audiui à quodã qui vnus de maioribus est Franciæ, ꝙ interdũ per aliquẽ taliũ irritũ factũ fuit & dissipatum omne quod magnum deliberaret consilium. Recitat Tullius secundo officiorum partem vnã historiæ quam mittit rex Philippus filio suo Alexandro,

Alexandro, in qua quidem historia durè admodum carpit cum de excessiuis donis quæ suis administrabat famulis. Quæ stolida (inquit) ratio te ad hoc induxit, vt eos tibi fideles crederes futuros quos pecunia corrupisses? Nunquid hæc agis vt Græci te reputent non verum regem, sed ministrum & distributorem, is profectò peior efficitur qui recipit. Estque semper ad recipiendum paratior & ad semper capiendum atque petendum. Exemplum est de canibus *happelopins* gallicè dictis, qui semper quod datur recipiunt, & tamen à latratu eorum non desistunt. Intellexi quidē id vos conqueri & increpare thesaurarios, sed hoc non sufficit. Manus applicanda est operi. Oculus Domini conseruat domum, oculus ancillæ minimè. Non dico Domine vt quicquam mihi detis, sed date secundum rationem & mensuram, ac loca ad quæ dare fuerit non inutile, & secundum vestri status qualitatem, non nimis onerando & grauando populum, & ad impatientiam prouocando, per hoc quod fiunt taxæ & seueræ aliæ exactiones, quatenus ingētia dentur munera aut fatua expleatur largitas. Et si qui sint grandia nimis postulantes apertè aut secretè, communi vtendum est prouerbio, hoc est boni postulares bonos habeant abnegantes.

Pro tertio documento dicam id quod iam dudum audiui à quodam de nobilioribus vestræ curiæ. Et est quod cum semel mentio fieret de superstitionis aut malæ fidei modo. Respondistis potius vos misericordiam Dei vsque ad mortem expectare velle, quam facere aut permittere, vt quicquam circa vos fieret nostræ veræ fidei contrarium. O pulcherrima responsio & regiæ vestræ dignitati admodum congruens. O responsio quæ regi christianissimo iure optimo conuenit. O responsio digna, vt in publicis describatur annalibus & chronicis, & benedictus Dei filius hodie ex Maria virgine natus ad destruendas & extirpandas omnes superstitiones & iniquas credulitates ex sua gratia semper hanc in vobis continuet voluntatem. Profectò quicquid de corpore futurum sit (Ignoro enim quando deficiet) anima bene remunerabitur, & hoc sufficit.

Quartum documentum secundum modum quartæ infernalis bestię, quæ ex duobus pugnantibus est conflata vitijs, quæ sunt fatua largitas & auaritia, quæ suum deuastant & proximi bonum. Domine hactenus populi vestri habuistis dilectionem, & præcipuè aliquorum singularem habuistis amorem & affectum specialissimum, hoc reuera ingens donum est & magna Dei gratia. O Domine si cognosceretis querimonias & gemitus clamores & suspiria quæ hactenus & adhuc quolibet die vester facit populus. Non est in vobis cor adeò durum quin ad compassionem moueremini. Quia certè tam magno vos diligūt amore, vt parati sint & dispositi vobis obedire, seque & eorum bona pro vestra exponere persona & regno vestro. Considerate quod pulcherrimus est & preciosissimus talis populus thesaurus.

Nec melius conseruari posset argentum, quam in talis populi manu, nec promptius reperire possetis in necessitate vestra pecuniam quam in huiusmodi populi manu. Reperire inquā ad negotium aliquod arduum, nō ad profusionem quandam quæ sine necessitate effundit, & propterea in necessitate sua habet nihil. Solet dici (& verum est) hunc non esse patriæ suæ Dominum qui à populo suo est odio habitus. Nunquam permittat Deus Domine, vt per hunc aut alium modum vel per magnos nimium quæstores aut exactores adeò oneretis pauperem vestrum populum absque euidenti & iusta necesse: vt tandem omnia rumpi sit necessitate & pro amore succedat odium, pro obedientia rebellio, pro deuotis orationibus maledictio vestri miseri populi & subiectorum vestrorum vocantium & expectantiū à Deo vindictam. Deum precor, ne tandiu me viuere sinat, vt talem me oporteat videre desolationem, horrorem & confusionem. Et si à me quæratur, quæ sit iusta necessitas? non est meum definire. Finiam ergo hic sermonem in orationis forma. Gloriose rex cœlorum, in cuius benedicta natiuitate pulchrum hoc factum fuit canticum, vt gloria in altissimis esset Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Velis Domine potentissime Domine misericordiæ & totius bonitatis, velis inquam digneris corrigere & conterere omnes malas voluntates in bonas per veram pœnitentię virtutem, quemadmodum soleo prędicare populo, hoc est vt pœnitētia de præteritis agatur peccatis, & à recidiuatione caueatur quod si fiat bona habebitur voluntas. Fac Domine vt in vnaquaque terra tam temporalitatis quam spiritualitatis, tam in vniuersali quam in particulari pars & donum bonæ pacis concedatur per te qui benedictus es in æternitate cui sit gloria in excelso cœlo. Amen.

SERMO A IOANNE DE GERSON FACTVS PARISIIS IN DIE EPIPHANIÆ *coram rege Carolo sexto, & in præsentia complurium ducum, comitum, excellentiumque aliorum magnatum.*

Adorabunt eum omnes reges. Scriptum est propheticè per Psalmistā, Psal. 21. Quoniam sine vera & deuota religione, sine subiectione Dei & obediētia bona, nullus homo potest rationabiliter & debite rex appellari, dicit propheta verba proposita. Omnes reges qui in terra erunt Dominū eorum Iesum adorabunt. Quia non est dignus homo, vt quisquā ei subdatur qui Deo supremo suo & vnico Domino subiectus esse recusat, Hoc bene docti erant tres reges qui tali die (sicut hodie est) in Bethleem venerunt vt eorum adorarēt Deum, qui nouiter pro nostra redēptione carnē assumpserat humanam, de quibus principaliter longo ante tempore dixerat propheta eorum aduentum designans. Reges tharsis & insulæ. Et iterum ibidem thema propositum: Adorabunt eum omnes reges. Sed vbi tres reges Deum eorum Iesum repererunt? Respondit euangelium, quod cum virgine Maria. Inuenerunt (inquit euangelista) puerum cum matre eius. Quis eis viam ostendit, & eos quò recte ambularent, dixerit? Fuit clara quædam & splendida stella,

stella antecedebat eos donec venirent ad locum vbi erat puer. Loquendo spiritualiter. Si per gratiam inuenire nostrum velimus saluatorem & per bonam deuotionem ipsum adorare, accedamus gloriosam virginem per deuotam orationem, quia ipsa ea est, cum qua eum inuenimus, ipsa est quæ nobis eum manifestabit & ostendet. Ipsa est vera stella quę nos ad eum dirigit. Nonne meritò stella nominatur, cum sit clara & splendida per pulchritudinem, pura & munda per virginitatem? Ipsa est ea quæ figurata est in stellis signi cuiusdam virginis quæ puerum tenet Iesum nominatum, vt testatur Albumasar astrologus incredulus. Ipse est ea stella quæ nunquam lumen amisit gratiæ, nec obscurata fuit peccato mortali, veniali aut originali. Est stella diurna quæ diem & verum solem nobis annunciauit, nec annunciauit solum, sed adduxit & solem iustitiæ peperit. Hæc stella est quæ nos ad portum dirigit salutis, quemadmodum stella cœli nautas marinos. Ideo interpretatur Maria maris stella. Hæc est stella quę viam nobis ostendit omnem euadendi tribulationem, quemadmodū stella quæ Anchisæ apparuit & Æneæ, & eis viam ostendit, cum ex ciuitate Troiana quæ capta erat & ardebat abirēt, de qua loquitur Virgilius secundo Æneidos. Hæc demum est stella quam inspicere debemus & sequi quò nos ducat per huius mundi viam ad Dei habitationem & paradisum. Ad eam igitur placet conuertamur & lumē gratię impetremus, eam ergo angelica salutabimus salute, dicentes: Aue Maria.

Adorabunt eum omnes reges terræ, vbi supra. Ad trium regum commendationem & principaliter ad nostram instructionem, sciendum est quod secundum sanctam scripturam tres reges & tria regna hic in hac inferiori terra esse dicūtur. Quæ per hodiernos tres reges, & tria eorum quæ obtulerunt dona demonstrari & figurari possunt. Primum regnum personale est. Secundum temporale. Et tertium spirituale. Per primum regnū quod est personale, homo quoad personam suā bene est ordinatus, & hoc ad omnem humanam pertinet creaturam, quia vnusquisque se regere debet debitè, & sic dignus erit regis appellatione, de quo regno accipitur illud euangelij: Regnum Dei intra vos est. Et illud tragicum: rex est qui posuit metus & diri mala pectoris. Per secundum regnum quod est temporale homo quoad communem politiam bene regitur. Quantum ad temporalitatem spectat ad principes & terrenos dominos vt bene ordinent eorum populum in vnione & pace, & eum defendant ab omnibus oppressionibus, de quo regno inducitur illud scripturæ, regnauit Dauid, regnauit Salomon, & similia. Tertium regnum quod spirituale est principaliter sanctæ ecclesiæ respicit gubernamen & eos qui eam defendere debent & fidem sustentare christianam, per quod & per nihil aliud spiritualem finem nostrum (hoc est paradisum) possumus adipisci, & de rectoribus regni illius dicit Petrus, prima Petr. 3. Vos estis genus electum regale sacerdotium. In figuram & ostentionem horum trium regnorum, & quod Dominus noster Iesus Christus in omnibus his tribus modis rex fuerit, obtulerunt ei hodierna die reges, tria specierum dona, myrrham, aurum & thus. Per

A. myrrham primum figuratur regnum, quia sicut myrrha ex proprietate & conditione sua à putredine defendit corporali, sic ordinatum est regnū hoc, vt hominem prohibeat à putredine spirituali, per quam intelligo peccatum. Secundum regnum quod temporale est per aurum intelligitur, sicut aurum hominis egestati & indigentiæ succurrit, sic regnum hoc ordinatum est ad prouidendum, vt homines sufficienter & pacatè simul habeant eorum vitam corporalem mediante principis autoritate. Tertium regnum figuratur

B per thus, cuius vsus seruitijs adhibetur diuinis Deum adorando, propter quod seruitium hoc tertium regnum principaliter est ordinatum, in significantiam etiam quod in signum trium horum regnorum, Iesus Christus Dominus noster in die tali (sicut hodie est) tria fecit miracula absque stellæ miraculo, quamuis id fuerit in diuersis annis. Quia per baptismum suum sanctificauit aquam quo à peccato originali omnem humanam emundaret creaturam, & hoc est quantum ad re-

C gnum personale. De quinque panibus refectionem corporalem dedit quinque milibus hominibus, & hoc est quoad regnum temporale, mutauit aquam in vinum propter fidei nostræ confirmationem, & hoc est quoad regnum spirituale. Multæ aliæ concordantiæ, figuræ & significātiæ ad hoc applicari possent, sicut de nobis, de tribus regibus & de tribus stellæ conditionibus. Et cum hoc plures quæstiones ad hodiernæ diei solennitatem spectantes formari possent, & solui tam de

D tribus supradictis miraculis, quam de stella quam viderūt tres reges, cuius nam fuerit naturæ, cuius motus de sua magnitudine, de sua duratione, de sua figura, de suo loco, de die quo primò apparuit, an ne apparuerit alijs quam tribus regibus? An fuerit stella quam vidit Octauianus nepos Iulij Cæsaris faciendo sacrificia? De qua dicit Virgilius in bucolicis:

Ecce Dionei processit Cæsaris astrum.

Quomodo tres reges per hanc stellam Dei cognouerunt natiuitatem? Quomodo tam citò ab

E adeò longinqua terra ad Christum potuerūt peruenire? Cui scientiæ operam nauabant, si vetus sit ille versus: Hæc tria, &c. Si verum sit quod solitum est dici, quod portare nomina istorum trium regum à morbo defendit caduco? Sed hæ quæstiones & similes potius ad scholas & ad clericos pertinere videntur. Ideo eas omitto, etiam causa breuitatis vt loquar plenius moraliter & ad nostrā instructionem. Et dico quod omnis homo qui aliquod alicuius supradictorū trium regnorū

F habeat gubernamen, si bene vult gubernare, honorare debet Deum vnicum eius Dominum, & cum deuotè adorare, ad exemplum trium regum propter quos principaliter & propter omnes alios dicta sunt verba proposita. Adorabunt eum omnes reges terrę. O quā laudādi sūt, appreciādi & honorandi tres isti reges, quia Deum eorum per diuinam cognouerūt inspirationem, ad eum peruenerunt per diligētem operationem, coram eo se inclinauerunt per deuotam humiliationem cōtra eos qui in ecclesia coram corpore Domini nostri Iesu Christi se inclinare non dignantur. Demum adorauerunt eum per deuotam religio-

gem,

nem, ostendendo per magnifica dona eum esse verum Deum, verum hominem & regem regum in omnibus tribus supradictis regnis. Ipse enim est qui habet in vestimētis & in fœmore suo scriptum, rex regum, dominus dominantium. Valde imitari debent eorum exemplum omnes reges christiani & præcipuè vos Domine qui in vestro gubernamine tria prænominata habetis regna, de primo & secundo nulli dubium est, & de tertio res certa est & bono liquet intellectui. Non quod papa sitis aut episcopus. Domine, si rex non essetis spiritualis ob quam causam spiritualiter essetis consecratus? & non solum liquore consecratus terreno, sed sanctæ lampadis quam misit Deus (spectante populo) sancto Remigio Remensi, vt vobis tunc sacerdotalis datus est amictus. Quare Deus per sanctum Dionysium scutū dedisset de cœlis, si rex non essetis spiritualis? Quare etiam essent signata trium florum lilia, nec plura nec pauciora, nisi in signum quod tria hæc regna in gubernamine haberetis? Insuper etiam res hæc per id quod habetis nomen, demōstratur. Inter omnes enim alios reges appellamini christianissimus, quia christianitatem & ecclesiā vos & prædecessores vestri defendistis singulariter sicut rex spiritualiter. Ostendendo vos hæc tria habere regna, subiecta sūt vobis tria statuum genera. Status popularis qui supra nihil à seipso habet dominium quantum ad primum regnum. Status militaris qui dominium habet in temporalitate, quoad secundum regnum. Status clericalis, qui principaliter spiritualitati præest, quantum ad tertium. Posteaquam ergo gubernamen triplicis huius status personalis, temporalis, & spiritualis, ad vos spectat, figurari potestis per Gereon, qui secundum poëtas tria habebat capita propter trium regnorum gubernamen. Agite sicut tres reges hodie fecerunt, respicite per stellā & per veræ fidei claritatem locū in quo est Deus vester, rex vester, & Dominus vester. Ite ad eum per conuersationem & vitam honestam, & ascēdite dromedarium bonarum cogitationum & sanctarum affectionum, & post hac adorate eum per humilem religionem. Tria quoque illi præsentate munera, aurum charitatis, myrrham puritatis, sine peccati corruptione, & thus deuotæ & feruentis orationis, & sic in regali vestra persona verba adimplebūtur proposita: Adorabunt eum omnes reges.

Sed quomodo melius adorare poteritis Deum vestrum quam illi seruiendo? Quomodo melius ei seruire potestis quam illi obediēdo? quomodo melius ei obedire poteritis quam hæc tria regna bene gubernando? Quæ per abundantiam gratię suæ vobis administrauit & concessit? Certè nullo pacto. Apparet mihi quod ad hæc complēda tres in societate vestra conuenit habere virtutes, quæ tres reginæ nobilissimæ & pulcherrimæ nominari possunt dignæ, vt talem habeant qualis vos estis regem. Ad primum regnum sapiēter gubernandum nobili & libera opus est voluntate, secundum philosophum 9. metaphysicæ, & theologos. Voluntas est regina in regno animæ. Ad secundum regnum sapienter administrandum legitimus necessarius est amor & bona charitas. Nam rex debet habere amorem ad constantem politiam 4. Polit. Ad regnum tertium ingenuè regendum, necessaria est firma fides & vera credulitas. Nam dicit idem philosophus, quod tyranni debent esse censores legis suæ. A fortiori veri reges. Veruntamen vnaquæque harum triū virtutum seu reginarum thronum suum & sedem specialem habere debet secundum statum & cōditionem suam. Ingenua & libera voluntas in rationis sede debet sedere hoc est, vt sit rationabilis. Legitimus amor & bona charitas posita esse debet in lecto iustitiæ, sic quod sit iusta, & ne nimis dando vni, auferat alteri. Firma fides & vera credulitas sedere debet in cathedra & throno scientiæ diuinæ, quia ipsa ea est quæ nostram sustentat fidem. Omitto concordantias. In declaratione istorum trium punctorum per modū trium admonitionum totus noster breuiter continebitur sermo. Quantum ad primum punctum quod est de regno personali talem sumere possum orationem siue admonitionem.

Exhortatio ad regem quoad personam propriam regendam.

Nobilissime & excellentissime princeps, primum & præcipuè regnum, quod vobis ad gubernandum est commissum, de quo maiorem adhibere debetis diligentiam. Est anima vestra & regalis vestra persona, quia dicunt Horatius & Seneca, magnum regnum & imperium esse, seipsā gubernare, & multo maius quam totius mundi residuum regere. Et hoc probat Seneca de Alexandro Magno, qui omnem mundum sub sua habebat ditione præter semetipsum. Ducebat alios per suam potestatem, sed ambitione & superbiā ipse catenatus ducebatur. Nihilominus tamen admodum parum prodest homini alios bene regere, si proprium suum personale regnum permittat destrui & vastari. Et per quid destrui & vastari? Reuera per creaturæ humanæ inimicum, & per odiosum suum & horribilem filium peccatum, explorandum tyrannum. Ipse talis est, qui animam tenet & ad perditionem ducit, & qui tenet & ducit pessimum secum comitatum, qui sēper conantur & parati sunt personale adoriri regnum. Venit superbia cum magna pompa, circūdata præsumptione & vana gloria, temeritate ipsa associata, & magnis se iactat vocibus, quod in hoc regno dominabitur & regnabit. Venit ira violenta cum desiderio & vindicta, dicit se omnia turbaturām, quod prælia & dissentiones suscitabuntur. Luxuria clamat quod totum hoc regnum amplexabitur & inflammabit. Auaritia magnopere conatur, vt in regno hoc dominetur. Pigritia somnolenta solummodo ad hoc nititur, vt bene agendi affectum ad hoc expellat regno. Odiosa inuidia introitum petit, & filiam suam tristitiam quæ semper regnum hoc excutiet, petit introducere. Illic posses videre ebrietatem, gulā, mendacia, odia, & alia innumera vitia, quæ omnia vnanimiter cum crudeli tyrano (peccato scilicet) regnum hoc personale infestant. Intoxicatas immittunt sagittas malarum cogitationum ignem, & lapides iniquarum affectionum & finaliter omnia disperdūnt malæ operationis gladio. O quam ferox prælium, quam periculosum

& mortale bellum, quis vindictam sumet de inimicis quis cum eis congredietur? Respondeo, quod erit prima supradicta regina generosa scilicet & libera voluntas nunquam pateretur se talibus subijci inimicis, & quod per tales ganeones in seruitutem redigeretur despectissimam, quæ est peccati seruitus, sicut testatur Boëtius lib. 3. de consolatione, & Tullius in quarta paradoxa, & Horatius satyra vel sermone finali, & complures alij. De hoc dicit scriptura sacra: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Ioan. 8. Sumite ergo Domine, sumite pro regno vestro personali bene gubernando hanc primam dominam, quæ libera & nobilis nominatur voluntas, eam meritò habere debetis, qui alijs nobilior estis & liberior. Per hanc sub pedibus vestris prosternetis vilem tyrannum peccatum cum omni peruersa sua comitiua, quia princeps aliquis si bene consideret vtilitatem & peccati horrorem, pro nulla re mundi se illi subijciet, si cor sibi sit nobile, & libera ad bene agendum voluntas. Verum efficite quod regina hæc supra rationis sedeat thronum alioquin enim nullum posse sibi esset nec autoritas, ei non prȩstaretur obedientia. Ideo dicit Seneca: Si vis omnia subijcere tibi, subijce te rationi. Cum sic libera voluntas in throno suo sederit & maiestate, mox veniet ad eam discretio pro suo cãcellario, pro suo consiliario charitas, pro suo præposito & baliuo iustitia & misericordia pro satellite prouidentia, pro nũcio suo agilis intellectus, pro suis stipendiarijs & militibus venit humilitas contra superbiam, contra iram temperata humanitas, & sic de alijs virtutibus. Fortunatus est princeps ille cui eiusmodi est comitiua ad tutandum & seruandum personale regnum suum. Cum nobilis & libera voluntas hoc pacto rationis throno insederit, & sic associata præcipiet, & ordinabit vt quatuor principaliores viæ huius regni bene custodiãtur, videlicet aures, ne adulatio transeat, oculos, ne stultus amor aut fatua intret delectatio, os ne aliquod in eo sit verbum reprehensione dignum, cor ne transiliat superbia & vana ambitio. Si bene hæ quatuor seruẽtur viȩ, regnum erit in securitate, pace & tranquilitate. Sed qui non bene custodierit viam auream, subitò intrat adulatio quæ genita est ex auaritia, & cooperta siue ornata falsa assimilatione, quæ est adulatio proditoria, quæ ferit osculando, & occidit amplexãdo quando quis non curat scilicet quodcunque dãnum populo suo accidat, modò ipse lucrum reportet, nec ipsa profectò adulatio sola venit, sed secum adducit homini qui eam recipit, superbiã, & de seipso præsumptionem, odium bonorum, & eorum qui hominem talem diligunt fideliter amorem peruersorum qui ficto corde eum diligunt, in dignorum promotionem, & finaliter fugat & occidit veritatem bonam consiliariam. Hoc patuit in Xerxe Persarũ rege, in Achab rege Israelis, in Nabuchodonosor, & Holoferne Babilonis principe, & in Herode cuius hodiernum meminit euangelium, quod omnis Hierosolyma turbata est cum illo propter adulationem, dicit quædam glossa Chrysostomi. Claudite Domini claudite viam perfido huic inimico. De vobis dici solet, vos libenter credere consilijs, nil ergo restat nisi conseruare veritatem bonam consiliariam, ne per proditoriam hanc effugetur adulationem, quod si egeritis, errare poteritis nunquã. Hoc tamen fieri non potest nisi vobiscum homines & consiliarios habueritis, qui præ omnibus Deum ament, fidem & christianitatem. Quia homo qui Deum non amat nec christianam religionem, ad omnia perpetranda scelera est inclinatus. Insuper qui ament vestrum amorem & bonam famam, qui ad rempublicam sint affectati, & vestro compatiantur populo qui secretè vos arguant cum erratis, siue in moribus siue loquendo, siue nimis vigilando, siue in habitibus inhonestis, & vt talem qualis vos estis vestiant principem indignis, siue in ludis prohibitis siue in his rebus quibus iuuenis princeps errare poterit. Nã non est adeò iustus quin quandoque peccet si aliquis consiliarius aut familiarius assistens nõ fuerit his præditus conditionibus. Timendum est ne ad regnum vestrum personale fallacem introducat adulationem. Præterea custodiatur oculorum via, ne stultus ibi locum habeat amor, ex dissolutis omnibus aspectibus, quia nimis seuera est magistra, mox decidere faceret liberam & bonam voluntatem extra rationis thronum. Et postea incantaret, & cæcam eam redderet, & eam veluti stultam suȩ nobilitatis faceret obliuisci, suæ etiam libertatis & se substernere sine pudore, sine verecundia, & ad vitam deduceret dedecorosam & inhonestam Deo & mundo displicentem. O nobile cor & libera voluntas noli ferre, vt tam dura magistra, quemadmodum est stultus amor tibi dominetur. Memorare & recordare ipsum magnam deduxisse Troiam propter Helenam. Effugauit Tarqunium & omnem eius regalem sobolem à Romano imperio propter Lucretiam. Occidit Samsonem propter Dalidam. Fecit homicidam Dauid propter Bersabee, cõpulit ad mortem plura quam sexaginta milia hominũ populi Iudaici propter vnicam solam fœminam. Occidit Sichem propter Dynam, & Antonium propter Cleopatram, & sic de innumeris alijs. Ipse est qui ex dominis suos constituit famulos & ancillas. Et demum hominem peierare facit, & fidẽ suam & pactum in matrimonio promissum violare. Admodum mirabile est hominem aliquem nobilem fatuo amore compulsum iri, vt peierat & infringat fidem, amatæ suæ coniugi quam amicis suis mortalibus & ad mortem vsque seruaret inuiolatam. Non est igitur sapiens qui talem recipit hospitem, & non habet in regno suo nobilem & liberam voluntatem rationis throno insidentem, qui tali sese subdit Domine. Claudatur insuper oris via nequitioso mendacio, quia nihil est vsqueadeò abominabile in ore principis sicut infidele mendacium. Et sicut promissis non satisfacere, & iussa non exequi, quod verum est si rationabilia sint, quemadmodum esse debent. Legimus de Romanis principibus eos nihil voluisse dicere aut præcipere, quin omnino teneretur & obseruaretur, sicut dicit Valerius. Nunquid habemus de antiquis quibusdam principibus qui proprios eorum trucidabant filios eò quod cõtra eorum instituta inimicos fuissent aggressi. Et si victores extitissent, sed cum hoc via oris non ad inhonesta iuramenta assuefieri debet. Quomodo enim putat princeps aliquis datum sibi auxiliari

quando

quando eum iuramento negat, maledicit, & pudentissimè blasphemat. Congruit demum viam cordis cõtra dedignantem obseruari superbiam. O quam durum huius Domine seruitium quæ famulatum semper petit per ambitionem, siue iure, siue iniuria dominationem nouam appetit, & hominem qui eam recipit per Maria ducit, & terras per occasionem populi sine pietate & per quæcunque mortis pericula sine quiete vlla. Nimis est superbia dirus tyrannus, nimis malo est deditus qui tali sese dedit Domino, quis nobilissimum personale regnum quod Deus vnquam creauit destruxit? Ipsum scilicet luciferum? Superbia. Quis potẽtissimum regẽ Nabuchodonosor manducare fecit herbas & fœnum per cãpos sicut mutam bestiam? Superbia. Quis fecit damnosissimum inter Iulium Cæsarem & Pompeiũ ciuile bellum? Superbia. Quid modò regnare facit & permanere cupit crudelissimum & damnosissimum in christianitate scisma? Superbia. Demum Herodes qui fuit tẽpore regum per superbiam proprios suos commisit interfici filios. Propter quam causã dicit Augustinus Cæsar se malle esse porcum Herodis quam filium, vt recitat Macrobius in saturnalibus, qui quidem Herodes postmodum ignominiosissimè mortuus fuit, eò quod per superbiam Dominum nostrum Iesum Christum occidere appetiuerat, cum eius iussu innocentes trucidarentur. Verum enimuero de humilitate opposito modo se habet, quia regnũ conseruat personale, & confert homini aut principi sine comparatione plus honoris quam conferre posset superbia. Res liquet per tres reges hodiernos, qui gloriam habet & laudem perennem in paradiso & in terra, eò quod humiliter Dominum nostrum adorabant sicut prædixerat propheta in verbis propositis: Adorabunt eum omnes, &c. Modò transeo prmum hoc regnum personale, de secundo temporali verba facturus.

De temporali regno secunda pars.

Potentissime, nobilissime & excellentissime princeps post bonum primi regni gubernamen, superintendendum est vt secundum debitè gubernetis, ac bonum vestrum populum in trãquillitate, in sufficientia & in securitate conseruetis. Ad quod agendum sumere velitis secundam pręfatam virtutem quæ ingenua est regina fidelis amor & bona charitas aut dilectio nuncupata. Quia per nullam aliam rem quæcunque ipsa fuerit adeò bene regnum aliquod regi potest quemadmodum per amorem & dilectionem, & multo melius quam per timorem & tremorem. Vnde Terentius sic dicit: Erat longè mea quidem sententia qui imperium omne grauius credit aut stabilius quod vi fit, quam quod amicitia iungitur. August. Cęsar Octauianus appellatus, qui totius mundi fuit imperator temporę quo tres isti reges nostrum venerunt adorare saluatorem. Amabat ne mirificè rempublicam, cum eam suam appellaret filiam? sicut recitat Macrobius in satur. nec vnquam voluit Dominus dici, aut speciali vocari nomine, verum pater patriæ suæ vocari voluit ad ostendendum, quod non per timorem sed amorem regere suum voluit populum, quemadmodum pater suos regit filios, & de Iulio prædecessore suo dicit quidã historiographus, Suetonius Tranquillus. li. de 12. Cæsaribus, nihil eum ad maiorem partem mundi conquirendam plus iuuisse quam amorem quem erga suos habuit milites, & milites erga eum. Virgilius etiam maximus poëtarum describendo morem bonum Romanorũ reipublicæ gubernandæ fuit per hoc quod amabant & suis parcebant subditis debellando inimicos. 5. Æneidos.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

De hac materia sunt exempla principum innumera, qui ad mortem vsque populum suum dilexerunt de quorum pluribus recitat Valerius li. 5. ca. 4. de Decio, Metello, Curtio, Cibo, & Codro & Temistocle. Et in scriptura sancta legimus de Eleazaro, & de Iuda Machabæo, de fratribus eius, & compluribus alijs. Et Domine, quod verum sit id quod dixi, sine amore temporali regnũ gubernari non posse, apparere potest per similitudinem regni personalis. Nulli dubium est, quin si membra & partes hominis inter se contrarientur sic quod vna alteri obsisteret, taliter vt manus oculos creparent, & pedes corpus deijcerent, nec cor alijs membris dirigeret calorem, regnum personale hominis citò tenderet ad perditionem, quia (quemadmodũ dicit Iesus Christus) Omne regnum in se diuisum desolabitur. Ad hoc applicari posset apologia quam ponunt Esopus & Titus Liuius de membris aduersus ventrem conspirantibus, ne ei quicquam deinceps conferrent alimẽti, quoniam sine labore esset, propter quod accidit omnia membra perire. Sic profectò est, quod si regina hæc. s. fidus amor non est in principis societate regnum suum permanere non potest. Iuxta illud Salustij ab Ambrosio allegatum. Concordia paruæ res crescunt, discordia maximę dilabuntur. Domine, si vestri regni brachia per quæ intelligo nobiles milites, qui rempublicam tantum per eorum brachia & gladium odio haberent & persequentur oculos, hoc est ipsos clericos, vestrum prorsus exocularent regnum. Si brachia & oculi dedignarentur & destruerent pedes, hoc est inferiorem populum, regnum vestrum non haberet quo sustentaretur, quia sine subiectis deficit dominium quemadmodum sine pedibus corpus labitur humanum. Qua de causa ordinata est politia? nisi vt vnus alterum adiuuet, vnusquisque secundum statum suum, populus tribuendo victum & subsidia dominis, Domini eos tutando ab inimicorum suorum oppressionibus & eos fideliter conseruãdo, propter illum enim titulum honores habent, dignitates & ea quæ colligunt subsidia. Potest poni quomodo lucifer ex hoc peccauit, quia nulli voluit subesse seruiẽdo. Sic videtis quod regina hæc fidus amor & fidelis dilectio temporale gubernare debet regnum. Sic reuera (quemadmodum dixi) sedere debet supra iustitiæ lectum, quia aliàs in bene iudicando errare posset, & forsitan vni fauorem auferret vt alteri plus contribueret fauoris. Ex qua re confestim oriuntur inuidiæ, quemadmodum dicit Tullius in li. de officijs, & finaliter totius regni sequeretur destructio, quemadmodum per præcedens liquidum esse potest exemplum. Si cor quod corpus gubernat humanum per eius

calorem tãtum oculis mitteret caloris vt brachijs notabiliter deesset, aut si tãtum oculis & brachijs conferret vt pedes frigore nimio mortificarētur, subitò corpus dissolueretur humanum, aut ad minus valde impediretur in vigore & incolumitate, sic est de bono amore quantum ad principem in regno suo temporali, quemadmodum dictum est de calore cordis. Quantum ad regnum temporale, si rex tantum diuitiarum duobus aut tribus cõferret hominibus, vt centum aut mille ex hoc depauperarentur, amor iste non sederet in lecto iustitiæ, si plus debito tribueret indignis, & dignos sperneret. Aut si nimis reciperet ad statum suum manu tenendū, amor iste extra lectū iustitię esset. Propter quod fortunatū est regnum terrenum, cum princeps in societate sua talem reperit reginam adeò ingenuæ iustitiæ lecto insidentem. Nec meliorem societatem pro persona sua conseruãda habere potest princeps quam fidum erga subiectos suos amorem, quoniam certè sola non est. Non est inquam sola, sed quatuor nobilissimas habet filias, quæ principem omni ex parte securissimè custodiunt. Filia magis amata appellatur amor & dilectio, queadmodum mater eius, quia verissimum est quod dicit Seneca: Si vis amari, ama, & sic amor tanquam mater generat amorem, & per oppositum odium concipit odium. Si princeps aliquis odio habeat populum suum, nec populus eum diliget. Secunda filia est securitas, quoniam si princeps amet suos milites, suos ciues & suum populum (sicut prius dicebã) in eis amorem generat & dilectionem, hoc est quod ipsum quoque amabunt, & si eum amauerint, non est inimicus qui ei nocere possit, & sic generabitur hæc secunda filia, videlicet securitas. Opposito modo est de tyranno qui suos odio habet subditos, vt dicit Aristoteles: Securus esse nõ potest, sed necesse est vt melius sibi caueat à proprijs quam ab alienis hominibus. Illud apparuit in tyrannis, tum Romanis, tum Atheniensibus. Propterea dici solet plerumque eum non esse patriæ suæ Dominum quem proprius odio habet populus. Gloriosus igitur est fructus quem regina hæc parit, hoc est securitas. Tertia filia est misericordia & clementia, & hæc principaliter matris suæ lectum seruat, qui est lectus iustitiæ, sic testatur Sapiens: Clementia roboratur thronus eius. s. regis, qui bonum & syncerum ergo populum gerit amorem, non potest quin de infortunijs, tribulationibus & indigentijs misericordiam habeat & compassionem. Quod verum est si eas cognouit, & vtinam vellet Deus Domine vt eas cognosceretis. Certum est fidum amorem, sic vobis inesse quod hanc quoque filiam compassionem haberetis. Quarta & postrema filia est liberalitas, quæ nec nimis larga est, nec stricta nimis. Dat quando oportet, & quomodo & quibus oportet, præcipuè dat illi abundanter qui Dominum suũ super omnia diligit, Deo. s. eius ministris, & his qui suam sustentant fidē. Et hoc apparuit de hodiernis tribus regibus, qui nequaquam vacui venerunt adorare Deum, sed preciosa obtulerunt munera, sicut propheta prędixerat. Reges tharsis, &c. De quibus præaccepta dicta fuerunt verba. Adorabunt eum omnes reges terræ.

A *Tertia huius sermonis pars, in qua de spirituali regis vita agetur.*

Rex christianissime, rex miraculosè consecrate, rex spiritualis ac sacerdotalis, bene gubernata sũt, & Deo annuente melius gubernabuntur duo prima regna vestra, personale. s. & temporale. Velitis gubernamini tertij regni spiritualis inuigilare & diligenter superintendere. Sumite in regno vestro tertiam virtutem & reginam, firmam. s. fidem & religiosam appellatam. Hæc enim illa

B est quæ coram Deo omnia impetrat quæ bona petuntur intentione, omnia possibilia sunt credenti. Et iterum. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c. Hæc est per quam fiunt miracula, & qua principes obtinent victoriam. Nunquid non curauit Constantinum nobilem imperatorem à lepra? Nonne apertè victoriam dedit Theodono imperatori Clodoueo primo regi Franciæ christiano, & Carolo magno, alijsque innumeris? Reuera sic. Et è contrario quando Iu-

C lianus apostata ipsam negauit fidem, mala morte perijt. Et rationabile est regem christianissimum prę omnibus alijs christianam in se habere fidem. Et reor Domine non diu insistēdum esse ad persuadendum & ad inducendum vt hanc vobis assumatis virtutem, quia vos eam habere per euidentia declaratis signa. Quorum quidem signorum duo recitabo. Vnum est quod humillimam vestram & deuotissimam filiam Parisiensem vniuersitatem semper conseruastis & charè amauistis, in quo cathedra & thronus fidei (hic est san-

D ctæ scripturæ & diuinæ sapientiæ scientia) situatur, quam theologiam appellant. Hic enim abundantius theologia habet, & verius inuenitur quã in quauis alia vniuersitate. Thronus autem iste theologiæ & diuinæ sapientiæ, est thronus fidem ipsam sustinens, vt clarè ratio ostendit, quia si non esset theologia, non sciretur fides. Si non sciretur, non protegeretur, si non protegeretur, non longo posthac interuallo periret & desineret esse. Et propterea potest meritò affirmari,

E quod qui hunc ama tthronum (quemadmodum vos modò amatis, fidē amat. Et ecclesiastici prælati debent principaliter hanc cognoscere scientiam quantum ad personas eorum, & honorare promouere ac remunerare quoad alios. Et si qui essent (quod dico minimè) qui hunc thronum & cathedram hanc odio haberent & despicerēt, posset sine falsitatis nota dici eos fidem non amare. Et per oppositum, Domine singularis vester amor & affectio quam semper vestræ dictæ humillimæ filiæ vniuersitati Parisiorum ostendi-

F stis, vbi situatus est thronus ille, edocet apertè veram vos & christianam in vobis habere fidem. Aliud signum est ad hoc, quoniam de fide & de eius promotione omni tempore libentissimè verba fieri audistis, diu & admodum patienter. Est signum certum vos eam amare, quia nõ solet quisquam nec potest libenter audire rem illam quam odio habet & quæ displicet, nec id confingo per mēdacia aut adulationem. Domine mille personæ affuerunt cum in arce vestra *le leuure* nũcupata, vos audistis causam fidei & audientiã dedistis

dedistis à prima vsque ad vesperas non abeundo, non vt cessaretur monendo, nec vllum signum A tædij aut displicentię ostendendo. Ecce profectò audientiam regis christianissimi, regis spiritualis & sacerdotalis principis fidem amantis. O digna audiẽtia vt in chronicas aureis literis inscribatur, digna gloria & perenni fama per vniuersam christianitatem. O rex destinate & ordinate ad æternam saluationem, qui adeò diligenter verba Dei auditis, quia signum præcipuũ in homine quod finaliter saluabitur est quando libẽter audit loqui de Deo, de sua fide & de propria salute, quemadmodum cõstat vos fecisse in sequendo exemplũ B gloriosorum regum Frãciæ, præcipuè Caroli magni, & sancti Ludouici qui eiusmodi erant cõditionis quemadmodum testantur historiæ. Et ad mortem vsque à vobis odio habẽdi essent hi qui sanctissimam & diuinissimam hanc conditionem in vobis impedire auferre vellent. Quod ne accidat precor vtinam Domine vobis modo tempus esset audiendi & mihi scientia & eloquentia exprimendi, vt vobis verè, iustè & viuaciter declararem maximã & altissimã materiã (de qua homo C viuẽs loqui posset, fidem tangentem quam tãtopere amatis, tangentem gubernamen tertij huius regni christianitatis. Per quod amplificare possetis vestrã laudẽ vestrã gloriã bonã famam, quamdiu christianitas perduraret permaneretque. Sed vereor ne aliqui, non vos inquã Domine in quo omnis est clementia, omnis benignitas, & omnis patientia, sed nonnulli alij qui forsitan talibus carent conditionibus hic mihi imputarent ad præsumptionem aut stoliditatem suscipere sermonẽ D de tam sublimi materia, licet Christus mortuus sit pro me sicut pro aliquo alio. Sancta quoque ecclesia me regenerauit, obligatus sum & fidei quẽadmodum alius quisquã, sum denique vester exiguus clericus & subditus qui secũdum meam paruitatem vobis teneor fidelitatem, fidẽ & veritatẽ sicuti alius. Et si non possunt præstare tanta seruitia Deo, sanctæ ecclesiæ & vobis, quemadmodũ alius. An ne propterea ab eo quod possum desistere debeo? Reuera existimarẽ id reprehensione dignum, nec me sufficienter excusatum. Quia E quemadmodum in persequendis in nemoribus bestijs parui canes feram aliquam comprehẽdere nõ possunt, nihilominus iuxta vires eorũ nitũtur latratu & motu concitare quo à maioribus bestia capi possit canib⁹. Pariformiter omnes christiani absq; exceptione vlla in materia fidei quod possunt agere debẽt, quodcũque modo possint. Aliqui concitando per verba. Alij prosequendo & finiendo per opera. Et quoniam Domine inclita vestra maiestas omni plena clementia & fide sancta modestè & benignè fert vt ego exiguus ve- F stes subiectus & indignus clericus sine magna scientia & eloquentia portem Dei verbum coram regali vestra præsentia, in eo quidem loco in quo veritas manifestari debet. Per hãc sublimẽ maiestatẽ & clementiã & per verã fidẽ qua modò præditus estis per ardentẽ affectũ quẽ ad tertiũ hoc geritis regnũ, hoc est, ad sanctã ecclesiã & omnẽ christianitatem, dignemini Domine patiẽter audire quod per veritatis coactionẽ quam saluatori meo Iesu Christo debeo fidei, sanctæ ecclesię, vestræ quoq; regali maiestati, vobis dicere volo &

multo breuius quã materia expostularet, ad ea autẽ respicietis quæ dicturus sum, non ad modicam meã personã. O rex singularis rex christianissime, videtis ingentẽ dolorẽ (nõ dubito) & cũ magna cordis displicentia. Videtis inquam quomodo in christianitate iã per spatiũ duodecim annorũ est diuisio taliter quod vna pars alteram reputat scismaticã, excõmunicatã, & extra statũ esse gratiæ & salutis, hoc est vt si in eo moreretur statu, arderẽt & ęternis afficerẽtur cũ inimicis infernalibus tormentis. Heu qualis horror est solũ cogitare quã magnũ dãnũ fuit & esset futurũ si tã ingẽs populus, si tanti principes christiani, qui sũt aut vestræ cõfœderationis aut cognitionis perirẽt tã crudeliter in corpore & in anima, sine fine per purã vnicã negligentiã. Heu quã magna mala & inexcogitabilia spiritualiter accidũt propter malum hoc miserabile & infortunatã discordiã. Sed nec lingua humana recitare posset mala temporalia quę ob hanc eueniũt cõmotiones. s. bellorũ, præliorũ incẽtiua, odia regũ cõtra reges, principum contra principes, populorũ cõtra populos, quẽadmodũ docet experientia. Accidit exaltatio & promotio indignorũ, depressio dignorũ. Sancta sacramẽta vilipendentur, dispensationes fiẽt dissipationes. Iudæi & Saraceni lætãdi materiã nõ poterint habere maiorẽ, & audacter inuadendi & aggrediẽdi christianitatem. Propter quam causam? quia reuera ipsamet se ad destructionem accinget suijpsius, per prælia & diuisiones ciuiles, omne regnũ in se diuisum desolabitur. Hæreses & falsę doctrinæ publicabuntur, veniet persecutio illorum qui veritatem dicent & annunciabunt fidẽ, & eorũ qui ad hoc conabũtur, vt pax & vnio in sãcta reparetur ecclesia & christianitate. Hos persequentur alij veluti scismaticos, & tunc nullum erit remedium, cum veritatis prædicatores sibijpsis repugnabunt.

Ecce ecclesiã perditã, fidẽ collapsã, & christianitatẽ labefactatã, & breuiter tãta eueniũt mala verisimiliter eueniẽt in corpore & anima (nisi apponatur remedium) quod si per homines magne eloquentiæ & scientiæ (quorum plures sunt in in regno vestro) res ipsa verè & plenè (vt deberet) esse declarata. Domine fides vestra adeò magna est & tam integra ad christianitatis bonum affectio, quod nunquã solidum dormiretis somnum donec firmũ [illegible]uissetis remedium. Nec dubito quin si iam pridẽ bene fuissetis informatus, de hoc quod humillima & deuota filia Parisiorum vniuersitas vobis voluit super hac materia declarare, & ipsam libentissimè audiuissetis, & magnum bonum inde potuisset emanare. Sed dicent aliqui. Et vtrum absq; peruersa intentionẽ non posset quisquã inuenire remediũ, viam aut modum conuenientem, quin sit valde in præiudiciũ veræ vestræ parti & sancto patri vero papæ Clementi, quem credo & qui de gratia sua proprio instinctu & motu me beneficio donauit? Hic responderi potest per considerationem vnã notabilissimam. Certum est tam damnosum, tam horribile malum & adeò crudelem plagã & quæ crescit indies, sicut est plaga sanctæ ecclesiæ non posse sanari via humana absque aliquibus alijs inconuenientibus aut damnis futuris. Nec tamen periculosissima hæc plaga dimitti debet; quin

eius quęratur sanitas. Cum miles aliquis in bello grauiter est vulneratus, non omittit se sanari propter dolores à se sustinendos in scindẽdo aut plagam suã iterum consuendo, quia in graui infirmitate graue iacet remedium. Propterea non difficulter quæritur via, vbi nullum in quærendo est inconueniens & periculum. Sed considerandum est & sciendum si modus inueniri non posset per quem remedium poneretur ad horribilem hanc plagam quo non euenirent tanta inconueniẽtia christianitati & bono publico sanctæ ecclesiæ, qui eueniunt propter infortunatam discordiam. Non dubito tamen quin sint mille & mille boni & sapientes homines in vestro regno qui hunc modum bene prospicerent & adinuenirent sine prælio ancipiti & sine crudeli sãguinis effusione. Si enim diligenter consideretur & examinetur radix in quo iacet ægritudo, non apparebit adeò impossibilis curationis sicut nonnulli opinantur vel confingunt, quibus forsitan nõ est curæ quomodo res sese habeant, modò sint magni & pingues, & tempus labatur. Ipsi quoque & eorum amici magna in ecclesia sancta habeant beneficia, vndique dominæ sunt mali. Verum si aliqui essẽt talis (quod non affirmo) conditionis non essent boni christiani, nec boni fidei filij, nec sanctæ ecclesiæ. Nec possent in inferno profundè satis deijci. Est quoq; certum nullam esse humanam constitutionem, nullam lege neque decretalem quæ debeat aut possit impedire aut obuiare quo minus fiat vnio. Rigorosa nimis res foret vt hoc ꝙ institutum fuit pro bono sanctæ ecclesię, in suum grande verteretur præiudiciũ, quod pro charitate institutũ est cõtra charitatẽ militare nõ debet. Cũ ergo in hoc scismate remediũ inueniri possit (alioquin res malè se essẽt habituræ) magnum est dãnum quãdo nõ inuestigatur, per ꝙ tam magnũ bonũ christianitati possit accidere & tam magnũ malum cessare quod si nunquã quęratur, nunquã inuenietur. Propterea mihi apparet, quod primum in hac materia remediũ est quærere mediũ, vt damnosissimo huic scismati finis imponatur. O quam gloriosus & fortunatus erit dies ille in quo hoc fiet. Ah Deus omnipotens nonne illum videbimus diem? An ne tempore nostro discernetur & inuenietur via ac modus ad pacem & vnionem christianitatis perueniẽdi, ob quam pridem mortem sustinuisti. O rex christianissime. O rex per miraculum consecrate, nolite permittere vt vestro tempore hęc fiat diuisio. Non omittatis quin honorẽ, meritum & gloriã hoc in negotio vobis comparetis, sectemini vestros prædecessores qui semper vt ecclesiæ desineret scisma omnem suam operã impenderunt, quacũq; alia posthabita occupatione. Et si vestro tempore finiri non posset (quod minimè credo) nihilominus tamen honorificum fuerit incepisse, quia initium est difficilius, dicit Horatius.

Dimidium facti qui cœpit habet.

O si Carolus magnus, si Rolandus & Oliuerius, si Iudas Machabæus, si Eleazarus, si Matathias, si sãctus Ludouicus & alij modo in vita essẽt principes, & talẽ in eorũ populo & sancta ecclesię viderent diuisionẽ, quã quidẽ ecclesiã tam pulchrè ditarũt, augmentarũt & honorarũt, mallẽt cẽtum mori mortibus, quam ea sic permanere sinere, & quod per negligentiã omnia tam infaustè amitteretur.

A Hoc tamen faciendo certũ est Domine vos nõ posse facere opᵘ est gloriosus, Deo acceptius, magis meritoriũ, & perẽni fama dignũ magis quã si vinceretis bello ingentẽ Saracenorũ populum. Verũ etiã affirmare ausim quiddam ꝙ nobile cor meritò cõmouere deberet, & cor ad hoc faciẽdũ promouere deberet & incitare. Et est quod per hoc augere potestis gloriã & gaudiũ omniũ sanctorũ paradisi, pręter gloriam ipsius Dei, & suppetias ferre animabus in purgatorio existentibus. Immo his qui in inferno sunt pœna minor erit &

B tolerabilior quã futura sit si negotiũ hoc ità permaneat. Ah ergo quale opᵘ aliud posset esse mortuis, magis acceptabile & viuis tali principe dignius, qualis vos estis; magis vtile tertio huic regno christianitatis quam huiusmodi inuenire remediũ cõtra scisma, difficile esset opus aliud magis acceptabiliusque reperire. Valde infortunatè natus esset odio habitus ab omnibus sãctis, contrarius purgatorij animabus, & generaliter christianitatis inimicus qui factũ hoc malitiosè im-

C pediret. Et per oppsitũ felix erit qui tam magnum faciat bonũ negotiũ hoc adimplendo & promouẽdo. O nobilissimi principes & regij filij domini Aurelianẽsis de Berri Burgũdiæ & Thuronẽsis, dignemini huic negotio superintẽdere, per quod nõ solũ singulare Deo seruitiũ pręstare poteritis. Nec solũ fidei christianitati aut regi, sed etiã populũ vestrũ ad maiorẽ ponere vnionẽ & obediẽtiã, quæ verisimiliter esse non posset, si talis non finiretur discordia. O nobiles & constantes mi-

D lites qui omni estis prediti libertate, & cupidi veri honoris. Vos propter Deũ obtestor non hanc obliuioni tradatis materiam. Exponite vos libẽter, & bono animo in prælio, vitã vestram & omnẽ statum vestrũ vt seruiatis Domino vestro & honorem adipiscamini, hic periculum mortis non est istã promouendo materiã, quia verisimile non est viros ecclesiasticos (qui secundum beatũ Ambrosium pro armis orationes habere debẽt & ieiunia) velle tam citò aliud quęrere remedium, aut pati factũ hoc bello terminari. Videri enim pos-

E set de principum & bonorũ militũ carè nimis bonum fieri mercatũ. Bonũ est id terminari, modò fieri possit. Et certum est multo durius esse magisq; timendũ alicui principi aut militi vitã perdere corporalẽ quam esse deberet alicui pręlato aut homini ecclesiastico suam perdere prælaturam aut suum beneficium. Deus tamen nouit si vellent tam citò perdere & dimittere vt pax haberetur in ecclesia, nisi prius aliud quærerem remedium. Non dico plura, hic ergo non est mor-

F tis periculum, hoc agitando negotium, & tamen (illo non obstante) singulare Deo Domino vestro præstare potestis seruitium christianitati & regi plus absque comparatione quam Saracenos debellando. Liquet igitur quod quis fidem, quis christianitatem, quis honorem amabit? Et vos reuerendi in Christo patres Domini prælati, hoc vestra interest, vestrum est negotium. Respicite sanctam ecclesiam matrem vestram in pietate. Hæc est reuera quæ tanta in vos contulit bona, quæ hoc pacto vos nutrit, quæ tam amplos vobis dedit honores. Referte iam illi pares vices, quia in necessitate probatur amicus.

Heu

Heu maiorem necessitatem habere non posset mater vestra sancta Ecclesia quam modò habet. Opitulamini igitur vt à suis liberetur incommodis, ne illud prophetæ vaticinium verificetur: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Et audacter affirmo quod ad hoc tenemini sub pœna damnationis æternæ.

Sed reuertor ad regalem personam vestram domine statim sermonem finiturus. Dicam vobis (si audire libet) maximum quod habeo in hac materia dubium, & maximam apparentiam propter quam Deus non facit vt maledictum hoc scisma cesset & discordia. Et cōsidero per veteres bibliæ historias quæ pro nostra scriptæ sunt instructione, sicut dicit Apostolus: Omnia in figura contingebant illis. Considero quod populus Israeliticus qui eo tempore singulari à Deo prosequebatur amore sæpenumero habuit dissensiones & diuisiones magnas atq; acerbas persecutiones. Verum nunquam reperio Deum eos liberasse nisi per deuotas orationes generaliter factas, per ieiunia etiā vitam eorum emendando ad Deum conuerterentur. Hoc apparuit in Ægypto tempore Moysi & Pharaonis, & in deserto tempore Iudith & Holofernis, tempore Hester, & specialiter tempore Machabæorum. Vnde 1. Machab. 3. congregatus est conuentus vt orarent & peterent misericordiam & miserationes. Et in eodem lib. 3. Machab. 3. apparuit quomodo Iudas oratione vicit triginta-quinque millia hominum. Sic autem est pro huius scismatis cessatione nullas adhuc me vidisse fieri orationes, & generales per sanctā Ecclesiam processiones. Nec etiam ieiunia fuerunt indicta, cum tamen vitio quod malum est, spirituale remedium quærendū esset, præcipuè per arma spiritualia, per orationes videlicet & ieiunia, quia forte illud peccatum simile est dæmonio, de quo dicit Christus, quod non eijcitur nisi per ieiunium & per orationem. Dicit Iesus Christus Saluator noster aliqua esse peccata & pœnas, à quibus nemo potest liberari sine orationibus & ieiunijs, & fortassis scisma hoc tale est. Et supponamus malum hoc Ecclesiæ per viam humanam sanari non posse, tanto magis orationes fieri deberent & ieiunia. Sicut habetur 2. Paralip. 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos ad te dirigamus per preces scilicet & deuotas orationes. Et si dicatur hæc facta fuisse partim, possibile quidem est quod in aliquibus locis facta sint. Sed hoc non sufficit postea quam malum est, clarum & generale, orationes & ieiunia debent fieri in generali non solum in Francia, sed per vniuersam sanctam Ecclesiam. Et si sic fieret per bonam intentionem & bonum statum, credere non possum quin Deus suum visitaret populum, & quin inspiraret contra damnosum scisma quod Ecclesiam vastaret, medium. Multorum preces impossibile est vt non impetrent. Glossa ad Roman. 3. Et si Deum relinquamus, magnopere timēdum est ne ab eo pariter relinquamur. Insuper quo pacto melius nostrum adorare saluatorem possumus, ad imitationem trium regum, quā per deuotas orationes ad Deum recurrendo.

Sed confestim dicere posset aliquis in corde suo qui non haberet eam quę in vobis est humilitatem magnum fore pudorem, & ad meum verbum tam arduum fieri debere negotiū. Scitis domine quod bene agere qualicumque instinctu fuerit, non est verecundum. Quia omne verum à quocūque dicatur, à Spiritu sancto est. Propterea obedientia exhibetur Spiritui sancto & non homini, si quis veritati obedierit. Nonne vniuersum Romanum imperium stabilitum fuit per vnius solius hominis verbum. De quo Valerius lib. 1. cap. de omnibus. Nonne sanctus Ambrosius Ecclesiæ lumen per vnius pueri vocem factus est Episcopus? Nonne per Christianitatem facta fuit via marina per vnius hominis promotionem? Sic profectò, quia considerandum est qualis sit veritas, & non homo qui eam dicit est inspiciendus. Nec existimet homo me laudem propriam aut particularem meum hic appetere honorem. Sic enim me adiuuet saluator meus & pater meus Iesus Christus in postremo suo & rigoroso iudicio, quēadmodum hodierna die mori vellem in statu quo bonus mori debet Christianus, absq; hoc vt vnquam supra terram de me fieret memoria, & negotium hoc de scismatis cessatione bene fuisset inceptum & terminatum sicut mihi apparet ipsum terminari posse, bene esse possibile per istam viam aut per alias cōsequenter qui eas ponere vellet in effectum. Et si dicat præterea aliquis, difficile esse orationes illas & generalia instituere & ordinare ieiunia. Videtur mihi sub correctione, quā minimè, visa vestra maxima potentia & amore quem tota Christianitas erga vos habet. Considerato etiam quod boni Christiani homines maximopere pacē & vnionem desiderāt. Et quo regnū vestrum manifestum est nihil aliud requiri præter bonam vestram voluntatem & ordinationem, qua continuò exequerentur mādata subditi. Considerate insuper precor nullum posse fieri inconueniens, si in Christianitate orationes fiant generales. Et proculdubio magnus perciperetur profectus. Quia tēpora festiua quæ populus in gula consumeret, ingurgitando, bibendo, & iocando, ea ipsa in precibus adimplerentur. Orando scilicet pro statu vestro & vestri regni statu. Populus suos emēdaret mores per bonas exhortationes, quæ illi fient. Et principaliter rogabunt Deum simul vt inspirare velit & demonstrare viam, modum & remedium deueniendi ad vnionem sanctę & Christiani sui populi. Et si eo fiat pacto quis est quin grande bonum hinc credat futurum? Si bene vim considerat orationis. Nonne habemus quod per orationem Deus seruauit & pepercit magnę ciuitati & Niniuitarum populo. Quæ quidem ciuitas Niniue ad destructionem fuerat iudicata. Per orationem Moyses vicit Abimelech. Per orationem confudit & euertit Iosue muros Hierico. Per orationē Ezechiel vitam suam quindecim protelauit annis. Per orationem Ecclesiæ primus Papa sanctus Petrus miraculo à carcere fuit liberatus. Et breuiter orationes deuotæ factæ (sicut dicit Boëtius) nunquam non suum sortitæ sunt effectum. Vnde Christus ait: Si duo ex vobis consenseritis in vnum, amen dico vobis, de quacumque re, &c. Sed audiui domine, publicè coram vobis annunciari, per orationem, nobilem vestram personam à Deo impetratam fuisse per pium Papam Vrbanum & ita patrem vestrum credidisse & sensisse. Filius ergo estis deuotæ orationis. Eam itaque valde amare debetis, veluti matrem

vestram, eique credere, eam honorare & quærere quin bene sua in vobis approbata est virtus. Et verisimillimum est Deum non talia fecisse miracula absq; causa magna, & quin ex hoc maximum bonum nobili Franciæ regno voluerit euenire,& suæ Ecclesiæ per regalē vestram personam. Quod enim est maius bonum quam vnio Christianitatis? quis melius eam potest facere vnionem quam rex Christianissim⁹? Quomodo rationabilius inchoari potest, quam per generales & deuotas orationes ad Deum recurrendo? Quis melius instituet & procurabit orationes, quam is qui filius est orationis? Quis potius est filius orationis domine quam vos? Propterea in summa, supreme Christianorum rex, rex per deuotas impetrate orationes. Rex spiritualis per miraculum consecrate. Quemadmodum verum est vos habere firmam fidem & religiosam ad Deum inclinationem ad omnia bona & ad omnes virtutes ardentissimam affectionem ad Ecclesiæ bonum,ad honorem Dei & omnium Sanctorum eius,ad alleuiādas miseras purgatorij animas, ad finem Christianorum malis imponendum, recreare & consolari dignemini omnes bonos Christianos,superintendere velitis, & diligentiam adhibere vt orationes fiant, preces & ieiunia in Christianitate generalia, vt Deus cordibus inspirare velit humanis, & præcipuè prælatorum & principum, viam, remedium & modum habendi pacem & vnionem in sancta Ecclesia & populo suo Christiano. Sic vobis agere concedat Saluator noster Iesus Christus, Et benedicta mater eius Maria, bene scilicet gubernare vos & regnum vestrum longeuè, sanctè & gloriosè in hoc mundo. Et in fine peruenire cum hodiernis tribus regibus ad gloriam & gaudium perenne cœlorum. Quam quidem gloriam nobis concedat Pater & Filius & Spiritus sanctus. Qui viuit & regnat,&c.

SERMO PRIMVS DE SANCTO ANTONIO EREMITA, FACTVS

à magistro Ioanne Gerson, Cancellario Parisiensi coram duce Burgundiæ, & compluribus aliis.

POEnitemini. Matth.3. scriptum est. Pœnitemini, quoniam per pœnitentiam natiuitas datur gloriosa. Pœnitemini dicit dominus noster per verbum hoc quod est thema nostrum. Per quod quidem verbum suam incepit prædicationē, quemadmodum præcursor eius fecerat. Pœnitemini & ego adijcio causam. Iuxta hanc solennitatem quia per pœnitentiam natiuitas datur gloriosa. Gloriosam Natiuitatem hodie habuisti benedicte & fœlix sancte Antoni, cum de hac dolorosa via, de exilio languoribus pleno digna anima tua eleuata fuit in perennem gloriam & ad iocundam fœlicitatem in alio mundo fœliciter, tali sicut hodie est die. Quemadmodum interea princeps noster & dominus hic præsens corporaliter natus est in mundum. Accepi congruè materiam & thema meum vt te de pœnitentia commendem. O gloriose sancte Antoni, quamquam de alijs virtutibus pariter sis commendandus, hoc etiam, pro nostra erit admonitione & quia non possumus facere opus pœ-

A nitentiæ, nec sine gratia de ea loqui fructuosè, & tu es custos & thesauraria virgo Maria mater dignissima, ad te curremus te salutabimus, dicendo: Aue Maria, &c.

Pœnitemini, scribitur vbi dictum est. Lætare pulchra mater sancta Ecclesia. Lætare iuxta verba spōsi tui Iesu Christi, quia natus est homo in mundum. Sit omnis angustia in obliuionē, quia homo in mundo accepit natiuitatem. Prius portabis sanctum Antonium in corpore tuo mystico veluti in pœna & pœnitentię austeritate, modò natus est in

B mundum perennem superius in gloria paradisi. Dabis veniam mihi ô gloriose cęlorum princeps, qui vnus quidem ex maioribus es sancte Antoni. Dabis veniam ô gloriose miles Dei, si non singulis tuis laudibus dicendis, dignitatibus, excellentijs & bonitatibus institero. Profectò conatus meus esset irritus, quanto plura dicerem tanto restarent plura. An ne loquerer de tua contemplationis sublimitate? Nimis parum vt sufficienter loquar sum eruditus, & plerique vt intelligant indispositi. Recitarem ne tua miracula quæ Augustinus no-

C minat probatissima? Ipsa in toto mundo sunt notissima, nil noui dicerem. An ne austeritatē & pœnitentiæ tuæ perseuerantiam exponerem? Hoc impossibile foret factu breuibus verbis, cum eam feceris plus quam octoginta & quatuor in deserto annis. Si denique insistam vt te à virtutibus commendem, sicut de temperantia, prudentia, fortitudine, iustitia atque alijs, non videbor gloriam tuam vltra aliorum extollere gloriam. Quamuis & aliorum gloria mirum in modum sit magna,

D nullus est adeò magnus peccator quin si per vnam horam eam quam habuisti haberet sanctitatem & continuaret per tempus supradictū, quin inquam finaliter saluaretur si in tali decederet statu. Gloria ergo tua valde magna debet esse quæ in tanto tempore fuit acquisita. Patere igitur ô gloriose sancte Antoni, vt ad nostram loquar instructionem, ad quam habendam conuerto oculos meæ considerationis ad hodiernæ diei ministerium & fœlicem natiuitatem. Et diuersos inspiciendo libros tam scripturæ quam naturæ triplicem nati-

E uitatem reperio. Vna est dolorosa, alia gratiosa, tertia gloriosa. Prima est corporalis, duæ aliæ sunt spirituales. Vna quidem per gratiam, altera verò per gloriam. Prima est tum bonorum, tum malorum. Secunda est propria bonis in hoc mundo qui per gratiam sunt regenerati, & hæc ad tertiam ducit natiuitatem quæ sursum in cęlis est in gloria. In regeneratione cum sederit filius hominis, &c. Et hoc fit mediante pœnitentia, & præcipuè post peccatum mortale post baptismum perpetratum.

F Pœnitentiam igitur agamus, cum per ipsam gloriosam natiuitatem habeamus.

Prima Natiuitas. Quoad primam natiuitatem quæ dolorosa est parum loqui intendo, quando scilicet puer nascitur & plorat in mortali hoc mūdo. Ipse nuncius est in hoc mundo suæ angustiæ & omnibus periculis & malis præsentis deserti, & vitæ huius transitoriæ atque volubilis est expositus. Hæc natiuitas non solum dolorosa est, verumetiam vitiosa, nisi gratia eam purgarit. Propter quam causam Iob & Hieremias istam deplanxerunt natiuitatem, in qua nō est materia gaudij, sed fletus & gemitus. Et maledicebant ei in consideratione

ratione peccati, sicut dicebat Iob. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, & quasi flos egreditur atque arescit, & sequitur, & fugit velut vmbra, nunquam in eodem statu permanet. Quisquis eius quærit fœlicitatem fallitur.

Alia natiuitas est gloriosa, eò quod fit in gloria. Hæc natiuitas est cum anima recipit primò suam habitationem & suam gloriam, sicut sanctus Antonius hodie recepit, cuius dignitas, gaudium & fœlicitas verbis cõsequi vnquam posset nullus aut sufficienter describere. Quia sicut dicit Apostolus: Nec oculus vidit, nec auris audiuit gloriam, lætitiam & fœlicitatẽ scilicet quam præparauit Deus diligentibus se, ex toto corde videlicet & illi seruientibus. Et hæc est natiuitas de qua hodie solennitatem agit mater nostra sancta Ecclesia, quando scilicet, beatus sanctus ille Antonius in hoc seculo mortem obijt, & in altero noua natus est natiuitate, sicut mortem etiam omniũ Martyrum & aliorum Sanctorum natiuitatem eorum appellamus. Et de hac etiam hodie vos solennitatem facitis quemadmodum apparet. Nos loquemur principaliter de secũda natiuitate pro nostra instructione quia conuenit tum sancto Antonio, tum nobis & omnibus Christianis. Dicamus itaque natiuitatem gratiosam esse quam homo recipit in sancto sacramento Baptismatis, aut postmodum per pœnitentiam, quæ quidem natiuitas honorabilis est, nobilis & desiderabilis. Et de hac excellentissime princeps potes & debes hodie lætari in die hac sancti Antonij natiuitati cõsecrata, cum Deus rex regum, dominus dominantium ex Christiana sua te esse voluit familia, & tibi natiuitatem dedit diuinam & regalem quoad animam, quẽadmodum secũdum corpus natiuitatem susceperas regalem. In hac intentione bona & sancta celebrare potes & memorare gratiosam tuam natiuitatem. In qua suscepisti preciosum Dei donũ, suam gratiam scilicet & benignitatem. In hac natiuitate gratiosa dantur & infunduntur omnes virtutes, præcipuè tres theologicæ, fides, spes & charitas, vt anima in hac vita gratiosa ab omnibus inimicorum humani generis seruetur insultibus. Qui quidem insultus fiunt mediante peccato, maledicto proditore Dei contra ipsam animam. Nos id heu quolibet die experimur magis quam nobis opus esset. Et tuipse hoc bene sensisti certamen ô gloriose cœlorum princeps sancte Antoni, bene aduersarij nostri expertus es insultus, qui ad perennem nostram mortẽ semper nititur laborare. Reperio enim humani generis inimicũ in te bonã fidẽ occidere voluisse per infidelitatis gladiũ. Bonã spem per desperationis gladiũ. Charitatẽ per gladiũ proprij amoris, per iniquã concupiscentiam. Hæc enim figurãtur per tres lanceas, quibus trãsfixus fuit Absalon. Et cõplures aliæ figuræ ad hoc applicari possent. Nouit inimicus animã in via sua gratiosa has tres virtutes habere, per quas se Deo commendet, qui fons est vitæ. Apud te est fons vitæ, quia fides Deo facit coniungi sicut supremæ veritati & sapientiæ. Spes sicut summæ bonitati & potentiæ. Charitas sicut summæ maiestati & beneuolentiæ. Hic est nutrimentum animæ, nec potest anima grauius mori quam per hoc quod à Deo qui vita sua est, separetur, quẽadmodum corpus moritur cum animam amittit. Sed saluator noster nobis prouidit de re-

A medio, nobis ordinauit bonam sanatricem pœnitentiã, quæ resuscitat animã per peccatũ mortuam, & in ea instituit tres has nutrices nouã gratiæ dando natiuitatẽ, propterea dicit dominus noster verba proposita. Pœnitemini, & ego causam adijcio, quia per pœnitentiam natiuitas datur gratiosa.

Dic nobis quæso gloriose sancte Antoni, dic nobis quomodo inimicus voluit in te facere crudelem hanc occisionem fidei, spei & charitatis, & quomodo ei obstiteris? Sanct⁹ Antonius sic mihi videri potest respõdere. Sæpius inquit ad intra per
B malas suggestiones, & ad extra per quosdã paganos aut hæreticos, inimicus humani generis proponebat varia argumenta & blasphemias contra fidem Christianam, interrogando qualem nam haberem certitudinem. Cui respondi in hac aut simili forma, postea quam Deum esse verum est, nec quicquam hoc certius est, qui nouit omnia, potest omnia, gubernat omnia per liberam suam voluntatem, & hoc tũ philosophi, tum ratio naturalis ita esse ostendunt, quoniam necesse est vt dicamus vnum esse primum & vnum omnium rerum prin-
C cipem, & est Deus qui non creauit homines in mundum absque vllo fine, quare enim contulisset intellectum hominibus vltra omnia alia bruta, quo cognosceretur, amaretur, & eius intelligerentur mandata, nisi vellet quod homines cognoscerent ea amarent & honorarent, per bonam obedientiã ipsi obedirent, & bonam religionem & nõ solum vt tantummodo biberent, manducarent, dormirent, aut bestiarum more aut peiori quam bestiæ dies tererent. Finis hic nimis esset vilis, & alia ex
D parte ratio vult vt homo Deo suo subdatur domino & creatori omnibus modis, specialiter in suo intellectu per fidei obedientiam. Esset nimis magna superbia & stulta præsumptio subiectum in nullo credere velle domino suo, quãdo subiectus plenus est ignorantiæ & dominus omnia nouit, quemadmodum si puer suo non fidem adhiberet doctori. Et quid tum? In nomine Dei postquam humana creatura facta est ad Deo seruiendum per cognitionẽ & bonum amorẽ, hoc est per bonam religionem, necesse est vt fateamur finem hunc in
E quibusdam adimpleri hominibus qui bonam habeant religionẽ, & quod Deus qui est iustus iudex, reddit vnicuique iustum prẹmium, bonis bonum, & malis damnationem. Manifestum est iustitiam quę tam pulchra est virtus in Deo esse. Et quia nos videmus hanc remunerationem bonorum & punitionem malorum in hoc non fieri mũdo, rationabile est eam post hanc vitam futuram esse, sicut anima est immortalis, alioquin Deus non esset iustus retributor. Sed vbi inueniemus nos alibi inter
F homines bonã religionem & veram Deo placentem præter Christianam religionem. Quæ est alia religio taliter bonos docens mores, & quæ adeò contrarietur vitijs sicut religio Christiana? Quæ est denique religio alia quæ tantum ad Dei similitudinẽ creaturam eleuet humanam, & ad res spirituales vltra bruta animalia quantum religio Christiana? Non est illa Epycuri, Mahometi, quæ omnem iniquam & turpem præcepit carnalitatem, & pro præmio solam præmittit corpoream voluptatem, ac si homines immundi essent porci, & eiusmodi mutæ bestiæ, quæ præter corpus curãt nihil. Propterea Auicenna qui & ipse legis fuit Matho-

metica, dicit Christianos melius de animæ fœlicitate sentire, quam Mahometum. Nec sunt aliæ A aliorum paganorum & idololatrarũ sectæ quę infinitos miscent errores, deos suos diffamãdo, omnia eis vitia imponendo & dissolutiones, adulteria, odia & prçlia. Sicut de Ioue qui patrem suum exhæredauit, & in mille formas se transformauit, vt aliorum falleret vxores. Sic de Marte, Apolline, Venere. Aut credunt in idola surda & muta quæ non sunt nisi petræ vel metallum aliquod. Aut adorant bestias diuersas vt dracones vel serpentes. Aut cœlum & stellas, quæ solum opera B Dei sunt, eorum vocant Deum. Sed præterea quę est alia religio approbata magis Christiana religione? In primis approbata est per eius antiquitatẽ, quia fuit figurata & prçnunciata circa mundi principiũ tam in lege naturæ, quam in lege Moysi & scripturæ, per prophetas, & alios qui in omnibus alijs veritatem dixerunt. Ideo in alijs quæ cognosci non possunt nisi per reuelationem aut spiritum prophetiæ eis pariter fides adhibenda est, quemadmodum de principio mundi philosophi nihil scire possunt, cum hoc fuerit in libero arbi- C trio creatoris eum condere secundum iudicium & ordinem diuinæ suæ sapientiæ. Insuper testes innumeri eam ad mortem vsque durissimam sustinendam, & grauissima tormenta confirmarunt, hoc ipsi ponebant vadium. Et reuera nihil in eis erat ob quod mentiri vellent, propter argentum? non, timorem? non, fauorem? non, quia omnia exponebãt, & spernebant cuncta vt fidem eorum confirmarent & eorum assertionem. Nec dici potest eos deceptos fuisse, quia habebant litteras D sigillatas & bullatas sigillis Dei. Quæ sunt eius sigilla? Sunt euidentia ad confirmandam veritatem miracula quæ certam præbent experientiam, & talem qualem vnusquisq; in seipso percipit. Aliam habeo veritatem, sicut ego ipse probo de sancto Antonio, quam certè dubitare non possem potius quam aliam quamcumque veritatem. Et vtinam omnes pagani & infideles intelligerent bene & animaduerterent cum quali cordis securitate nos Christiani Deo dicere possumus: Domine si decepti sumus credendo religioni tuæ Christianæ à E te decepti sumus, quia tuipse propria appendisti sigilla in huius religionis approbationẽ. Tua propria sigilla miracula sunt quæ à nullo prçter te fieri possent. Qui facis mirabilia magna solus. Et ab his possunt fieri miracula qui te amãt, timent, & super omnia honorant. Et si quis mãnifestissimum hoc miracula, scilicet facta esse negare vellet, est tamen miraculum summum tot homines talis sapientiæ & auctoritatis in hanc sanctam religionem credidisse sine miraculo, ad prædicationem simplicissi- F morum hominum, sine litteris & sine cautione, sine violentia. Sicut Mahometus legem suam per mortem defendit, absque examine vllo. Nunquam lex aliqua melius fuit examinata per plura argumenta & ingeniosiores clericos, quam lex Christiana. Et bene conducit ad miraculum quod in talibus iam hominibus irradicata erat fides prorsus huic fidei contraria. Et quod hæc religio omnem defendit voluptatem & mundanas delectationes, ad quas erant assuefacti & pronissimi in tam exiguo quoque tempore quia viuente sancto Petro (qui à Nerone fuit interfectus) Christianorum lex per vniuersum mundum fuerat prçdicata sicut declarat Lyra. Adijcio homines absque numero qui erat summæ sanctitatis & auctoritatis quique se à Deo missos dicebant, & habere instructionem & de Deo reuelationem nobis id affirmasse, & quolibet die affirmare. Et quoniam etiam (vt verum dicatur) non potest inueniri alibi inter homines religio quæ magis doceat Deum cognoscere & honorare. Et quia illud agere erit finis noster, finis humanæ creaturæ, ob omne quod Deus vult atque in illa requirit religione, est necessarium hanc religionem solam veram esse & stabilitam, per te etiam humani generis inimicum, qui ipsi Iesu Christo te inuito dedisti testimonium ipsum, scilicet filium Dei esse. Et si erat filius Dei te teste, dabat veram legem. Nec habeas vllam fiduciam te posse occidere aut effugare veram in me fidem per incredulitatem quamcumque.

Charissimi ecce introduxi sanctum Antonium sic loquentem pro nostræ religionis approbatione, ad demonstrandam scientiam quam Deus illi contulerat, vt omnibus respondere possit philosophis, secundum quod sua habet legenda, & ad longum ostendit vt vnusquisque apud se respondere sciat inimici tentationibus qui talem subuertere vellet fidem. Nullum est peccatum quod adeò amet sicut incredulitatem. Nouit enim fidem radicem esse omnium bonorum, quæ si fuerit deleta & ab humano corde eradicata, de tali homine actum est, nunquam bonum Deo placentem proferet fructum, quia sine fide impossibile est placere Deo. Verum tamen est tria vitia, curiositatem, carnalitatem & iniquitatem istam in quibusdam impedire fidem. Curiositas turbat interdum quosdam qui nimium volũt inuestigare aut comprehendere de Dei iudicijs, quemadmodum lego sanctum Antonium semel cogitare incepisse mundi status quomodo aliqui essent fideles, alij minimè. Aliqui talis essent conditionis, alij prorsus oppositæ, sic apud se dicebat, dum sibi responsum fuit: Antoni Antoni, cogita de salute tua, Deus satis potens est vt mundum regat absque te. Sic repellẽdæ sunt cogitationes tales, vt quare tot damnantur Saraceni. Dico quod quilibet qui facit quod debet & potest vt Deũ cognoscat & amet, à Deo sufficienter de fide nostra illuminatur. Vnus quidem plus, alter verò minus in quacũque quis fuerit patria. Et si non essent nisi duo aut tres in mundo Christiani, ego non minorem haberẽ credulitatem. Testimonia sancti Antonij, vita eius & miracula atque aliorum sine numero mihi sufficerent, sicut Augustinus ob ea conuersus fuit. Carnalitas priuata sensibus, ebria delicijs, & excæcata, impedit quosdã ne bene credãnt rem quamcumq; spiritualem. Et sunt veluti bestiæ nihil credere volentes, nisi quod videãt aut corporaliter sentiant, nullo pacto ratione vtendo. Vnde est illud: Vinũ & mulieres apostatare faciunt sapientes. Beatus Antonius hac carnalitatis tentatione tentatus fuit, sed victor extitit taliter quod malignus spiritus ei apparuit in forma nigræ cuiusdam mulieris Æthiopis, veluti prorsus confusus & victus. Beatus ergo Antonius quæsiuit ab ea, quænam esset, dum (inquit illa) malus fornicationis spiritus quem tu tam ignominiosè superasti & vicisti.

Abscede

Abscede, ait sanctus Antonius, abscede, quia immundus es & abominabilis, nunquam in te oblectabor, sicque carnalitas non potuit impedire aut in eo fidem extinguere. Insuper iniquitas quæ est ingratitudo quorumdam obest fidei cum Deus eis dedit pulchrum & diues Christianæ fidei donum, & ipsi eo malè vtũtur, & mortificant ipsum per mala opera, & Deum proprijs eius bonis impugnant. Exemplum de philosophis qui ob eam causam excæcati fuere. Excæcauit eos malitia eorum. Et taliter excęcati fuerunt vt pro vero eorum Deo & creatore adorarent lapides, serpentes, & alias insensibiles bestias. Verè fides donum Dei est, quam desiderabat & optabat sanctus Paulus amicis suis dicendo, quod Deus eis pacem daret in bona fide. Et quoniam charissime mi atque honoratissime domine ac potens princeps nobile hoc fidei donum in gratiosa natiuitate tua concessum fuit in baptismatis tui hora, dignum est vt sobriè & humiliter vixeris Deo gratias agẽdo & sanctum Antonium laudando, quia facile est credite illi commendatum fuisse, & vt pro te oraret sanctus Antonius aliquos homines preces fudisse, cum autem illud minimè refutasse profectò affirmo. Illi igitur hodie gratias age, supplicando vt Deum pro te rogitãdo velit perseuerare. Et si peccatum post baptismũ tibi nocuisset (Dicit Salomon neminem esse quin peccet) bonam habes pœnitentiam quæ reddit, resuscitat, reparat animam. Pœnitemini igitur quia pœnitentia gloriosam dat natiuitatem.

De spe secunda animæ nutrice.

Veniamus ad secundam virtutem & nutricem animæ quæ data est in natiuitate spirituali baptismi, & est spes. Lego inimicum sæpius conatum fuisse vt sanctum Antonium verteret in Dei desperationem, quia varijs modis eum sensibiliter afflixit solum vt ad ipsum se conuerteret & ad suum subsidium, cumq; honoraret, ne spem suam in Dei haberet potentia, qui permittebat eum tam ignominiosè & asperè tractari absque suo delicto. Sed nihil profuit omnis tuus conatus pessime inimice. Semper permansit sanctus Antonius firmus in spe erga Deum, te spernendo & Deum honorando. Vnde semel accidit posteaquam sanctus Antonius talia recepisset verbera, dominus noster ei apparuit in quadam claritate quæ omnes repulit aduersarios. Et sanctus Antonius piè admodum clamabat: Bone Iesu vbi eras? Eram præsens dicebat Iesus. Quare ergo non succurrebas mihi ait Antonius? Expectabam respondit Iesus tuam patientiam & tuam spem qualis in me foret, & quoniam fuisti victor & stabilis, faciam te nominari per vniuersum mundum. Videmus bene modò promissionem hanc completam esse. Et hic tres capio veritates siue documenta tria.

Prima veritas.

Hi malè agunt, suntque arguendi, qui mox in tribulationibus eorum volunt habere subsidium, alioquin blasphemant Deum, aut statim contra Deum murmurant, eum quoque iniustum reputant aut parum misericordem, quantumcumque sint peccatores & parum deuoti. Expectandum est in humilitate sicut pauperes iuxta ostium.

Secunda veritas.

Facile sciri potest quod si Deus non pepercit bono suo amico beato Antonio, quin eum in dolorem & tormenta exponeret, nos peccatores necessariò puniemur, aut inuiti per damnationem, aut voluntariè per pœnitentiam & satisfactionem.

Tertia veritas.

Insuper dico historiam hanc esse contra hos qui non credũt aliquos spiritus esse bonos aut malos, cum maiores qui vnquam fuerunt philosophi, Plato & eius successores posuerunt tales spiritus, aliquos bonos quos caledæmones nominabant, alios malos qui cacodæmones nominabantur. Istam materiam ad longum tractare ad scholas pertinet verum inquantum tangit moralitatem. Quæret aliquis ob quam causam permittat Deus malignos spiritus bonis Dei nocere seruitoribus, & quandoque malos homines bonos affligere. Dico esse hoc aut ad patientiam, bonam fidem & credulitatem, & spem bonorum probandam, aut ad eos purgandos & exercitandos qui peccauerũt & pœnitentiam habent, aut ad damnandos, & excęcandos homines peruersos, qui nõ sufficientem fidem nec spem habent in Deo, qui vadunt ad auxiliũ inimici ac si esset potentior, siue magis sciens vel plus amans humanam creaturam quam Deus ipse. Sed interrogabis vlterius, quare maligni spiritus possunt compelli ipsis inuitis bonũ aliquod facere per coniurationem aut aliter? quemadmodum sæpenumero re & facto probatum est. Nam de sancto legitur Anthidio Archiepiscopo Bisuntino, quod cõiurauit diabolũ & ei pręcepit vt mox eum Romam portaret, & confestim ei obediuit. Ratio autem quare tam subitò voluit portari erat, vt admoneret sanctissimum patrem quod se à fornicationis abstineret peccato, ad quod iam plenũ dederat consensum per inimici suggestionem, quemadmodum reuelatum fuerat prædicto Anthidio eadem nocte. Dico igitur quod conari inimicos compellere potest fieri duobus modis: Aut per miraculum & vitæ sanctitatem, & hoc potest rationabiliter fieri per eos quibus Deus gratiam cõcessit. Et hoc fit in sancta Ecclesia per exorcismum. Aut est per alias vias superstitiosas & obseruantias prohibitas, non solum in nostra lege, sed vniuersaliter in omni lege paganorum & aliorum. Sicut declarat ad longum sanctus Augustinus in lib. de ciuita. Dei. Et dico quod hoc velle facere est res vana. Vana inquam, quia inimici sunt liberæ voluntatis, nec possunt cogi per alium nisi à Deo & miraculo, non per lapides, non per herbas, nec etiam per verba. Quamuis fingant se compelli per tales superstitiones propter tria. Primum vt decipiant homines, bene sciunt per talia opera summè Deum offendi, & fidẽ in baptismate promissam violari. Secũdò vt recipiant honorem & sacrificium Deo debitum. Adhuc non euasit fatuus & præsumptuosus suam simulationẽ, cum in principio voluit esse similis Deo: Ero similis altissimo, & propterea vult honorari his verbis quibus deprecatur Deus, & honorari talib⁹ sacrificijs per ieiunia, etiam & virginitatẽ sicut Deus. Sed quanto plus ibi est boni, tanto est deterius propter abusum qui est magnus. Tertiò propter deceptionem quæ citius fit, quia propterea quod immittit suam tentationẽ sub specie boni alterius, eò citius ei creditur, & periculosius decipit. Sed etiam hoc facere

est res periculosa scilicet se tali committere inimico, qui nec fidem habet, nec legem, nec amicitiam ad humanam creaturam, sed eam odio lætali prosequitur. Quomodo ab eo veritatem expectabis, qui est pater mendacij? Quomodo associaberis illi qui excommunicatus est à Deo, & proditor iustissimi tui domini? Et contra prohibitionem minatur te in mortem dedere in medio populi tui. Quomodo illi confides qui omnibus modis deceptor est? Nunquam profectò quisquam cum eo fœdus inijt, quin ignominiosè aut citò aut tardè deciperetur, nisi ab eo abscederet & pœnitentiã ageret. Omitto historias innumeras de Osia, de Saüle, & de Iuliano apostata. Optimè hoc nouisti ô gloriose Antoni, propterea bene cauebas ne spẽ tuam in eum poneres, aut in suũ subsidium. Sciebas eum nil posse nisi quod Deus illi permittit. Non ergo recurrendum est nisi ad Dei misericordiam, & iaciẽda spes in eum, quod fit per deuotã orationem & morum correctionem, non per superstitionem aut vitam suam peiorem faciendo. Nulla est peior macula in pulchra tunica bonæ famæ (quã debet habere princeps, & amare super omnia post Deum & animam suam) quam eum esse deditum diabolo. Notate responsionem regis Philippi, qua respondit quibusdam suggerentibus ei vt pateretur circa se fieri res illicitas, sicut incantatorum aut sortilegorum res vt sanaretur. Non (inquit) placeat Deo vt quicquam fiat circa me quod contra honorem Dei sit & reuerentiam aut fidem Christianam. Malo mortem sustinere in patientia, si voluntas Dei est vt moriar modò, nam vt semel moriar necesse est. O pulchrum responsum regis Christianissimi, & dignum vt memoretur frequentius.

Sed gradiamur vlterius, vbi nam alibi spem tuam locabis, in diuitijs tuis? certè pereunt, & te sæpenumero in tua potentia perdunt, & nobilitate. Videmus die quolibet eas quæ sunt mutationes, & in maioribus in primis. Mors omnia subuertit sine exceptione, iuuenes & senes, in sensu tuo erit etiã prudentia dicit sanctus Antonius, nihil esse magis contrarium bonæ vitæ, quam proprio vti capite, & capere consilium suum in capite proprio, sibi & alijs frequens affert damnum qui in proprio capite suum portat consilium. Si sapiens es à bestia consilium capies minimè quæ consilium suum in proprio portat capite. Non est opus tali vt alius eum decipiat, nam seipsum decipit, & facillimè mille fallitur modis, tam per amorem ad se & laudem suam, aut per inuidiã & odium alterius quam per adulatores. Sed quid requiritur vt alicui credatur consilio? Dico tria prærequiri. Primum vt is qui petit consilium se ostendat talem cui libere & absque timore dari possit consilium, & illi credat, hoc est consilium sancti Ludouici. Non libenter consulitur alicui domino, si per hoc suam quis incurrat indignationẽ. Indignatio principis mors. Et vnusquisq; summopere vitat mortem. Et princeps qui libenter audit adulatores & mendaces, habet omnes ministros suos impios, & ad omnia mala perpetranda paratos. Secundò quoad rem de qua quæritur consilium, vt quæratur ab his qui secundum artem eorum illud nouerunt. Cuilibet in sua arte experto credendum est. Tertiò vt cognoscantur tales cõsultores Deo fideles esse, quoniam si sint infideles Deo, infideles erunt & hominibus. Nota historiam de Constãtino, quomodo bonos suos probauit amicos. Et signum verum est quando tales homines aliquid dicunt in occulto quod dicere non auderent in publico. Periculum est maximum pro tota vna politia, si fatuus eam gubernauerit, sine dubio labetur omnino. Habeamus ergo spem quod mediante tali consilio Deus nos agenda docebit, & finaliter saluabit mediante pœnitentia, non autem aliter. Et si dicas te eam habere modo non posse. Non dicas te non posse, sed non velle, sume consiliũ sancti Gregorij. Age minus malorum & plus bonorum interea dum poteris. Et propterea pœnitemini, quia pœnitentia gloriosam dat natiuitatem, &c.

De tertia nutrice animæ quæ est charitas.

Loquamur finaliter de tertia virtute & nutrice animæ quę est charitas, alio nomine gratia Dei appellata. Cuius opus & officium est pacẽ adducere ac vnionem, sicut dicit sanctus Dionysius 4. de diuinis nominibus. Et videtur mihi ipsam charitatẽ aliter adducere pacem & vnionem in vita solitaria & contemplatiua, qualem tu continuasti gloriose sancte Antoni toto tempore tuo. Aliter in vita actiua quę principaliter spectat ad principes. In vita contemplatiua ipsa adducit pacem & vnionem quandam animæ deuotæ ad Deum, vt quasi sit vnus spiritus Deus & anima & secundum quod dicit sanctus Paulus, qui nominat hanc pacem, pacem Dei quę exuperat omnẽ sensum. Quia omnia idiomata mundi non sufficerent ad eam explicandam, nec quisquam eam nouit, nisi qui eam sentit. Nemo nouit nisi qui accipit, quẽadmodũ optimè sensisti gloriose sancte Antoni, ideo enim solitudinem intrasti, vt hanc pacem reperies. Quis dabit mihi pennas, &c. Operationes, gaudia & sensus istius pacis & vnionis sunt talia & tam magnę dulcedinis, saporis & recreationis, vt omnis dulcescat aduersitas, & omnis alia delectatio carnalis repudietur & in abominatione habeatur. Gustato spiritu, desipit omnis caro. Hęc vita est paradisus quidam in hoc mũdo tantis refertus delitijs, vt anima deuota sit tanquam tota inebriata. Hoc facile posset demonstrari in vita sancti Antonij, in qua centum & quatuor annis permansit, non obstante quacumque abstinentia aut pœnitentia, eò quod hoc gaudium eum sustentaret. Verum est carnalem sapientiam & mundanam hanc pacem spiritualem nescire, non sapit quæ Dei sunt, & stultitiam eam esse iudicat, cũ de ipsa fieri verba audit, quia nil credit nisi quod sentit, nunquã autem sentiret in curis & vanitatibus in quibus iacet, detinetur atq; conatur hanc vitam reprobare, propter quod sanctum vituperat Antonium, & dicit quod hæc charitas duntaxat vtilis sit sibi, & non alijs. Sed non bene sentis ô carnalis sapientia. Primò enim sanctus Antonius in vita contemplatiua sibi proficiebat & Deo placebat, quod principale, quia quid prodest homini si totũ mundũ lucretur, &c. Secundò sanctus Antonius facto prædicabat aduersus mundanos errores, mundus in scholis suis prædicat omnes voluptates humanas, & diuitias in põpis & honorib⁹. Sãctus Antonius omnia refutabat, & per suam refutationem ostendebat nos aliam post hanc habituros ciuitatẽ, secundũ quod dicit Apostolus: Non habemus hic manentem

ciuita-

ciuitatem, &c. Ob hanc causam principaliter voluit nostram assumere humanitatem, vt de facto contra huius mundi prædicaret errores, quemadmodum ait sanctus Augustinus in lib. suo de vera religione. Tertiò oratio sancti Antonij magis profuit reipublicæ gratiam Dei impetrãs sine qua nihil possumus, quam mille & mille peccatores, & si omnem eorum impendant operam in rebus corporalibus, quas interdum bestiæ mutæ æquè bene faciunt aut melius. Hoc apparuit de oratione Moysi, Iosaphat Heliæ & aliorum in mille locis scripturæ. Nihilominus laudando vitã contemplatiuam, nolo condemnare actiuam Deus me ab hoc præseruet, vna bona est cum altera, sicut Maria cum Martha, & oculi cum manibus. Animam habemus & corpus, necesse est nos habere vitam contemplatiuam pro anima, & actiuã pro omni illo quod spectat ad corpus, siue in proprio, siue in communi. Et est conuenientius me sermonẽ meum ad vitam hanc actiuam vertere, in qua charitas pacem facit & vnionem. Et quid est charitas in quantum vitam respicit actiuam? Dico esse amorem boni communis politiæ. Per hãc charitatem omnes tres status pacem adinuicem habent & vnionem. Status principum Ecclesiasticorum & ciuium. Ad hoc astipulantur historiæ, ratio & experientia. Sed heu cum oculos considerationis meæ ad tres hos vertissem status, charitas mihi visa est habere mortalẽ inimicũ qui omnia vastat, omnia dissipat. Quis est ille? Est amor proprius, aut amor sui siue cupiditas, non est crudelior hac bestia, nec peruersa magis, nec quæ plures vbicunque fuerit concitet discordias, quam Apostolus vocat sine fœdere, sine lege, sine fide. Quid mirum cum in bono aliquo communi vnusquisque nitatur ipsum ad se trahere. Si omnia rumpãtur & dissoluantur, videbatur mihi proprius amor sui, cum declinaret in vnam personã status dominij, tunc eam superbam faciebat inuidam & alios odio habentem quicunque sui scilicet dominij essent status. Cur? quia ipsa sola gloriam voluit habere, honorem & vtilitatem in omnibus factis dominij. Ideo omnia vertit ad discordiam, scisma & turbationem. Posthac erat auaritia supra statum ciuilem, non curans qui officiarij essent, modò ipsa commodum & profectũ haberet, pariformiter faciebat secundum omne posse suum in statu clericali & in promotionibus suorum famulorum. Insuper cum amor proprius se iungeret alicui consiliario, quid faciebat? Ipsa eum reddebat dissimulatorem & fictũ atque veritatem zelantem, cum dicenda foret. Non enim curat amor proprius quo pacto res quæque se habeant, modò suam nasciscatur vtilitatem, & damnum euadat. Sic dico de prædicatoribus aut his qui ad veritatem dicendam ordinati sunt, quamuis non excusem dominos si se ostendant, inuitos veritatem audire, non libenter eos ad iracundiam prouocat quisquam. Præterea proprius amor ibat hac & illac per curiam, & in vno quoq; famulo quem fricabat mendacem, adducebat adulationem & omnia alia vitia per quæ falli possunt principes, vt ab eis auferatur quod habent, & non ipsi, sed & populus eorum vt rodant dominũ & decipiant, non aduertendo damnum Domini, nec populi destructionem, nõ curando vnde

A emungatur argentum, modò habeatur ad exemplum canum voracium qui continuè vorant, & tamen latrant. Non arguo seruitij remunerationem, nec Domini liberalitatem, sed vndique requiritur modus & mensura, ne liberalitas crudelis sit largitas, sunt enim aliorum trutinandæ miseriæ.

Hehinc etiam cum oculos cogitationis meæ ad clericalem & sanctæ Ecclesiæ conuerto statum, & generaliter totius Christianitatis, horrores profectò, fremitus, tribulationes in me descenderunt, B præterritus sum præ pauore, nec adhuc bene securus, vidi proprium amorem quasi vbique regnare, qui solum propriam quærebat gloriam suũ statum, aut suam propriam vtilitatem. Propter quod schisma vnum vniuersale, nulla autem & mille sequuntur particularia. Si enim amor boni cõmunis sanctæ Ecclesiæ (quæ est vera charitas) vndique regnaret, nunquam talis discordia, talis maledicta turbatio esset aut duraret, quoniam illa charitas non quæreret suam vtilitatem, honorem, & gloriam. Sed bonum commune Iesu Christi C & sanctæ Ecclesiæ mihi apparebat, quod vbi proprius amor adhærebat, omnia persequebatur, si adhærebat veritatis prædicatori aut consiliario, dissimulationẽ generabat, quæ familiaris est proditio, quæ consulit contra bonum Domini sui, cui fidem iurauit & fidelitatem. In hominibus curiæ generat adulationem, hoc est amabilem deceptionem, in dominis prælia, odia, iurgia & dissensiones. Quot diuisiones videmus maledictam hanc furi similem in sancta Ecclesia fecisse? quò D effugauit pacem? quò posuit vnionem? Ad desertum vnum multo profundius quam erat illud in quo fuit sanctus Antonius. Paulo ante mihi visum est proprium amorem pacẽ in talem posuisse labyrinthum, qualis fuit Dedali labyrinthus. Nõ poterat reperiri vllo in loco, aut potuisse eam in desertum quoddam spinosum scopulis plenum & foueis, & illic adeò intensa est vt nesciatur quò se vertendum sit ad eam denuo reperiendam, nec ante, nec post, nec ad hoc latus, nec ad illud, tam E variæ & innumeræ inueniuntur difficultates, nec aliud velim scire quam dicere vt Deus eam nobis reducat. Sed nos hoc non meremur sufficienter, attamen apparet mihi bonam charitatem requiri vt proprius expellatur amor. Et quia non scitur nec potest fieri alia res ex hac parte, & hac obediẽtia, saltem tractetur interea cũ alijs ne electio fiat, si Deus vellet alterum mori, bonam mortem illi concedat & breuem, immò vtrique vt sint in paradiso & canant. Gloria in excelsis Deo. Et nos pacem habeamus.

F Finiam ergo orando & dicam. Gloriose sancte Antoni qui hodierna die post longuã & continuam pœnitentiam felicem & perennem in paradiso recepisti natiuitatem, digneris tua intercessione in nobis conseruare, fidem, spem & charitatem, quæ in noua animæ natiuitate per gratiam in sacramento baptismi infunduntur. Fides contra errores & superstitiones. Spes contra desperationem & præsumptionẽ. Charitas Dei & boni publici contra proprium amorem. Non est nobis ea concessa facultas vt vitæ tuæ contemplatiuæ imitemur sublimitatem. Nec eam quam fecisti pœnitẽtiam nec miracula tua ingentia, dilige

nos in vita actiua, specialiter in charitate, vt pacē habeamus & vnionem, quæ adeò remota est à nobis, & nobis sufficiet ad expellendum proprium amorem ex hominum cordibus Christianorum siue principes sint, clerici siue ciues. Qui quidem proprius amor nil amat nisi se & proprium commodum, aut suum honorem & gloriam, quæ vana est & stulta. Iunge per bonam charitatem adinuicem corda principum in pace in vnione cum clericis, & tum principes & tum clericos cum ciuibus. Fac cessare longa quæ eueniunt odia & diuisiones, mendacia & Domini contra dominum, status contra statum ad damnabiliter complacendum, & commodum aliquod habendum trahendo dulce & liberale cor Domini vt capiat ab alijs aliter quam iustitia requirat, vt eis det & eos satiet. Quid inquam satiet? Sunt profectò cupidi magis & ardentiores ad in dies petendum, nec magis quicquam eorum quæ illis dantur apparet quam in marina abysso. Insuper gloriose, misericors & piè sancte Antoni, nō feras sanctam matrem nostram Ecclesiam minus viuam esse in tempore filij tui qui tali die in hunc mundum est productus, quo tu in glorioso & superno natus es mundo. Est princeps noster qui hic libenter te honorat, & ex corde tuum petit auxilium & intercessionem quam illi non deneges. Quid dicent futuri homines qui Francorum legent chronicas, si pax à sancta Ecclesia fuerat ablata tempore dominorū nostrorum qui hic sunt, & qui possunt quasi totū factum, quid dicent inquam? Ah Domine esset dura nimis læsio & parum honoranda narratio, quantumcunque in diuisione illa culpam nō habeas. Tribue ergo pacem Domine per tuam intercessionem, tribue pacem in tempore nostro mediante bona vera & integra pœnitentia. Hæc enim Deum placat, fidem restituit, spem, charitatem & omnia alia quæ peccatum nobis tollit, ac securatur. Ipsa enim pax animam per peccatū mortuam viuificat, & resuscitat per gratiosam natiuitatem, vt finaliter & tandem gloriosam adipiscamur natiuitatem. Quam nobis concedat ille qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

SERMO SECVNDVS DE SANCTO ANTONIO PER PRÆFATUM *Ioannem Gerson compositus.*

DEDIT *illi scientiam sanctorum.* Sap. 10. Hoc mater nostra sancta testatur Ecclesia quæ ad propositum hoc sapiētis textum vertit, & in hodierna recitat epistola, quod pro meo sumpsi themate. Charissimi in scholis sanctæ Ecclesiæ & in publico auditorio sanctæ prædicationis sumus aggregati vt sāctorum scientiam acquiramus & sapientiam ad gloriosi Antonij huius Ecclesiæ patroni exemplar, cuius vita & legenda est veluti quidam liber aut lectio siue lumen aut speculum ad sanctorum perueniendi scientiam, sicut de sancto patuit Anagrio. Sanctus enim Antonius, magnum est viuendi exemplar, quod sanctus testatur Augustinus, tum de alijs tum de seipso qui audiendo lectionem de vita sancti Antonij ad sanctorū scientiam fuerunt conuersi. Semel venit quidam ex amicis suis qui inter alia ab Augustino quæsiuit, si
A non de sancto Antonio eremita audiuisset quicquam. Qui quidem sanctus Augustinus nil se audiuisse respondit. Alter autem mirum in modum admirabatur, paulò enim ante sanctus Antonius decesserat à viuis & fama eius erat vulgatissima. Cum autem tunc incepisset recitare sancti Antonij vitam, & inter alia verba sanctus Augustinus qui nondum erat Christianus ad seipsum fuisset reuersus, differentiam sui status & beati considerando, quanto plura audiebat, tanto sibi ipsi magis displicebat, animum quoque & inflammatio-
B nem contra semetipsum acceptabat, suam vilipendendo vitam. Tunc veluti succensus & contra seipsum inflammatus, suum amplexatus est socium dicens & conquerens: Audiuisti quæ fecimus nos, indocti & idiotæ rapiunt cœlum, & nos docti omnes absque corde in infernum descendimus. Petijt tunc hortum domui suæ vicinum, ponénsque se sub ficu, Apostoli legit lectionem, & penitus ad Dei seruitium fuit conuersus per lumen quoddam fidei desuper eueniens. Sanctus
C Antonius bonum hic adeptus est discipulum, & qui postmodum diligenter instruxit & egit in generali schola Ecclesiæ sanctæ, vtinam in præsenti auditorio audiendo dici de sancto Antonio, ad talem perueniamus perfectionem, vt sanctorum participes simus scientiæ. Heu totiens adsumus mundi scholæ vbi nil præter stoliditates audimus & errores. Sitis modico tempore absque tædio, & ad vtilitatem in schola sanctorum. Qua de re? vt sanctorum addiscatis scientiam, ad hanc enim causam ordinatus est sermo. Sed quia hæc sapien-
D tia acquiri non potest sine speciali motione à supremo magistro, qui sedem suam tenet in cœlis, recurramus ad bonam nostram magistram ad te virginem dignissimam, sapientissimam & gloriosissimam præsentando & dicendo consuetam salutationem Angelicam: Aue Maria, &c.

Dedit illi scientiam sanctorum. Sanctus Antonius sanctorum habuit scientiam & sapientiam. Omnes homines, quemadmodum dicit Aristoteles & experientia declarat, natura scire desiderant. Ideo
E solent cōmendari in diuersis scientijs aliqui, quémadmodum hi qui per grammaticam congruè loqui norunt, per logicam subtiliter argumentari, per rhetoricam ornatè persuadere, per Arithmeticam expeditè numerare, mensurare per Geometriam, consonare per musicam, per astrologiā cœlum agnoscere, per medicinam sanitatem conseruare, per leges & decreta scire gubernare, per philosophiam mūdanarum rerum causas cognoscere. Etiam commendantur artes mechanicæ, quemadmodum fabri, aurifabri, tanquam bene
F in metallis operari scientes. Mercatores, qui bene mercantur. Campsores, quoniā bene noscunt monetam. Latomi & carpentarij, eò quod bene norunt domificare. Mulieres, quia bene sciunt nere suere aut texere & sic de alijs mechanicis negotijs. Quilibet enim in sua arte sapiens est. Non est autem alia maior quam sancti Antonij commendatio, cum sancta de eo cātet Ecclesia, ipsum scientiam habere sanctorum & sapiētiam. Et quæ est scientia sanctorum? Est seipsum cognoscere, est scientia quam sine magno vituperio ignorare non possumus. Qui enim de omnibus præfatis scien-

scientijs quæreret, si quis eos non ignoraret, absq; verecundia respondere posset aliquis se eas ignorare, sed absque verecundia dici non posset ab aliquo quod seipsum ignoraret. Sic dicũt Apuleius, sanctus Augustinus & sanctus Bernardus: Cœcus nimium est & prorsus ignorans qui seipsum non cognoscit. Veteres diuino attribuebant oraculo & diuino responso, verbum hoc Græcum γνῶθι σεαυτὸν, quod Latinè dicitur cognosce teipsum. Qui seipsum cognoscit vitámque suam omnem is nouit theologiam. Res aliqua per suas causas, quæ quatuor sunt, cognoscit, efficientem, formalem, materialem & finalem. Secundum quod describi potest quid sit homo. Homo creatura est rationalis, mortalis, glorificabilis, per creaturam, causa demonstratur efficiens. Per rationale, causa formalis. Per mortale materialis causa. Per glorificabile aut finalis. Assignari possent quatuor hæ causæ ad nostri thematis verba. Dedit quantum ad causam efficientem. Illi quantum ad causam materialem, quia materiale est quod demonstratur. Scientiam quantum ad causam formalem, quia sola ratio capax est scientiæ. Sanctorum demum quoad causam finalem. Beatus Antonius & si in omnibus factis suis seipsum cognoscere ostenderit in quatuor his modis, attamen ostendit quod cognouit seipsum specialiter quantum ad finem quando intrauit desertum in deuotæ religionis scholas. Nouit materiam cum vilipendit diuitias & vanum dominium, formam & rationẽ suam, respuendo immundas & viles delectationes. Factorem suum & creatorem, nullam pertimuit persecutionem. Non transeundum est mare, nec diuersa quærenda sunt gymnasia, nec tanta librorum habẽda est copia, vt sanctorum istam acquiramus scientiam ad sancti Antonij exẽplar, libri in nobismetipsis sunt nos scholę ipsæ sumus. Liber hic veluti quatuor habet folia, pro quatuor addiscẽdis virtutibus Cardinalibus. In primo prudentiam, in secundo iustitiam, in tertio temperantiam, in quarto fortitudinem. In primo potest legi deitas, in secundo nostra fragilitas, in tertio nostra dignitas, in quarto nostra beatitudo & felicitas.

Declarem' in particulari quæ in vniuersali proposuimus, sitque vnusquisque attentus ad seipsum cognoscendum. In hoc enim est scientia sanctorum vtilis & honorabilis. Magnum est dedecus si ab aliqua persona quæratur quænam ipsa sit. Si respondeat, nescio, meipsam non cognosco, est bestialis responsio, multo autem peius est stolidè & falso respondere. Quomodo se nouerit beatus Antonius per causam finalem? Sanctus Antonius, finem suum cognouit quando desertum & religionis scholas intrauit. Dicit legenda sua eũ ex nobili fuisse prosapia in parentum suorum domo ad decimum octauum vsque aut vicesimum annum absque altera quacunque societate enutritum cibis quidem communibus, Ecclesiam eum visitasse, & quæ legebantur retinuisse, post mortem parentum suorum quasi spacio sex mensium post audiuit in Ecclesia legi: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & sequere me, sic fecit ipse, quemadmodum si verbum hoc ei dictum fuisset? Sororem autẽ suam bonam sed iuuenilem, bona prouidit custodia. Intrauit loca solitaria vbi boni erant Dei ministri & ab vnoquoque bonas sumebat conditiones. Ab vno quidem patientiam, ab altero abstinentiã, ab alio vigilias, ab alio humilitatem. Item ab alio charitatem, ab alio demum obedientiam, & sic de alijs virtutibus instar apis quæ mel facit, quæ modò hunc, modò alium gustat florem, & ab vnoquoque aliquid quod sibi conducat extrahit, non grauando florem, nec quoquo pacto lædendo. Et si interroges quare sanctus Antonius res tales omnes fecerit? Respondeo, certè eum hæc fecisse vt finem suum attingeret, paradisum acquireret, & infernum euitaret, secundum quatuor quas habere potuit conditiones. Primò viuaciter & sapienter considerauit maximam esse stoliditatem peregrinum aliquem petere velle ciuitatem quampiam nobilem, nec tamen eum arripere iter melius & breuius ad eam. Sic autem est nos omnes in hoc mundo tanquam viatores aut peregrinos esse, qui omnes tendere debemus ad nobilissimam paradisi ciuitatem. Et quia melior, securior & pulchrior via vt illud perueniamus, est religio. Sanctus Antonius finem suum contemplans, religionem intrauit. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus non manufactam in cœlis. Secundò considerauit hunc debere seminare in hoc mundo in lachrymis, fletibus, miseria & tribulationibus. Qui metere vult in alio gaudium, diuitias & exultationes, quemadmodum testatur Dauid dicens: Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Tertiò considerauit hunc debere hic seruire domino suo, qui particeps vult esse regni sui, secundum Apostoli testimonium, quod non coronabitur gloriosè in paradiso, nisi qui legitimè certauerit, & restiterit carnalibus delectationibus & mundanis desiderijs. Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Quartò considerauit hunc præmittere debere bona sua & diuitias ad eum in quo recipi vult locum perpetuò, alioquin semper mendicaret & neminem qui illi daret reperiret, ad exemplum fatui diuitis & galli. Sic prædicabat sanctus Antonius dicẽs, quod Dei seruitium in hoc mundo est breuissimum & merces perpetua & redditur in centuplo etiam in hoc mundo, quia charitas omnia sua facit, & proprietas ea restringit: Centuplum accipiet. Et in hoc perseuerando dicebat semper nos debere considerare quod incepimus non post nos respiciendo more vxoris Loth, & Iudæ, atque filiorum Israël, qui anhelabant carnes & alia Ægyptiaca. Etiam fatui Sodomæ non crediderunt donec damnationem receperunt, quemadmodum etiam faciunt plures mundani quibus concionatur sufficienter quidẽ vt se emẽdent & à malis consuetudinibus se retrahant, sed irrident neque aliud agent quoadusque eos consequatur punitio, sæpius ad eorum damnationem quam correctionem. Fatuus non credit donec viderit. Sed confestim mundana prudentia quæ est tanquam cœca & lusca, nec adeò longè videt vt finem nostrum cognoscat. Fatua est & pauper sensibus, quamuis se iudicet sapientissimam. Stultus in stultitia sua nil aliud præter sapientiam apprehendit siue videt, sicut stulta cœca Senecæ, quæ non se cœcam reputabat. Dicit hæc humana prudentia sanctum Antonium fatuè egisse cum

desertum intrauit & religionem quo mundum desereret, quoniam inquit, homo solum sibi ipsi vtilis nihil valet, nec Deus mundana creauit bona nisi vt his vtamur, stultúmque esse asserit sese obligare & propriam amittere libertatem,& pleráque alia friuola contra religionem narrat. Miratur etiam quid solitarius homo agere posset, & ad quid meditari? Responsio facilis est. Primò quia satis esset solum seipsum saluare. Secundò, tales multo plus prosunt quam mundani, tum oratione, tum vitæ exemplo, hoc apparuit de sancto Antonio. Tertiò melius est non vti mundo,quã eo abuti. Quartò, non est stolidum seipsum ad bene agendum compellere, pessima est libertas fatui aut ebrij cum seipsum interimit. Quoad hoc quod quæritur quid sanctus meditatus fuerit Antonius? Respondeo, quod si mille vixisset & mille annis, satis quod meditaretur ei fuisset, quomodo scilicet seipsum cognosceret secundum quatuor supradictas causas, quia per illas cognoscebat & meditabatur vniuersum mundum. Secundum enim quod dicit Gregorius, homo aliqualiter est minor mundus, eò quòd de omnibus creaturis nonnihil habet. Habet esse cum lapidibus, viuere cum plantis & arboribus, sentire cum bestijs,& intelligere cum Angelis. Et sic cogitando de semetipso secundum quatuor prædictas causas poterat de omnibus alijs creaturis meditari, & consequenter per creaturas ad cognoscendum creatorem ipsarum & amandum, aliqualiter poterat deuenire. Cogitando etiam infernales pœnas & paradisi gaudia. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt conspiciuntur, &c. Sempiterna quoque virtus eius & diuinitas, &c. Priusquam ad secundam descendam causam, quatuor sumamus documenta, aut doctrinam super hoc quod dictum est in principio de sancto Antonio.

Primum documentum seu doctrina.

In primis bona educatio est vtilissima pueris ad finem bonum perueniendi. Nutritio æquiualet naturæ, per malam enim nutritionem homines veluti bestiæ & brutales efficiuntur, vt de fœmina quæ veneno viuere fuit assuefacta.

Secundum documentum.

Sanctæ inspirationes non sunt reijciendæ, exẽplo sancti Antonij, qui verbum Euangelij sibi asciuit, & propterea mundum dimisit & religionẽ intrauit. Nota de his qui resistunt Spiritui sancto, cum ad ostium cogitationis eorum pulsat per bonam voluntatem & bonum propositum, quod quandoque habent vt se à mundo abstrahant & ab iniquis eorum consuetudinibus, ad Deũ quoque conuertantur, sed nihilominus nihil opere exequuntur. Quamcitò enim Spiritus sanctus pausare desinit, omne bene agendi propositum amittunt.

Tertium documentum.

Religio intranda non est nisi vt maior acquiratur perfectio ad finem suum perueniendi, exemplo beati Antonij qui vt perfectus esset intrauit. Et hoc est contra eos & eas qui vel quæ propter malum intrant finem, vel vt habeant vitam otiosam, vel vt euadant verecundiam, & in mundo paupertatem, aut vt ad altiorem perueniant statum, & beneficia possideant, aut prælationum dignitates, siue propter vanam gloriam, aut per verecundiam & coactionem, eò quod non habent A victum in seculo, de malis talibus intentionibus mali gignuntur fines. Quamuis melius sit ex necessitate efficere virtutem, quemadmodum sanctus Antonius prædicabat.

Quartum documentum.

Expediẽs est vt is qui bene viuere incipere vult, bonum sequatur exemplum, bona consilia, & aliorum regulas sancti Antonij exemplo, quod est contra hos & has qui vertunt & trahunt aliorum B mala ad sua propria mala, in habitibus inordinatis, in choreis, in aspectu, in multo & dissoluto ludo. Est etiam contra stultos eremitas nostri tẽporis & solitarios, qui gubernari volunt ad suum ipsorum institutum, non habendo expertorum consilium. Et quoniam hic loquor coram religiosis, formabo aliquas quæstiones religiosorum factum tangentes.

Prima quæstio.

An sit maius meritum bene agere cum voto, quam absque voto? Dico quod sic, quoniam bo- C num opus per votum factum ex confirmata prodit voluntate, aliud non, quemadmodum magis malum est peccare per obstinatam voluntatem quam simplici volitione peccandi.

Secunda quæstio.

An vnum idémque peccatum maius sit in religioso, quam in seculari aliquo? Dico quantum est de se, conditio personæ non trahit peccatum extra speciem suam, si non sit alia causa hoc est in religioso verba otiosa, dissolutio, mendacia ioco- D sa absque fraude, quantum est de se non essent peccata mortalia, vbi etiam essent venialia solum vni seculari, nisi fortassis hoc esset accidentaliter scilicet propter scandalum quod maius esset videre hæc in religioso, quam in seculari. Dicebam, si non sit alia causa, quia in his rebus quas religiosus vouisset, vtpote obedientia, paupertate & castitate, si contrarium ageret, vt si esset proprietarius aut per contemptum inobediens, mortaliter peccaret, eò quod votum suum violaret, vbi tamen secularis aliquis qui votum non emisisset, nõ pec- E caret. Et si replicares, periculosum igitur esse vota emittere. Responsio, his qui volunt reddere Deo & seruare quod promittunt, est secura res & valde meritoria propter supradictam causam. Sed magna stultitia & periculum esset vota vouere, si quis ea nollet seruare, multóque satius esset se voto non astringere quam ipsum contemnere postquam emissum esset. Quemadmodum dicit sapiens: Melius est non vouere, quam post votum vota non reddere. Et Dauid: Vouete & reddi- F te, &c.

Tertia quæstio.

An licitè persona aliqua religionem intrare volens, retrahi possit aut auerti? Respondeo, quod si persona religionem ingredi volens, ætatem habeat & discretionem, vt sciat cognoscere qualis res sit religio. Et nihilominus tamen est ei bona voluntas talem assumendi statum, malè actum esset ipsam retrahere velle aut dehortari ingressum, nisi alia ex parte impedimentum foret legitimum, propter quod nec posset ingredi, nec deberet. Verum est quod personæ quæ religionem intrare vult, bene potest ostẽdi magnitudo & talis status diffi-

difficultas, etiam fragilitas humana, & periculum non seruandi religionis vota. Et sic de similibus quæ bene declarari possunt vt instruatur persona, non autem vt auertatur, hoc enim nimium esset malum. Nota de docto quodam viro, qui sua hortatione iuuenem quendam puerum auertit, ne religionem ingrederetur. Sed post hac in adeò grandi fuit scrupulo, vt conscientiæ pacem habere non posset, donec semetipsum in religioné poneret pro eo quem auerterat.

Quarta quæstio.

An religiosus totiens mortaliter peccet, quotiens aliquid agit suæ regulæ contrarium? Dico quod non, alioquin religio periculosa nimis foret humanæ fragilitati. Attamen huius quæstionis declaratio prolixius requirit responsum, quia verò ipsa potius ad scholas spectat, eam prætereo. Nam hanc materiam tractaui ad longum in libro suo de vita spirituali, in postremis duabus lectionibus.

SECVNDA PARS QVOMODO SANCTVS ANTONIVS SEIPSVM *per causam materialem cognouerit.*

ACCEDAMVS modò & de materiali causa verba faciamus, & dicamus sanctum Antonium causam suam materialem cognouisse & suá fragilitatem, contra mundanæ prudentiæ iudicium. Abiecit omnes diuitias & vanam dominationem primò apparet eum omnem vanam dominationem euitasse, quia semper Deo seruire voluit in paupertate & abiectione, quemadmodum sua recitat legenda. Et huius mundi principibus sæpius scribebat vt cogitarent diligentissimè dominationem eorum nil esse præter ventum & fumum, onus & periculum, quoad corpus, & quoad animam.

Et propterea cum videtur magnus aliquis princeps aut stultus tyrannus & superbus vitam finire, dicitur tunc ipsum admodum fuisse fatuú & quod hoc bene experitur cum cognoscit suam tyrannidem & dominationem nil illi proficere posse, & quod nihil est de mundo & tyrannide, nec dominio, nec pulchritudine. Omnia enim labuntur quemadmodum dicebat philosophus quidam de Alexandro, cum eum inhumari cerneret. Heri inquit, homini huic totus non sufficit mundus, & modò contentus est paruo sepulchro, sex quidem pedum longitudinis & latitudinis pedum duorú. O vana præsumptio, ô stulta mundana dominatio, stolidus est profectò qui confidit. Nota de quodam philosopho, Democritus appellato, qui de omnibus quæ in hoc cernebat múdo, ridebat, quia omnia sibi stultitia quædam apparebant.

Deinde sanctus Antonius diuitias euasit múdanas, quemadmodum sæpenumero apparuit in deserto. Semel enim inimici artificio inter ambulándum craterem inuenit argéto repletum. Sed quia diuitias contemnebat suum prosequebatur iter, ad seipsum dicens: Quis potuit afferre craterem hunc, est enim locus hic desertum quoddam, & inhabitabilis, per quod nemo transit? Nec etiam res tam magna viatori cecidisset, quin casum eius persensisset, & propterea iniquè inimice video te id facere qui mihi craterē præsentas, quo me fallas. A Tota autem potentia tua me fallere non poteris, & cor meum ad cupiditatem trahere, aut diuitiarum amorem & mundanorú bonorú. Hæc enim contemno omnia propter Dei amorem. Et mox dú sibi sic loquitur, crater euanuit coram oculis suis veluti fumus. Pariformiter alio tempore inimicus ad pedes suos magnum auri pondus deiecit, sed statim cum hoc sanctus Antonius percepisset, fugit ab eo veluti de magno fugeret igne. Videbat & cognoscebat mundum hunc quoad corpus nihil esse, nisi personarum ludum, vide- B tur quidem res magna stultis quibusdam, in veritate autem nihil est. Confestim præterit sicut regnú quod faba quis adipiscitur, aut puerilis Episcopatus. Si autem honor aliquis aut gloria in hoc mundo esse apparuerit, non est vera gloria aut verus honor, sed prorsus fictio quædam & irrisio, sicut est de principe alicuius scenæ, aut theatri, vel in ludo scacorum, in quo rex appellatur parua quædam ligni pars. Et quemadmodum dici solet, est nomen sine veritate. Et ideo quærere diuitias C & mundanos honores, est currere veluti post papiliones, vbi magna habetur pœna & labor ingens ad deprehendendum eas. Sed postquam capti sunt, nulla hinc oritur vtilitas, aut est onerare se magis atque magis, cum in altum fuerit scandédum, & ridere & ludere & suos seu proprios quærere honores, cum ad mortem itur in patibulo. Quemadmodum aliqui videntur comedere dum dormiunt. Videntur quidem læti & repleti, cum autem surrexerint, vacuos se reperiunt & fame D cruciatos. Has omnes fatuitates & similes videbat sanctus Antonius in mortalitatis suæ folio, & ideo iudicabat omne quod in mundo est, vanitatem esse. Pariformiter viuaciter finem videbat, hoc est mortem vniuscuiusque, ac si præsens coram oculis suis fuisset. Et hoc est quod nos decipit, nos nec mortem videmus, nec meditamur nisi cum venit, & sumus veluti similes his qui à rabidis mordetur canibus, qui seipsos non noscunt in speculo. Tales sumus nos, nam totiens alios videmus mori, ossa quoque & sepulchra eo- E rum cernimus, nec tamen pensitamus talem nobis futurum finem necessariò, & quod mortales simus, putredo & cibus vermium. Et ideo philosophus quidá nominatus Heraclitus, de his omnibus quæ in mundo videbat solitus erat plorare, ad exemplum Domini nostri Iesu Christi, qui super Hierusalem flebat, eò quod taliter essent excæcati delicijs carnalibus & mundanis delectationibus, quod tempus visitationis eorum neminem recipere volebant. Et omne id quod eis di- F cebatur stoliditatem (vt scilicet pœnitentiam agerent) existimabant. Sicut faciunt adhuc hodie mundi mundani, qui eos fatuos putant, & irrident hos qui deserunt mundum, & vt Deo securius seruiant religionem ingrediuntur. Sed in veritate huiusmodi mundani quantumcunque sapientes sunt erga mundum, fatui sunt erga Deum. Stoliditásque eorum retrocedit, & nimis duram ac longam est habitura caudam, quia eorum dánatio, nisi emendentur, erit sine fine. Stultus ergo esset qui ob verba aut irrisiones talium mundanorum quantumcunque in mundo sapientum bene agere desisteret Deo seruire. Quemadmo-

dum dicit Seneca. Magna stultitia est vereri ne infameris ab infamibus, nam malis displicere, laudari est. Propterea sanctus Antonius, qui sanctorum scientiam & sapientiam habebat, non potuit vnquam à primo suo diuerti proposito in religionis statu scilicet viuere & perfectionis, propter quamcunque loquelam aut mundanorum talium irrisionem, sed cognoscebat causam materialem vilitatem suam & fragilitatem. Voluitque esse vilis & abiectus in hoc seculo, vt potens esset & gloriosus in altero. Et quemadmodum mundanis reputabatur stultus, sic à seipso. Est enim sciẽtia sanctorum fatuum sapientem esse, fatuũ mundo sapientem Deo. Propterea dicebat sanctus Paulus Apostolus. Si quis vult sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens. Stultus inquam mundanis, terrenis & carnalibus. Et illud. Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Dicit etiam Lactantius, veram sapientiam esse in scholis, quarũ titulus est stultitia. In his scholis admodum studuit sanctus Antonius causam suam materialem, vt dictum est, cognoscendo. Ideo habuit scientiam sanctorum & sapientiam: Dedit illis scientiam sanctorum.

TERTIA PARS QVOMODO SANCTVS ANTONIVS SEIPSVM *cognouerit per causam suam formalem quæ ratio sua est.*

DIco insuper de tertio puncto sanctum Antonium seipsum cognouisse per causam formalem hoc est, eum cognouisse rationem suam & dignitatem, propterea vilem & immundam euitauit voluptatem. Dicit legenda sua ipsum visibiliter ab inimico tentatum fuisse, quia ei apparuit in forma nigri cuiusdam & horribilis pueri, qui conquerebatur quomodo sanctus Antonius eum vinceret puerum. Tunc sanctus Antonius dixit: O vilis & immunda creatura, nunquam te curabo nec tentationes tuas. Bene legebat in pulchro suæ animæ & rationis folio qualis stultitia sit rationali creaturæ, in bestiali viuere forma, vt porci per immundam luxuriam, leonis per superbiam, canis per detractionem, inuidiam, leporis per timiditatem, vrsi per gulam, simeæ & vulpis per cautelas & irrisiones. Huiusmodi namque homines calciatæ bestiæ sunt tanquam sensu capti & ratione. Est quoquam magna fatuitas videre carnem quæ ancilla est, dominari, & rationem magistram obedire. Nonne seruile factum est rationi præcipere vt asinus, id est, corpus in cathedra sic eleuatum, & magistra, scilicet ratio coram pedibus prosternatur? Nonne stultitia est mel bibere veneno plenum & mortis, hoc est delectationem carnalem quæ animam trucidat. Si quis quæret à quoquam, quid agis? Ipsa autem responderet: Venenum bibo & mortem meam, hic fatuus reputaretur. Nonne fatuum est magnam reginam ligneis ludere puellis? aut se Domini sui dedere aduersarijs? Videntem quidem & scientem, aut sese dilaniare, hoc est, carnem suam vt tunicam suam defendat aut calceos. Hi sunt quemadmodum Nabuchodonosor, qui seipsum bestiam esse & bouem existimabat, & ob id pascebat & fœnum comedebat more bouis. Sic faciunt homines tales mundani & carnales qui ad nihil cogitãt nisi vt voluntatem eorum expleant & carnis suæ voluptatem. Talis non erat sanctus Antonius, sed rationem suam cognoscebat & dignitatem, & curauit carnem suam & sensus rationi esse subditos. In hoc quod vixit in omni paupertate, innocentia & castitate, aliosque docebat vt tales essent qualis ipse erat. Ob eam causam ordinauit sororem suam in religione esse debere quæ etiam caste vixit, & Abbatissa plurium fuit virginum, quemadmodum sanctus Antonius post sanctum Paulum Eremitam pater fuit & pastor multorum eremitarum. Sed hic mundana prudentia murmurat, atque sanctum reprehendit Antonium, in hoc saltem quod non se matrimonio copulauit vt prolem susciperet, nec credere potest quemquam castè posse viuere, vitam quoque per hoc abbreuiari. Responsio. Magis meritorium est & facilius virginitatem seruare quam in matrimonio viuere quemadmodum ad longum declaraui & probaui varijs rationibus & experientijs in tractatu de virginitate & matrimonio, quem quinque meis misi sororibus simul in virginitate viuentibus. Item responsio hæc ad longum etiam tractatur per dictum Gersonem in suis de aduentu sermonibus, qui incipiunt: Pœnitemini & credite Euangelio, præcipuè in tribus sermonibus de peccato luxuriæ, & in his de castitate in quibus multa dedi remedia peccato carnali resistendi, & castitatem conseruandi. De quibus nonnulla breuiter hic recitabo, quæ præcipuè habuit sanctus Antonius, de quo loquimur.

Primum remedium.

Primum remedium est oratio quam pro refugio semper beatus habebat Antonius, non solum contra tentationem carnalem, verumetiam contra quascunque alias tentationes, vt sæpenumero cum ab oratione surgeret inimicus veluti confusus & deuictus ad pedes eius sese prosternebat. Recurrere ergo debemus fiducialiter per orationem ad sanctum Antonium postulando alleuiationem & sanationem, non solũ corporalis ignis, qui interdum aliquorum incendit membra, sed etiam ignis spiritualis malæ concupiscentię & carnalitatis, qui multo crudelius & periculosius animam incendit comburit quam ignis alter corpus.

Secundum remedium.

Secundum remedium est, fugere occasiones quibus quis trahi possit ad peccatum perpetrandum, sicut societates & colloquia illorum est & illarum cum quibus solitum erat peccatum committi. Cauendum quoque est ne corpus propriũ delicatè nimis nutriatur fortibus vinis, speciebus & cibarijs nimium delectantibus, atque corpus ad calorem excessiuum incitantibus. Exemplo sancti Antonij qui illa de causa solus fugit in desertum, in quo vixit cum maxima paupertate & continua corporis sui maceratione per labores & austeram pœnitentiam, ne occasionem haberet reluctandi aduersus spiritum.

Tertium remedium.

Tertium remedium, est fugere otiositatem, & se semper in vna re aut alia occupare, siue spiritualis sit siue corporalis, quemadmodum reuelatũ fuit sancto Antonio, cui semel apparuit Angelus diuer-

diuersas operationes faciens. Primum enim laborabat, posthac faciebat calathos aut viminibus iuncta opera. Deinde orabat. Postmodum dixit sancto Antonio, sic operare & caue otiositatem & inquam concupiscentiam, quæ in te dominium posset habere, superabis.

Generale remedium.

Generale quoddam remedium contra hoc peccatum & omnia alia, esset sæpius loqui audire de sancta scriptura ad vitam miseriæ nostræ reuouandam & lauandam, vt ratio redderetur clarior, per quam videre possemus & habere omnes virtutes si pura esset. Sicut dicit sanctus Antonius, & ipsemet per talem paupertatem habuit prophetiæ spiritum, quia vidit animam Aman eremitæ ad paradisum scandere, licet itinere quatuordecim dierum ab eo distantis. Per hanc etiam paupertatem percipiebat laqueos & inimici tentationes, quapropter in nullo eum vincere poterat, sed semper victor existebat. Et hinc est quod plures simplices homines & absque litteris melius salutem eorum operari norunt, quam hi qui se sapientes existimant, eò quod tales simplices prorsus vt animæ habeant puritatem annituntur. Nota de sancto Bernardo qui per talem animæ puritatem scientiam habuit scripturarum quam didicit (quemadmodum de seipso testatur) non disputatione, sed nemoribus sub arboribus. Iterum mundana murmurabat carnalitas contra sanctum Antonium eò quod castitatem seruabat, dicens ob id vitam abbreuiari. Sed quia sufficienter respondi in supradicto de virginitate tractatu omnibus his obiectionibus, quas facere solent mundani, contra eos qui castitatem seruant.

Modò omitto ista & dico certum esse, quod per castè viuere vita non abbreuiatur, sed potius protelatur. Apparuit de sancto Antonio qui vixit centum quatuor annis, in sancto Ioanne Euangelista, in sancto Paulo eremita, & alijs innumeris.

QVARTA PARS QVO PACTO *Sanctus Antonius se cognouerit per causam suam efficientem scilicet Deum.*

Dicamus sermonem finiendo de quarta causa sanctum Antonium efficientem causam suam cognouisse, factorem scilicet & creatorem suum. In hoc quod non timuit quamcunque persecutionem, ac si dicat de facto. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Si creator meus pro me est, quis contra me erit? Iudicabat Deum tanquam bonum patrem qui omnia nouit quæ filio suo fuerunt necessaria, melius quam ipsemet filius. Ideo omnia in patientia sustinebat. Bene enim nouerat nunquam Deum tam bonum habuisse amicum, quin eum in verecundiam daret & tormenta, immo filium proprium & matrem eius. Sanctus Antonius multas sustinuit visibiliter & inuisibiliter inimicorum persecutiones. Secundum enim quod ipse testatur ab eis percussus fuit ad mortem vsque, sed Iesus Christus illi apparuit in lumine, & eum sanauit. Tunc exclamauit: Bone Iesu vbi eras? Respondit Iesus: aderam, & tuam expectabam victo-

A riam. Propter quam te nominari faciam in vniuerso mundo, videmus hoc adimpleri.

Sanctus Antonius quadruplicem hic ostendit sapientiam.

Prima sapientia.

Vna sapientia, in tribulationibus suis non currendo ad sortilegos aut sortilegas, nec fatuas habendo credulitates. Nec inimicis qui cum cedebant, supplicando. Cognoscebat enim quod humilitas sub Deo omnes superat laqueos & inimi- B corum insultus. Non ergo sunt rogandi, nec eorum requirendum est auxilium. Nam etiam eorum implorare auxilium, factum esset tale, quale faciunt fatui regem offendentes, & vadunt ad rogandum & spiculatori seruiendum, cui nulla est potestas, aut sicut ouis quæ se dedit lupo vt pastorem fugiat. Aut sicut puer fugiens matrem suam & virgam vt se iaciat inter enses & gladios mortalium inimicorum suorum.

Secunda sapientia.

C Alia sapientia est patienter Dei voluntatem expectare, contra hos qui subitò labuntur in impatientiam, cum tribulatio aliqua illis accidit & contra Deum murmurant, nisi citò assequantur quod postulant, & considerando alios qui melius habent quam ipsi, non sunt contenti iudicijs Dei, ordinationibus & dispositionibus erga seipsos aut alios, veluti si non esset totus iustus, totus bonus, & totus misericors, propter quod frequenter omittunt ei seruire, eum amare & honorare, immo (quod multo est deterius) sæpius eum blas- D phemant corde & verbo. Sanctus Antonius non erat his similis qui de tribulationibus suis faciebat primum quod poterat vt eis resistere posset, deinde Deo committebat, sciēs & cognoscens Deum scire & velle semper quod conuenientius est operari, quemadmodum melius nouit pater quid filio suo conducat, & præceptor discipulo, medicus quoque infirmo suo, melius inquam quam illi ipsi cognoscerent. Nota quomodo sanctus Antonius semel Dei meditabatur iudicia & pro- E uidentiam quomodo aliqui tales, aliqui diuites essent, & in magna prosperitate quamuis iniquam agant vitam. Alij apparent esse bonæ vitæ, qui continuè in tribulationibus sunt, miserijs, angustia & paupertate. Et ista considerando sanctus Antonius mirum in modum admirabatur cum subitò audiret vocem dicentem: Antoni Antoni cogita de temetipso, Deus sufficienter sapiens est, vt mundum suum absque te gubernet. Secundum hanc igitur sapientiam patienter Dei expectanda F est voluntas, & postquam quis secundum posse suum egerit, Deo committendum est quod restat atque dicendū: Domine fiat voluntas tua. Sæpius enim accidit quod tribulatio, infirmitas, paupertas, aut bellū nobis est conducibilius quam nimis magna prosperitas, eò quod prosperitate facile abutimur. Et propter illam causam dicebat sanctus quidam eremita cuidam personæ infirmæ eum requirenti, vt Deum pro sanitate recipienda oraret. Dic mihi inquit, eremita, quo in statu melius Deo seruis, aut cū sana es, aut cum es infirma? Respōdit infirma: In infirmitate. Oro ergo Deum

(subiunxit eremita) vt semper te in infirmitate permittat. Nota de quodam alio precibus sancti cuiusdam hominis sanato, qui postea quam sanatus fuerat, non erat tam deuotus sicut in infirmitate fuerat, qui confestim rediit ad hunc cuius precibus fuerat sanatus, rogans vt pristina illi restitueretur infirmitas. Nam infirmitas (vt sibi videbatur) vtilis erat animæ suæ.

Tertia Sapientia.

Tertia sapientia est, in nullo credere inimicis siue in bono, siue in malo ad exemplum sancti Antonij, qui quamuis interdum laudaretur ab inimicis interdum illi futura prædicerent, interdum se illi ostenderent in diuersis & horribilibus figuris, ad timorem illi incutiendum. Nihilominus nunquam eis voluit obedire, scilicet per signum crucis & firmam spem in Deum omnes vincebat inimicos, sicut per omnem suam apparet legendam.

Quarta Sapientia.

Quarta sapientia quam hic sanctus ostendit Antonius, est in hoc, quod omnia vertit in bonum quæcunque inimicus illi facere nouerat per se & suos, persecutionem enim in consolationem vertebat, & lætabatur cum quicquam pro amore Dei poterat pati. Ideo voluit esse martyr, & de facto fuit per inimicos qui sæpenumero acerbissimè verberabant, putantes per hoc efficere vt fidem desereret & eam quam ad Deum habebat fidelitatem. Abiectionem vertebat in magnificentiam, quia non noscebatur in facie per spirituale quoddam gaudium, in signum huius quod cum eo erat spiritussanctus. Et per hoc differentiam dedit inter bonum & inter malum angelum. Malus enim cum recipitur, secum apportat tristiciam & horrorem, tædium viuendi, aut gaudium inordinatum, in horribili finiens tristicia. Per oppositum autem bonus spiritus sobriam adducit lætitiam, dulcem, humilem, plenam spei, securitatis & iocundi desiderij. Et hæc erant signa per quæ sanctus Antonius cognoscebatur, etiam ab his qui nunquam eum viderant. Insuper sanctus Antonius infamiam & blasphemiam in famam & gloriam vertit, paupertatem temporalem in diuitias spirituales virtutum, timorem in fortitudinem, eò quod interdum inimicum qui eum fallere volebat, interrogare ausus est: Quis es tu? nullo de eo habendo timorem, fatuitatem vertit in sapientiam, quando philosophis respondebat & hæreticos confundebat. Et (vt summatim dicatur) de omnibus proprium faciebat profectum & vtilitatem, siue illud benedictio esset, siue maledictio. Taliter profecit sanctus Antonius in scholis religionis, in quibus (vt audistis) lectionem didicit seipsum cognoscēdi per prefatas quatuor causas. Sed heu mundus multos ad suas trahit scholas, curátque vt addiscant lectionem prudentiæ carnalis, quæ eos instruit & docet bonum in hoc mundo sumere tempus, & mala eorum desideria adimplere & concupiscentias. Facítque eos obliuisci bonam hanc lectionem quam sanctus Antonius didicit in scholis virtutum, hoc est, eos obliuisci facit eorum finem, fragilitatem, dignitatem & suum creatorem. Cum autem ad districtum mortis tempus fuerit deuentum, à mundo aliquod quærunt subsidium & confortationem cui tanto tempore seruierunt & quem amarunt, sed nihil repetient, quia necesse erit omnia dimittere, immo corpus eorum quod adeò diligenter curarunt & delicatè nutrierunt, in terram ponetur, putrescet & à vermibus corrodetur.

A Amicos eorum vocant in auxilium, sed hoc est frustra quoniam sera est eis hora mortis eorum vt omnia morientium adipiscantur bona. Vellent Deum vocare ad auxilium eorum, sed remorsus conscientiæ non sinit, quem cum poterant incessanter offenderunt, peccata multiplicādo, & præcepta eius non seruando, & sic remanent tristes

B absque confortatione & pleni amaritudinis. Per oppositum autem hi qui in scholis religionis & virtutum bene dedicerint seipsos cognoscere & scientiā sanctorum atque sapiētiam in vltimo vitæ termino & hora mortis eorum omnino erunt lætabundi & confortati exemplo beati Antonij, qui cum gaudio à seculo migrauit, velut si iret ad patriam suam & gloriam finalem. Ad quam reuera properabat quemadmodum semper desiderat. Hanc gloriam nobis concedat pater, filius, & spi-

C ritussanctus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

SERMO TERTIVS DE SANCTO ANTONIO POSITVS COMPENdiose, per magistrum Ioannem Gerson.

D CErtamen forte dedit illi vt vinceret. Sap. 10. hęc verba scripta sunt. Vtinam Deus elargiatur me taliter posse loqui de sancto Antonio & eius victorijs, vt omnes moueri possemus ad deuotionem & sanctam ducendi vitam. Pari modo sicut fecit excellens miles fidei & doctor sanctæ ecclesiæ sanctus Augustinus vt recitat de seipso in lib. confessionum suarum. Finalis occasio conuersionis suæ fuit quod audiuit legi facta, virtutes, victoriam & sanctam beati Antonij vitam quam dicit admodum esse

E approbatam. Historia pulchra esset vt ad longum recitaretur, per quam primum nobis ostenditur, vt dicit Euagrius, eius sanctam describēdo vitam, qualis fuerit vita sancti Antonij. Secundò ostenditur vtilissimum esse vitas sanctorum & sanctarum audire. Per hoc enim sanctus Augustinus conuersus fuit specialiter per vitam sancti Antonij. Tertiò apparet sanctum Antonium aliqualiter dici posse sancti Augustini patrem propter bona quæ postmodum fecit. Quartò apparet

F quod quanto plus elongatur persona quæ de salute sua loqui debet à bonis exemplis, & se parat ad fabulas audiendas & mendacia, tanto amplius à propria elongatur saluatione. Auscultemus igitur, auscultemus quæso modò & aliàs diligenter Dei verbū, vitam & victoriam sanctorū & sanctarum, non quidem surdis auribus, non ad tempus dum tædio afficimur deducendum, aut vt loqui sciamus, sed vt incitemur & edoceamur bene viuere & ipsos imitari, atque victores simus cōtra omnes inimici crudeles insultus. Dicit Valeri⁹, lib. 2. c. 1. de Romanorū institutione quod veteres Romani recitabāt & decātabant facta principum

militibus

militibus vt mouerentur ad eorum imitationem. Ego verò dico sanctos esse validos milites, quo- A rum facta & exempla nos christiani multo potius imitari debemus quam militum aut imperatorum paganorum, sicut dicit Euagrius. Vt ergo id in præsentiarum ad vtilitatem & fructum facere possimus, petamus gratiam per medium illius quæ eius gratiæ est thesauraria virginis scilicet Mariæ, & eam deuotè salutemus, dicentes: Aue Maria, &c.

Certamen forte &c. Considero (vt introductio habeatur) sanctum Antonium modò omnium B humanarum creaturarum ab hora natiuitatis suæ positum fuisse ad campum in periculosissimum miserabilis huius mortalitatis prælium, in quo diuersæ sunt tentationes & diuersi insultus principalium trium inimicorum, carnis, mundi & diaboli. Mundus, caro, dæmonia &c. Status huius prælij bene ostensus fuit sancto Antonio, qui in visione sua vidit totum mundum plenum esse laqueis ad decipiendas & capiendas animas. Conformiter ad id quod habetur Eccles. 9. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, C & aues laqueo comprehenduntur, sic homines subitò tentationibus & ex improuiso. Iob hoc considerans 7. cap. sui libri dicit, hanc vitam militiam esse hominis. Ad quod aspirat Seneca in epistolis. Viuere inquit, est militare. Cur? quoniam omnes homines sese tutari habent contra prænominatos inimicos, vt eorum saluēt animas, & cælorum hæreditatem quæ illis promissa est ad exemplum sancti Antonij, ne scilicet superentur. De quo dicit thema nostrum sanctum Antonium D victorem extitisse, contra omnes hostium insultus. Verum est sanctum Antonium in natiuitatis suæ hora absque spiritualibus armis virtutum productum fuisse, & propter originale peccatum exclusus erat à familia summi imperatoris Iesu Christi. Et (quod deterius est) inimicus suus erat, peccati quoque filius. Omnes nascimur natura filij iræ &c. Valde miserabilis hæc est natiuitas propter talem statum & periculum, in quo tunc ante baptismum humana est creatura. Propter quam rem Iob. 3. & Hiere. 20. maledicebant horæ na- E tiuitatis aut conceptionis eorum. Propterea etiam arguit scriptura Herodem & alios qui eorum celebrabant natiuitatem per superbiam quidem & malam intentionem, veluti si in hoc seculo eorum possiderent felicitatem, propter quam potius plorandum est & gemendum, & cum rege Dauid dicendum: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis &c. Est ergo periculosissimum bellum & difficillimum vt vincamus. Ideo potius plorandum est quam lætan- F dum. Recitat sanctus Augustinus, in lib. de Ciuit. Dei de nullo legi puero, immo nec Iesu Christo, Dei filio ipsum ostēdisse in natiuitate sua lætitiam præterquam de vno qui Zoroastes nominabatur. Dicit autem Augustinus hoc malum fuisse signū quia ille postmodum artes magicas reperit maledictas & prohibitas & sortilegia, per quæ tamen seipsum seruare non potuit, sed cum verecundia magna occisus fuit & interemptus. Valerius etiam loco præallegato valde commendat Græcorum quorundam ritum, qui Thraces appellantur, qui magnum dolorem ostendunt & tristiciæ signa in infantium suorum natiuitate, in morte autem magnam præ se ferunt iocunditatem & lætitiam. Nonne huic concordat quod dicit Salomon Eccles. 7. Melior est dies inquit, mortis quam natiuitatis? Ecclesia etiam maiorem celebrat solemnitatem de morte sanctorum, sicut de sancto Antonio, quam de eorum natiuitate, quia in morte asperum ipsis bellum est, & non prius, sicut dicit Augustinus. Non intelligo quin princeps aliquis christianus possit habere cum bona intentione natiuitatis suæ memoriam, & honorando specialiter festum sanctæ diei in quo natus fuit, non quidem per vanitatem aut superbiam, sicut faciebat Herodes, non vt in seculo suam ponat felicitatem, sed per humilitatem Deo agendo gratias pro beneficijs suis, & de eo quod eius voluntate christianus factus sit, eumque per baptismum ad familiam suam vocarit, dederitque tempus & ætatem ipsum Deum cognoscendi, honorandi, & illi seruiendi, & ad suam tandem perueniendi gloriam. Potest quidam lætari læticia quadam sobria, cōmixta timori periculorum quæ in mortali hoc sunt bello. Orādus est Deus & sancti, vt aduersus omnes insultus crudeles Deus eos faciat victores. Sed redeo ad materiam meam, & dico Deum summum imperatorem non dimisisse beatum Antonium strenuum suum militem futurum, diu esse post eius natiuitate in campo periculosi huius prælij, quin ei tunicas suas daret, & de propria sua spirituali eundem retineret familia, per signum sancti sacramenti baptismatis. Deinde mox armauit eum spiritualibus armis quæ sunt virtutes, vt scuta veræ fidei, clypeo spei, tunica charitatis. Illi concessit clauum iustitiæ, gaudium discretionis, cingulum temperantiæ, subtunicale fortitudinis, calcearia sancti timoris, & etiam alia arma diuina, quibus mediantibus victoriosus fuit contra omnes insultus. In baptismo enim virtutes infunduntur. Inimicus verò bonorum omnium & omnium creaturarum, videns nobilem hunc militem sanctum Antonium taliter armatum, valde crudeliter proculdubio & cum magno odio & inuidia se contra eum erexit, omnisque conatus eius fuit quo eum debellaret, vinceret & destrueret tunc parauit superiorem suum & primum filium peccatum. sc. tyrannum cum tota sua maledicta, quæ innumera est, societate, & dixit eis clamore horribili: Agite agite, parati estote, disponite vos, non diutius expectetis funditus & subitò creaturam hanc pauperem, flebilem & nullius reputationis destruere & confundere, quæ contra nos arma sumpsit, & aduersum nos præliari ausa est, non euadat vllo pacto, tendite tentationis laqueos, & deceptionis stimulos, facite fraudes, sagittas infigite omnium tentationum, sic facite, in nullo parcite. Eo modo præcepit inimicus, & alij taliter obediuerunt, sed per gratiam summi imperatoris & per arma sua quæ illi fuerant administrata, contra omnes crudeles insultus sanctus Antonius fuit victoriosus.

Verum est mihi hic latam & spaciosam oblatam esse materiam loquendi de prælio spirituali vitiorum contra virtutes in sancti Antonij persona. Nec aliter sublimius & subtilius sermo haberi posset ad homines, contemplatiuam vitam &

solitariam dicentes exemplo sancti Antonij, & etiam ad homines qui vitam viuunt actiuam. Et comparari possunt insultus, quos habent illi ad eos quibus mūdani afficiuntur homines. Curabo breuiter sermonem meum sumere secundum locum in quo sum, & personas absque magna curiositate. Verum ad nostram ædificationem si possum de quatuor solummodo crudelibus dicam insultibus qui sancto Antonio facti fuere ab inimico. Non enim de omnibus verba facere possem, immo adhuc finiam quandocunque placuerit his quorū interest. Primus insultus factus fuit sancto Antonio per maledictum quendam stipēdiarium, quem luxuriam nominare possum carnalem. Secundus per affligentem aduersitatem. Tertius per cupidam prosperitatem. Quartus per mendacem iniquitatem. Sed contra omnes hos insultus sanctus Antonius fuit victoriosus. Et si qui interrogent quomodo & quo auxilio? Respondeo eum contra quatuor hos tyrannos pro subsidio habuisse, præcipuè quatuor cardinales virtutes gratiæ filias. Contra carnalem luxuriam, temperantiam habuit & continentiam. Contra affligentem aduersitatem, fortitudinem & patiētiam. Contra cupidam prosperitatem, iustitiam, non quemquam grauando. Contra mendacem iniquitatem habuit veritatem & prudentiam.

Omitto modò ad hoc allegationes etiam & scripturæ concordantias, quò citius materiam meam perficiam. Quantum ad primum insultum audiamus quod dicit Euagrius vitam sancti Antonij describendo. Et facile conspiciemus quo pacto sanctus Antonius à tyrāno hoc, luxuriosa scilicet carnalitate in prima sua iuuentute die noctúque sine cessatione fuerit vexatus. Contra eum enim faciebat sagittas ardentes, desideriáque carnalia & stipites inflammatos immundarum cogitationum atque inordinatarum voluptatum. Sed sanctus Antonius hæc euitabat fortiter, cauebátque ne vereretur per malum consensum, sicut eius declarat pictura. Eousque autē res deducta est vt Deus ad preces suas visibiliter ei inimicū fornicationis ostenderit qui eum tentabat, & se prostrauit ad pedes eius in forma horribilis & nigri cuiusdam pueri prorsus nudi, séque victum esse ab eo confitebatur. Quomodo fieri potest quod cum spiritus sine corpore sint, in corporali sese ostendere possent figura, hoc omitto, eò quod dixi in quodam alio sermonum meorum. Cum sanctus Antonius vidit malignum spiritum carnalis luxuriæ, clamauit & in eum expuit, dicens: Abi abi turpissima & abominabilis factura, non amplius te timebo nec tibi fidem adhibebo, cum talem te esse cognoscam. Læsus est in capite suo, qui se tuæ submittit ditioni. Non est sapiens qui te recipit aut audit. Maledictus est & infortunatus, qui pro breuissima & immunda voluptate quam tu mittis perdit animam suam, hæreditatem suam, suam coronam, suam gloriam, & se perpetuæ committit damnationi. Et nos exemplo sancti Antonij fugiamus maledictum hunc stipendiarum carnalem. sc. luxuriam. Non agamus more quorundam qui conqueruntur, & se varijs excusant modis. Dicunt aliqui se non posse resistere aut castè viuere, siue in matrimonio siue sit extra matrimonium. Profectò qui sic dicit, malè dicit. Primò de Deo eum blasphemando, quod scilicet aliquid A præceperit impossibile quod fieri non possit. Anathema sit qui dicit Deum aliquid impossibile præcepisse, ait Hieronymus. Talis etiam maledicit de omnibus bonis hominibus qui castè viuunt, quos iudicat secundum fatuam eius complexionem & conditionem castitatem seruare nō posse. Videmus etiam quod pro quadam aduersitate aut dolore, aut ne perdamus vtilitatem aliquam temporalem, aut pro persona aliqua homines aliqui abstinerent à tyranno hoc, luxuriosa B carnalitate. Quomodo igitur hoc non possit fieri pro amore domini nostri, pro honore virtutum, pro verecundia & perpetua confusione vitanda. Non reor aliquam personam tantopere de peccato hoc committendo tentari, quoniam bene sibi caueret ab eo antequam acquisitam suam amitteret pecuniam aut aliquod è membris suis. Ammodo ergo non dicas te non posse, sed non velle. Sanctus Antonius nonne homo erat ex sanguine compactus & carne quemadmodum & tu? Ita reuera, nonne tentabatur sicut tu? sic & multo C grauius quam tu. Si tu es in iuuentute, & ipse pariter, sed in hoc est discrepantia, quia sanctus Antonius sicut liber, nobilis & strenuus miles pœnam apparabat & totum suum nisum vt se defenderet. Tu verò es prorsus inutilis & nullarum virium quoad prælium spirituale, qui citò manus victas offers & vinceris primo aggressu, aut (quod profectò peius est) quæris & inuitas omnibus modis quo vincaris audiendo, loquendo & per inhonestòs tactus & per malam societatem. D Ideo mirandum non est si in his aggressibus crudelibus victoriam non obtineas. Alij dicunt: O bone domine congruit iuuentutem transigi & consummari, qua peracta facillimè conuertar, & castè viuam in senectute. O falsa & deceptiua spes, quot milia hominum perdidisti, & plures perdes sub ea spe, multi enim moriuntur sic in fatua eorum iuuentute, absque pœnitentia vlla, alij efficiuntur peiores indies, súntque faciliores vt vincantur quam prius. Qui enim hodie ad resistendum tentationibus non est idoneus, E cras adhuc erit minus. Quæ est causa? Est propter malam consuetudinem quæ eos ligat, onerat & constringit, vertitúrque eis quasi in naturam & duram necessitatem. Alia causa est, quanto enim persona magis ad senium accedit, tanto efficitur tristior & maior melancholicus, & portat causas sui doloris cum ipsa sicut dicunt medici. Vnde sequitur quod ad se recreandum secundum malam suam consuetudinem magis inordinatè & diligentius affectiones suas carnales F appetit quam prius, pluribus modis qui multo magis sunt reprobandi. Crede ergo consilio, hoc est, si viuere vis castè & mundè in senectute, incipe in iuuentute exemplo sancti Antonij, qui à prima sua ætate contra omnes crudeles insultus iniquæ carnalitatis potens fuit victor.

Adhuc sunt aliqui qui in peccatis eorum excusationem quærunt, dicentes: Hoc esse aliorum peccatorum nimium heu quod peccatum iudicandum est paruum? quod mortale est, quod Dei aufert amorem, quod ad perpetuam ducit mortem. Quod peccatum paruum iudicandum est, quod sæpe facit nobilem dominum aliquem

aut

aut principem fidem suam violare, & fidelitatem solemniter in matrimonio promissam, quod facere non dignaretur aut non vellet inimicis suis, etiam si vitam perdere deberet corporalem, sicut apparuit de Regulo & Attilio. Quod peccatum iudicandum est paruum, quod facit præsbyteros & religiosos votum solemne violare & infringere, quod est vt viuant castè absque matrimonio, sicut omnes vouerunt qui ordinem præsbyteratus susceperunt? Consideremus etiam quid mundum per diluuium submergi fecit, quid ciuitates quinque & circumiacentem regionem cœlesti fulmine funditus euertit? Quid magnam destruxit Troiam? Quid Tarquinium & omnem eius sobolem regalem Roma expulit? Quid tam strenuos imperatores & reges Alexandrum, Iulium Cæsarem, Antonium, Dauid sanctum, Salomon sapientem, Samsonem fortem, & alios innumeros vicit & superauit? Hæc omnia carnalis fecit luxuria. Non est ergo paruum peccatum, nec opineris illam solam venire. Nam adducit secum in castellum spirituale animæ, quæ eam recipit, periculosissimam comitiuam, Dei obliuionem, contemptum sui iudicij, mundanam voluptatem, displicentiam aut infidelitatem, intellectus obscuritatem, desperationem suæ conuersionis, de misericordia Dei præsumptionem. Quicquid inquiunt, faciant saluabuntur homines. Deinde sequitur cordis obduratio, quæ prorsus expellit bonas animæ custodias, verecundiam & timorem, post hac discooperit pallium ipsius hypocrisis quod fedissimam suam celabat immundiciã, hinc inuadit diffamia quæ hominem per totum mundum proclamat & infamem efficit. Demum est creatura talis miserabiliter absque remedio. Adest & obstinatio quæ ei os claudit ne confiteatur aut pœniteat eam peccati, ligátque pedes eius & manus vt non se releuare possit nec adiuuare. Tunc cadit & decidit in profundissimam abyssum perpetuæ pœnæ & confusionis, hic est finis ad quem deducit peccatum hoc, carnalis luxuria quod quamuis aliqui dicãt paruum, sanctus Antonius ipsum non paruum iudicauit, cum taliter ei restitit & crudelibus suis insultibus. Et cum talem sustinuerit pœnam & martyrium, vt victor eius esset. Et sumo hi quatuor morales considerationes.

Prima consideratio est.

Tentationes non semper ex carne, quæ contraria est spiritui prouenire, sed aliquando immittuntur à malignis spiritibus, & potius per hos quam illos secundum diuersas eorum naturas & malitias quemquam eorum aliqui tentare non dignantur.

Secunda consideratio.

Facile est creditu sanctum Antonium specialem gratiam à Deo recepisse, sanandi ignem corporalem in infirmorum membris eò quod taliter vicerit spiritualem ignem iniquæ carnalitatis.

Tertia consideratio.

Credendum est sanctum Antonium gratiam habuisse specialem contra ignem spiritualem carnalitatis per suas orationes. Nunc omitto primum insultum, & accedo ad secundum. Cognoscere velitis quod post suam victoriam non abstinuit inimicus, sed acrius inflammabatur cõtra sanctum

Antonium. Ei quoque alterum dixerit stipendia-
A rium valde asperum quem nomino cruciantem aduersitatem. Habemus inimicum sæpius & varijs modis se monstrasse in diuersis & horribilibus ad extra figuris. Verberauit sanctum Antonium, & ipsum visibiliter pœnis afflixit, quoadusque potius appareret mortuus quam viuus. Hos autem insultus tribus de causis specialiter inimicus exercuit: Vna, vt deijceretur in impatientiam. Alia, vt contra Deum murmuraret tanquam si esset iniustus, quod taliter eum sinebat affligi non ei suc-
B currendo, cum ei tam diligẽter seruiret & amaret. Tertia causa, vt sanctus Antonius malignos timeret spiritus, ad eos recurreret, atque ab ipsis veniã postularet quo ab eo discederent, & sic inimicos honoraret. Sãctus verò Antonius bene sibi cauit veluti liber & fidus miles, non cadendo in impatientiam, nec contra Deum murmurãdo. Verum dicebat cum propheta: Iustus es domine, & de creatura tua facere potes vt vis. Præterea contemnebat omni modo inimicos & eorũ potestatem, dicens: Si Deus eis daret potestatem, bene vellet
C ab eis interimi, sicut dicebat Iob. Si me occidatis, nihilominus tamen spem meam in eum conieci, hoc erat sapienter & fideliter operari. Si enim sanctus Antonius in aduersitate sua malignos appellasset spiritus, scitis quid ei accidisset, forsam ad aliquid tempus eum affligere destitissent, sed de Deo protectore suo suum fecisset persecutorem. Aut si pœnitentiam agere voluisset, & ad Deum recurrere, Deus meritò aurem suam occlusisset, sicuti infideli famulo. Et falsi spiritus denuo acrius eum impugnassent quam prius, vt iterum eorum
D postularet auxilium. Sanctus Antonius bene nouerat malignos spiritus nullã habere potestatem, nisi in quantum Deus illis permittebat veluti spiculatoribus & suæ iustitiæ ministris & iustæ suæ voluntatis. Nouerat equidem quod omnibus his qui eis confidunt, falsam ludunt societatem, hoc est eos decipiunt in hoc quoque mundo, & in alio tormentis tradunt. Propterea dicebat cum propheta: Dominus mihi adiutor, & omnes inimicos meos contemno. Imitemur sancti Antonij exem-
E plum, si diuina voluntate cruciantem nos perpeti habeamus aduersitatem eiusque insultus. Habeamus patientiam, fidem & fidelitatem ad Deum, & omnia ad nostrã cõuertantur vtilitatem & gloriã, quemadmodum habemus de sancto Antonio qui post multas persecutiones nostrũ meruit videre dominum in magna claritate, omnes inimicos in fugam vertentem, & sanctus Antonius clamauit: O bone Iesu vbi eras, cum scilicet inimici ex pacto me tormẽtis afficerent. Præsens erã respõdit Iesus.
F Cur ergo nõ succurrebas mihi? Expectabã inquit, bonam tuam patientiam, tuam erga me fidelitatem, & tuam victoriam vt te remunerarem. Et quia sic egisti, faciam te nominari per vniuersum mundũ. Hoc nos iam impleri videmus. Pro certo teneamus quod quæcũque aduersitas nobis acciderit, siue per inimicos siue aliter omnino ad nostrã vertetur vtilitatẽ, si bene ea vti velimus, & secundũ officium aut commissionem quam aduersitas à Deo habet, quæ est purgare aut probare, corrigere & emendare hos qui sui sunt amici, & qui se ei subdunt sicuti veri filij patri, boni scholastici præceptori, fideles subiecti domino.

Si sic fecerimus, sicut dicit sanctus Gregorius, nulla nocebit aduersitas si nulla dominetur iniquitas, immo exemplo sancti Antonij, contra omnes hos crudeles insultus potentes erimus victores. Et hic aliquas concipio considerationes.

Prima consideratio est.

Sanctum Antonium posse dici verè martyrem, propter dura verbera & persecutiones, non modo hominum, verum etiam inimicorum, qui tantopere eum affligebant & tanto immitius, quanto hominibus sunt crudeliores vt dicit Chrysostomus.

Secunda consideratio.

Stultè iudicant hi absque experientia & contra nostram etiam fidem, qui malignos spiritus esse negant, aut eos nobis nequaquam esse dicunt cõtrarios. Quamuis nullam habeant potestatem nisi inquantum Deus supremus imperator illis permittit sicut carnificibus suis & iustitiæ suæ executoribus, propter aliquam supradictarum causarum.

Tertia consideratio.

Insipienter arguunt mundani, qui iudicant tribulationes solum malis mitti, & propter eorum scelera, & ideo irrident bonos cum eos pauperes respiciunt, aut in aduersitate aliqua maiori quam ipsi sint. Considerate sanctũ Antoniũ, erat ne malus? aut à Deo odio habitus? Reuera non, attamen taliter fuit afflictus, & modis tam extraneis. Hoc autem fuit vt gloria sua augmentaretur. Sicut dici solet, non inueniri quo Deus voluerit aliquid magni in quamcunque conferre personam, aut excellens præmium absque ingentibus persecutionibus, & quin eam probasset per aduersitatem amaram. Sicut princeps plus laboris in prælio dat & aliter strenuo alicui militi, quam alterius minus valido. Dicit vita sancti Antonij post multas persecutiones semel saluatorem nostrum ei apparuisse. Et hoc est quod dicebam, quod per tribulationes & infamiam Deus dat præmium & gloriam. Act. 14. Versus:

Vt probet, aut purget, aut puniat, aut mereatur,
Aut Christi pateat gloria pæna datur.
Iob probat inclinat Paulum, sese manifestat,
In cæco, purgat Mariam, sed punit Herodem.

Quarta consideratio est.

Quod inimicus conatur sæpius aduersas angustias nobis mittere, vt nos ad malum vertat ad impatientiam & murmurandum contra Deum, ad blasphemiam, ad idololatriam & eum honorandum, per hoc vt eius imploretur subsidium, attamen omnia ad contrarium vertuntur, si his patiẽter & humiliter vti voluerimus, submittendo nos Dei correctioni, dispositioni & disciplinæ, sicut filius patri, & fidus subiectus supremo suo domino, atque scholasticus bono suo præceptori. Si autem sanctus Antonius malignorum spirituum implorasset auxilium, falsus. i. deceptus ab eis fuisset. Est enim inimicorum fraus, vt legimus de vita sancti Bartholomei, quod sæpius mittunt aduersitates his qui eos in auxilium vocant, vt semper ad eos reuertantur atque ipsos honorificent. Nam etiam interdum cessant eos affligere, vt decepti credant se liberatos vel sanatos esse per eos, & per inuocationem atque sacrificia quæ illis libent. Et demum omnibus his qui eis sic A associantur, sacrilegijs his modis ludunt falsæ societatis ludum, hoc est, eos trahunt ad verecundiam & in tormenta in hoc mundo & alio.

Credamus vere & aspiremus de facto cum sancto Antonio, solum Deum verum esse protectorem contra stipendiarium hunc cruciantem aduersitatem. Ipse est qui cum bonum ei apparuerit liberat, quod quis erga eum meretur per bonam vitam & firmam crudelitatem. Sed si quotidie ad iracundiam prouocetur de malo in peius B in cunctis iniquitatibus absque pœnitentia quacunque, & quod detestabilius est, propter beneficium hoc liberationis dicantur & fiant blasphemiæ, & contra eum proditiones atque contra fidem, per falsos honores & subiectionem aduersario suo exuli & pro scripto. Quid mirum quin hi qui eo pacto agerent à manu angentis aduersitatis, per eum non liberentur. Sit igitur Deus protector noster, iuuamen nostrum, spes nostra & fiducia & illi seruiamus deinceps tota vita no- C stra in bonis. Tunc assero quod exemplo sancti Antonij futuri sumus contra omnes aduersas angustias & crudeles insultus potentes victores.

Nunc prætereo secundum insultum & tertium aggredior. Postquam percepit inimicus, quod per omnem conatum & crudelitatem stipendiarij huius angentis aduersitatis nil proficeret, sed beatum Antonium gloriosiorem & verum Dei martyrem efficeret, ad alium se vertit suum stipendiarium cupidam scilicet prosperitatem. Qui tan- D to peior est secundum sanctum Gregorium & Boëtium, quanto occultius fallit sub vmbra boni & voluptatis, quam angens aduersitas. Est enim latro proditor, qui ferit osculando, & occidit amplexando. Propterea inimicus excogitauit ponere sæpenumero in via sancti Antonij vasa aurea aut auri similitudinem, vt ipse moueretur per auaritiam, & per hoc eremum dimitteret & denuo mundo adhæreret. O quot religiosos & alios Dei christianos decepit inimicus per auaram talem prosperitatem? Quot fecit à religione E in mundum reuerti, de mundo ad inferos. Sunt profectò multi qui in aduersitatis prælio constantes fuerunt, per prosperitatem tamen capti sunt & decepti. Et plerique erant sapientes & humiles clerici videntes in schola aduersitatis, qui in prosperitate fatui efficiuntur, elati, cæci, Deum spernentes & omnem bonam personam. Nec inimici solum diligunt vitium hoc in priuata persona, verumetiam in regnis & magnis dominicis, sicut Romæ fuit. Dicit Iuuenalis, quod bea- F tus quoque Augustinus recitat. Nunc patimur, quia longè pacis mala &c. hoc est aduersariorum prælia: vt Hannibalis & aliorum, qui multo minus malorum Romanis intulerunt quam ea quæ attulit prosperitas. Cuius causa est, quoniam prosperitas luxuriam carnalem adducit & immoderatam, stultam quoque largitatem, quæ statum excessiuum tenebat in omnibus rebus. Postea de stulta illa largitate prosperitatis filia, quæ occultatur sub liberalitatis vmbra & validitatis, generatur vitium quod huic videtur contrarium, hoc est auaritia cupida & rapax. Aliter enim

enim prodigalitas vitam diuturnam in excessiuo
statu habere suo non posset, si hac nutrice minus
nutriretur quia abyssus expensarum abyssum re-
quirit pecuniarum. Excessiuus status est sicut
maris abyssus quæ satiari non potest. Et qui nimis
expendit ex vna parte, necesse est vt petat & cu-
mulet ex altera, qui sua consumunt &c. Pro-
pterea eam nominaui in principio prosperita-
tem cupidam. Veritas enim probata est, quod
qui plus habet, magis appetit seu cumulat. Ve-
rum est, nisi ratio ibi dominetur. Videamus quid
sequatur ex cupiditate, ex ea prodit maledicta
proles latrocinium, fraudes, rapinæ, omnia mala,
iniuriæ, odia, maledictiones, rebelliones, dissipa-
tiones, mortales inuidię quorundam contra alios.
Hoc totum apparuit tempore Iulij & Pompei,
Sillæ, aliorúmque sine numero. Quid præterea
sequitur? Audiamus non meam sed Sapientis
sententiam Eccles. 9. Regnum de gente in gen-
tem transfertur. Dicit Sapiens, quod post iniu-
stitiam & fraudes atque iniurias sequitur mutatio
seu translatio dominij siue regni de gente in gen-
tem. Considerate igitur quantum malum indu-
cat inimicus per stipendiarium suum appetentem
prosperitatem si quis non prouiderit, hoc est, nisi
posuerit rationem, mensuram & modum statui
suo, non quemquam grauando. Heu si bene res-
piciamus viuaciter miserabilem ecclesiæ sanctæ
statum, & quæramus quis hunc induxerit. Credo
facilè responderi posse per tyrannum hunc cupi-
dam prosperitatem hoc factum fuisse, quoniam
de eo venit superbia, ambitio, simonia & sacrile-
gium, ad nutriendas pompas, & excessiuos eccle-
siasticorum status. Velit Deus his malis finem
imponere, auaritiámque hanc & simoniam extru-
dere. Sed valde timeo ne dum sit finis. Paulo
antè prælatus quidam interrogabat, quæ simonia
esset magis reprobanda, aut ea quæ fieret per vim,
minas aut coactiones, aut illa quæ fieret argen-
to? Fuit responsum primam esse peiorem, quæ
est acerba contra multos sententia. Nunquam
enim absoluetur nisi beneficia eorum resignent,
in quibus nihil prorsus habent iuris, & nisi resti-
tuant omne illud quod à beneficio receperunt.
Omitto hanc materiam. Bene opus est ergo his
qui faciunt tales minas, propter quas huiusmodi
fiunt mala eis qui contra Deum & conscientiam
obediunt propter timorem vnusquisque à ma-
gno vsque ad paruum, vt sibi caueat adeò sapien-
ter contra prosperitatem auaram, vt ducendo sta-
tum temperatum secundum Deum & rationem,
& sine alterius grauamine ad exemplum sancti
Antonij contra omnes crudeles insultus simus vi-
ctores. Conformiter ad prædicta tres formo con-
siderationes.

Prima Consideratio.

Interdum maior est habenda compassio erga
personam quæ est in prosperitate quam si esset in
aduersitate. Quare? quia male vtitur, & animæ
suæ multo peior est quam aduersitas.

Secunda consideratio.

Non est bonum signum, sed potius manife-
stæ damnationis signum, peccatorem semper re-
cipere in hoc mundo prosperitatem, quoniam
necesse est vt iustitiam recipiat in alio mundo &
suam punitionem, aliàs Deus iustus non esset.

Gerson. Quarta pars.

Tertia consideratio.

A Vtile est in hoc mundo libenter & in patientia
ferre aduersitates. Cur? quoniam hic curiam suam
tenet & sedem misericordia dulcis & pia, quæ
facile parcit & veniam dat, sed postea curiam
suam & thronum tenebit iustitia horribilis & cru-
delissima. Perperam hi iudicant, qui omnes di-
uites fortunatos arbitrantur, quia signū est quan-
doque damnationis. Malè iudicant hi qui auari-
tiam solum putant in retinendo esse sitam. Malè
diuidere diuitias suas causa est suæ destructionis,
& generat multas inimicitias, inuidias, detractio-
B nes, redditque hominem pauperem & mendi-
cum. Prætereo modò tertium insultum. Vererer
etiam vos fastidio afficere, si quartum proseque-
rer insultum sancto Antonio factum, per men-
dacem iniquitatem vt illi tolleret veritatem &
prudentiam. Mendax enim iniquitas incanta-
tor est inimici, est etiam tumultuarius vinum ven-
dens tabernarius, qui hos inebriat à quibus reci-
pitur, eos potando vino falsarum laudum & va-
næ gloriæ, redditque eos stolidos & pręsumptuo-
C sos plenos omnium errorum vsque etiam ad fidei
Christianæ negationem, si absque hoc vt adhi-
beri possit remedium. Quare hoc? quia cum per
mendacem iniquitatem ad hoc deuenerint, vt se
inter alios iudicent & existiment sapientiores, va-
lentiores, religiosiores, nemo est qui eis consule-
re possit. Quomodo enim crederet alteri is qui se
pluris existimat, atque maioris scientiæ inter om-
nes alios? Sed etiam malum os est mendax ini-
quitas, quod seminat in occulto falsas doctrinas
D & contra fidem, & per secretas detractiones odia
generat & diffamationes.

Principale autem remedium est ne dominus aut
alius quisquam vlli credat personæ, quæ doctri-
nam aliquam in occulto dicit, aut quæ alteri de-
trahit, nisi etiam parata sit talis persona illud idem
in publico dicere. Bona enim doctrina in aper-
to poni vult & lumine. Falsitas autem petit ab-
scondi, sic etiam detractio. Erat mihi hic prolixa
materia de responsionibus sancti Antonij & de
sua prudentia aduersus mendacem iniquitatem.
E Sed dictis finem impono, tres tangendo conside-
rationes. Prima secundum doctrinam sancti An-
tonij. Non est periculosior tentatio alicui religio-
sæ personæ aut domino quam cum se iudicat talē,
qui non alterius egeat consilio, ne cuiquam cre-
dere vult prætérquā proprio suo capiti. Et vnde
hoc emergit? Reuera ex mendaci iniquitate quæ
per adulationem secretam aut apertam sic homi-
nem seducit, vt se alijs putet sapientiorem, aut vir-
tutibus magis præditam. Secunda consideratio.
F Periculosissima res est audire doctrinam in occul-
to, aut alteri detrahere, si is qui secretò loquitur,
aperte dicere & proferre non audeat & publicè
doctrinam suam aut accusationem. Tertia con-
sideratio secundum documentum sancti Ludoui-
ci. Vnaquæque persona & specialiter princeps,
talem se debet exhibere, vt quis possit & audeat
plenè ei veritatem exprimere, siue pro eo sit veri-
tas siue contra eum. Alioquin se omnino dedit
mendaci iniquitati, quæ eam perdit & decipit.
Tempus est vt finiam, finem igitur faciam, sup-
plicando quod per merita & intercessiones san-
cti Antonij nos superare possimus periculosum

prælium huius mundi, & præcipuè quatuor supradictos insultus, vt contra omnes hos insultus A crudeles nos simus victores: Quod nobis præstare dignetur altissimi filius, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

SERMO DE DIE PVRIFICATIONIS NOSTRÆ DOMINÆ FACTVS *Parisijs per magistrum Ioannem Gerson.*



Vscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi. In Psal. 45. Verba hæc B prophetæ Dauid recitantur in missæ introitu matris nostræ sanctæ ecclesię. Vtinam in spirituali templo nostri cordis modo talem reciperemus misericordiam, vt de nobisipsis & anima nostra misericordiam haberemus. Quemadmodum admonet. Sapiens: Miserere inquit, animæ tuæ placens Deo. Eccles. 30. Non est maior crudelitas, furor aut inhumanitas, quam illa quæ est hominis contra semetipsum, quia qui sibi ipsi nequam, cui bonus? Et inter multas hu- C iusmodi crudelitates de quibus loqui possem in sequentibus, vna est permittere se mori, & scienter quidem. Et qua fame? Fame spirituali, quæ tanto est periculosior quanto anima præstat corpori, & perpetua vita temporali. Profectò cibus animæ est verbum Dei, sicut habetur in euangelio sancti Matthæi, hominem non solum viuere pane materiali, sed verbo Dei, qui panis est animæ. Hi ergo animas eorum periculosissimè fame mori sinunt, veluti crudelissimi & immites, qui D panem hunc & vitam spiritualem sibiipsis denegant, qui bonas spernunt admonitiones, aut si audierint, confestim eijciunt, & quod peius est, persequuntur, & odio habent misericordiam spiritualis medici, qui hanc eis administrare vult alimoniam. Hoc apparuit de tyrannis erga martyres. Taceo de tempore præsenti. Nonne est crudelitas incomparabilis & furori similis? Dicit Iesus Christus, patrem aliquem nunquam filio suo qui cibum quæreret, serpentem loco panis prębere, quia non esset misericordia, sed heu facimus E diebus singulis hoc miseræ animæ nostræ, quæ nobis est multo propinquior quam filius patri. Anima nostra quolibet die (modo eam audire velimus) panem petit bonæ doctrinæ dum in oratione dominica dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. In loco huius panis nos illi petimus serpentes & cibos admodum veneficos, detractionis, luxuriæ, inuidiæ, errorum, superstitionis, omnis immundiciæ & malæ suggestionis. De quibus dicit Apostolus: Corrumpunt bonos F mores colloquia praua. O vtinam Deo placeat, vt iam à corde nostro tam horribilem crudelitatem expellamus, & recipiamus misericordiam, quæ nos nutrimentum spirituale faciat recipere. Et quoniam ô virgo dignissima tu es mater misericordiæ, thesauraria gratiæ, fons pietatis. Tu ea es quæ hodie nos admones offerendo & præsentando misericordiam templo materiali. Tu ipsa es verum templum misericordiæ in templo misericordiæ figuratum, de quo loquitur Statius poëta libro Thebaidæ, 12. dicens: Athenis fuisse templum quoddam misericordiæ templum nuncupatum, in quo omnis creatura auxilium, subleuamen & consolationem recipiebat. Talis es tu virgo dignissima, tu es verus refugij locus, rationabiliter comparatus illi quem Romulus Romam fundando, in quo omnes malefactores in securitate erant & libertate. Te igitur precamur virgo gratiosa, & secundum proprietatem tuam & naturalem conditionem nunc nobis misericordiam adducas, qua deuotè recipiamus & perseueranter retineamus doctrinam quę ad nostram sit saluationem. Propterea te salutabimus ea salutatione per quam angelus primò tibi huius misericordiæ nunciauit aduentum ad sanctum corporis tui templum, dicens: Aue Maria &c.

Suscepimus Deus &c. Secundum quatuor modos templorum (de quibus loquitur scriptura sancta) sermo noster diuidi poterit in quatuor breues partes. Prima de aduentu misericordiæ ad templum materialem secundum historiam præsentis solemnitatis literalem expositionem. Secunda de aduentu misericordiæ in ecclesiam spiritualem secundum moralem expositionem. Tertia de templo virginali. Quarta de aduentu misericordię in ecclesiam vniuersalem secundum expositionem mysticam & figuralem. Breuitatis tamen causa solum de duobus primis dicam punctis. Quoad primum considero, quod anima deuota nostræ fidei & religionis mysteria cognoscere desiderans, ad eleuandum se in laudibus Dei sui & sui saluatoris, iam posset quærere à matre nostra sancta ecclesia suæ exultationis causam de festo & solemnitate, cantu & seruitio, quod præsentialiter explet? Cui respondet breuiter nostra mater sancta ecclesia per verba prophetæ proposita dicens: Deuota anima, meritò exultare debemus, quia suscepimus misericordiam, quæ peccatoribus & Deo facit concordiam. Olim (ipsa mater ecclesia inquit) regnauit rigorosa iustitia, insidens tremebundo throno veritatis, & tenens acutum gladium vindictæ & exterminationis. Malè contingebat peccatoribus, proditoribus & malefactoribus, qui contra regalem Dei maiestatem delinquebant per legis suæ & mandatorum suorum transgressionem, quia sic captus, sic suspensus. Bene probauit in Lucifero angelo pulcherrimo, quia cum primum ô Lucifer ventus superbiæ cogitationem tuam inflasset, atque ad hoc duxisset vt de tuo æqualis fieri velles, qui tamen vt ei seruires creatus fueras. Nullum fuit remedium quin iustitia subitò te prosterneret, & in horribilem inferni carcerem deijceret à tam alto loco in tam profundum. Adam non euasit quin post primam inobedientiam mox eum iustitia nobili suo vestimento, innocentia scilicet spoliauit. Adduxit in regnum suum spirituale rebellionem, cum à propria paradisi terrestris hæreditatem fugauit, mortem illi desponsauit, seruum constituit. Tribulationi dedit & crudelibus satellitibus, qui eum pœnis afficerent. Qui quidem satellites sunt, fames, sitis, angustiæ, miseriæ & infirmitates innumeræ, bene tunc apparuit regnare iustitiam. Quid dicemus de diluuio, à quo solum modò octo personæ saluatæ fuerunt? De subuersione Sodomæ per sulphur & ignem de cælo cadentem, de deuoratione Dathan & Abyron qui viui descenderunt

tunt ad inferos. Hæc omnia faciebat regina, quæ eo dominabatur tempore iustitia rigorosa. Sed in hoc tempore nouo quod gratiæ tempus nominatur, sublimis imperator suum mutauit iudicem, quia lex per Moysen data est, & gratia per Iesum Christum, quia loco iustitiæ intronisauit misericordiam, dulcedinem & pietatem, cuius thronus est gratia & virga dulcis correctio, de qua dicit Psalm. Virga tua me consolata est. Multum ergo hoc tempore lætari debemus, dicit sancta ecclesia, dies festos & solennes celebrare, quia suscepimus misericordiam, qui Dei & peccatorum facit concordiam. Suscepimus &c. Hæc misericordia est benedictus Dei filius, qui tali die quemadmodum hodiernus est, oblatus fuit publicè in aperto, & receptus in templo, sicut prædixerat propheta Malach. 3. Statim veniet ad templum suum. Verum est quod antea hæc misericordia suscepta fuit in precioso corpore dominæ nostræ in die annunciationis. Sed hoc satis secretè factum fuit in camera Mariæ. Post hac die natiuitatis hæc misericordia suscepta fuit in bestiarum præsepio, & paucis hominibus denunciata scilicet pastoribus. Hodie verò eam suscepimus in loco publico, in loco sancto, in loco ad quem generaliter conuenire possunt & debent tam pauper quam diues, in templo videlicet materiali, & non in aliquo angulo templi huius, non in loco aliquo secreto & occulto, sed in medio, vt omnes accedere valerent. Suscepimus (inquit propheta) misericordiam tuam. O anima hic gloriosissimum habes donum tanquam lætissimam & gratiosissimam nouitatem. Bone domine Deus, agimus tibi gratias pro huius doni excellentia, quod quærimus cum propheta, & deuotè postulamus, dicentes: Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Domine, non petimus sapientiam tuam, iustitiam tuam & potentiam tuam, quia plus illa timemus quam desideramus. Non abs re, quia sapientia accusabat hominem peccatorē, qui nequaquam poterat neque sciuerat se excusare. Propterea timebat Iob. 9. Si voluerit mecum contendere, non potero respondere vnum pro mille. Si Deus inquit, me secundum iustitiam rigorosam iudicare velit de mille accusationibus quibus me accusaret, non scirem respondere ad vnam solam. Iustitia condemnauit peccatorem, nec quicquam ei profuit prouocare siue appellare.
Propterea timebat ille idem Iob. 9. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceret delinquenti. Potentia in executionem ponebat sententiam, quæ effugi & euitari non poterat. Ob hanc causam timebat Dauid: A facie inquit, manus tuæ &c. Adhuc rigidis increpationibus potentiæ tuæ non potui resistere. Haud ergo mirandum fuit si peccator non petebat, sed refugiebat prædicta. Sed bone domine Deus, pater misericordiæ & consolationis, vt nos lætemur & confortemur, sapientiam hanc in pueritiam vertisti, iustitiam in clementiam, potentiam in infirmitatem, & solum misericordiam recepimus quæ peccatores cum Deo concordat. Suscepimus &c. Verum enimuero misericordiæ consideremus aduentum, quoniam sola non venit, sed cum magna & nobili adducitur & recipitur processione.
A Maria eam præsentat Symeon recipit & portat. Anna eam prædicat & testatur. Hic videre possumus, quare Symeon canticum suum dicendo (quod die quolibet in completorio decantatur) tria glorioso huic puero (quæ misericordiæ dicitur) dederit nomina. Quoniam honorauit templum, quando Maria hunc præsentauit puerum, propterea dicitur gloria plebis. Ostendit se beneuolum & humanum, quando Symeon eum portauit. Ideo dicitur salutare. De se dedit cognitionem cum Anna eum fateretur, & ob hoc
B lumen appellatur. Cantamus itaque hodie rationabiliter canticum verborum assumptorum. Suscepimus &c. Sed modò loqui desistamus de alijs hodiernis solemnitatis historijs. Suppono enim vos satis informatos esse picturis, litteris & prædicationibus. Non instamus curiosis quæstionibus parum ad nostram ædificationem proficientibus. Verum sermonem nostrum ad aliquam moralitatem ex prædictis, & de hodierni mysterij præsenti festo conuertamus. Primam
C partem terminemus vt ad secundam accedamus. Quemadmodum in principio tetigi, in nobisipsis templum habemus & quandam Dei Ecclesiam. De quo dicit sanctus Paulus. 1. ad Corinth. 3. Templum Dei sanctum est quod estis vos. Murus huius ecclesiæ & claustrum, est corpus quod animam continet. Portæ & fenestræ, quinque sensus sunt corporales, oculi, aures, os & alij. Altare est hominis voluntas, quæ est tanquam in medio cordis templi huius. Super hoc
D altare fiunt sacrificia & oblationes bonarum & malarum affectionum. Bonus curatus est solummodo spiritussanctus. Parochiana est anima nostra. Sacerdotes est ratio vel intellectus, qui docet parochianam suam, quonam pacto sese manutenere debeat & gubernare. Campanæ bonæ sunt inspirationes quibus spiritussanctus in eminentiori huius templi loco sonitum incutit, & in turri quæ synderesis nominatur. Templum intrare non debent immundi porci luxuriæ, nec canes detractionis, nec excommunicati, hoc est in-
E fernales inimici. In hoc esse debet veræ fidei lampas, igne charitatis accensa, chorda spei sustentata huius templi picturæ, bona sunt sanctorum & sanctarum exempla quæ nos inspicere debemus & imitari. Et sic de multis alijs similitudinibus in hoc templo quas omitto. Hic recipere debemus misericordiam, quia meliorem hospitem habere non possumus, nec melius præsentare offertorium. Necesse est autem vt nobili concomitetur processione, quia Maria quam firmam
F intelligo credulitatem nobis eam adducere debet misericordiam. Maria interpretata est illuminatrix, quod fidei conuenit Symeon per quem veram intelligo obedientiam, ipsam recipere debet & portare. Symeon interpretatur auris siue auditus, quod conuenit obedientiæ. Demum Anna (per quam perseuerantiam intelligo) eam debet diligenter seruare. Legimus de Anna, quod erat in templo perseuerans in oratione quoad primum. Quod verò credulitas misericordiam adducat, habemus de Abraham cui per hanc virtutem primum facta fuit promissio. De hac

misericordia scilicet filio Dei benedicto, legimus dominam nostram vera credulitate misericordiam concepisse, cum dixit: Ecce ancilla domini &c. Adhuc habemus in mille sanctæ scripturæ locis eos qui habuerunt veram & firmam fidẽ in Deum, misericordiam impetrasse. Apparuit de Ionatha. 1. Regum de Dauid, de Iuda, de Maria Magdalena, de muliere Chananea. Matth. 15. Per oppositum habemus Iesum Christum non multum virtutis & misericordiæ suæ patriæ infirmis tribuisse propter eorum incredulitatem. Et reuera opinor incredulitatem nostram, ne misericordia adueniat magno esse impedimento ne rex noster sanitatem consequatur. Magnum esset miraculum, si auxilium diaboli petendo auxilium Dei haberetur, vnus enim destruit, & aliter ædificat nunquam talis macula domum intrauit Gallorum, & timeo ipsam non solam venire. Grande est peccatum & magna ignominia his qui sunt causa eius. Insuper quoad secundum, quod obedientia consequatur misericordiam, apparuit de Noe & Loth. Genes. 19. Et per contrarium hi pereunt sine misericordia, qui Deo non obediunt. Hoc clarè patuit in vxore Loth & Saüle, & his qui ante diluuium fuerunt, alijs quoque sine numero hominibus. Demum perseuerantia virtus est quæ retinet & misericordiam seruat, quia finis coronam meretur non prælium, qui absque perseuerantia inchoat, ignominiosè & verecundè misericordiam de templo suo spirituali effugat & expellit. Ideo dicit Iesus Christus: Qui autem vsque in finem perseuerauerit, hic saluus erit. Qui ergo vult modò recipere fructuosè & dignè misericordiam nobilem supradictam, sibi asciscat & sumat processionem videlicet bonam in Deum fidem, quis nobis eam adducet misericordiam? bona mandatorum suorum obedientia. Quis eam recipiet? Bona spes. Quis eam seruabit & retinebit? perseuerantia. Tunc securè dicere possumus Deo verba proposita. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Verum heu summopere metuo, quin hodie plures misericordiæ loco intra se sumant & recipiant crudelitatem damnabilem, odiosam & abominabilem. Non est similis crudelitas aut furor illi quo quis se ipsum occidit & persequitur. Si autem est vt quotiescunque homo aliquis mortaliter peccat illum seipsum morti dedere. Cui morti? magis odiosæ & tremendæ morti quæ esse queat, hoc est peccati morti. Stipendia peccati sunt mors. Et peccatum postquam fuerit consummatum, mortem generat. Et si quæras, quo pacto miserabilis hæc crudelitas peccatoris intret templum? Respondeo ipsam contrario modo intrare quo misericordia intrauit, quia infidelitas eam ducit, inobedientia recipit, obstinatio autem eam seruat & retinet. Reuera hic mala est processio, & illi contraria, quæ hodierna die fuit celebrata. In magna est confusione, miseria & desolatione miserabile templum animę nostræ, quãdo crudelitas taliter ipsum possedit. Nulli parcit, quin potius omnia dissipat, comburit & confundit. In primis verus huius templi curatus, spiritussanctus videlicet expellitur, cui succeditur infernalis inimicus falsus, hæreticus & schismaticus. Cum primum intraret portas templum huius,
A omnibus vitijs aperiri necesse est, & omnibus claudit virtutibus. Tunc enituntur cum magna turba & confusione infernalis inimici stipendiarij, vt pauperem parochianam ecclesiæ illius, hoc est animam nostram, ad æternam trahant damnationem. Nota de illis qui destruunt templa vt laudentur. Superbia intrat cum præsumptione, ipsa animam extollit in altum, postea frontem eius ferit, & contra terram deijcit. In Psalm. Deiecisti &c. Quando elati sunt dicit Psalm. Tu eos deiecisti humiliasti & suppressisti. Tollentur in altum,
B vt lapsu grauiori ruant. De grauiori autem lapsu eueniunt ira, inuidia & odium, quæ excæcant animam & miserè tormentis afficiunt. Horatius.

Inuidia Siculi, non inuenere tyranni,
Maius tormentum.

Nec abest auaritia, quæ animam nostram fatigat & distrahit per mare, per terras, per ignem, per omnia mortis pericula. Horatius:

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Pigritia eam cathenis ligat vinculo adeò duro,
C quod ad bene agẽdum seipsum iuuare non potest nec mouere. Quid dicam de gulæ peccatis quæ animam prorsus inebriant vinis & cibis taliter, vt obliuiscatur Dei & suijpsius. Et omnia vertit in fabulas & derisum, quæcunque ei de gaudijs paradisi & pœnis dicuntur inferni. De nullo enim cogitant huiusmodi gulosi præterquam de ventre ipsorum: De his dicit Apostolus: Quorum Deus venter est. Nec deest luxuria, quæ comburit fætido carnalitatis igne, quicquid boni est in
D habitatione spirituali templi nostri. Nunquam heu ciuitas materialis adeò crudeliter destructa fuit à quantumcunque peruersis subuersa fuerit hominibus, sicut templum hoc spirituale cum introducitur crudelitas eo quo dictum est modo. Finaliter idololatria ibi habitat cum sororibus suis germanis, quæ sunt sortilegium, magica, superstitio, quę faciunt vt misera anima in eorum Deos credat, baptismum suum deneget & fidem christianam, diabolum adoret & illi sacrificet. Reuera omnis creatura quæ se illis dedit sacrilegijs, est
E idololatria extra fidem christianam, à sancta ecclesia excommunicata, & secundum veterem legem digna lapidatione, secundum nostram verò digna combustione. Cum inimicus parochianam suam taliter videt dispositam, plenam plagis mortalibus & in lecto mortis iacentem, crudelitatem sororem suam vocat, & maledictam supràdictam processionem, vt parochianam hanc sepeliant. In primis infidelitas animæ ipsi oculos claudit & velat, ne videat aut cognoscat misericordiam vt
F inuocet eam. Inobedientia inuoluit lintheo & ligamine iniquæ consuetudinis. Obstinatio eam ponit in secreto aut arcula, quæ Dei nominatur obliuio. Et ne vnquam ab hac discedat, crudelitas illi superponit durissimum, frigidissimum, & horrendum lapidem obdurationis cordis & spei. Cum sic anima sese habuerit, actum est de ea nec vnquam speres remedium. Quemadmodum dicit sanctus Bernardus in libro considerationum ad papam Eugenium. Talis enim homo neç Deum timet nec homines. Si omnes qui in mundo sunt prædicatores, quotidie incessanter prædicarent

dicarent tali animæ, quæ eo se quo dictum est haberet modo, hoc est secundum malam consuetudinem & cordis duriciam, nunquam eam ad bene agendum efficerét molliorem seu proniorem, quo adusque ipsa malam suam dimisisset consuetudinem, cor suũ ad Deum leuasset, sepulchrum & abominabilem peccati fætorem abiecisset. Nihil in ea proficerent verba dulcia vt mollior fieret, nec dura verbera vt rumperetur aut flecteretur, quoniam surda est ad omnia bona. Nihil timet, immo nec corporalem mortem, quæ tam breuiter & certò illi instat & minatur. Apparuit in Iuda & Pharaone atque alijs. Et de hoc dicit Sapiens: Vide quod nemo potest corrigere eum quem Deus despexerit &c. De Iudæis pro tempore passionis &c. Deus ex gratia sua non nobis talem euenire permittat crudelitatem & cordis duritiam talem. Attamen audite adhuc dolum & inimici deceptionem, non ei sufficit quod anima facta sit eius parochiana & subiecta, & taliter (vt dictum est) sepulta. Sed vt augeat malum & quandoque aliquod per misericordiam apponatur remedium, superponit animæ pannum aliquem contextum hypocrisi, fictione & dissimulatione, quo mundo appareat pulchra.
Si enim non esset hoc hypocrisis pallium, supradicta persona appareret adeò turpis, odiosa & abominabilis mundo, quod confestim irrideretur & ab hominibus durè infestaretur, & per magnam verecundiam forsitan conuerteretur. Deinde priusquam misera illa anima in inferni sepeliatur cæmiterio. Ibi enim inimicorum sepelientur parochiani. Sicut apparuit de nequam diuite, qui sepultus est in inferno. Inimicus procurat vt mortuorum cantentur vigiliæ.
Et qui has cantant vigilias? Reuera adulatores, qui sunt capellani & cantores diaboli. Vigilias quidem incipiunt per Placebo, sed loco laudem Dei, Deum contumelijs afficiunt, maledicunt & denegant. Falsas præditæ personæ sic sepultæ laudes decantant, & loco fletus falsa habent gaudia, solatia & refrigeria. O Deus, si quis corporalibus posset oculis inspicere animam hominis talis, profectò res videretur extranea multúmque horrenda.

Sic eam duci in mortem & inferni sepulchrum, eo tamen fit modo. Si autem forsitan quisquam præsentium ob hanc tristetur miseriam, aut quicquam boni loquatur, & ad emendationem suadeat, multo satius illi foret si abesset. Confestim enim irridebitur &c. digito ostendetur, & contumelijs afficietur. In hoc mortuorum seruitio non est pax, quia pax non est impijs. Oblationes & sacrificia sæpenumero valde sunt crudelia, quia sunt de carne & humano sanguine. Mitto declarationem. Posset introduci de Busyride tyranno, qui sacrificabat homines dijs suis. De Diomede, qui eos equis dabat, de Poliphemo &c.
Considerate ergo in qua miseria sita sit anima, quę de templo suo misericordiam expellit, vt damnabilem recipiat crudelitatem. Propterea ô deuota anima ad Dei similitudinem creata, suo precioso sanguine amarissimè redempta, eijce propter Deum, eijce maledictam hanc hospitem crudelitatem, & misericordiam recipe. Qui receptionis modus in præcedentibus est demonstratus, secundum hodiernæ diei mysterium bo- A nam assume credulitatem quæ misericordiam ipsam tibi adducet, bonam obedientiam quæ eam recipiet, & bonam perseuerantiam quæ ipsam custodiet.

Te oro propter Deum interea dum misericordia suum tenet thronum & suum iudicium, in hac vita te illi submittas, noli expectare iustitiæ sententiam post mortem, quoniam sine remedio perdereris, & rigorosè damnateris. Propterea rogabat Psalm. dicens: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Et An- B selmus: Ira Dei &c. Meditare bene meditare quid prosit omne illud quod in hoc mundo facis, omne quod afflictione magna perficis omne quod per rapinam obtines, omne quod vindictam postulas, quantascunque cadaueri tuo malas ministres voluptates. Si cadas in districta mortis hora, in horribile iudicium iustitiæ, in mortem perpetuam. Et per contrarium non est nisi breue quoddam momentum de omnibus huius mundi pœnis quibus afficimur vt Dei seruemus manda- C ta, eas comparando ad paradisi gloriam, quam misericordia omnibus bonis suis elargitur hospitibus. Quam nobis concedat pater & filius & spiritussanctus. Qui viuit in secula seculorum. Amen.

SERMO DE ANNVNCIATIONE MARIÆ, PER MAGISTRVM *Ioannem de Gerson.*

D *AVe Maria gratia plena dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus.* Solet dici sanctum Gabrielem bonum esse nuncium. Reuera bonum nuncium nobis annunciasti sancte Gabriel, quando ex sublimi totius Trinitatis consilio tu pro nostra redemptione descendisti in tali sicut hodie est de cælo ad terram in ciuitatem Nazareth, in Galilæam, & salutasti virginem desponsatam Ioseph, cui nomen erat Maria, quam salutando proposita dixi- E sti verba, nisi quod in principio eius non adiunxisti nomen scilicet Maria, postea nominasti. Aue Maria &c.

Valde pulcha salutatio est hic & acceptabilis benedictio, quia per talem salutationem per tale aue destructa fuit humani generis maledictio, quę venit, per quam ablatum fuit væ malum perennis damnationis, nisi nos obstiterimus. Quid ergo hic facere & cogitare omne cor debuit omne cor religiosum, verum, nobile & amans? Valde F lætari dicit sobria specialis consolationis, lætitia pœnam adhibere debet vt dignè meditari possit hanc salutationem & reuerenter præsentare. Cui? tibi virgo dignissima, honorabilissima & benignissima, tibi regina mundi per quam nobis venit gaudium, apparuit salus & salutatio, quæ talis es verè dicta & adeò gratiosa, vt qui te salutauerit, hunc resalutes. Si autem salutaueris aliquam personam, erit ne sine salute? Si dixeris ei aue poteritne cadere aut manere in væ damnationis? Sed etiam nos qui hic sumus ad loquẽdum & audiendum aliquid quod ad tuam sit laudem & nostram ædificationem, qui scimus sine gratia nil nos pos-

se proficere. Recurrimus ad te deuotè, quæ plena es gratiæ, plena per excellentiam & superabundantiam, posses ne nobis eam negare? Sed posses ne refutare & repellere, tu qui ea es absque quocunque mendacio, quæ nunquam defuisti humanæ creaturæ te puro corde requirenti? Non certè. Et in ea spe, fide & confidentia nos rememoramus dignam tibi salutationem, quam Gabriel hodie tibi nunciauit dicendo: Aue Maria gratia, &c.

Hodie bene completum est magnum desiderium veterum sanctorum patriarcharum & prophetarum, & omnium generaliter qui liberationem expectabant de mortis periculo & damnatione, qui totiens in meditationibus, suspiriis, verbis & scripturis desiderabant & clamabant hunc qui totus est desiderabilis. Totus desiderabilis. Desideratus cunctis gentibus, & desiderium collium æternorum. Vnus dicebat. Vtinam cælos dirumperes & descenderes. Alter, credis quod nunquam eum sim visurus, credis ne me aduentum eius expectare posse? Alius: Rorate cæli desuper & nubes pluant iustum, aperiatur terra & suum germinet saluatorem. Hodie inquam completa sunt omnia desideria, quando recordatus est Deus misericordiæ suæ & nostræ miseriæ, angelum suum Gabrielem misit, qui incarnationem benedicti filij Dei nunciaret, & diceret salutationem propositam: Aue Maria &c. Et quamuis hodiernum mysterium tam arduum sit & tam profundum, vt à nullo comprehendi possit, nec verbis consequi eius sublimitatem liceat, nihilominus tamen in breui quatuor dicam veritates seu considerationes. Deinde ad nostram descendam ædificationem.

Prima Consideratio.

Hodie conceptus fuit benedictus Dei filius absque coniunctione viri, sed ex preciosissimo sanguine virginis Mariæ, taliter vt Dei mater dicatur, & Deus filius suus temporaliter, qui filius Dei est æternaliter in ea factus fuit & formatus. Iste puer in vno momento subitò, non expectando naturæ operationem, fuit adeò perfectus in sensibus & scientijs sicut modò est. Similiter plenus fuit virtutibus, quoad corpus valde pusillus fuit, hodie aliorum minimus factus fuit pulcherrimus & bene complexionatus, cum Deus dicat opera sua esse perfecta, opus hoc fecit sine medio vllo.

Secunda consideratio.

Hodierna die facta fuit prima oblatio siue offertorium pro salute nostra in sacrato templo vteri dominæ nostræ. Et acceptata fuit hæc oblatio per totam Trinitatem pro nostra redemptione in illo templo sacro, in palatio illo digno & honorato dominæ nostræ. Celebratæ fuerunt nuptiæ diuinitatis cum nostra humanitate. Profectò hic paupertas diuitem habet maritum, cum humanitas nostra se maritat & iungit diuinitati. Hodie igitur primum est & principale totius Trinitatis festum, quoniam Deus filium suum iungit matrimonio & spiritussanctus celebrat nuptias, nostra domina dat & ministrat materiam, & ipsa locus est, hospita & domus magistra, dona & munera omnium virtutum plenè & absque mensura sunt effusa. Datus est spiritus non ad mensuram, & de ista plenitudine & de hoc quod superarat, adhuc satiatur & nutritur spiritualiter omnis creatura quæ ea vti vult debitè.

Tertia consideratio.

Non est locus in mundo, nec in cælo, nec in terra vbi mirabilius opus factum fuerit vnquam aut dignius quam intra preciosum templum sacratæ virginis Mariæ. Hoc quidem die audite mirabilia amoris & misericordiæ argumenta, Deus est factus homo, & homo Deus, immortalis mortalis, æternus temporalis. Virgo est mater, filia suum concepit patrem, creatura suum creatorem, habemus dominum nostrum in fratrem, & sororem nostram in matrem. Deus est caput nostrum, papa noster, & noster apostolus, vt det plenam veniam. Hodie facta est pax Dei ad hominem & hominis ad angelos, quæ promulgata fuit in die natiuitatis.

Quarta Consideratio.

Hodie domina nostra alterius nomen accepit, & perfectius quod esse possit homini post nomen filij sui. Et est quod mater Dei dicatur melius eam appellare non possumus, quoniam per hoc habet veluti autoritatem & naturale dominium ad totius mundi dominum, & à fortiori ad omne id quod huic subiectum est domino, ita quod in nomine suo omnia flectantur in cælo & in terra & in inferno, & miracula ostenduntur, per hoc accepit plenitudinem gratiæ: non solum pro se, sed & pro omnibus. Propterea dominus est cum ea, non sicut est cum omnibus, per omnia, per præsentiam, essentiam & potentiam, sed per gratiam & sanctificationem singularem. Ideo domina nostra dicitur aduocata nostra, mediatrix nostra, nostra, imperatrix, per cuius manus Deus ordinauit dare ea quæ dat humanæ creaturæ, secũdum quod dicit sanctus Bernardus. Ob hanc causam hodie domina nostra confirmata fuit regina & domina in seipsa & supra se ipsam, hoc est, quod ratio sit magistra corporis sui, & corpus taliter obediuit, vt nulla prorsus inuenta fuerit rebellio, non plus quam in primo innocentiæ statu. O Deus quam pulchrum regnum, quam pulchrum dominium. Fuit profectò pulchrius quam vniuersi mũdi hominibus armis dominari, quemadmodum Alexãder aut Iulius Cæsar, dominatio talis regalis multum est heu in nobis extranea. Sæpe enim corpus dominatur, & ratio serua est, & in turpi subiectione. Concludamus igitur quod propter illas quatuor considerationes nostra domina rationabiliter ab angelo salutata fuit & plena gratia nominata, & inter omnes mulieres benedicta: Aue Maria &c.

Verum cor deuotum & contemplatiuum hic quærere posset & se eleuare in amorem Dei nostri & dignæ matris eius, interrogando vnde talia procedant mirabilia? Responsio. Eueniunt ex pura gratia Dei, misericordia & pietate. Sapientia & veritas nos accusabant, nec quod responderemus habebamus, nec quo nosipsos excusaremus, iustitia nos condemnabat, nec sciebamus ad quem prouocaremus, potentia exequebatur sententiam, nec quò fugeremus cognoscebamus, nec resistere poteramus donec misericordia & veritas obuiauerunt sibi, quam iustitiam ita concordauit misericordia & pacauit

uit quod iustitia & pax se mutuo osculatæ sunt, hoc fuit factum hodie postquã nostra domina assensit angelo dicenti. Aue.

Hic sumi possent sublimia mysteria, magnæ deuotiones laudando piam Dei misericordiam, sed quia omnia dicere non possumus in tam breui tempore, conuertamus (si placet) nostrę considerationis oculos ad dispositionem nostræ dominę contuendam, quæ nobis apparet per pulchrũ hoc euangelium: Missus est, &c. In quo continetur thema nostrum, & incarnationis mysterium per secretariũ sanctum Lucam. Dicamus & si mysterium hoc principaliter celebratum fuerit per piã Domini nostri misericordiã, nihilominus tamen domina nostra tẽplum suum, palatium suum dispositione sua & ordinatione, sicut spectabat, ad admirabile tale opus, clarissimũ habebat habitaculum, purissimum atque ordinatissimum. Dico igitur quod misericordia pia quæ fuit tanquam nuncia & mediatrix totius huius mysterij, descẽdit primum in dominam nostram, & tres misit puellas, tres ancillas domicellas aut camerarias quæ illi seruirent, quæ eleuata erat in totius mũdi reginam. Non mihi fidem adhibeatis si nõ ostendero per textum pręsentis euangelij sanctũ angelum Gabrielem (qui erat tanquã minister missus à Deo, vt sibi suũ pręparet hospitiũ) has tres inuenisse puellas camerarias aut domicellas siue ancillas quæ illi seruirẽt. Et quomodo nominantur? Prima vocatur discretio & sapiẽs veritas. Secũdà pura & munda virginitas. Tertia obediens humilitas. Prima hæc fuit quę eam meditari faciebat sapienter, qualis esset angeli salutatio, & inquirere diligenter modum adimplendi suã monitionem. Quomodo fiet istud, quoniã virum non cognosco? Secunda ea fuit quæ respõdere fecit nostram dominam, se non habere propositum habẽdi cognitionem carnalem aut associationem viri, virũ non cognosco. Per tertiam respõdit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Per vltimum verbum sacratum templũ dominæ nostræ stabilitatem habuit, per secũdum puritatem, & per primum claritatem, secundum tres ipsius animæ potentias, quæ sunt irascibilis, concupiscibilis & rationalis, aut secundũ tres virtutes theologicas, quæ sunt fides, spes & charitas, secundum etiam tria appropriata tribus personis Trinitatis, quæ sunt potentia, sapientia & benignitas, contra tres humanæ creaturæ inimicos, mundum diabolum & carnem. Secundum hoc nostra domina in salutatione nostra appellatur Maria quod tãtum valet sicut illuminata aut maris stella, propter veritatis lumen, fuit gratia plena contra malam charitatem. Habuit Dominum secum & suam benedictionem, quod non contingit nisi humilibus & obedientibus contra superbam iniquitatem. Super quem requiescit spiritus meus, &c. non est verbum nostri thematis, in quo non posset reperiri hæc applicatio. Verum est quod cum intra secretum mentis meæ vellem latius officia harum trium virtutum aut domicellarum nostræ dominæ familiarissimarum aperire, & dicere quo pacto quælibet anima deuota quæ vult finaliter coronari in superioribus cœlis, quæ vult etiam per fidem aut gratiam esse mater Dei spiritualiter secundum promissum in euangelio. Quicunque fecerit voluntatem patris, &c. sic domina nostra mater fuit carnalis capere debet in familiaritatem suam tres has virtutes secundum conditionem suam & statum. Cum vellem inquã, sic persistere in huius declaratione, venit in mentem meam & se præsentauit odiosa quædam figura, monstrum quoddam terribile. Si horrorem habuerim & fremitum, nil est quod petatis. Erat vitium quoddã misericordiæ cõtrarium, & nominabatur crudelis tyrannus aut odiosa crudelitas, ipsa est filia humani generis inimici sathanæ per quam impugnat, tẽret & affligit omnes deuotas animas Deo seruire volentes, & finaliter in cœlo coronari, à sanctis angelis salutari & honorari. Et quemadmodum pia misericordia ex Deo dominæ nostrę adduxit & ordinauit tres virtutes, sicut tres domicellas, sic tyrannus crudelis & inuidiosa per mundum mittit falsos tres proditores latrones guttura abscindentes, vt violent aut corrumpãt pulchras has tres virtutes. Tres hi proditores nequam nominati possunt adulator mendax, voluptas luxuriosa, status pomposus, iactabundus & ambitiosus. Primus corrumpere nititur veritatem. Secundus castitatem. Tertius verò humilitatem. Bene fortunata est anima, quę falsos hos tres proditores à se potest repellere. Et per oppositum maledicta est & indigna nostram salutare dominam, & etiam vt ipsa talis amodo salutetur, si tres hos proditores apud se detineat, qua de re? quia ipsa est excommunicata sicut falsaria aut vsuraria aut sortilega, sicut ea quæ templa incendit, vt sacrilega honoris & coronæ Domini sui, hoc est, gloriæ suæ. De his tribus proditoribus verba faciamus. Et in primis de mendaci adulatore, qui est veluti incantator diaboli, qui apparere facit quod non est, de albo dicit nigrum, & de nigro album. Eos quoque stolidos facit & phreneticos qui ipsum recipiunt, quia occidit veritatem, & quando veritas deficit, error subintrat & falsitas. Non est quandoque vsqueadeò sapiens quin fallatur si attentet auscultare ei. Nihil est quod credere de se non possit cum laudatur, hic supple qui est in potẽtia cõstitutus vt, inquit, Iuuenalis. Nota de Xerxe cui dicebant adulatores terram sufficere nõ posse vt suos sustineret armigeros. De Roboam cui iuuenes dicebant eum melius valere patre suo Salomone, & per hoc perdidit populum suum de Alexandro, qui se filium Dei arbitrabatur. De Nabuchodonosor qui voluit Deus appellari. De multis mulieribus quæ sibijpsis pulchræ esse apparent, ab alijs tamen irridentur. De lucifero qui propterea decidit à tam sublimi loco in tam profundum. Adulator mendax est, veluti ioculator & musicus diaboli, qui semper notas suas & vocem ad voluntatem audientium & chorizantium conuertit quantumcunque labantur aut deuient. Et est veluti speculum quod arridet ridentes & plorat cum plorantibus. Adulator portat lumen scientiæ aut consilij ad voluntatem dominorum suorum quantumcunque sciat eos ad malam declinare viam.

Temporizandum est inquit, dissimulandum est, talem me volunt talem quoque me habe-

bunt. Adulatur assentitur omnibus quæ dicuntur siue iure siue iniuria. Adulator est syren incantans & submergens, & est veluti scorpio. Adulator (quod peius est) corrumpit veræ fidei veritatem vt alteri complaceat & sibijpsi prosit. Et credere facit mendacia, sortilegia, incantationes, idololatrias, artes magicas & diabolicas, & Deum delinquere vt recurratur ad diabolum, ac si esset potentior, sapientior aut magis misericors quam Deus. Et sic anima quæ à Deo amari deberet est repudiata & repulsa ab amore suo & gratia sua ad exemplum Saülis & Osiæ & Iezabel, qui per falsa sortilegia vitam perdiderunt & regnū. Fugite precor subdolum hunc proditorem, assumite tria cōtra eum remedia ad reginæ nostræ exemplum. Cogitate subitò ad quid tendant, ad quid velint verba eius, qui in præsentia sua aliquam laudat personam. Dixit quidam adulatori suo: Vis ne me vendere qui me laudas? Hoc tenore fecit domina nostra, quæ ad ostium animæ suæ discretionem habebat, vt bene cognosceret quis intrare vellet per consensus pessulum. Cogitabat inquit, qualis esset ista salutatio. Examen autem hoc melius fieri debet in laude quam in vituperio. Et hic dant doctores differentiam inter bonum angelum siue bonum nuncium & malum. Quia bonus in initio incutit timorem, & in fine affert lætitiam. Malus autem contrario modo, quia ducit in perditionem.

Secundum remedium est amare eos qui dicunt veritatem, & signo ostendere bene velle audire veritatem, siue pro se sit veritas siue contra se. Nam Dominus aut domina quæ non vult audire nisi sibi placentia, & ad laudem suam, adulatores coram se nutrit & omnes alios repellit ad minus facto. Hoc fuit doctrina sancti Ludouici ad filium suum.

Nota hic de rege Achab, qui voluit aggredi bellum, & pseudoprophetæ omnia secundum voluntatem suam illi euentura nunciabant. Ipse coniurauit quendam prophetam bonum Micheam, qui illi veritatem dixit, attamen mox eum in vincula iussit coniectari 3. Regum vlt. Nota de fide adhibenda his qui Deum diligunt & veritatem cognoscunt. Cuilibet experto in sua arte credendum est. Qui non est fidelis Deo, quomodo homini fidelis erit? Nota de quodam prædicatore quem interrogauit Dominus, quid de eo per eius terram aut patriam diceretur. Nunquid ait dicunt me bene gubernare? Mei enim ministri & qui mihi assistunt, omnia bene se habere affirmant. Respondit prædicator: Omnia se contrario habere modo atque oppositum verum esse, quia vndique ei maledicebatur. Ipsi enim aut sui officiarij omnia spoliabant, omnia auferebant, nihil prorsus dimittebant tam spolijs quam taxis, quam impositionibus siue talijs & armigerijs, & breuiter omnes dicebat contra eum vindictam à Deo expetere.

Tertium remedium est, vt fides non adhibeatur alicui personæ in occulto de quacunque re contra alterum aut contra bonam doctrinam, si talis persona non sit parata in aperto illud idem dicere, alioquin Dominus aut domina istorum persuasione in omnia caderet mala, odia, superstitiones & errores sine vllo remedio, quia non datur excusationi locus.

Nota qualiter domina nostra diligenter considerauit vniuersam angeli salutationem & finem, poterat euenire amor curialis, hoc est, amor caninus. i. omnis inuidia & adulatio. Concludamus quod proditor ille adulator nos non in excommunicationem conijciat, vt nostram dominam salutemus, & ipsa nos iterum salutet, cum dicimus corde aut ore: Aue Maria, &c.

Dicamus modò de secundo proditore, luxuriosa voluptate, qui occidit aut repellit puram & mundam castitatem. Et per hoc templum Dei immundius efficitur, quam hara porcorum, & de spōsa Dei fit immunda coquinaria inimici, & de regina serua & subiecta, & est excommunicata. Quanta regna per voluptuosam luxuriam ad perditionem deuenerunt? Troia magna & Roma immo (quod maius est) vniuersus mundus per diluuium & quinque ciuitates peccatrices, perditum iere per ignem cœlestem. Hoc fuit iniquitas Sodomæ. Omnis caro corruperat viam suam. Multæ mulieres magnæ eminentiæ destructæ sunt, in infamiam & vituperium cum omni sua prole & sobole redactæ. Non est tam pulchrum ornamentum & adeò pulchra corona sicut castitas. Ipsa est virtus quæ nomen habet per totam vitam & mortem. Modò vnusquisque christianus aut christiana magis honorare debet corpus suum quam ante incarnationem in honorem Iesu Christi & virginis Mariæ. Tria ad hoc sunt remedia.

Primum est fugere otiositatem, sicut fecit beata virgo quæ continuè orabat aut laborabat, aut litteris incumbebat, dum non dormiret aut comederet:

Otia si tollas periere Cupidinis arcus.

Otiositas est fatua quæ docet omnes fatuas abominationes, & tales vt explicari eas non liceat. Hinc est quod confessio impeditur & cadit persona clauso ore ad damnationem. Apostolus loquitur de hoc in epistola ad Romanos. Et dicunt doctores quod quasi propter hoc peccatum Deus assumere humanam carnem dimisisset. Beata virgo occupabatur in scripturis legendis, dicunt aliqui angelum inuenisse eam legentem illud Esaiæ: Ecce virgo concipiet & pariet filium, &c. Liber de regimine principum & alij boni sunt in quibus facta recensentur moralia.

Secundum remedium est, vitare vsum vini & fortium atque calidorum ciborum. Olim (vt dicit Valerius) vsus vini mulieribus sub pœna mortis erat prohibitus. Et dicit Iuuenalis, quod postquam ebrietas possederit hominem, nulla est castitas quæ seruari possit, nec fides, nec lex, nec honor.

Tertium remedium est omnes malas occasiones, societates suspectas, & turpes collocutiones vitare, sicut dicit apostolus: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Mulier quæ libenter audit verba turpia, est veluti prorsus turpitudini addicta. Angelus reperit dominā nostrā, sicut dicit S. Bernardus, solitariam in camera sua, non quidem Bertham siue Gualtherum alloquentem.

Reme-

Remedium generale est pœnitentia & non recidiuandi propositum, & recurrendi ad orationem sanctorum & sanctarum, considerando Deum & angelos eius cuncta clarissimè videre. Quomodo audet creatura aliqua vidente tota Trinitate & vniuersa paradisi curia quod non auderet agere extraneo aliquo vidente homine, quamquam si peccatum perpetratum est, de eo debet fieri confessio. Nota de Thaide, nota de eo qui semper dicebat: Aue Maria, &c. & flos quidā lilij in eius creuit ore. Elonganda est à vobis voluptas luxuriosa, falsus quidam proditor. Facit enim animam veluti illum qui incendit sacratum Dei templum & hospitale. Ideo excommunicata est & salutem recipere indigna, quamquam salutet & dicat: Aue Maria.

Superest loqui de pomposo statu qui humilitatem depellit obedientem, status de se bonus est, quia dicitur à stabilitate aut firmitudine, sed quādo elatio iungitur & copulatur statui, pessima gignitur proles. Est fera pessima, est pessima maris abyssus, rapax lupus, in quolibet statu vt in statu clericali simonia, fictio, hypocrisis, schisma & diuisio. In statu ciuili, fraudes, periuria, vsuræ, verba & variæ deceptiones. In statu militari aut dominationis, violentia, rapina, tyrannis, & deinde seditio. Et quia loquendum mihi non est hic, nisi de statu militari aut dominij principaliter, & videmus ad oculum grauia & horribilia mala quæ vndique accidunt. Demus tria remedia contra malignum istum proditorem, statum pomposum in statu dominij, qui est veluti si quis se membratim dilaniaret, discerperet & sese destrueret, mēbra enim dominij sunt subiecti, sine quibus dominium persistere non potest. Et adulator est cognatus status probrosi, rapina est fatua nutrix, largitas est filia sua, & etiam seditio, quę sugunt eum & destruunt.

Primum remedium aut consideratio est ad finem suum aut de morte propria meditari & deinde quem locum sortietur anima, vel paradisum per bona opera, aut infernum per delicta. Hanc considerationem semper habuit nostra domina, & propterea dicitur esse in Galilæa, quod interpretatur trāsmigratio seu mutatio. Sicut dicit Apostolus: Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Dicebat fœmina quædam deuota: Quid prosunt omnes hi violēti status? Nunquid necesse est mori? Hic aliquis diues est aut honoratus, gaudens aut fortis sicut in somnio, aut in actu aliquo, aut scœna personæ sunt per repræsentationem, mox falsa, nihil inuenies.

Dormitauerunt omnes & nihil inuenerunt: de sexcentis milibus in deserto pugnantibus, solum duo euaserunt in quadraginta annis. Considerate tēpus vestrū, ornate corpus vestrū omnibus modis auro & preciosis lapidibus. Et quid est corpus nisi saccus stercorum, cibus vermium in breui, & cadauer vile, fœtens & abominabile? Adulator hic dicere posset: Carpis ne tu reginarum vestimenta, dominarum aut domicellarum? Vis ne incedere more rusticarum mulierum aut beginarum vestiri? Responsio. Non carpo quicquam præter excessus, abusus, superbiam & malam acquisitionem. Nota reginam honorari propter repræsentationem totius reipublicæ. Aut alium veluti regalem siue sacerdotalem dignitatem repræsentantem.

Secundum remedium aut consideratio est cogitare ad miseros suos subditos, fratres quidem quoad naturam, & sępenumero dominos quoad gratię bonitatatem, quemadmodum dicebat Romanus quidam imperator se velle esse talem subiectis suis, qualem vellet Dominum suū sibi fore si subijceretur. Omnes nos Deum habemus summum Dominum, cui reddenda est ratio de singulis, qui non faciet eis animam qui eam non fecerint. Recitatur de magno Basilio, qui commendauit pauperem quandam fœminam cuiusdam partiæ Domino vni, qui scripsit se ei suppetias ferre non posse, quia onerata esset taxationibus. Respondit Basilius: Si verum esset hoc, ipsum excusatum esse, quod si mentiretur, Deus ad talem eum deducturus esset paupertatem vt mendicaret, neque quicquam illi daretur. Sic quoque factum est. Habetis exemplum de diuite, qui negauit micam panis, & ei denegata fuit gutta aquæ. Natura est ingenui & fidei cordis de afflictis habere compassionem. Ecquid dicendum est de his qui eos affligunt & persequuntur? Nota, magna laus est dare, magnum igitur vituperium est tollere & rapere. Nota si misera, imprægnata, infirma, verecunda esset mulier cum sex paruis pueris in frigore, nec quicquam haberet panis quem pueris suis ministraret, qui præ rabida fame clamitarent, & nobilis aliqua ac diues fœmina eam cerneret, esset nimium dura, si nihil panis illi tribueret, & multo magis si ei auferret. Nota quod facere eleemosynam de substantia pauperis, est occidere filium in conspectu patris. Nota de die iudicij contra eos qui misericordiam facere recusarunt. Quid erit spoliatoribus his & raptoribus? Nota quod pecuniarum ex aggerationes, taxæ & iniustitiæ regnum de regno transferri faciunt. Nota de errore illorum qui dicunt omnia esse principis. Nota quod minus remanet dominis, eò quod subditi non habent quo satisfaciant. Nota quod computari debebant duodecim denarij ad reficiendas caligas aut calceos reginæ, aut mutādi capitium in manicas. Nota finaliter quod ad excessus dominorum venit excessus subiectorum ad regis exemplum licet sit stolidum, ita tamen fit.

Tertium remedium est, considerare viuaciter, intimè & ex corde & per se paupertatem dominæ nostræ & saluatoris nostri suam humilitatem præsentem gloriam & famam. Per contrarium maledicuntur omnes violenti status tam in reginis quam in regibus. Nota quomodo per bonas reginas & veraces, castas & humiles diuersis regnis bona acciderunt, quemadmodum fides creuit in Francia per Clotildem sponsam regis Clodouei. Et per oppositum: Non est malum quod non accidat regno, cum fœminę eminētes ad malū peruertuntur. Regina gloriosa virgo hodie à Deo dignè & sublimiter salutata, virgo tam excellēs benedicta nominata & honorata, supplicamus per dignā hāc salutationē, per amorē hunc

naturalem qui inter fratres esse debet & sorores omnino eiusdem sanguinis & carnis, in quo nobiscum participas quantumcunque simus pauperes & abiecti, in carcere aut exilio, nihilominus tamē fratres tui sumus & sorores, sic enim voluit Deus. Supplicamus etiam per illam plenitudinē gratiæ, per illam benedictionē super omnes mulieres, per nomen diuinæ maternitatis. Planta in nobis pulchras has tres virtutes, veritatem, castitatem & humilitatem, expelle tres hos proditores, adulatorem mendacem, voluptatem luxuriosam, statum ambitiosum seu violentum, taliter vt absque excommunicatione digni simus, qui à te ô virgo benignissima etiam salutemur, cum te salutauerimus te honorando, & in necessitatibus nostris implorando, & vnusquisque apud se dicendo: Saluto te Maria quę gratia es plena, tecum est Dominus qui honorem tibi dedit præ omnibus, etiam nos salutes seu resalutes impetrando hic gratiam & in paradiso gloriam præstante eo qui benedictus regnat in secula seculorum. Amē.

SERMO DE SANCTIS PETRO ET PAULO FACTUS A MAGISTRO *Ioanne Gerson.*

Nimis honorati sunt amici tui Deus. Ps.137. Hoc est, ô Deus quam sunt amici tui excellēter honorati. In hoc lætabūdo festo in pulchra hac die gloriosa, cum mihi in mentem venit causa gaudij, gloriæ & honoris, honoratissimæ huius congregationis spiritus meus eleuatur in Deo salutare nostro Iesu Christo, & os meum aperitur cum propheta, immo cum sancta ecclesia in introitu missæ apostolorum, vbi scribuntur verba proposita: Nimis honorati sunt amici tui Deus. O benedicte Deus gloriose, non est intellectus qui hunc honorem possit concipere nec os recensere. Nos id bene percipimus hodie in duobus his apostolis sancto Petro & sancto Paulo singularibus tuis amicis, qui omnino honorandi sunt in terra & amplius etiam in cœlo.

Et rationabile est vt dicit rex Assuerus, honorando Mardocheum, vt honore illo dignus sit ille quem rex vult honorare. Hoc honore honorabitur quemcunq; rex voluerit honorare. Quis rex? rex regum & Dominus dominantium. Et vos gloriosissimi apostoli honorati amici Dei sācti Petre & Paule, inter honores vestros nō obliuiscamini nostrum inquā qui afflicti sumus pauperes & miserabiles, vt secundum exiguum posse nostrum enitamur vos reuereri, & vobis gloriam afferre, nos qui aliquod petimus releuamē, aliquam eleemosynam de abundantissima mensa vestra in qua sedetis in paradiso comedentes & & bibentes ad sobriam vsq; ebrietatem preciosa fercula, non quidem carnalia, aut corporalia, sed spiritualia, cum regina cœlorum domina nostra, quæ fuit in his inferioribus supra terram hanc admodum familiaris tibi sancte Petre. Et bene etiā cogitandum est sanctum Paulum non omisisse, quin eam post suam conuersionem visitaret. De qua scripsit benedictum filium Dei natum fuisse & formatum, factum de muliere. Bonam ergo habere debemus fiduciā deuote popule in hoc magno festo, vt non relinquamur vacui vbi vocati fuerint & requisiti duo hi honorabiles eleemosynarij supremi regis, sanctus Petrus & sanctus Paulus & eleemosynaria gratiæ & misericordiæ domina nostra. Dilatemus ergo in præsentiarum ô deuote popule extendamusq; gremiū nostri desiderij, hoc est, bene desideremus. Quanto enim plura desiderauerimus, tāto plura sum⁹ habituri. Expēdamus coram eis sacculum paupertatis nostrę spiritualis, quanto enim ipsum ostenderimus maiorem, tanto plures gratiarum referemus eleemosynas, quæ sunt solæ & veræ diuitiæ, quarum tu fuisti & es plena ô mater Dei gloriosa. O amica singularis duorum apostolorum tuorum, magis autem Dei. Te ergo salutabimus ea salutatione, quæ te plenam gratia, nominauit, & dicemus in principio sermonis nostri: Aue Maria, &c.

Nimis honorati sunt amici tui Deus, &c. Dici solet & est veritas bene laudari posse sanctum Petrū, non vituperandum sanctum Paulum, sed quod maius est, nō potest laudari vnus sine altero, quin vterq; sit particeps laudis, sicut sunt simul in gloria, & vixerūt supra terram simul in similibus virtutibus, licet vnus excellentius quam alter, & generaliter ambo sunt amici Dei. Et hęc est laus sufficiens, quia de omnibus amicis suis scripsit propheta verba proposita. Nimis honorati sūt amici tui Deus. Admoueamus itaq; in primis curiosam hanc quæstionem quam solent formare nonnulli, quisnam maior sit, an sanctus Petrus, an sāctus Paulus? Non diuidamus in terris eos qui sunt cōsentientes in paradiso. Vnicuiq; sufficit sua sublimitas, nec hoc scire possumus, nisi per reuelationem. Hi duo sunt duo clara luminaria corā Deo lucentia & ecclesiam illuminantia, quorum doctrina fulget ecclesia. Sunt duo honorabiles paradisi principes. Sunt duo homines misericordię, comparati duabus fructiferis oliuis. Et eo modo de similibus laudibus maioribus quam æstimare possemus. Sed per admirationē magnam ad eos clamare possumus Nimis honorati sunt amici tui Deus. Quamuis vnus quisque horum duorum apostolorum aliquas supra terram habuerit excellentias & dignitates, vnus quidem vno modo, alter verò alio modo, vt sanctus Petrus dignitatem habuit vniuersalis prælationis & sanctus Paulus generalis prædicationis. Petrus præest principatu, Paulus pollet magistratu totius ecclesiæ. In signum istarum duarum excellentiarum ponuntur ad sigillum papalis bullæ.

De laudibus sancti Petri.

Dicamus igitur si placet in breui sancti Petri laudes, & deinde in illis de sancto Paulo, diutius immorabimur aliquantulū quia est huius ecclesiæ patronus. Nonnulli in laude sancti Petri prępenere vellent eius miracula, quæ talia fuerunt & tam magna pręcipuè in vita sua, vt sola vmbra eius ægritudines curaret, perambulabat mare sicut terram, resuscitabat mortuos, interimebat solo verbo suo viuentes. Alij laudabant excellentiā suæ dignitatis & prelaturæ, in hoc ꝙ Deus cōstituit eū magistrū & principē vniuersalis suæ ecclesiæ, in eos ꝙ omnes alij siue apostoli essent siue discipuli, immo & domina nostra illi subde-

subdebantur, habuitque summam autoritatem claudendi & aperiendi paradisum, virtute & clauibus sancti sacramenti pœnitentiæ, quod confessionem includit. Aliqui magnificarent in sancto Petro honorem qui ei fit in vniuerso mundo in ecclesijs & alibi per dominos & principes quantumcunque excellentes vsque ad osculandum, non modò pedes eius, sed ossa eius, tunicam & catenam. Ego verò non video quicquam in sancto Petro tanta laude dignum sicut fidem eius, & suum erga Deum amorem. Per virtutes enim suas supradictas habuit dignitates, quia Deum dilexit, Deus eum dilexit, sicut enim dicit Seneca: Si vis amari ama. Per firmam quoque fidem concessa fuit sancto Petro potestas faciendi miracula. Quę miracula? Miracula maiora quoad aliquos modos quam legamus de Iesu Christo, neque hoc mirandum est, sic enim prius promiserat Christus: Qui crediderit in me, inquit, opera quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horum faciet, quamuis totum hoc per suam esset potestatem. Et si quispiam obijciat vel contradicat murmurando, sic dicens: veram habeo fidem, nec tamen facio miracula. Respondeo quod miracula sancti Petri & aliorum, sunt miracula cuiuslibet christiani & totius corporis mystici sanctæ ecclesiæ, sicut oculus videt per totum corpus, auris audit & lingua manducat. Promissio etiam Iesu Christi intelligitur tempore & loco in necessitate vel vtilitate pro ecclesia sua. Exemplum de sancto Paulo, qui non miraculo sanauit discipulum suum Timotheum. Dico præterea quod fides & amor quem habuit sanctus Petrus ad magistrum suum, meruit erga eum vt pastor fieret vniuersalis ecclesiæ sanctæ. Patuit per interrogationem, quater interrogauit Christus Iesus Petrū, dicens: Petre amas me? Et singulæ interrogationi respondit quod sic. Et adiunxit Christus: Pasce oues meas, pasce agnos meos, hoc est omnes christianos tripliciter, doctrina, correctione vel disciplina & exemplo, in quo nobis innuitur prælatos sanctæ ecclesiæ eligi debere non fauore progeniei qui debent esse feruētiores in amore Dei & ad populum eis commissum tutandum, non deuastādum. Et nos etiam si bene corpus nostrum gubernare velimus amici simus Iesu Christi. Sed insuper non dubiū est quin per amorem Dei sanctus Petrus meruerit honorem qui ei fit per vniuersum mundum in terra & in cœlo, quemadmodum nostri thematis sonant verba, cum dicit propheta: Nimis honorati sunt amici tui Deus.

Addamus laudibus sancti Petri sapientiæ profunditatem, per quam cognouit & confessus est secreta paradisi & diuinitatis. Tu es inquit ipse filius Dei viui. O qualis doctrina ab vno qui erat sine litteris & sine humana doctrina. Sed hoc fuit per reuelationem Dei ratione sui amoris. Natura enim amantium est vt secreta eorum adinuicem communicentur. Sapientia sancti Petri talis fuit, quod bis conuertit septem millia hominum nobisque misit duas pulchras epistolas sublimibus mysterijs & deuotis instructionibus admodum refertas. Sapientia etiā sua apparuit in hoc quod superauit Simonem Magum. Nec decet vt quis obijciat mihi vituperando sanctum Petrum, ipsū ter Christum negasse, quoniam contra hoc pono

A pœnitētiam suā festinam, fortem & integram, & deinde cōfessus est Deum absq; vlla dubitatione ad mortem vsque sustinendam coram omnibus tyrānis. Dicam amplius quod feruor amoris quē habuit sanctus Petrus erga Iesum Christum, occasionem dedit vt postea eum negaret, per talem enim amorem cecidit in sui præsumptionem. Et ob illam præsumptionem Deus permittere voluit, vt in huiusmodi caderet negationem ad melius se cognoscendum, & vt postea esset firmior, non quidem in se & de se, sed in virtute Domini

B nostri. O tu qui vituperas sanctum Petrum, quia negauit magistrum suum, vel qui per hoc peccata tua vis excusare, considera quæso quomodo ad vnicum aspectum Iesu Christi subitò ad amarissimam conuersus fuerit pœnitentiam in plorantibus & continuis gemitibus. Et nos post peccata nostra per quæ Deum de facto negamus quid facimus? quomodo conuertimus? Sed quomodo nolumus conuerti, nec monitione, nec aduersitate, nec prosperitate, nec subitò, nec tardè. Superbi etiam ratione virtutis suæ vel sanctitatis sūt

C per hoc exemplum confusi. Stulta præsumptio cordis eorū est rectè recisa, & clarè videmus pro hac vita nullum nos citò laudare debere, nec citò condemnare. Nescimus enim quid nobis futurū sit, qui se firmū existimat, caueat ne cadat. Aliqui vt mihi apparet laudi sancti Petri immiscere vellent maculas, eò quod de sancto Paulo fuerat reprehensus quod non ambularet recto itinere in doctrina Iesu Christi. O tu qui ita dicis & hoc allegas, certè laudas sanctum Petrum, quod ipse

D qui papa erat & vniuersalis ecclesiæ pastor passus est redargui, & reprehensionem sustinuit patienter, obediuitque humiliter, quod est contra multorum superbiam qui nolunt quantumcunque fuerint parui, redargui aut corrigi. Quamuis (vt verum dicetur) sanctus Petrus non peccauerit mortaliter. Sed non erat expediens populo pagano qui conuertebatur, sanctum Petrum continuare conuersationem suam cum Iudæis vt inceperat, eorum obseruando cerimonias. Et sic sanctus Petrus (vt opinor) potius fuit reprehen-

E sus vt sibi caueret tempore sequēti, quam ob culpabilem defectum temporis transacti. Et sic assentior sanctum Paulum iustè reprehendisse beatum Petrum, sine hoc, vt crimen aliquod sancto Petro imponatur, sed ad magnam suam laudem, quemadmodum dictum est. Exemplum de Moyse, qui argutus fuit à Ietro. Demum considero quod mundana aliquorum carnalitas est tam profunda & rudis, & fides adeò extincta quod ausi fuerunt vituperare sanctum Petrum

F & sanctum Paulum ratione mortis, quam ignominiosè receperunt, vt talibus videtur. Vnde dicunt amorem Dei non admodum esse eligendum, si omnes qui eum amant, ad mortem dedat.

O tu cæce per carnalitatem si cogitationis tuæ oculos possis aperire, & videre in lumine veræ fidei bonum præmium, regnum & gloriam, quam intrarunt sancti Petrus & Paulus. Confiteberis hanc mortem esse consummationem, perfectionē, & omniū virtutum suorū remunerationē. In hoc enim similes facti sūt magistri sui Christi, qui sine passione ad suā nō peruenit gloriam. E diuerso metuenda nimis est & horribilis

maiorem in modum mors peccatorum,quãtumuis videatur honesta. Cadét enim in monuméto in damnationem ęternam.Reuera qui bene considераret hos duos modos mortis, malediceret morti peccatorum,& benediceret morti sanctorum, desiderando sicut Balaam,& dicendo cum propheta: Nimis honorati sunt amici tui Deus. Excellenterque in honorem positi sunt. Excellenter profectò positus es in honorem & pastorem sanctę ecclesiæ,sapientemque gubenatorem gloriose sancte Petre. Velis igitur nostrum recordari qui in his inferioribus sumus tanquam misellæ oues tuæ in varijs infirmitatibus & continuis periculis. Aliqui dati sunt gutturi infernalis lupi vt strangulentur. Alij cadunt in foueam iræ vel impatientiæ. Alij combusti sunt & incinerati per malæ concupiscentiæ calorem. Alij afficiũtur scabiæ pigritiæ,& sunt veluti frigoribus obducti. Alij franguntur spinis auaritiæ,& sic de alijs periculis. Respice nos Domine & pastor in misericordia, in memoriam huius respectus quo te Iesus Christus respexit,cum te ad pœnitentiam cõuertit. Tuam nouisti fragilitatem, & humanam fragilitatem. Ad eam namque melius cognoscendam in te & in alijs permisit Deus te deficere. Subleua ergo nos,& adiuua hanc nostram fragilitatem. Da nobis per tuam intercessionem omnimodam veniam pœnæ & culpæ. Concede nobis certam expectationem in diuitijs & præbendis paradisi. Reclude & aperi nobis portas modò per gratiam,& postmodum per gloriam, vt experiri possimus de facto, quod modo spe tenemus & credulitate, quod nimis sũt honorati omnes qui à Deo sunt amati.

Prætereamus multas quæstiones quæ hic fieri possent de autoritate sancti Petri & suorum successorum,& conuertamur ad sancti Pauli laudes.

De laudibus sancti Pauli.

SI mihi esset intellectus & lingua angelis similis,nil tamen dicere possem sufficienter & dignè secundum virtutes,excellẽtias & merita gloriosi & honorati amici Dei,sapientis amatoris sãcti Pauli,huius ecclesiæ patris & patroni. Meritò itaque clamare possumus: Nimis honorati sunt amici tui Deus. Sanctus Ioannes Chrysostomus exponit omnem virtutem sublimis & clari ingenij sui, suamque eloquentiam summam ad laudandum beatum Paulum, & magnificandum in septem sermonibus seu homilijs. Nihilominus tamen sponte fatetur, quod magnitudo laudum tuarum ô gloriose sancte Paule, prorsus suam superat eloquentiam. Et in hoc laus tua honorabilis excellentior ostenditur,quod nullo modo intelligi possit aut comprehendi. Loquemur tamen de sancto Paulo aliquid quantumcunque sit dissimile gloriæ & dignitati suæ, non expedit omnino subticere. Et dicamus quod si amici Dei debent & sint admodum honorati, sanctus Paulus in hoc habere debet excellentiam, quemadmodum qui se declarat opere perfectum legitimum & ardentissimum inter cæteros & fidum amatorem. Opus enim amorem declarat,ipsum abundantius alijs laborauit. Maiorem hac charitatem nemo habet, vt dicit sanctus Ioannes, quam vt ponat quis animam suam pro amicis suis. Sanctus Paulus non modo animam suam posuit pro amicis suis,sed millies pro illis qui eum persoquebantur, verberabant, & tormentis afficiebant,adeò

A vt desideraret separari à Deo,& ad suam retardari gloriam ad eos saluandos.

Non quidẽ quod separari voluisset à Deo per æternalẽ damnationẽ, sed bene voluit retardari à salutione sua ob amorem quem habebat. Certus sum inquit, quod nec mors, nec vita, nec angeli, nec principatus, nec virtutes, nec præsentia, nec futura, nec fortitudo, nec altitudo, nec alia humana creatura me separare poterit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Posteaquam ergo sanctus Paulus præponebat amorem

B rem Dei omnibus alijs rebus siue in cœlis essent siue in terra, Deus qui est amicus liberalissimus, & qui multo plus reddit amorem suum quàm sit amor quo ipse amatur. Nonne merito honorare debuit sãctum Paulum? Certè sic. Et sic fecit tam in cœlo quam in terra, quemadmodum conspicitur sanctum Paulum per vniuersam ecclesiã, immo vniuersam terram laudatum esse & glorificatũ. Honor & gratia Dei in hoc apparuit, quod

C ipso mediante per medium vnius solius hominis tam subitò conuerti voluit mundum ad fidem suam & legem contra omnem furiosam tyrannorum potestatem, contra omnem sapientiam & irrisionem philosophorum, contra omnem nisũ & scandalum Iudæorum,contra malitiam & peruersam cautelam damnatorum inimicorum, quamuis ea lex admodum contraria fuerit consuetudinibus & quoad naturam. Consuetudo enim æquiualet naturæ. Erat etiã lex difficillima

D creditu,propter hoc quod superat omnem rationem, & prohibet omne quod potest amari, appreciari vel desiderari. Pro honore prædicat ignominiosum tormentum crucis & mortis amarissimæ,pro diuitijs paupertatem,pro delicijs abstinentias, ieiunia & sobrietatẽ, pro potentia & dominatione omnem humilitatem & subiectionem. Attamen dedit Deus talem honorem & gratiam sancto Paulo, vt sine magna eloquentia, sine argumentis in humanæ sapientiæ persuasionibus, sine potestate terrena, sine compulsione

E per factum, ille qui erat sæpe pauper, positus in catenis & carceribus, conuertit ad se & ad legem suam multas mundi partes. Quod nõ fuit minus miraculum,sed multo maius,quam si aliquis simplex homo, debilis, sine armis constitutus & subsidio, superaret & vinceret magnam aliquam patriam fortem ac bene coadunatam ad resistendum vndequaque, & quæ ad se tutandam omnem apponeret potentiam, studium & diligentiam. Si in tali aliquo casu iudicaretur, clarè hoc esse miraculum, Dei virtus & operatio diuina,

F non mortalis vllus est qui ambigere debeat, quia ea conuersio quam fecit sanctus Paulus, in tam breui tempore per tot & tantas patrias, inuitis quibuscunque contradicentibus qui erant innumeri, fuerit per singularem gratiam Domini nostri. Et hoc tunc fatebatur sanctus Paulus dicens: gratia Dei id esse quod erat, modò dicebat se non solum laborasse, sed gratiam Dei secum. Et interdum dicebat se posse omnia facere in virtute illius qui eum confortabat, videlicet Iesu. Et hic sumo tres considerationes morales ad laudem sancti Pauli & nostram instructionem.

Prima

Prima consideratio.

In persona sancti Pauli est maius & euidentius miraculum quam ad extra, quamuis sanctus Paulus multa visibiliter fecerit miracula, resuscitando mortuos, sanando infirmos, in persona sua maius fuit miraculum, quam sanare ægrotos, aut resuscitare mortuos. Dicunt doctores & verum est, admirabilius esse & factum maioris potestatis, conuertere & instruere aliquem peccatorem, quam ex nihilo formare mundum. Creando enim mũdum nulla est resistẽtia, peccator verò contrarius est iustificationi suæ. Et sic infirmitas & mors animæ quanto sunt damnabiliora & magis fugienda, tanto est maior gratia sanare animas, eas resuscitando quam corpus. Sanctus Paulus ergo cum sua prædicatione conuerterit de hac morte ad vitam gratiæ & virtutum tam magnum populum, nec adhuc cessat quotidie per scripturas suas conuertere. Certissimè iudicare potestis miraculum quod est in & de persona sua per gratia Dei & singularem potestatem. Et in hoc concordant expressè sanctus Augustinus & sanctus Gregorius. In quo nobis ostenditur magis nos desiderare debere & potius laudare, facere diligentiam ad reducendos homines peccatores ad viam salutis & bonam vitam, quam facere miracula.

Secunda consideratio.

Non dici potest fidem nostram intantum esse præpositam & exaltatam tam generaliter sine maximis Dei miraculis. Si enim neges aliqua fuisse facta ad extra miracula talia qualia certè affirmant historiæ, in hoc tamen singulare est miraculum, quod sine miraculo tam magnus & talis populus, talique modò huic se submiserit credulitati, diuites, pauperes, docti per illiteratos homines conuersi sunt, & præcipuè per eos quos ipsi trucidabant, & dimittendo gaudia, voluptates, honores, & assuetas delicias, ac veniendo ad laborem, ad tormẽta & ad mortem, & hoc totum interdum subitò, & veluti in vno momento, secundum quod ostendit etiam huius sancti Pauli de quo loquimur conuersio, qui de persecutore & lupo rapace fuit sine mora mutatus in defensorem & ouem amicabilem.

Tertia consideratio.

Sanctus Paulus est in testimonium & probationem fidei nostræ taliter, vt sufficere debeat vnicuique homini ad ipsam bene credendam, & ad subdendum omnem intellectum suo seruitio, ostendit enim eam facto & verbis in se & in alijs. Sed dicet mihi aliquis, quare Deus non facit vnicuique talem gratiam & tale miraculum, sicut fecit sancto Paulo, quod si sic faceret vnusquisque conuerteretur. O homo qui sic loqueris vt dicis, & vis (vt videtur) vt non credatur in Deũ vel ad legem suam per alterius hominis prędicationem, aut per quodcunque aliud medium, nisi per nouum miraculum ad vniuscuiusque conuersionẽ, & sic omnis sodalitas & societas hominum ad inuicem periret. Non postularetur à mortali rege reę talis, vt sine medio aliorum qui sunt sui subditi publicaret & denunciaret leges suas & decreta. Quemadmodum dicit sanctus Dionysius ex Gallia, quod inferiora ad superiora reducuntur per media. Præterea rogo hunc qui ita loquitur, qualiter sciat Paulum hoc & illo miraculo fuisse conuersum. Si dicat hoc se credere per historias

A scriptas postquam ergo talẽ habet crudelitatem sic factum fuisse quare non se cõuertit sit sanctus Paulus & alij. Si propter hoc se non conuertat, nec se conuerteret si talia miracula nouiter fierẽt, non magis reputarentur quam mundi mirabilia, quia sunt assueta. Vidimus de pluribus & in pluribus, quod per ostensionem cuiuscunque miraculi non fuerunt facti meliores, sed peruersiores & obstinatiores in eorum peruersis voluntatibus & stultis crudelitatibus atque falsitatibus. Hoc patuit in Pharaone & in multis Iudæis, interea

B etiam in compluribus hominibus. Auferamus ergo tales omnes pręsumptuosas curiositates, nec sumamus excusationem in malitijs nostris. Faciat vnusquisque quod debet erga Deum & amorem suum absque resistẽdo eius gratiæ & secretæ motioni, & ipse perficiet residuum. De lege namque communi vnum non fit sine altero in iustificatione peccatoris per pœnitentiam, nec gratia sine voluntate, nec voluntas sine gratia. Et in hoc est meritum, quod voluntas concordat gratiæ. Ex-

C emplum de magnete quæ attrahit ferrũ, sic Deus animam. Hoc conspicitis in sancto Paulo, qui mox invocatione & præuentione Dei, respondit aperiendo ostium sui consensus. Domine quid me vis facere? Addebat ergo gratiæ bonam voluntatem. Et sic nos facere possumus per merita & intercessiones huius de quo loquimur, vt connumeremur inter amicos Dei & per ipsum dignè honoremur.

Dicamus vlterius hunc nil mentiri, qui appellauerit sanctum Paulum pulchrũ & clarum mũdi

D solem, & qui hunc ei tribuerit honorem. Si enim corporalis sol, quem extra cernimus, expellit aduentu suo omnes obscuras tenebras, nobisque restituit vndique lumẽ & calorem, pari modo actũ fuit in noua sancti Pauli natiuitate, quæ in eius conuersione facta fuit, cum per subitam claritatẽ cœli extrinsecè fuit excæcatus, vt melius ad intra videret in anima, & tunc tanquam in aurora diei. Errores & tenebrosæ idololatriæ Iudæorum & paganorum cœperunt magnopere abscedere &

E deficere.

Sanctus Dionysius ex Gallia qui tunc temporis erat Athenis, nonne paulopost à sole hoc illuminatus fuit? Reuera sic, per quod quidem clarum lumen tota Gallia fuit & est conuersa à tenebris & ignorantia, in veræ fidei & veræ scientiæ splẽdorem. Est igitur sanctus Paulus specialis patronus & magister noster, inquantum nobis ostendit; & ad vtilitatem nostram docuit talem discipulum, qui esset magister noster doctor & apostolus.

F Gallus ergo specialem reuerentiam & deuotionem debet sancto Paulo, post quam ostendit talem nostræ conuersionis causam. Sed vlterius considero sanctum Paulum non potuisse amplius obscurari aut impediri, quin expanderet suæ doctrinæ radios per tyrannorum persecutiones, non aliter quam sol materialis non potest lædi vllis radijs. De quo dicit Seneca, quod traherentur sagittæ suæ contra solẽ immo quanto plus premebatur sanctus Paulus, tanto plus se monstrabat & dilatabat vndique. Et sicut sol clarus & lucens in se, grauat & displicet illis si aspi-

ciant qui oculos habent infirmos aut impeditos, aut qui se dedunt pudendis factis.

Non aliter reperio aliquos voluisse arguere sanctum Paulum, non quidem ratione reprehēsionis vel vituperationis quæ in eo esset, sed propter obscuritatem & maliciam intellectus ad voluntatem talium reprehensorum. Quidam opposuerunt sancto Paulo quod timeret mortem, & interdū fugeret, & ideo eum redarguere volebant de timore & inconstantia. Sed dico cum sancto Ioanne Chrysostomo, quod timere mortem aut tormenta, non est peccatum vel vituperium, sed facere malum & peccatum propter aliquem talem timorem, est vituperandum & reprobandum. Non eo modo fecit diuus Paulus, immo recessit, cum recederet per magnam virtutem ad melius proficiendum post vitam suam, quemadmodum bonus aliquis miles vel socius euitabit ictum ad melius feriendum postmodū. Nec hoc reprobandum est, sed esset stulta præsumptio aliter facere. Hoc consilium dedit Iesus Christus omnibus discipulis suis, quod cum aliqui persequerentur eos in vna ciuitate, fugerent in aliam. Quod autem hæc causa fuerit in sancto Paulo, patet per hoc quod exposuit se tunc & postea cōstanter omnibus periculis immo quod desiderat mortem. Quod autem fugiebat, non erat propter seipsum, sed ad ducendum alios ad vitam bonam & saluationem. Timebat ne satis cum magna societate paradisum ingrederetur, noluit esse sine suis filijs. Exemplo piæ matris, quæ stabit ante portam magni regis, desiderabit quidem intrare, vt in gaudio sit & securitate, nunquam tamen intrat quoadusque secum adducere posset filium suum, quem nutriret & portaret, si sine filio suo eam recipere non vellent. Præterea sanctus Paulus quando effugit per muros cuiusdam ciuitatis, fuit consilio & hortatione fratrum suorum, & tantum fuit mirabilius & memoria dignius, quod is qui erat tam feruens & ardens pati mortem & passionem propter Iesu Christi amorem, sibi consilium dare permiserit, reuerenterque & humiliter obedierit. Et hic vltra laudem & defensionem sancti Pauli, habemus doctrinam nobis cauendi, ne cadamus in pericula aut tribulationes sine necessitate vel vtilitate nostra vel aliorum, quantumcumque parati sumus mori & hunc contemnamus mundum. Non tantum insistamus capiti nostro iudicio vel deuotioni, vt aliorum non credamus cōsilio, quamcunque spem boni in nostro habeamus incepto, alioquin caderemus facile & fallemur per inimicum qui se mutat & transformat (quemadmodum dicit sanctus Paulus) in angelum lucis. i. in similitudinem magni boni suam celat maliciam, citiusque fallit & periculosius, quam si fallaciam suam apertè monstraret, & summum in hoc casu remedium est humilitas, quæ se subdit alieno credere concilio. Exempla huius rei numerosa sunt in vitis patrum & sancta eorum doctrina, quamuis sancta amoris natura sit quod attrahat & rapiat amantem ad amatum, tantopere vt de re alia nec curam habeat, nec timorem, nec pudorem. Non minus in hoc est conditio amoris dei, & credit consilio, & placida est & dulcis exemplo ferri ardentis, alius verò non. Alij credunt vituperare sanctum Paulum, propterea quam interdum se laudabat, & interdum vituperabat contra philosophorum doctrinam dicentium, aliquem se non laudare debere nec culpare Interdum recitabat reuelationes suas, & se plus laborasse quam alios. Aliquando dicebat se esse minimum apostolorum, & quod non esset dignus vocari apostolus, quia persecutus esset ecclesiam Dei. Dicebat etiam se esse primum inter peccatores, nec se quicquam iudicare scire, nisi Iesum Christum crucifixum. Et alibi se laudat (vt videtur) omnino contrario modo. Quid hic dicemus? negabimus ne hæc, an potius concordabimus? Concordabimus ad excellētem sancti Pauli laudem. Per hæc enim mōstrantur nobis multæ in eo virtutes, scilicet magnificentia in suis laudibus, & humilitas in sua vituperatione. Nonne habemus de domina nostra, quæ se reputabat paruam ancillam, & nihil sui iudicio? Quæ tamen tantæ fuit magnificentiæ, quod consentiret se fore matrem Dei. Ideo dicamus hic quod laudare se per vanitatem & sui complacentiam, est admodum vituperādum, & est reprehensio seu culpatio similis reprehensioni ipsius Luciferi, qui voluit furari gloriā Dei iusti Domini sui. Sed laudare se propter necessitatem & ad proficiendum alteri, & omnino pro gloria & laude Dei, est prudentia & magnanimitas, modò veritas vbique seruetur. Sic fecit sanctus Paulus. Quia stulti apostoli eum repellere volebant, veluti hominem sine autoritate, ne in vllo fides ei adhiberetur. Propterea compellebatur dicere, per quam & cuius autoritate prædicabat euangelium & fidem quæ ei fuerat reuelata. Quis est hic innocens, cui si imponeretur ipsum esse homicidam aut furem, quin posset sine offensa & superbia respondere se esse innocentem, & hoc monstrare? Quare ergo sic facere non potest sanctus Paulus, viso quod clarè ostendit se aliorum impulsu, & se inuito dicere aliquas res, quæ in suam vertebantur laudem. Non quidem ad se laudandum, quia omittebat maiorem partem dicendam. Sed hoc erat ad eos quibus scribebat ædificandos in bona credulitate contra aduersariorum falsitatem. Et vtinam omnes qui vellent hic sumere exemplum se vanè laudandi tam sobriè secundum casum & exigentiam vterentur sicut sanctus Paulus. Sed non vnusquisque talem habet virtutem & discretionem. Ideo securius est semper suas celare virtutes, quas quis habere se credit, diligentius quam alij celent eorum vitia, nisi in casu necessitatis. Vel ad habendum consilium de eo qui ipsum dare sciret, sicut in confessione. Et in hoc conspicitis differentiam inter virtutem magnificentiæ & superbiæ vitium. Nam superbia dumtaxat propriam quærit laudem, siue bonum alibi euenire debeat siue non. Magnificentia verò omnino per contrarium, solum habet oculum ad vtilitatem alterius & ad honorem Dei, taliter quod si illa commoditas æquè bene euenire deberet personale vituperium incurrendo, vel vt gloriam illam haberet alius, non tamen ob id desineret facere quod facit. In tali verò casu superbia omnino bene operari conaretur.

Acceda-

Accedamus ad beati Pauli humilitatem quam nonnulli in vitium vertere voluerunt vel mendacium. Et dicamus veraciter, quod nemo debet sine causa seipsum culpare, hoc enim esset stultitia vel vanitas, peior interdum quam sit seipsum laudare. Sed quando prædicator aliquis instruere debet alios verbis aut scriptis, sæpe necessarium est diuersis vti modis. Exemplo boni medici qui dat diuersas receptas, sæpe etiam cõtrarias, secundum oppositas varietates infirmãtium. Sanctus Paulus ergo cuius erat docere omnes virtutes & præsertim humilitatem, quæ est fundamentum, sine quo omnis cumulus virtutum inane quiddam est & puluis ad ventum. Nonne poterat & debuerat hanc in se monstrare humilitatem? Ita tam ad eradicandam aliorum superbiam, quam ad declarandam qua intentione alibi se laudabat. Fateor hic esse miracula, quæ per veram fiunt humilitatem, sunt quæ incomprehensibilia ab his qui nolunt credere alteri nisi quod senserint. Tria in speciali sunt miracula secundum tres theologicas virtutes, charitatem, spem & fidem. Intelligite quod miraculum fiat per humilitatem secundum charitatem. Quanto enim plus profecerit persona in bono & Dei amore, tanto & culpabiliorem & indigniorem censebit se esse quoad se & facta sua, vt ametur à Deo. Quæ quidem opera & facta immunda reputat spurca & corrupta ac maculata ad similitudinem panni pleni sanguinis. Hoc iudicium habebat sanctus Paulus quando iudicabat se primum inter peccatores. Videbat enim & viuaciter claréque sentiebat proprios suos defectus, & quod de se erat indignus à Deo amari, sicut alia creatura quæcunque quantumcunque esset peccatrix ad gratiam suam omne bonum quod erat in eo referebat, nihil retinendo pro se vel gloria sua. Per oppositum ad id quod faciebat pharisæus, qui similes erant, quis reprehendebat sanctus Paulus, dicens: Quam gratiam habes quam non à Deo accepisti? & si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Per hanc considerationem accepit sanctus Paulus veram in se humilitatem sine fictione quæ reputatur à superbis tanquam mendacium. Quãto ergo magis proficiebat sanctus Paulus in charitate, tanto se indigniorem iudicabat quoad se & de se. Optimè enim norat gratias quæ in se erant, magis esse laudandas quam peccata quæ erant in alijs, sed non accipiebat partem in hac laude, immo omnia attribuebat Deo, & se reputabat magis erga eum obligatum. Sed præterea quale quæso miraculum facit humilitas in spe? Conspiciamus hoc in sancto Paulo, quem non latebant secreta Dei iudicia, qualiter ex voluntate libera aliquibus daret gratiam & gloriam alios verò dimittebat & reprobabat, de quo exclamauit: O altitudo diuitiarum scientiæ & sapientiæ Dei, quam incomprehensibilia iudicia tua, & inuestigabiles viæ eius. Sanctus Paulus videbat simul maximam mutabilitatem humanæ creaturæ, modò de bonitate in maliciam, de malitia in obstinationem, nihilominus tamen affirmabat se habere certam spem saluationis suæ, & quod nec mors nec vita separatura esset eum à charitate. Mirum est hic inuenire certam spem in tam incerta mutabilitate, A sed hoc est quod anima stabilitur nullo modo in seipsa, sed in Deo veluti omnino in ipsum labendo, supráque suam ordinationem & misericordiam, tunc anima vlterius cadere non potest, nec ad alium se mouere locum. Ideo secura est & certa post quam Deus eam sustinet, nisi ipsamet per propriam se admoueat stultitiam. Videamus demum humilitatis miracula in materia fidei, cum intellectus prorsus se ei subdit quantumcunque sciat & iudicet hoc esse supra omne suum iudicium & naturalem rationem. B Propter tales tamen quascunque apparentias non mouetur in contrarium, supposito quod intellectus bene sciat rationes factas pro fide non esse claras aut euidentes & minus quam cõtrarias rationes. Credit tamen eas firmius quam principia vel veritates per naturam euidentes. Et hoc erat in sancto Paulo cum dicebat nil se iudicare scire nisi se Iesum Christum, & hunc crucifixum, hoc est, nisi fidei nostræ veritates, tanquam aliæ veritates non essent scientiæ respectu C talium veritatum, vel talis fortitudinis aut firmitatis. Concedat Deus quod per experientiam & doctrinam sancti Spiritus, concipiamus in nobis hæc tria miracula, alioquin ea facere non possumus. Diligentia enim humana non sufficit, & tunc bene intelligimus quomodo sanctus Paulus sine fictione se humiliauit ex parte vna, & sine vanitate ex altera parte sese laudabat. Et in hoc excellentissimè honorati sunt omnes hi qui à Deo sunt amati. Finaliter aliqui vo- D luerunt culpare sanctum Paulum, quia alios diffamabat, vocando eos stultos & insensatos, interdum malas bestias, & alia huiusmodi, alios verò commendabat & adulabatur eis, quemadmodum apparet his qui culpant eum. Aliquibus erat nimis lenis, alijs verò asper nimium & crudelis, vt huic quem tradidit sathanæ, & cognato Barnabæ, quem secum recipere recusauit. Sed exemplo medici & chirurgi intelligimus, quemadmodum secũdum diuersos casus sanctus Paulus mutare debebat prædicationem & correctio- E nem, quamuis non asperè puniret sine maxima compassione, & absque miscendo simul dulcedinem in fletu & amicabilibus verbis. Exemplo pij patris, qui filium suum stultum & insensatum quamuis corrigat aut verberet, omne tamen hoc est per amorem & compassionem; & quanto durius supplicium sumeret pater de tali filio, tanto maiorem haberet compassionem, sine indignatione, aut absque quærendo vindictam. Pari modo faciebat sanctus Paulus aduersus persecutores & peccatores incorrigibiles si- F bi nocentes & alijs. Dici solet, quod nimis pius opilio oues suas faceret scabiosas. Certè sanctus Paulus nullam habebat adulationem, nullo enim modo finis malus erat, neque propter temporalem nec propriam commoditatem, sed ad attrahendum in omni benignitate quoslibet ad viam veritatis. In hoc enim sæpe numerò multo plus proficit dulcor quam rigor. Modò dulcor ille sine fraude fit & absque malitia. Propterea dicebat se fuisse tanquam nutricem, quæ regit pueros suos in omni dulcedine secundum eorum capacitatem, sicut nutrix interdum im-

perfectè loquitur ei balbutiendo, ad condescendédum & effingendũ filij sui verbum. Aliquando masticat suam escam, postea sedet ad terram, deinde arridet ei, postmodum plorat, & breuiter se facit puerum cum suo puero. Pari modo legimus de te ô pijssime sancte Paule, quod monstraueris te & mutaueris omnibus modis cum quibuslibet personis paruis vel magnis, diuitibus vel pauperibus, priuatis vel extraneis, sapientibus vel stultis, iocundis vel tristibus, amicis vel inimicis, vt omnes eas iungeres Iesu Christo. Noueras viuere in diuitijs abundanter & in egestate modicè; siue esset in gaudio siue tristicia, in prosperitate vel aduersitate, siue in laudibus aut vituperijs, semper mutabas gestum tuum ad extra, in reliquo verò firmus permanebas aut stabilis, idemque quo ad Deum & amorem eius, quemadmodum rota voluitur circa axem eius. Admodum igitur mirandum erat videre talem mutabilitatem stabilem, & stabilitatem mutabilem. Sed in hoc & similibus modis laudati sunt & honorati, qui à Deo sunt dilecti. Et quia diuus Paulus huiusmodi non amisit compassionem, & misericordiam, ideo eò perfectius est in paradiso. Fiducialiter eum deprecemur vt nos nutrire velit & regere veluti proprios filios suos aut orphanos, quoadusque creuerimus & perfecti fuerimus in amore Dei confirmatique in gloria. Dicicamus adhuc, quod si Isaac benedicendo filium suum Iacob, comparauit eum horto pleno, cui Deus dedit benedictionem, multo excellentius istam vertere possemus similitudinem ad laudem beati Pauli, qui in se habuit omnia virtutum pulchra plantaria sicut aliquis hortus, immo tanquam terrestris paradisus, & sine curiosa virtutum ad plantas vel flores applicatione. Conuertamus breuiter nostræ considerationis oculos per dona & beatitudines, quibus repleta fuit benedicta anima sancti Pauli, veluti hortus pulcher, plenus & benedictus. Et videbimus in eo quod dicit propheta per admirationem de omnibus Dei amicis: Nimis honorati sunt amici tui Deus. Vnaquæque enim beatitudo suum habet præmium, suum donum, suum honorem, & suum precium, eòque perfectius quanto ipsa maioris est perfectionis.

Locuti iam sumus de sancti Pauli humilitate & spiritus paupertate, per quam amici Dei facti sunt reges in regno cælorum. Est pulcher honor, & sic promisit Iesus Christus. Hæc ergo paupertas spiritus, vbi fuit magis profundiusque irradiata quam in sancta anima beati Pauli? qui se reputabat primum inter peccatores, qui continuè erat in timore & tremore, qui cunctas terrenas contemnebat diuitias, quas reputabat stercora & lutum, qui proprijs laborabat manibus, ad se & suos nutriendos, non vtendo autoritate capiendi temporalem victum quibus spiritualia seminabat bona. Non enim potest haberi plenaria magis & honorabilior dominatio super omnes res terrenas, quàm per plenum & perfectum omnium contemptum, & eleuationem amoris sui super omnia. Habemus clarum argumentum sanctum Paulum fuisse Dominum qui omnia habebat & nihil possidebat, secundum quod dicit de se & sibi similibus: Glorificando Deum omnia sua esse, & omnia se habere.

A Diuiti huic paupertati non comparanda fuit illa quæ erat Diogenis vel Fabricij vel aliorum, qui in hoc per historias laudantur & philosophos. Censebantur esse diuites, quia nihil cupiebant & bono quidem iure. Hic enim ditior est qui minus cupit. Quid sunt diuitiæ vel rerum copia, nisi nihil cupere? Diues es, non appetas quicquã, dices, mihi sufficit. Si sufficit, diues es, quia nihil tibi deest. Talem sufficientiam habuit sanctus Paulus. Amabat Deum in parte sua, hoc satis erat, sibique sufficiebat.

B Præterea de pietate & mansuetudine veri amatoris sancti Pauli erga omnes, qui satis loqui posset? Nõne habemus quod nominabat se matrem & nutricem, quæ nutriebat & lactabat omnes eos qui conuertebantur. Et ô hanc virtutẽ, Deus hunc ei contulit amorem, vt sit possessor terræ, id est Dominus illius, modo quidem supradicto. Vel per terram hic intelligitur terra viuentium in paradiso. Aut hæc terra est proprij corporis sui quam in pace tenuit.

C Quæ est mater, vos interrogo, quæ vellet sustinere pericula & fatigationes ad suos enutriendos filios, quæ sustinuit diuus Paulus ad homines saluandos, vt traheret eos ad Dei amorem, per mare, per terram, per frigus, per calorem, in fame, in siti, in carcere, in catenis, in verberibus, in obiurgationibus vsque ad mortem sustinendam? Inuenirentur paucæ matres quæ pro filijs suis tales sustinere vellent pœnas. Et in hoc habere debemus spem & fiduciã, quod miserebitur nostri si deuotè eum rogauerimus, cum ostenderit talem amorem erga eos qui ipsum persequebantur.

D Sed etiam scientia sancti Pauli clarè monstrata fuit in omni modo moraliter viuendi, siue fuerit in vna singulari persona, quæ dicitur ethicorum sciẽtia vel monastica, siue in vna domo quæ nominatur œconomica, siue in ciuitate aliqua aut regno quæ dicitur politica. Ostendit se perfectũ in doctrina epistolarum suarum. Quantumcunque enim viderit secreta cælorum & virgo esset, non dedignatus est tamen descendere ad ordi-

E nationem gubernaminis matrimonio coniunctorum & aliorum. Et ob hanc scientiam quam habuit de factis mundi, erat in continua querela & gemitu, propter eos quos considerabat defectus. In hoc enim dicit veritatem Salomõ, quod qui plus habet scientiæ, plus habet & doloris, quod significabat sanctus Paulus in multis suis epistolis. Nunquam aliquis tam diligenter & amarè pro suis fleuit peccatis, sicut sanctus Paulus flebat pro alienis. Et modò consolationem recepit,

F vult enim omnino sine dolore quod Deus vult. Nec etiam in hac vita dolor suus talis erat absque maxima consolationis interdum receptione. Quid dicemus de fortitudine & constantia sancti Pauli & desiderio iustitiæ? Rectè verificatur in eo quod fortis est dilectio vt mors. Dilectio enim animam à mũdo separat, sicut mors animam separat à corpore. Qui compararet virtutem & fortitudinem eorum qui fortes appellãtur, inueniret quod in hac virtute sanctus Paulus eos superauit, sublimius quã cælum ipsam terram. Nõ sine causa Deus eũ vocauit vas electionis ad portandũ nomen suũ & vexillũ corã regibus

bus

bus principibus & filijs Israel. Et quemadmodũ quanto ignis maiorẽ habet materiã tãto plus incenditur & fortior efficitur, sic sanctus Paulus omnino Dei amore incensus, inflammabat eos quibus iungebatur adeò vt amoris sui flãmã vsq; ad cælũ iaceret, immo verò altius, quia ad Deum vsque, absque hoc vt aduersitatis aquæ eã deorsũ pellere possent, immo quanto plus quidam hũc ignẽ depellere nitebantur, tanto plus se saluabat & ascendebat. Et modò desideriũ suũ satiatũ est & repletũ in fontẽ vitæ & iustitiæ. Fuit etiam rationabile sanctũ Paulum à Deo honorari in magna misericordia. Dabat enim omnibus nõ modò diuitias vel bona temporalia ad extra, sed & corpus suũ & animã, non solũ semel, sed quotidie. Respiciebat in hospitio animæ suæ totũ mũdum in charitate, docebat, parcebat, incessanter orabat. In qua dulcedine & humilitate rogauerit & scripserit pro quodam seruo fugitiuo, qui bona Domini sui furatus fuerat, cognoscere possumus per epistolã ad Philemonem pro Onesimo. Considerate ergo quid faciebat pro alijs. Laudatur Paulinus & aliqui alij quia vẽdiderunt seipsos ad liberandos alios & bono iure laudantur. Sed sanctus Paulus maius fecit, quoniã se omnino seruũ fecit ad lucrandos alios Iesu Christo. In hoc adimpleuit charitatis consilium, quæ non quærit quæ sua sunt, hoc est proprium cõmodũ, sed quæ Iesu Christi. Qui etiã modò bene eũ remunerauit benignitate & affectuosissima misericordia. Dicamus finaliter, quod quia amor Dei purificauit amorem sancti Pauli & perfecit, sanctus Paulus clarum habuit intellectum propter cordis sui puritatem. Fuitque appellatus filius Dei propter sapiẽtiã quę filio est appropriata, quã inter perfectos loquebatur, quam recepit ratione pacis conscientiæ. Has duas promissiones facit Iesus Christus. Vnam his qui sunt mundo corde, & alterã pacificis. In quo autẽ maior fuisset quã in eo qui proiectus erat in incensã fornacẽ viui amoris. Nunquã aurũ fuit magis purgatũ, nec purificatũ magis. Ideo habuit intellectũ suũ omnino illuminatũ ad Deũ vidẽdũ. Sæpe enim vidit & admodũ clarè, cũ fuit raptus vsq; ad tertium cælum, & vidit secreta paradisi, quæ dici nõ poterant ab homine mortali, & habuit visionem similem illis qui iam sunt in paradiso, & similem etiam huic, quam habent angeli in cælo secundum multos doctores, & si nos non sufficientem de Deo habeamus cognitionem. Quid mirum cum simus tam immundi & prostrati, versique in fimo & luto totius carnalitatis: Quid mirum etiam, si minus conscientiæ pacem & requiem intra nos habeamus, cum iaceamus in tali immundicia. Et nos dedamus ad clamorem & rumorem cuiuslibet curæ incertæ & admodum nociuæ, modò ad diuitias possidendas & laudes habendas aut potentiam, aut magnum statum, aut vindictam in hoc mundo. Sapiens amator sanctus Paulus omnia reliquerat, omnia expulerat, adeò vt mundus ei mortuus esset. Et sic nec malum cupere vel desiderare poterat mundum nõ plus quam mortuus. Et hæc erat perfecta pax conscientiæ in hac duplici morte vel mortificatione sui ad mundum, & mundi ad seipsum. Nũquam eremita in deserto talem pacem habuit & tranquillitatem ad mundi vanitatem euadẽdam

A sicut sanctus Paulus habuit omnino in medio mundi. Vanitas & voluptas mũdanarum rerum non amplius conspiciebantur ab eo vt eas cuperet, quam si nos cineres videremus vel pulueres. Et quare? propter Dei amorem quem tantopere diligebat. Et Deus eum prorsus rapuerat & conuerterat in se, feceratque eum omnino spiritualem & Dei filium, Viuo inquit, & non viuo ego, viuit vero in me Christus. Viuebat amore, qui eum in cælo habitare faciebat, & si non quoad corpus, tamen quoad animam. Propterea pul-

B chritudo & digna spiritualium rerum claritas, quæ continuè in anima sua resplẽdebat, delebat omnem pulchritudinem & claritatem huius mũdi plus quã sol stellas. Hunc eueniebat quod sanctus Paulus magis gaudebat de aduersitatibus huius mundi de catenis & sua captiuitate, propter confortationem huius pulchræ contemplationis, quam nos gaudeamus in prosperitatibus vel coronationibus & dignitatibus.

Addamus quod quamuis mundus fuerit mor-

C tuus sancto Paulo, & ipse mundo, habebat tamẽ mirabilem delectationem in singulis, & per omnia quæ videbat vel sentiebat. Delectationem inquam non carnalem, non vitiosam, quia mihi ipsi contradicerem, sed delectationem spiritualẽ sobriam & studiosam. Et quomodo? Bene certè, quia in omnibus & per omnia relucere videbat diuinam potentiam, sapientiam eius & beneuolentiam. Omnibus vtebatur sicut filius in aliena patria existens vteretur annulo, si pater eius ali-

D quem sibi transmitteret. Considerabat quod pro se & vsu suo talem Deus mundum fecerat, nec minus pro eo factus fuerat, propterea quod pro omnibus alijs simul fuerat creatus. Sed multo plus eo, quod tanta bona sine societate iocunda non sunt. Et quoniam homines, bestiæ & aues quæ mundo vtuntur, veniunt omnino ad vsum vniuscuiusque singularis hominis, nisi ipsemet obstiterit. Ideo omnes res inflammabant amorem sancti Pauli ad Deum, sicut omnia heu nos grauant & retrahunt. De mundanis loquor, qui

E nullum amorem norunt præter mundanũ. Hinc est quod sapientes stultos iudicamus amatores. Videamus hoc in sancto Paulo, qui erat percussus, irrisus & consputus mille modis à mundanis, quemadmodum scientiarum ignarus. Reuera est principium sapientis huius amoris vt quis efficiatur stultus, secundum doctrinam illiusmet sancti Pauli, qui stultus effectus est, secundum iudicium stultorum huius mundi, vt esset sapiens Dei iudicio & sanctorum paradisi. Mundani nil curant præter mundanum amorẽ, veluti

F porci, qui nil aliud quærunt quam lutũ. Ideo irridebat illos qui ipsum spernunt, iudicant inanes & inutiles illos qui apponunt omne cor eorum vt audiant verba Dei per scripturã vel sermones, loquatur ei per orationes sanctas & meditationes. Sunt quæ famelici, pauperes, patientes, angustiásque ferentes, odio habiti, irrisi propter amorem suum. Sed in hora mortis & in fine quando videbitur ad lumen veritatis, tunc concipientur fuisse sapientes.

Amodo nos christiani & nunc scire debemus dum tempus est. Videte supplico apertis oculis

quis amor maior sit, vel eligendus, an amor Dei, an mundi? Qui quidem amor mundi perducit ad ignominiam & ad tormenta eos qui ipsum ad finem vsque tenuerunt. Amor verò Dei per contrarium (sicut videtis in duobus his amicis Dei sancto Petro & sancto Paulo) perducit ad gloriã & honorem, tam in hoc mundo quam in altero. Nec oportet vt dicunt mihi aliqui, nequaquam tales esse possumus sicut sanctus Petrus & sanctus Paulus. Profectò æquæ benè capere possumus hunt amorem ad nos sicut ipsi, homines sumus quemadmodum ipsi erant. Anima nostra sicut & anima eorum facta est ad Deum cognoscendum & amandum. Non ergo contemnamus nos, nec decipiamus, nec inhonoremus nec damnemus, nec scienter perdamus. Sed tales simus, vt connumerari possimus illis qui sunt amati à Deo, & per eum excellenter honorati, per merita & intercessiones sanctorum Petri & Pauli, quemadmodum sanctus Paulus venit ad conuersionem per orationem sancti Stephani. Quam rem nobis concedat pater & filius & spiritus sanctus. Qui est benedictus Deus in secula seculorum. Amen.

SERMO DE SANCTO MICHAELE ET ANGELIS, FACTVS PER MAGIstrum Ioannem Gerson die Lunæ, in ecclesia sancti Pauli.

Factum est prælium magnum in cœlo. Michaël & angeli eius præliabantur cum dracone. Apocal. 12. hæc verba scribuntur. Angeli mali & sanctus Michael prælium magnum fecerunt in cœlo. In hoc solemni festo quod bonorum angelorum commemorationem facit, & in hoc die lunæ, qui est eis dedicatus. In hac ecclesia quæ in honore sancti Pauli est fundata, per quem profundius sanctorũ angelorum cognouimus naturam, eorumque officia ac hierarchias. Congregati sumus, vos quidem ad audiendum, ego verò ad loquendum aliquid quod sit ad eorum laudem & nostram ædificationem. Et quia sanctorum angelorum officium est adhortari ad verbum Dei audiendum, ipsumque custodiendum, deinde ne auferatur à corde per inimicos. Recurramus fiducialiter & deuotè ad totam sanctorum angelorum militiã, deprecemur vnusquisque in speciali bonum suũ angelum, qui est hic præsens audiens & videns omne quod faciendum proponimus, vt per eorũ virtutem verbum nostrum taliter possit prodesse vt sit ad honorem Dei & angelorum eius, & ad confusionem eorum & nostrorum inimicorum. De quibus dicit thema nostrũ, quod sanctus Michael cum angelis malis magnum prælium fecerunt in cœlis. Tu specialiter virgo dignissima quę antiqui serpentis inimici. s. caput contriuisti, secundum Dei promissionem. Tu qui regina es super omnes angelos & super omnes eleuata, sis in adiutoriũ nostrum per pulchram hãc salutationẽ ad tui honorem in memoriam reducimus dicentes. Aue Maria, &c.

Factum est prælium, &c. scribitur vbi prius dictũ est. Vt nostra prædicatio ordinatior sit, & per hoc melius intelligatur ac memoriæ cõmẽdetur, eam in tres diuidam partes. Prima pars angelorũ formationem declarabit, & primũ eorum præliũ seu dissensionem superius in cœlo. Secunda aget in generali de prelio quod fit inter homines & eorũ impugnationẽ in cœlo hoc inferiori, in sancta videlicet ecclesia. Tertia declarabit specialius modũ tentationis & impugnationis eorũ. Cũ Deus qui est summa bonitas illã eandẽ bonitatẽ expendere, communicare & monstrare ad extra voluit, mundum formauit in tẽporalitate, quẽ in cognitione sua & cogitatione per æternitatẽ habuit. Et in principio duplicẽ formauit creaturã, vnã quidẽ corporalem & materialẽ, alterã vero spiritualem. Vnã quã videre possumus, aut per corpus sẽtire. Alteram quam percipimus cognoscimus per rationem. Corporea enim natura non eo pacto cõseruari posset & ordinari absq; aliqua spirituali virtute, quemadmodũ videmus in corpore respectu animæ. Et etiam scriptura sancta à Deo reuelata taliũ creaturarũ spiritualiũ nobis dat cognitionem. Quæ bifariam partiuntur. Aliquæ enim sunt sine corporis cõmunicatione seu cõiunctione, & has angelos appellamus. Alię sunt cõiunctę corporibus & illas animas nominamus. Angeli de quibus locuturi sumus, creati fuerũt prima die, cum Deus formaret cœlũ & terrã sine tali dispositione & ornamẽto, quod eis datũ fuit sequentibus quinq; diebus. Et fuit hæc angelorũ creatio, cum dixit Deus: Fiat lux, & cõfestim facta est lux. Nam illa lux non solũ erat lux corporalis quã videmus in sole & stellis, sed etiam spiritualis & incorporalis, natura videlicet clara & pura, quã nos angelicã naturã dicimus. Hoc est in figura & sũma qualiter & propter quid angeli fuerũt creati, quia fuit ex pura bonitate & volũtate Dei ad expãdendũ suã ad extra bonitatẽ, & vt creaturæ suũ laudarent creatorẽ, vtq; bonitas Dei, potentia & sapientia sua monstrarentur ad extra in creaturis, quemadmodũ cognoscitur ars & prudentia alicuius artificis per opus eius. Creatura tamen spiritualiş & rationalis specialius & altius creata fuit ad Deũ cognoscendũ & amandũ, vt imago quædam perfectior. Accidit vt quidã angelorum qui erat alijs perfectior, clarior & pulchrior, qui ob hanc causam lucifer dicitur, hoc est ferens lucem. Cum consideraret pulchritudinẽ suã & excellentiã & dignitatẽ, sumeret quendã suimet complacentiã, de qua cecidit in negligentiã gratias Deo agendi, & de hac negligentia incurrit ingratitudinẽ. Deinde habuit præsumptionem & dominandi desideriũ super omnes alios angelos absq; hoc vt vllo modo subderetur aut obligaretur eis. Deinde appetijt honorari ab omnibus tanquam Dominus, sine hoc vt meditaretur subiectionem quã Deo debebat. Insuper propter stultã præsũptionẽ & superbã ambitionẽ qua voluit esse veluti similis Deo, qui solus est Dominus sine seruitute vlla, hoc displicuit Deo, nec ei quod cõsiderabat, cõcessit. Vnde lucifer dolorẽ & odiũ cõtra Deũ habuit, quẽ iudicabat inuidũ. Hi sũt sex gradus peccati de malo in peius peccãdo, per quos lapsus est lucifer. Aliqui angeli lucifero cõsenserũt & stulto suo nisui. Alij verò vt sãctus Michael repugnabant tam ratione quã fortitudine, ita quod iusto Dei iudicio lucifer omnesq; sui cõplices & adhærẽtes de cœlo in terrã lapsi sunt à tã sublimi

loco

loco in tam profundum. Factique sunt ex angelis diaboli, de bonis mali & inimici, de Dei amicis persecutores eius quantum in eis est. Videbam sathanam cadentem de cœlo. Hoc modo intelligitis propositorum verborum sensum: Factum est prælium, &c. Nec fuit hoc prælium vi brachiorũ aut gladiorum, quemadmodum in pictura cernitis. Angeli enim membra non habent aut corpora ex eorum natura, nec vtuntur materialibus armis. Verum omne hoc factum fuit vi & armis spiritualibus, sicut anima nostra corpus mouet sine hoc quod manus habeat aut pedes. Et hoc quidẽ est per applicationem virtutis suæ spiritualis. Et qui hoc miratur, cogitet ad auium volatus, vt aquilæ vel hirundinis, aut motus piscium. Per hoc tamen quod dictum est, negare nolim quin in istis inferioribus boni angeli & mali capiãt interdum corpoream figuram ad aliquas operationes exercendas, vt sanctus Raphaël apparuit in forma itinerantis vel nuncij. Et inimicus sæpenumero in horribilibus apparuit figuris, draconum & serpẽtum. De modo assumendi & formandi huiusmodi corpora nihil dicam, est enim materia hæc potius celanda quam prædicanda.

Super hoc quod dictum est, tria mouebo dubia. Primum dubium, quare Deus non citius mundum formauit & angelos? Responsio, hæc quæstio ex simplicitate prouenit, aut malo intellectu, ipsa enim imaginatur ante mundum fuisse spaciũ infinitum, in quo Deus omnino solus fuerit, quẽadmodum aliqui imaginantur supra cœlum esse spacium & locum vacuum infinitum. Sed hoc totũ est ex defectu intellectus nimis vtendo imaginatione. Scire ergo debetis Deum in æternitate sua mundũ formasse secundũ ordinem sapientiæ suæ & liberam suã voluntatem. Non quidẽ quod mundus æternus sit sicut Deus hoc impossibile est, sed factus est in æternitate, & de sua æternitate hanc habuit voluntatem. Secundum dubium aut quæstio. Quare fecit Deus peruersos angelos cum sciret eos fore damnandos? Responsio, Deus eos omnes fecit bonos & pulchros, deditque eis tempus & spatium vtendi libera eorum voluntate, & confirmationem eorum in gloriã acquirendi. Sed nonnulli malè vsi sunt sicut dictum est, fuitq; rationabile vt malum ex hoc eis eueniret. Exemplũ de domino aliquo qui fundat ciuitatem, & eam honestat populo. Intentio eius non est incolas suspendere aut destruere, modò iustè viuant. Attamen ordinat patibulum ad malefactores suspendendos, quod patibulum est in magnum ciuitatis suæ & in eius iustitiæ honorem. Pariformiter est de inferno respectu malorum. Legimus de quibusdam regibus qui proprios occiderunt filios ad iustitiam tutandam. Illos tamen non genuerunt filios vt eos destruerent quoad principalem eorum intentionem. Aliud exemplum quod dat Apostolus, est de magna domo in qua sunt diuersa vasa, quædam ad honorabile seruitium, alia verò in contumeliam.

Tertium dubium vel quæstio: Quare Deus nõ annihilauit luciferum post peccatum suum? Responsio per hoc quod dictum est. Iustitia Dei in peruersorum punitione relucet. Alij dicunt melius esse damnatis in huiusmodi persistere pœna, quam non esse. Ego verò teneo contrarium, sicut Iesus Christus dicit de Iuda: Melius fuisset ei si A natus non fuisset homo ille, &c. Saltem certum est melius esse vt quis non sit, quam Deũ odio habere, vt damnati. Et intelligo melius.i.minus malũ. Si quæras insuper, quare non fuit redẽptus, aut per pœnitentiam receptus? Vna causa fuit, quia absque exteriori peccauit tentatione. Alia, quia malè vsus est toto tẽpore quod ei concessum fuerat ad merendum & paradisum lucrãdum quẽadmodũ post mortem hominis nulla est redemptio aut pœnitẽtia, quia tempus peregrinationis suæ & B vitæ suæ transijt, venitque ad vnum terminum. Doctores diuidũt tempus angelorum in tres partes. Prima est ab eorum creatione in gratia & virtutibus. Secunda est quãdo boni bene vsi sunt donis suis, & mali perperam. Tertia est malorum obstinatio & bonorũ saluatio, quæ sẽper est duratura. Adiungo pro saluatione nostra tres considerationes.

Prima consideratio.

Inimicorũ dãnatio nos tenere debet in timore sub potenti manu Dei & in omni humilitate. Si C enĩ Deus nõ pepercit creaturæ tam pulchræ & tã nobili ab initio ad imaginem suam factæ, sed eam deiecit & depulit, vt fulgur de cœlis in abyssum & stagnũ ignis ardentis & sulphuris propter suã superbiam. Quid expectare debemus nos pauperes & miserabiles? Nõ est dubiũ quin de nobis sumetur supplicium. Nonne superbia potius odio habenda est in paupere, quã in rege aliquo diuite & potenti? Ita in tantum vt pauper habet minores causas & motiones. Et si vindicta Dei non D pepercit ciuibus & principibus cœlorum supremis. Quid faciet miserabilibus exulibus terræ hic inferius? Est argumentum sancti Petri in epistola sua. Si Deus peccantibus angelis, &c. Per hanc considerationem respondeo quæstioni quam facere possent nonnulli, qualiter creatura tam sapiens quæ videbat & cognoscebat Deum, sicut erat lucifer potuit in superbiam cadere? Nonne sciebat quomodo superbia Deo displiceret, sed etiam cognoscebat (vel erat stultissimus) se nihil habere nisi à Deo, & se similem esse Deo non E posse. Dico ꝙ quanto plus gratiarũ, donorũ, pulchritudinũ, bonitatũ & donariorum aliorũ naturaliũ habuit Lucifer, postquã non erat confirmatus in gratia & in gloria, tanto plus opus fuisset ei coram Deo humiliare se & cognoscere dona sua ac beneficia eius, omniáque sibi subijcere & in suã custodiã congerere. Et quia in hoc facto fuit negligens, peccauit sumendo nimis magnam de ipso vanam complacentiam, suásque speculando pulchritudines. Et iam se videbat veluti in F vmbraculo in obscuritate sui ipsius, auferendo oculos intellectus sui à vero lumine diuino, & tãquam ei dorsũ vertendo hinc aliũ se iudicabat & maiorem quã esset, quia inflatus erat vanæ gloriæ vento. Et ex hoc euenit quod in talẽ cecidit stultitiã aut phantasiam, vt dictum est, quod desiderabat esse Dominus sine subiectione. Et cum Deus illud ei non concederet, sed eum damnaret, cecidit de peccato in peccatum vsque ad odio habendum Deum, & ipsum persequendũ tanquam furiosus & sensu captus. Cõsiderate quomodo dic quolibet homo qui subiectus est, tantas habet miserias, & bene nouit se moriturũ, & videt quotidie

in se & in alio tantas totius humilitatis causas, ascendit tamen nihilominus in superbiam, taliter vt sui ipsius & conditionis suæ obliuiscatur, reputátque se veluti immortalem & interdum vt Deum. Sic habemus quod Nabuchodonosor, Alexáder, Antiochus & alij voluerūt tanquā Deus adorari. Dicit Iuuenalis, nihil esse quod credere de se non possit princeps cum laudatur. Quotidie persuadetur stultus se esse sapientissimum, turpis apparet sibi pulcher, & debilis fortis. Sicut persuasum fuit cuidam agnum suum esse canem, & cuidam alteri omnino sano, persuasum fuit se esse infirmum. Et omne hoc per mendacium & adulationem alterius quæ est veluti diaboli incantatrix: A fortiori adulatio de semetipso & in seipso facit citius personam quæ sibi ipsi adulatur, se laudat, speculatur & magnifacit, cadere in stultam credulitatem & iactantiam. Videmus quotidie stultum non videre nisi sapientiam in stultitia sua, & credere se esse omnium sapiētissimum, siue sit in deuotionibus, siue alijs rebus, hinc accidit nullum esse consilium cui talis credere velit aut possit.

Secunda consideratio.

Aduersitates & verecundiæ huius mundi magis prosunt laudibus & adulationibus. Vos videtis quoniam per vituperium superbia amittitur, & adulatione nutritur. Ideo sicut homo semper se debet culpare, increpare & humiliare coram Deo pariformiter amare debet eos qui eum vituperát, sunt enim coadiutores sui vt faciat quod facere debet, vt scilicet se humiliet. Et hoc est quod dicit propheta Dauid: Corripiet me iust⁹ in misericordia & increpabit me. Iustus inquit me corriget & durè corripiet in omni misericordia. Ad hoc propositū dicit S. Augustinus. Plus prosunt inimici iurgantes, quam amici blandientes. Plus prosunt inquit inimici per eorum iurgia, quia corrigunt, quā amici per laudes eorū, quia nutriunt præsumptionem & faciunt inchoari per stultas suas opiniones, res non possibiles, de quibus omnes alij irrident. Adulatio igitur sui ipsius cognitioné aufert, & est tanquam vmbra vel ficta facies quæ verā aufert claritatem boni iudicij & veritatis. Sed aduersitas & vituperiū ipsam restituunt. Hic sumunt doctores rationé quare Adā non manserit in paradiso terrestri post peccatum suum propter voluptates quæ ibi sunt. Exemplū de Platone qui elegit pestiferam regionem pro studio suo. Summum remedium & bonum consiliū in omnibus rebus & omnibus tentationibus est quod homo mox oculū suum & aspectum vertat ad Deū tanquam ad lumen suū, ad auxilium suum, ad suam fortitudiné, ad suū protectorem, defensorem & gubernatoré, absq; hoc quod nimis fixè remaneat in cogitationibus alijs terrenis aut carnalibus aut alijs quibusuis. Hoc cernitis, per hoc enim cecidit lucifer quod nimis diu de se ipso & sua vmbra cogitabat non recurrédo ad Deū, neque gratias illi agendo. Ideo dicit propheta Dauid: Oculi mei semper ad Dominū, quoniá ipse euellet de laqueo pedes meos. Habeo inquit, super oculos meos ad Dominū, quia ipse seruabit me ne cadá in laqueos & tētationes inimicorū. Sumamus exemplum de filio semper recurrente in omnibus aduersitatibus & prosperitatib⁹ ad auxilium matris suæ, ipse esset securus. Sic fecit Iesus Christus saluator noster, qui recurrit ad patrem suum in cruce. Et etiá idē facit propheta in psalterio: Quoniá tu fecisti amoue à me, &c. Hæc doctrina fieri deberet omnibus liberis quāprimum possent quicquā cognoscere, vt omnia referrēt in Deum. Nota de patre qui orare iubebat filium suum, & inter orandum iaciebat ei deorsum poma aut pira vt assuesceret habere fiduciā in Deum. Cū homines ad Deum nō recurrunt, facile in omnes cadunt melancholias & stultitias. Nam super magis magisque in profundiores labuntur tenebras, quia à Deo plus elongātur solo & verò eorum lumine & extra portam & viam. Exemplum est de malis angelis qui in principio erant admodum sapientes stulti facti sunt & furiosi, talémq; habent errorem vt impugnare volint Deum, & omnes hos qui illi seruire volunt & honorare. Et hinc est quod nos tentant de stulta & iniqua peruersitate in despectum Dei, & in despectum huius quod eos minimè honoramus vt Deū. Et ex hoc prouenit omnis idololatria, sortilegium & stulta incātatio in mundo, quia per promissioné diuitiarum aut scientiæ curiosè de rebus occultis vel futuris, aut ad cōplendum mala desideria, induxerunt mundanos vt honorarent eos sicut Deum in sacrificijs, in ieiunijs, in vigilijs & orationibus. Vnde verum est multo plura esse bona & res sanctas in talibus artib⁹ prohibitis quā conueniat, & eò peius res se habet, fit enim honor diabolis per illud per quod honorandus esset Deus, quia etiam facilius decipiunt hoc modo per boni apparentiam. Sunt alij mille & mille modi præliādi cōtra nos, & nisi esset gratia Dei bonorumque angelorum custodia, nos resistere non possemus. Sed Michaël & boni angeli præliantur adhuc cōtra eos pro nobis continuando prælium in cœlis inchoatum, de quo loquitur thema nostrū: Factū est prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli eius præliabant cum dracone.

De prælio diabolorum.

Continuando materiā incœptam & descendēdo in generali ad prælia quæ fiunt in istis inferioribus, inuenitur quod boni angeli mox se conuerterūt ad Deum eorum, illiq; humiliter gratias egerunt veluti eorū Deo patri, Domino & creatori. Hinc gratiam acquisierunt & de gratia gloriā perceperunt, hoc est cōfirmationem in diuina visione & in Dei amore. Tria ergo habuerunt bona, clarā videlicet cognitioné, perfectam tendentiam seu adhæsionem ad Deum, hoc est confirmationem, & ardentem dilectionem. Et quia numerus eorum erat imminutus, ordinauit Deus facere & formare humanas creaturas ad paradisi sedes replendas per humanæ creaturæ fragilis & debilis humilitatem, de quibus quidem sedibus angeli ceciderant & lapsi erant tanquam schismatici & & proditores legitimi eorum Domini, & veluti in malo & odio Dei obstinati. Per contrarium enim ad bonos angelos mali in generali tria incurrerunt mala. Ignorantiam & errorem contra clarā cognitionem. Separationem à Deo & maledictam obstinationé, contra adhęsionem & cōfirmationé in Deo. Odium & furoré, contra ardentem dilectioné. Accidit quod quéadmodum boni angeli data fuerunt & ordinati per diuiná prouidentiā ad custodiendā creaturā humanā vt finē suū assequeretur. Ita & mali angeli susceperunt in eam

eam impedirent ne cœlum ascenderet vnde ipsi lapsi sunt, & hinc venit tentatio primæ matris nostræ Euæ & primi patris nostri Adæ per inimici inuidiam. Inuidia diaboli mors intrauit, &c. Et ex hoc continuatur in terra prælium quod in cœlis fuit inchoatum, vbi factum fuit primum quod vnquam fuit schisma. Sed hic propono tres dubitationes.

Primum dubium aut quæstio. Quare Deus patitur & permittit quod humana creatura tentetur per inimicos posteaquam ipsa ex propria natura corrupta satis inclinata est ad malũ? Responsio: quãuis de bonitate Dei non possit reddi causa primaria magis nisi dicere ita ei placuisse. Sic volo, sic iubeo. Nota de grammatica positiua, quia sic placuit impositori, nihilominus tamen bene assignantur aliquæ congruentiæ secundũ humanum intellectum. Et mihi in præsentiarũ tres sufficiunt. Vna congruentia aut causa est vt Deus permittat res quas creauit operari secundum naturam ipsarũ aut conditionem. Deus sic res quas creauit administrat vt eas motu proprio agere sinat. Et quoniã natura boni angeli est velle bene facere sibi & alijs. Intentio peruersi angeli est in contrariũ, ideo Deus permittit malum tentare & hortari ad malũ vultque bonum angelum mouere in contrarium dando confortationem, auxilium & defensionẽ aduersus crudelem hanc & furiosam bestiam. Et omne hoc ad nostram est gloriam & felicitatem quando habemus angelum talem ad nostram custodiam & auxilium, & cum nos vincimus talem inimicum per boni angeli subsidiũ. Ad hoc prodest tentatio, quia solummodo coronabũtur gloria paradisi, qui in hoc mundo vigorosè hostẽ debellarint. Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Exemplũ de sancto Antonio & pluribus alijs. Alia causa est, quod propterea bonus angelus seruit Deo, & secundum aliquos suam gloriam & paradisum lucratur, quamuis iam ipsum possideat. Malus verò iusto Dei iudicio grauissimã acquirit punitionem, etiam si nihil aliud esset quam pudor & despectio quam habet quando vincere non potest ad libitum humanam creaturam. Draco iste quem formasti ad illudendum, &c. Exemplum de sancto Hilarione. Et hic dicemur quod si non faceremus bona nisi ad placendum angelis & sanctis, & displicendum inimicis, bona tamen operari debemus. Alia causa est, ad humiliandũ se coram Deo, & suum auxilium implorandum contra inimicorũ furorem. Et vt bene cognoscamus nos ex nobisipsis non posse resistere eorum potestati, nec violentiæ, nec maleuolentię eorum. Insuper vt honoremus bonos angelos, non quidem vt Deum, sed vt Dei amicos & nobis beneuolos atque coadiutores. Disposuit enim quod inferiora ad ipsum reducantur per media sibi propinquiora. Et hoc cognoscere mirum in modum prodest. Qui enim ignorat quo pacto tentetur, & periculum in quo est, non curat resistere. Quemadmodum sunt aliqui carnales qui non credunt diabolos tentare ipsos homines contra scripturãque hoc testatur de Iob Iesu Christo, Dauid, Anania & alijs tentatis.

Secunda quæstio, Vnaquæque persona in se habet ne bonum quẽdam angelum, similiter & malum, vnum vt eum adiuuet, alterũ vt seipsum exerceat? Responsio secundum doctores: Quælibet A persona habet vnum bonũ angelum, interdũ plures secundum quod opus est pro se & illis officijs quæ tenet & gubernat. Pariformiter inimici eam nituntur interdum ducere in errorem & peccatũ, secundum quod eã vident fortiorem & ardentiorem ad bene operandum, quẽadmodum habem⁹ in vitis patrum de quodam vidente innumeros inimicos circa cellam vel cameram cuiusdã eremitæ, & duntaxat vnũ circa ciuitatem quendam. Et quamquã inimicus vincitur vno modo, conatur B tamen per alterum, sicut apparuit de Iesu Christo. Quomodo tentare possunt inimici cum tales perpetiantur pœnas? Per oppositum quomodo dimittũt boni angeli, eorum gloriam per hoc quod ad hæc inferiora descendunt? Responsio: Mali per iustum iudicium Dei & propter eorum maiorem punitionem habent vltra eorum tormenta rationis iudicium & cognitionem. Sed hoc est ad malè operandum propter peruersam quam habẽt voluntatem & vertunt omnem scientiam eorum ad malum. Sicut auarus totum ingenium suum C applicat ad acquirendum, inuidus ad nocendũ & detrahendum, luxuriosus ad carnalitatem immũdam habendum. Hinc est quod quãto intellectus eorum est clarior, tanto sunt peiores. Quoad bonos angelos tenendum est eos continuè videre Deum & amare, in quocunque fuerint loco, quia Deus est vbique, & in eius lumine cognoscunt quomodo debeant operari. Et si aliqui quærant si sciant qui sint damnandi aut saluandi? Dico quod sic, hoc tamen non obstante faciunt debitũ D eorum omnibus succurrendi, bonis ad paradisum acquirendum, malis vt minus damnentur, aut ne in damnatione eorum aliquam afferre valeant excusationem. Et adde tres doctrinas seu considerationes.

Prima doctrina. In omni loco adorare debem⁹ bonum angelum nostrum qui videt omne quod operamur & qui delectatur cum bona facimus, & perdit talem delectationem cum malè agimus. Ideo dicitur esse tristis non quidem tristitia quæ ei noceat, sed est quædam compassio, & etiã priE uatio quædam aut defectus alicuius consolationis quam accidentalem nominamus, & non principalem. Et ista doctrina sæpenumero dici deberet omnibus pueris. Et qualiter si verecundantur ad præsentiam patris eorum, matris aut præceptoris, multo plus timere debent boni angeli eorũ præsentiam & ipsum honorare.

Secunda doctrina. Omni tempore debemus timere tentationes peruersorum inimicorum plusquam ouis quæ timet lupum, aut ceruus canes. F Non quidem vt timeamus diabolum propriè loquendo, sed Deum, permittit nos ob peccata nostra ad peruersam diaboli potestatẽ, quẽadmodũ ouis magis timere debet potentem pastorẽ quam lupum? Semper parati sunt inimici capere nos in corpore & anima si Deus & boni angeli illud sinerent. Et propterea considerate stultitiam illorũ qui manent in peccato mortali, qui per hoc sunt quoad Deũ excõmunicati, quia manẽt & dormiũt inter brachia inimici. s. in potestate eius. Nõ est ergo mirandũ si quis se signet cũ audit eũ nominari propterea quod est tã magnus aduersarius noster, & etiam propter dãnationis suæ consideratione,

In hoc enim declaratur nobis vindicta Dei mirũ in modum dura & horribilissima. Videte etiam esse peruersam maledictionem dicere, diabolus habeat partem, aut ex parte diaboli, præsertim si mater dicat liberis. Post talia enim verba super aliquos per iustam Dei permissionem inimicus potestatem capit. Sicut apparuit in quadam fœmina quæ semel ex ira & impatientia dixit filio suo, diabolus te auferat, & mox visibiliter eum abstulit. Nota de episcopo qui dixit famulo suo, diabole veni, extrahe mihi caligas. De quo dicit Gregorius in dialogo quod mox ligulę enodabantur.

Tertia doctrina: Quemadmodum officiũ boni Angeli est hortari ad Dei amorem & cognitionẽ eius. Per oppositum officium diaboli est ab amore Dei auertere & ad omnem stultum errorem ac idololatriam conuertere. Et hic grandis iacet loquendi materia de his qui alios ad bonum ducũt, & de his reprehendendi qui alios ad malum persuadent Tales nominandi sunt diaboli, sicut sunt illi & illæ qui delectantur facere peccare dictis aut factis pueros qui angelorum habere deberent puritatem. Quid fiet de his hominibus? Erunt cum illis quorum exercuerunt officium, hoc est cum inimicis. Boni Angeli adhortantur Deum amare sicut Seraphin, cognoscere sicut Cherubin, se humiliare sub eo & illi sedem constituere sicut throni, & sic de alijs angelicis officijs. E diuerso mali nunquam erunt alicubi, quin peccare faciant verbo aut facto modò possint.

De prælijs inimici in particulari.

Postquam diximus in generali de prælijs, modo omittendo multas materias de quibus verba fieri possent tam de bonis angelis quam de malis, vt de tribus Hierarchijs. De bonis angelis qui nouem continent ordines. De eorum officijs & exemplis quæ sunt in sancta scriptura, & alibi in sanctorum historijs. Quomodo & quo pacto & quam varijs modis boni angeli adiuuent, & mali obsint Immorabor dicere aliquos modos specialiores de prælijs inimicorum, quæ quidem prælia tentationes appellamus. Reperio quoddam prælium inimici tenebrosum, fictum & mendax, inuolutum, perplexum & scrupulosum seu ambiguum, importunum & subitum, durum & longanime, immundum & spurcum, obscurum & tenebrosum prælium est, cum inimicus finem celat, bonum adducens quod suspicitur faciendum, aut malum quod omittitur, sicut piscis capitur hamo, vel perdix filo: Hortari ad religionem vt quis sit apostata, hortari ad prædicandum, vt quis efficiatur superbus, hortari ad confessiones audiendas, vt quis labatur ad carnalitatem vel curiositatem, hortari ad vitam contẽplatiuam ad cadendum in hæresim aut phrenesim. Hortari ad eleemosynas elargiendas vel Ecclesias fundandas ad cadendum in paupertatem. Et deinde vt quis sit impatiens, aut spoliator, raptor, vsurarius vel auarus. Hortari ad corrigendum alterum, ad dandum scandalum alteri, hortari ad tacendum, vt quis sit culpabilis de malo alterius cum eum corrigere deberet, hortari ad benefaciendum in publico, ad se glorificandum vel propter hypocrisim. Hortari ad prælaturam & magnum statum, ad decidendum in mille pericula, hortari ad sciendum vt cadatur in curiositatem & de curiositate in superbiam, aut in carnalitatem, cum initium aut caput cogitationis, pulchrum videtur & sine malo, sed in causa iacet venenum.

A Primum remedium est per bonum Angelum, bonus enim angelus illuminat & finem ostendit per se vel per alterum, Danielis 9. Dicit Michaël. Egressus sum vt docerem te.

Secundum remedium est, nihil incipere absque cogitatione ad quem finem deueniri, possit & per quæ media siue sit in cogitatione siue verbis

B siue in factis, quemadmodum domina nostra statim cogitabat qualis esset sua salutatio. Exemplũ de Raphaële, qui iuniorem Tobiam docuit ad quid valerent omnia hæc quæ faciebat.

Prælium fictum & mendax est, cum inimicus facit de bono apparere malum & de malo bonũ, sicut piscis capitur esca, & rattus lardo, & sicut bibitur venenum cum vino, aut sicut timor incutitur lepori per pennas volutantes ad cadendum in peius, aut sicut bibendo aquam alicuius fontis, simul bibuntur venenosæ bestiolæ. Est differentia

C huius tentationis ad aliam, quia in alia nõ est pręsens malum nisi in fine, hic vero malum coopertum est de præsenti cum spe boni, quemadmodũ serpens latet in herba viridi, aut inimicus intelligere dat hominem habuisse prius aliquam intentionem quam non habuit, & mentitur sibi ipsi. Arrogantia & despectus fingit quod sit ad honorandum statum suum & proficiendum alteri. Pusilanimitas fingit quod sit humilitas. Pomposus vestitus fingit libertatem esse benedicere

D aut benefacere. Hypocrisis fingit quod sit cautela celare se ad non nocendum alteri. Aperta malitia fingit quod sit humilitas sine hypocrisi. Correctionis excessus & vindicta fingit se esse iustitiam. Pigritia & negligentia & corrigendi timor fingit se esse misericordiam. Inuidia & detractio fingit quod sit sancta prouisio & pro vtilitate boni communis, vt mali cognoscantur & vnusquisque sibi ab eis caueat. In omnibus rebus dissimulatio discretionem se fingit esse. Adulatio, quod sit fauor aut dilectio. Otiositas

E fingit quod sit sapientia & cautela & securitas & humilitas. Mundana occupatio fingit quod sit prouisio pro bono proprio & alieno. Stulta prodigalitas fingit quod sit liberalitas & eleemosyna. Familiaritas & simultas fingit quod sit amicabilitas. Stultum gaudium sanctam fingit deuotionem. Tristitia compunctionem fingit aut contritionem. Stulta abstinentia, pulchram pœnitentiam. Gula, sapiens gubernamen ad continuandum Dei seruitium. Illusio, reuelationem aut san-

F ctam fingit inspirationem, vt inimicus ostendit se in forma Iesu Christi sancto Martino & alijs. Cor volitans huc & illuc fingit quod sit pro indulgentijs & peregrinationibus. Et vt breuiter dicatur, nullum est vitium quin vestiatur aut coloretur aliquibus virtutibus. Sed etiam per oppositum inimicus apparere facit si homo cogitet de virtutibus ipsas esse vitia, vt impediat ne fiant, sicut de libertate in benedicendo & faciendo bona sine mundano timore, quam dicit esse superbiam. Remedium est, diligenter examinare intentionem suam per se & per alterum & conuerti ad Deũ & ad bonũ angelũ eius, orãdo in

gene-

generali vt Deus semper exaltare velit vel exaudire principalem suæ intentionis radicem, quæ esse A debet vt persona placeat Deo in cūctis factis suis, euitando peccatum quodcunq; hoc fuerit modo. Cogitandum est etiam quod semper cum grano virtutis germinat & crescit alicuius vanitatis palea. Granum tamen bonum est & retinendum. Palea verò reijcienda per purgatorium instrumentum pœnitentiæ, & comburenda per ignem charitatis. Eniti ex se producere grana virtutum solum pro hac vita esset superuacaneum & causa in desperationem cadendi, & de desperatione in stultam præsumptionem. Exemplum de pluribus B de quibus legimus, sicut de Platone, Diogene, & quibusdam alijs philosophis. Velit Deus vt per bonam humilitatem nostram cognoscamus, fragilitatem, & sufficit habere talem securitatem per bonam intentionem, sicut haberi potest per bonā & diligentem examinationem.

Prælium anceps inuolutum aut scrupulosum est, cum persona videt vndiquaque incommoda & mala, ita vt exitum conuenientem ignoret nō faciendo aliquod peccatum, & nominatur perplexitas. Et accidit interdum per dubitationem iuris. Interdū per dubitationem vel dubium facti in se quale sit. Interdum per cōditionem personę in se. Exemplū, iurabis te rem aliquam facturum quæ tunc aut postea ad malum verteretur, si eam facis, peccas, si eā omittis, es periurus. Remediū, non facies eam, nec de nouo eris periurus, sed prius stultè iurare potuisti. Secundum exemplum vouebis ingredi religionem, aut peregrinari, aut eleemosynas dare, vel seruare virginitatem, aut aliquod simile. Deinde venies in tempus, locum, ætatem aut statum in quo votum tuum reddere & perficere non potes. Responsio. Deus non obligat ad impossibile, cum quis ad eum reuertitur. Pœnitentiam age de negligentia, & de residuo fac quod potes per consiliū. Tertiū exemplū. Eris in aliqua societate aut seruitio in quo si permanseris, eris quotidie in periculo perdendi castitatem tuā aut bonam famam, si abscedas, non habes vnde viuas, aut offendes hos qui tibi debent esse subsidio. Responsio. Homo magis obligatur amare animam suam quam corpus vsque ad corporis mortem. Quartum exemplum. Efficieris presbyter vel curatus, nec scies horas tuas, neque eas poteris addiscere. Responsio sicut ad secundum. Quintum exemplum. Duces in matrimoniū fœminam, quæ deinde dicet se esse ex tua progenie vel se nunquam consensisse tuo matrimonio, vel malè aget cum aliquo de progenie tua propinqua. Et etiam sic de muliere respectu viri. Respōsio, petes consilium, nec citò credes huiusmodi verbis aut talibus allegationibus. Sextum exemplum. Habebis magnum statum, siue fuerit in Ecclesia, siue in religione, siue in sæculo, cognosces postmodum omne quod habes malè acquisitum, vel à te, vel ab alijs, si renuncies omnibus, pauper es & mendicus, similiter & vxor tua & filij, & estis in verecundia. Si retineas alienum absque hoc vt reddas, non es vt videtur in statu salutis. Responsio sicut ad tertium. Septimum exemplum. Tu iuraueris te fœminam aliquam in vxorem ducturum si in primo verbo tibi veritatem dixerit, non autem aliter, ipsa tibi dicet: Tu me non duces in vxorem. Si eam ducas, ipsa tibi falsum dicit, & sic etiam ducere non debes. Si eam non ducas, ipsa dixerit veritatem, & sic eam ducere deberes. Responsio, vir non ducet talem vxorem, quia ipsa falsum dixit quicquid fœmina fecerit. Declarationem relinquo doctis, & etiam illa consideratio est contra naturam matrimonij. Octauum exemplum: Plures res feceris & forsitan non meministi modi aut intentionis quā habebas, nisi confitereris, & si dicas te fecisse talem rem, exponis te periculo damnationis. Responsio: confiteberis sub conditione ac si fecisses huiusmodi rem & per talem intentionem. Nonum exemplum: Petis consilium à multis doctis, hi quidem tibi vnum dicunt, illi autem alterum, quid facies: Responsio, humiliabis in primis te coram Deo & sanctis secundum totum posse tuū. Deinde quæres consilium à duobus, quos tu & alij doctos iudicauerint, & quod tibi dicetur, credes securè. Nec amplius alibi inuestiges, quærere enim tanta consilia solum est inuolutio, & prouenit aut ex superbia, vt alij fides non adhi- C beatur, aut ex curiositate. Cæteris paribus prælatus tuus aut curatus præferri debent, & illis fidem debes adhibere, nisi manifestam causam haberes in contrarium eis non credendi. Nota de his qui semper dicunt se non bene ab alijs intelligi. Alij habent malum aliud quod propter conditiones diuersas est celatum, vel tam diuersa consilia in vna eadémque materia, & vnum quodque eorum bonum est, vel interdum propter interrogantis peccatū Deus permittit vt malū detur cōsilium. Decimū exemplū: Feceris peccatū in cogni- D tione vel operibus impijssimis & abominabilibus si huiusmodi peccata prælato tuo & curato cōfitearis, scis eum ex hoc peiorē futurum, si nō confitearis, non absolueris. Respōsio, pctes facultatē à curato tuo alibi confitendi si nō dederit, nihilominus ibis. Vndecimū exemplū: Habebis in omnibus factis tuis dubitationē & conscientiæ scrupulū ne facias malū. Si in tali dubio opereris, ponis te in periculum peccati faciendo contra conscientiam, si nihil facias pariformiter te sæpius dānas. Responsio, capies consilium & ei credes & E facies sæpè contra huiusmodi scrupulū, vincésque propriū iudiciū in alterius iudicio. Duodecimum exemplū: Es presbyter & multorū audies cōfessiones, aliqui tibi certa dicēt peccata per quę cognosces peccata aliquorū aliorū qui nihil tibi in cōfessione dicent, verū illa negabunt, quid facies? Responsio: nō reuelabis alterū de sua cōfessione nisi fuerit per consensum eius expressum extra confessionem factum. Et quoad illos qui sic celant, facies diligentiam dicendo quod diligentius & sæ- F pius cogitent, vel eos alibi mittes, vel protestaberis dicendo, tuam absolutionem nil valeret si celetur peccatum, nec esse intētionem tuam aliam, & monstrandum est quomodo si aliquod peccatum præterito tēpore fuerit celatum, nunquam sic celans bene fuit confessus post hoc, sed obligatur à nouo integrè confiteri. Tertiūdecimum exemplum: Eris in missa tua vel coram altari ad recipiendum corpus Domini cū dubitabis de aliquo peccato an bene ipsum fueris confessus, quid facies? Est enim ex vna parte modus verecundiæ & scādali abire, ex altera verò parte periculū indignè

recipiendi corpus dominicum. Remedium, habebis displicentiam in corde tuo & propositum confitendi tam de peccato quã de negligẽtia, &c.

Prælium importunum & subitum fit tribus modis. Vno modo cum inimicus capit personam, vt in aperto tentando de aliquo peccato à quo cauendum esset. Aut per nouum modum hinc euenit quandoque quod inimicus non cessabit tentare vsque ad tres vel quatuor annos vel vsque ad finem. Propter hanc causam remedium est, suimetipsius habere custodiam vbique, quemadmodum cattus obseruat in granario ne mus veniat, quod si venerit, subitò eum captat. Pari modo facere debet anima nostra de omnibus malis tentationibus, nec quisquam reputet se vnquam in hac vita sine certis esse tentationibus, non enim tentari est vna pars tentationis propter supradictam causam. Exemplum de auibus qui non percipiũt laqueos aut glutten nisi cum volare tentant. Hoc bellum fit interdum per subitam alicuius tentationis præsentationem post aliam tentationem, vt si vna non vincat, saltem vincat altera. Et per hoc vult inimicus personam facere excedere vel in nimio vel in pauco quæcunque res incipiatur ab ea. Et pro generali malo superbia semper conatur intrare. Exemplum de diabolo, qui apparuit Machario eremitæ. Qui quidem diabolus erat veluti onustus paruis lampadibus vel phialis, quæ respondit esse diuersa tentationum pocula, & cum aliqui monachi refutarent vnum, præsentabat alterum, quoadusque tandem vnum placeret. Remedium est sumere è diuerso delectationem in bonis diuersis operibus, modò in vno modò in altero, si aliter non inueniatur spiritualis delectatio. Quamuis bona constantia & in aliquo statu firmitas melior esset & studiosior. Aliter etiã fit hoc prælium respiciendo locum debiliorem, & est generaliter locus in quo magis possumus amorem nostrum proprium mundanum sensualẽ aut carnalem. Siue sit in desiderio laudis aut pacis corporalis siue in timore diffamiæ vel laboris, siue in ardenti cuiuscunque rei amore quantumcunque paruæ quam inimicus conabitur tollere. Tunc videtis quomodo aliqui se pro nihilo affligunt, sæpissimè & interdum plusquam pro re quæ millies melior est. Et per hoc cognoscit homo vbi sua sita est infirmitas, vel inordinata affectio, cum ventum fuerit ad hoc ad aliquid accipiendum aut tollendum. Persona reputabit se humillimam, dicentur ei vituperationes aliquæ eam mox videbitis inflammari & irasci. Remedium est præstare cor suum rebus transitorijs non donare. Hoc est quod quis reprehendatur cum voluerint reprehensores. Nota historiam de sancto Hieronymo, qualiter Angelus eum verberauit, quia nimis studebat in libris gentilium, & ex altera parte quomodo post tentationem carnalem in deserto cõsolationem habebat angelorum. Nota de hominibus qui seipsos iustificant, veluti si nunquam tentarentur de luxuria.

Prælium durum & longanime, est cum inimicus in paruo tempore vincere non potest, sed suã continuat in dies & in horas tentationem, vt tandem vincat per fastidiũ & proijciat hominem in desperationem vt à Deo relinquatur. Exemplum de luxuria quæ semper tentat aliquos homines, auaritia alios, ira verò alios secundũ status & affectiones & præcipuè homines otiosos qui non cõfidunt in Deo. Desidia occidit pigrum. Remediũ contra horribilem hanc bestiam & periculosissimum prælium est constantia, longanimitas & perseuerantia iudicando super quod quantũcunque tardè Deus tui miserebitur & succurret. Exemplũ de sancto Petro qui vsque ad occisionis tẽpus remansit in carcere. Hinc Angelus ei succurrit, quia habuerat semper spem in Deo firmã. Et nota moraliter loquendo de vno peccatore, qui erat in tenebris ignorantiæ. Catenatus impatientia, dormiens per negligentiam. Mala eum custodit societas. Catena quædam ei pendet in collo, ne confiteri possit, & altera in manibus, ne bene valeat operari. Angelus eum ferit & illuminat per inspirationem & aduersitatem. Iudicando etiam quod si ista tentatio non esset, veniret fortassis alia multo fortior. Exemplum de moniali quæ desiderabat liberari à tentatione carnali, & cecidit in aliam peiorem, de qua dicam in sequentibus. Aliud remedium est cogitando quod homo non peccat quantumcũque sit in tentatione longa & duranti si illi non placeat tentatio, immò habet magnum meritum. Exemplum de fido sodali qui nunquam dicebat malum hoc verbum, reddo me victum quantumcunque esset in terram proiectus & vulneratus vndique, sed reclamabat per signa, cum non posset per verba. Ideo oramus Deum non quod non tentemur sed ne consentiamus tẽtationibus. Peius in hac tentatione longanimi est quod sæpè inimicus ponit ante oculos semper status aliorum hominum quibus melius succedit, &c. Remedium est cogitare contrarium, & non ad hominũ opinionem, sed secundũ Deum & rationem. Præliũ immundũ & spurcum est quãdo per inimici suggestionem spurcæ veniunt cogitationes contra Deum aut sanctos & sanctas eius. Persona ipsa quæ hæc patitur inuita sed est ad incutiendum ei timorem, vel vt ponatur in dubitationẽ maximã, & de dubitatione in casum. Remediũ est quod persona nihili pendat & hoc rideat. Quãuis enim tales experiatur tentationes, ipsa nõ consentit, quanto enim plus inuolueretur illis, tãto magis irasceretur. Exemplum de paruis canibus qui allatrant eos qui persistunt & cessant, cum eorum non curatur latratus. Aliud prælium immundũ & spurcũ est tale interdum quod secundũ dictũ sanctorũ patrũ aliqui inimici non dignãtur tentare propter memoriã perfectæ eorum naturæ. Alij verò inimici tentant propter vnã triũ causarũ. Aut quia est horribilis corã Deo peccatum, & quod grauiorẽ in hoc mũdo & in altero meretur damnationẽ. Aut quia semper facile fieri possunt huiusmodi peccata sine verecũdia & timore mũdi, quamuis aliquando hoc sciatur. Aut est quia sic peccantes nolunt & ferè nunquã possunt plenè & perfectè confiteri. Innocentes enim loqui nõ audẽt quasi in cõfessionibus vt interrogent eos qui sunt culpabiles, & bene hoc scitur. Remedium est recurrere ad Deum & nihil celare patri suo spirituali. Et se obligare ad certas pœnas corporis aut fortunæ si quis relabatur. Modò ista obligatio fiat discretè & per consilium taliter vt cõpleatur. Postremò pro generali remedio cogitemus quod inimici non habent vllam potestatẽ in nos

in nos in bello hoc spirituali, nisi in quantum volumus propria vti voluntate Dei obmittendo voluntatem. Nihil ergo est quod nos faciat superari nisi propria voluntas, aut amor suijpsius, quando scilicet desiderantur honor & diuitiæ vel voluptates, aut aliter quàm Deus vult. Sed nos dimittere deberemus hunc proprium amorem in rebus transitorijs, considerando mortẽ & finem mortis nostræ, & quod ipse faciet prælium tunc inimicorum contra animam nostram cum fuerit circundata, & vndiquaque per ipsos inimicos accusata. Valde miserabilis erit & desolata si boni Angeli ad eius non fuerint subsidium, sed non erunt si eis in hac vita non crediderit. Nota quomodo sanctus Ioannes eleemosynarius timebat accusationem quæ futura esset illi de omnibus peccatis mortalibus per inimicos. Sancta verò anima non habebit confusionem cum in hoc transitu mortis suos alloquetur inimicos, quare? quia boni Angeli erunt potentes defensores & conductores eius ad thronum vsq; diuinæ maiestatis, vbi ipsa coronabitur propter victoriosum prælium, in quo superauerit inimicos suos. Ad hanc coronam & gloriam nos perducat Pater, Filius & Spiritus sanctus. Amen.

SERMO DE FESTO OMNIVM SANCTORVM FACTVS PER magistrum Ioannem Gerson.

REGNVM *cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. Nos qui sumus in carcere in captiuitate & in exilio mortalis huius mũdi extra principalem patriam nostram, extra ciuitatem & paradisi regnum ad quod peruenire tendimus & tendere debemus, quia secundum Apostolum ad Hebræor. 13. Non habemus hic manẽtem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Ideo debemus libentissimè audire verba fieri de illa patria & regno, & his qui iam illuc peruenerunt. Assimilemur bono peregrino qui diligenter inquirit & audit viam per quam est iturus & modum euadendi pericula, tranationes & deuiationes, exemplo prophetæ qui conquerendo interrogabat: Quis deducet me in ciuitatem munitam? Videmus quotidie & audimus tot res quæ nos retrahunt à bene ambulando ad pertingendum regnum hoc æternum. Audiamus modò modico tempore aliqua quæ nos possint attrahere. Quomodo enim ad regnum hoc perueniemus si ipsum non cognoscamus? Quomodo cognoscemus & sciemus viam nisi didicerimus & audiendo de ea loqui? Quia fides ex auditu est, ad Roman. 10. Quando potius audire loqui debemus quam modo? In hac solennitate quę dedicata est & ordinata in honorem omnium inhabitatorium huius regni. Dominus noster nos docet quod panis spiritualis qui sustentat animam ne in via huius mundi deficiat, est verbum Dei. Deuter. 8. & Matth. 4. Et panem hunc singulis diebus postulamus, dicentes: Pater noster, &c. Ideo mirandum non est si hi qui ipsum recipere non curant, aut qui sermonem audire nõ possunt tam breuem quin sit prolixius nimirum, deficiant & moriantur in via per peccati mortalis ægritudinem. Vt ergo fructuosè & deuotè audire possimus

A conuertemur ad te virgo huius regni regina, supplicando vt nobis impetres gratiam. Et nos te salutabimus Angelica salutatione, dicentes: Aue Maria, &c.

Regnum cœlorum vim patitur, &c. Si meditemur vt dicit sanctus Gregorius, in homilia quale gaudium in regno cęlorum nobis promittitur, omnes terrenas res viles esse reputabimus. Diuitiæ enim & gaudium huius mundi comparatum ad fœlicitatem paradisi solummodo est displicentia & grauamen, meliusque debet vita præsens mors nominari quam vita. Defectus enim miseriæ & mala

B qui quotidie patimur in fame, siti, ægritudine, ira & innumer. displicentia, solum sunt prolixitas quædam & mortis mora seu dilatio, multòq; potius eligendum esset sæpenumero citò mori quam adeò mirabiliter languere intantum vt multi seipsos voluntariè occiderunt. De quo recitat Valerius 8. lib. cap. 9. quod orator quidam Hegesias nuncupatus tam propriè & viuaciter huius mũdi declarabat miserias vt multi seipsos voluntariè occiderent ad eas euadẽdas, quemadmodum legitur

C de Theproto & Catone, nonne dicebat excellens rex Dauid qui erat adeò potens in hoc mundo: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Incolatus, id est, mora vel expectatio. Et Paulus ad Roman. 7. Infœlix ego homo quis me liberabit à corpore mortis huius? Miseria igitur huius mũdi talis est, tam generalis & continua vt nullus sit homo viuens si cogitare velit qui peragat diem vnum integrum sine aliquo malo aut displicentia habenda, & cum hoc est breuissima & incerta. Sed

D quis est hic, ait sanctus Gregorius, qui sufficienter dicere possit aut recitare gaudium ciuitatis paradisi, intrare societatem Angelorum, videre Deum dominum nostrum facie ad faciem, nihil mali timere, viuere semper sine corruptione, sine ægritudine, sine afflictione, habendo pacem sine discordia, amorem sine odio, scientiam sine ignorantia, gloriam absque diffamia, habere corpus agile, clarum & lucens prorsusq; animæ voluntati obtemperans? Et breuiter habere tanta bona quod secundum Esaiam Prophetam, Esa. 5. & allegat san-

E ctus Paulus ad Corinth. 2. nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Omnes homines fœliciter viuere volunt, sed non acquiruntur magna bona, nec præmia magna sine magno labore. Est commune prouerbium: Nullus bonum habet nisi ipsum comparet. Et de hoc dicit sanctus Paulus, 2. ad Timot. 2. Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Propterea Saluator noster Iesus Christus nos cautos reddit de hoc, & nos hor-

F tatur per verba proposita ad laborãdum vt paradisum acquiramus, dicens, quod regnum cœlorum iocundum acquiritur per pœnam & vigorem. Et si nobis non dicat aliam miseriam quam moriendi timorem, & de hoc quod nescitur quo anima perueniat in paradisum vel in infernum, est tamen ingens fremitus magnus, timor & horror. Ob hanc causam comparabat Iob vitam pręsentem militiæ. Iob 7. Militia est vita hominis super terram. Sicut etiam dicit Seneca Neronis pręceptor in quadam epistola, quod viuere est militare. Sicut miles non assequitur honorem victoriæ absque laborando & constanter præliando, immo irridetur miles qui

voluptuosè viueret, pedem ad ignem calefaciēdo si existimaret se habiturū honorem prælij, quemadmodum aliquis alius qui debitum suum fecisset. Sic nō habet homo quisquam paradisum per hoc quod dicit, volo ipsum habere viuendo delicatè & omnes sumendo voluptates. Congruit ipsum mereri & acquirere veluti per fortitudinem. Quia vt dicit Paulus & Barnabas, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. 2. ad Timot. 4. Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patiātur. Ergo anima deuota quæ vis & velle debes acquirere tuam fœlicitatem, tuum regnum tuam gloriam & euadere horribilem & perpetuum inferni carcerem opus est te esse strenuam ad exemplum benedictorum sanctorum & sanctarum paradisi, qui tanta martyria persecutiones, pœnas & afflictiones in vita eorum habuerunt, quemadmodum veri armigeri & boni milites. Opus est vt tuo credas imperatori, qui dicit illud: Quærite regnum Dei, &c. Scire enim debemus, quod humani generis inimicus ac deformis & abominabilis filius eius peccatū cum peruersa eorum societate cum vident deuotam animam tendere & adire cœlorum regnum, conantur ipsam impedire, & incessanter ei faciunt mille & mille modis duros crudelésque insultus, sicut experientia docet, & complures doctores scripserunt in eorum libris poëticè & aliter. Sicut Alanus in suo anticlaudiano. Prudentius in psicomachia, alijque plures in quibus admodū pulchræ speculationes & placentes materiæ ad prædicandumque vtiles inueniuntur, vel sub metaphora peregrini, vel militis, vel agricolæ, vel regnantis. Attamen in præsentiarum hæc omitto, volóque restringere dicta mea ad certa puncta, quia secundum philosophum in paucioribus via magis, &c. Et dico quod inimic⁹ humani generis qui eiectus fuit à paradiso per filium suum peccatum immundum, aut vt poëtæ fingunt quod Iupiter regno expulit patrem suum, Saturum, mittit ad probos & validos Dei milites, qui modò sunt in gloria, à qua ipse cecidit per superbiam suam, tres inimicos, qui nominari possunt latrones viarum obseruatores, videlicet tyrannidem crudelem, hæresim blasphemam, carnem luxuriosam. Et figurari possunt per tres spiritus ranis similes qui exibant de ore draconis. Apocal. 10. Et conformiter ad tres illos hostes, de quibus in Prosa: Mundus caro dæmonia diuersa mouent prælia. Et insidiantur tribus viribus animæ: Tyrannis irascibili, hæresis rationabili, caro concupiscibili. Hoc est dictum quemadmodum scriptum est Apocal. 10 cap. Possunt referri tres hi latrones ad tres omnis humanę creaturæ inimicos. De quibus canit sancta Ecclesia in quadam Prosa: Mundus caro & dæmonium incessanter mouēt diuersos insultus & crudelia bella contra humanas creaturas. Semper insidiantur tribus animæ potentijs. Tyrannis potentiæ irascibili hæresis rationabili, & caro insidiatur potentiæ concupiscibili. Similes applicationes multæ reperiuntur in scripturis. De his tribus inimicis verificatur Apostoli dictum 2. ad Tim. 4. Omnes quippe volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur. Omnes, inquit, qui bene & religiosè viuere volunt in hoc mundo secundum Iesum Christum patiuntur tribulationes ac malas persecutiones. Et ad illam intētionem dicit hæc verba, & appropriata inuenio tres status in regno paradisi, qui vicerunt & superarunt tres illos inimicos, itinerum illius regni impeditores & occupatores. Primus est status gloriosorum Apostolorum & Martyrum, qui per fortitudinem & cæteras virtutes vicerunt, crudelemque tyrannidem superauerunt. Secūdus est status gloriosorum Doctorum, Patriarcharum & Prophetarum, qui vicerunt & prostrauerunt blasphemam hæresim. Tertius est status Confessorum & Virginum, qui vicerunt & domuerunt luxuriosam carnem. Primus per constantiam. Secundus per sapientiam. Tertius per continentiam. Hi sunt tres status qui admodum debitè ordinati sunt in regno, de quo dicit dominus noster Iesus in verbis propositis. Regnum cœlorum vim patitur hoc est, regnum cœlorum per vim capitur, & illi intrant qui sibijpsis violentiam inferunt. Et in his tribus punctis tam ad laudem domini nostri & fœlicium sanctorum paradisi, quam pro nostra instructione totus noster sermo continebitur. Humani generis inimicus videns veram religionem & fidei veritatem sese diffundere ac multiplicari. Illáque mediante multos ad saluationem tendere misit crudelem tyrannidem excæcatam per ignorantiam idololatriæ, inflammatam violando odio per despectum quæ principaliter in terrenis hospitabatur principibus, & eos præparare fecit & excogitare omnia tormētorum genera ad vincendam & destruendam bonam amicorum Dei voluntatem, & vt eos negare facerent legem suam & renunciare ei. Aliquos quidem tyranni illi lapidauerunt, vt sanctum Stephanum. Alios viuos assauerunt, vt sanctum Laurentium. Alij positi fuerunt supra ardentē ignem, vt sanctus Vincentius. Alij excoriati sunt, vt sanctus Bartholomeus. Alios crucifixerunt, vt sanctum Petrum & sanctū Andręam. Et sic de innumeris tormentis quæ in sanctorum legimus vitis, sicut dicebat sanctus Paulus ad Hebr. 11. Sancti ludibria & verbera experti insuper & vincula. Dicebat Apostolus, sanctos fuisse passos opprobria, derisiones verbera, ligati fuerunt & incarcerati. Sed hoc nihil valuit. Constanter enim omnia superarunt. Et (quod amplius est) gaudentes sustinere infamias & tormenta pro nomine Dei. Scientes propter hoc paradisi coronam illis esse paratam. In Psalm. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, scilicet coronam gloriæ. Posueruntq; in cordibus eorum verbum quod in hodierno scribitur Euangelio. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sed quæres forsitan, quomodo fieri potuit quod martyres tam patienter & constanter crudelis tyrannidis sustulerunt tormenta? Respondeo: bonam voluntatem inflammatam charitate & amore domini nostri boni spei plenam hoc fecisse. Ne patiaris inquit bona voluntas deuotę animæ. Ne patiaris quod per paululum languoris vitæ tuæ mortalis æternam amittas vitam. Cogita parum febris, parum infirmitatis, aut casum ex improuiso accidentem, te hodie & cras sine merito & gloria è merito auferre posse. Cogita etiam altera ex parte quod post breue tempus & breuiter transibit finemque capiet totum quod crudelis tyrannis tibi poterit auferre, videlicet vita præsēs. Et maximam

inde

inde laudem adipisceris, gloriamque meritorum sine fine. Solue ergo sponte mortem Deo, quam necessariò naturæ debes, nec mortem incurras æternam propter temporalem. Paululum temporis est euadedi pœnam hanc breuissimam, cuius præmium est sine fine. Considera ô anima deuota ad Dei similitudinem creata, & precioso sanguine suo carissimè redempta. Considera & cogita dominum tuum prius pro te mortuum esse. Recorderis plures voluntariam mortem sustinuisse in prælijs, aut alibi propter amorem domini sui temporalis, qui posthac præmium eis conferre nequibant. Recipe igitur mortem pro iusto tuo domino, qui solet, potest & vult præmia post mortem reddere. Da illi sponte quod (velis nolis) tibi auferre poterit in momento. Scias demum regnum domini nostri per violentiam acquiri & per vigorem. Hoc modo aut simili confortabat bona voluntas deuota ipsos martyres, quẽadmodum bene scriptum est de septem fratribus in libro Machabæorum, propter quos constanter sustinebant tormenta ad mortem, quæ tyrannis crudelis eis potuit infligere. O innumerabilis constantia! O inæstimabilis patientia, quis eam sufficienter admirari & laudare posset? Rectè profectò dicebat Salomon, quod fortis vt mors dilectio. Canticor. 8. Verus amor Dei est fortis vt mors O humana creatura meritò hic exemplum habes firmiter Deum amandi, suamque fidem & legem semper seruandi. Propterea recitat sancta Ecclesia in litteris & imaginibus sanctorum Martyrum victorias, vt nos animet & confortet ad eorum imitationem, quemadmodum Romani faciebant de strenuis militibus. Quemadmodum recitat Vale. & Salustius. Valerius lib. 2. cap. 1. & 10. Salustius in prologo. Sed heu & plus centies, heu pro nihilo & sine coactione quotidie Deum negamus per mala opera. Relinquimus amorem suum propter peccatum mortale, nos eum commouemus, & indignari facim⁹ quod nequaquam martyres sancti facere volebant ad mortẽ vsq; durissimã & horribilem sustinẽdam. Non patienter ferre possumus vnum verbum aut paruum dictum, si ipsum nobis dicatur, parum famis aut sitis præcepta, ieiunando ieiunia, parum pœnæ & laboris, id faciendo quod Deus nobis præcepit. Et martyres videmus qui ad seruandam legem Dei permiserunt sibi inferri iniurias, irrisiones, tormenta & mortem crudelem. Si mihi dicas eos repletos fuisse gratia Dei quę eos confortabat. Verum ais, sicque tibi fiet si volueris, & in te non tenuerit quo minus sic fiat? Sume bonam voluntatem quæ est in potestate tua, & omnes vinces aduersitates, easque quæ murmuratione vlla sustinebis, vt faciunt nonnulli quibus Deus videtur iniustus cum eis non facit quæcumque ab eo petunt, vel quod non tantum habent bonorum sicut maiores ipsis, nec considerant bona quæ Deus eis confert qui sunt meliores quam ipsi sint. Sume bonam, liberam & nobilem voluntatem, & pedibus tuis substernas peccatum immundum, ac præcepta Dei libenter adimplebis, quæcumque pœna, quodcumque malum in corpore aut bonis hinc debeat accidere. Tibi pręcipit ne alios homines contemnas qui sunt fratres tui ad Dei similitudinem facti, quemadmodum tu, obedies. Præcipit tibi ne erga proximum tuum odium habeas, illisque libenter parcas saluo iure &

A iustitia alterius, obedies, præcipit tibi ne in vanum iures, ne peieres, ne subsanneris, ne maledicas & impedias iuxta posse tuum ne ab alijs simile quid fiat obedies, non est æquum, non est honor, non est nobilitas adijcere nimis magnum statum & pomposum nimis alterius quidem expẽsis, immo est comedere & bibere veluti carnem & sanguinem humanum. Nimis magna est simplicitas se pro alijs damnare, sæpe modicus est amor, Deus nouit. Qui facit eleemosynã de substãtia pauperũ, quasi qui immolat filium coram patre suo. Deus

B tibi præcipit ne sis mendax nec detractor, nec illis facile credas qui tales sunt absq; audiendo partem alteram, obedies. Non est enim tam bonus quin aliquis inuidus aut detractor ipsum vituperet, pręsertim cum videt se libenter audiri. Ideo dicit Sapiens: Princeps qui libẽter audit verba mendacij, omnes ministros habebit impios. Prouerb. 29. Et breuiter nihil est quin ipsum facias expeditè si bonam habueris voluntatem radicatam in dilectione Dei. Et si gloriosorum Martyrum Dei pœ-

C nas consideras, & pręmium quod recipiunt, & est quod dicit thema nostrum, quod regnum domini nostri acquiritur per pœnã & laborem. Est enim via quæ ducit ad vitam arcta, & pauci sunt qui inueniunt eam. Matth. 7. Via inquit Iesus Christus in Euangelio, ducens ad paradisum, aspera est, dura & stricta siue arcta, & ideo pauci sũt qui gradiuntur per eam. Cogitemus quæso, cogitemus, non modò dolores quos sustinuerunt martyres pro amore Dei, sed etiam id quod nos singulis

D diebus pro mundi sustinemus amore, pro cupiditate aut vana gloria. Cupiditas acquirendi præcipiet alicui mercatori ire per hyemem, per æstatem, per mare, per terram & ipse obediet, iuxta Horatium:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens per saxa per ignes.

Præcipit alicui homini vt seruiat domino certo in prælio vel alibi, ad faciendum quodcumque voluerit iubere, siue iure hoc fecerit siue iniuria, ipse illi obediet, corpusque exponet & animam. Heu

E quid facit cupiditas consequi & vana gloria. Aspiciamus Græcos & Romanos, inueniemusque eos ferè tanta sustulisse mala ad vanam gloriam consequendam, sicut sanctos Martyres pro gloria æterna, sicut declarat sanctus Augustinus 5. de ciuit. Dei 12. cap. de Mucio qui ardenti rogo manus suas imposuit, de Catone qui se voluntariè interemit. De Titio qui secum equo suo in altissimam proiecit foueam. De Bruto qui proprium interfecit filium. De quo bene ad propositum dicit

F Virgilius summus poëtarum 5. Æneid.

Vincit amor patriæ laudumque immensa cupido.

Heu dicimus nos præcepta Dei adimplere non posse, legemque suam esse duriorem. Scitis ne propter quid? Bona caremus voluntate, & bono erga Deum amore. Bona quoque credulitate, de quibus dicam in sequentibus. Lex Dei non est nimis dura, sed nos molles sumus nimis & delicati ad seruiendum Deo, qui ad seruiendum mundo duriores sumus ferro. Et certè si bene meditemur, plures videbimus qui multo maiorem pœnam habent ad infernum acquirendum & ad male agen-

dum quam requiratur pœna ad regnum paradisi
lucrandum. A
Sumamus igitur bonam voluntatem,& firmam
gloriosorum Apostolorum & Martyrum con-
stantiam, si non sustinendo mortem, quia hoc ne-
cesse non est Deo volente saltem adimplendo
mandata Dei. Sciamus sancti Pauli dictum veri-
tatem habere quod non sunt condignæ passiones
huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabi-
tur in nobis. Et si quæras quomodo hoc scitur?
Bene quidem, alioquin Deus non foret iustus re-
munerator, nec verus in scripturis suis, quod esse
nequit. Tota enim lex fatetur Deum esse,& ipsum B
iustum esse remuneratorem. Hoc quoque osten-
dit philosophus. Cum ergo sancti Martyres in hoc
mundo nihil habuerint præmij, sed omnia mala
temporalia & persecutiones vsque ad mortem as-
perrimam ad legem Dei sustinendam & sua adim-
plenda præcepta, necesse est vt sit paradisus post
præsentem vitam vt remunerentur. Stulti ergo
sunt admodũ & increduli qui ita nõ credunt, cum
ratio & sancta scriptura in hoc concordent, &
sancti Apostoli, sancti Martyres, doctissimi viri C
theologi & philosophi sic esse testati sint vsque ad
mortem subeũdam. Et consideretis diligenter hic
illos mentiri non potuisse per ignorantiam, quo-
niam habebant claras reuelationes, sicut sanctus
Paulus & sanctus Ioannes, complurésque alij, nec
mentiri volebant per malitiam vel deceptionem
aut lucri cupiditatem, quia scienter paupertatem
perferebant, infamiam & mortem ad ista affir-
manda,& cum hoc clara euidentiáque fiebant mi-
racula. Valde ergo firmiter bene agere desiderare D
debemus, cum tam copiosè & certitudinaliter re-
munerationẽ expectemus, sed in mentem semper
nobis veniat, tenacíque memoria hæreat dictum
Saluatoris nostri Iesu Christi, quod prius est pro-
positum: Regnum cœlorum vim patitur, & vio-
lenti rapiunt illud. Hoc modo tyrannis crudelis
superata fuit per victoriosos milites & certatores
Dei, & quanto maiorem patiebantur persecutio-
nem, tanto magis multiplicabantur. Et ad hoc est
Psalm. In tribulatione mea dilatasti me. Et simile
habetur de filijs Israël. Exod.1. Sed humani ge- E
neris inimicus alium mittere cogitauit inimicum,
ad impediendum iter regni cœlorum, qui tanto
esset peior & periculosior quanto inimicus fami-
liaris & tectus magis nocet quam alius, quemad-
modum dicit Boëtius in lib. de consolatione.
Nulla capitalior pestis ad nocendum quam fami-
liaris inimicus. Sicut conuictor, adulator & de-
tractor peior est latrone publico. Et nominatur
secundus hic inimicus hæresis blasphemans, quæ
habitum gerit Christianæ religionis, in cuius se F
castris tenet, quamuis sit ei aduersissima, eumque
prorsus destrueret, si hoc facere permitteretur.
Ipsa enim est falsitatis magistra genita ex opinione
nimis sciendi de seipso, cuius nutrix est curiositas
superba, quæ plura quã necesse sit inquirere vult.
Contra id quod dicit Apostolus: Non plus sa-
pere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem, ad
Romanos 12. Contra falsum hunc & periculosum
inimicum familiarem armauerunt se sancti docto-
res sanctæ Ecclesiæ, & præstantes validíque theo-
logi præteritæ tempestatis. Soli enim scientiæ
theologicæ & non aliter principaliter competit
resistere & repugnare falso huic inimico, eiusque
declarare malitiam. Tales fuerunt sanctus Am-
brosius, sanctus Augustinus, & sanctus Hierony-
mus. Reuera laudandi sunt strenui hi doctores
veritatis defensores, per quos sancta Ecclesia &
fides ab hæresi purgata fuit & falsitate, nobisque
viam ostenderunt & semitam paradisi itineris. Et
vtinam manu tenuissemus tales doctores qui con-
stanter veritatem procurabant & prædicabant.
Credo enim hæresim regnare modò in cordibus
complurium, in tantum vel amplius quam solebat
tunc licet se non manifestat ad extra propter ti-
morem mundanum, & propter timorem pœnæ
ipsius ignis. Sorores tamen eius & cognatæ ger-
manæ ad modum publicè regnant. Et sicut co-
gnoscitur ignis per fumum, arbor per fructum, &
ceruus per vestigium, sic potest cognosci hæresis,
quæ se abscondit in cordibus humanis, per opera,
verba & signa quæ ad extra sese produnt. Verum
est dictum Iesu Christi qui ait. A fructibus eorum
cognoscetis eos. Matth.7. Et secundum philo-
sophum in Ethicis: Talis est vnusquisque qualia
dicit & operatur. Cognoscetis inquit, dominus
noster in Euangelio à fructibus homines non qui-
dem per verba. Consideremus vitam multorum
Christianorum nobilium & aliorum. Nos eos vi-
debimus tales aut peiores quam infideles, veluti
si Deum non existimarent esse qui puniret malos
& remuneraret bonos, aut quod nunquam habe-
rent spem aliam vitam habendi post præsentem
non plus quam mutæ bestiæ. Omitto loqui de
cõmunibus vitijs, sicut de superbia, rapinis, vsuris,
fraudibus, deceptionibus, luxuria, adulatione, sed
consideremus specialiter vitia quæ sunt propin-
qua & vicina hæresi. Perspiciamus opprobria quę
dicuntur quolibet die de Deo & principes viden-
tes & scientes ac preferentes talia, non prohiben-
tes saltem simplici verbo, grauissimè peccant, nec
ostendunt se talem habere fidem, talem amorem
& fidelitatem ad iustum eorum dominum, quem-
admodum deberent. Et si aliqui suorum præde-
cessorum hæc passi fuerint peccatum & negligen-
tia taliũ non eos excusat. Non possetis minus fa-
cere vos principes & domini quam saltem prohi-
bere subiectis vestris qui sunt in curia vestra tam
probrosa & blasphematoria iuramenta. Nam hic
esset honor vester, nec nocere posset sed valde
proficeret & vos erga Deum & mundum laudem
acquireretis. Aliud vitium & causa hæresis est ne-
gligentia & incuria audiendi loqui de Deo, vili-
pensio & irrisio sanctæ scripturæ. Et hic non im-
morabor diutius de hoc loquendo, qualiter præ-
lati sanctæ Ecclesiæ ipsam scire debent, docere &
defendere exemplo antecessorum suorum, & re-
munerare eos qui sacram addiscunt scripturam,&
quomodo principes aliter deberent audire loqui
de ea, exemplo Caroli Magni & sancti Ludouici,
aliorumque.

Sed quia videri posset his qui ad malum con-
uertunt omne quod dici audiunt me loqui ob aliã
rem quam propter bonum, hæc in præsentiarum
missa facio, vt loquar de alio quodam vitio hæresi
proximo, quod est sortilegium,& superstitio, stul-
táque credulitas vt idololatria. Magna est abomi-
natio inter Christianos falsas videre credulitates
quę regnãt non modò inter vetulas sortilegas, sed
etiam

etiam inter plures dominos & nobiles. Venit ergo aliquis illusor aliquis diabolorum inuocator qui A promittit sese scire res furtiuas, aut perditas & secreta, statim illi creditur citius quam Christianæ fidei in rebus quæ in ratione fundantur. Et certissimè hoc accidit propter firmæ credulitatis defectum in Deum qui vetat omnia sortilegia, omnes illusiones, superstitiones tales & diabolorum adorationes, quemadmodum apparet Deut. 13. & 18. & alijs locis pluribus. Et si dicas quod vtuntur bonis & sanctis verbis, Respondeo: Tanto peius hoc valere, quoniã nominibus per quæ adorari debet B Deus, ipsi adorant diabolum & ei sacrificant, & etiam semper immiscent verba incognita, signa & figuras extraneas. Dices insuper quod sæpenumero, perspiciũtur dicere veritatem, hoc esse potest, sed qui bene perspexerit & sapienter interrogauerit, inter centum dicta vix vnũ verum erit. Si enim facere scirent quod promittũt inuenire thesauros & res perditas, sanare infirmos, scire secreta, mox essent omnium ditissimi & sapientissimi, quod nequaquã verum est, quia sunt stultissimi, miserrimi & magis vilipensi inter alios. Et tandem sese falsos C sentiunt, & eos qui credunt, & eos qui vtuntur aut cõsentiunt vt vtatur quis, idololatras diabolorum esse constat, maledictos à Deo, excommunicatos à sancta Ecclesia, siue credant siue non. De hac materia scripserunt multi doctores, sicut Augustinus de diuinatione dæmonum, & 8. de ciuit. Dei, & Guillelmus Episcopus Parisiensis lib. de vniuerso. Et de fide & legibus. Magister Nicolaus de Oresme in quodlibetis suis, in libro de consignatione qualitatum, & plures alij. Sed etiam nonne D schisma & diuisio sanctæ Ecclesiæ quæ tamdiu in Christianis regnat reputanda est hæresis? Ita profectò gloriosus enim & excellentissimus doctor sanctus Hieronymus dicit, quod diuisio sanctæ Ecclesiæ hæresis est, aut non sine hæresi. Sed malo facere de horribili & damnabili Christianitatis negligentia, qui tanto tempore sufferunt hanc diuisionem quam paululum dicere. Tantopere occupati sumus in proprijs nostris negotijs, quod ad Deum nolumus intendere, contra hoc quod ipse dicit: Primum quærite regnum Dei & iustitiam E eius. Matth. 7. hoc est: Quærite primum & ante omnia regnum Dei & iustitiam eius. Ideo mirandum non est si omnia malè gubernentur. Heu quã alterius vitæ & conditionis erant sancti Prælati & Doctores antiqui, qui ad sanctam Ecclesiam fundandam & stabiliendam & ad resistendum hęresi, exposuerunt omnem eorum statum & vitam propriam. Et modò tales sunt hi qui eam turbant aut deuastant vndequaque per dominandi cupiditatem, & bonę credulitatis diuinæque sapientiæ de- F fectum. Propter hoc tamen principes nequaquam excuso, qui in tam magno negotio, in tam grandi sanctę Ecclesiæ desolatione non posuerunt remedium aut ponunt secundum posse vnusquisque suum & scire quocumque alio temporali negotio posthabito, & potius citò quã tardè, semper enim de peiori in peius itur. Fateor quidem hoc difficile esse & magnas requiri expensas, sed per tales res acquiritur regnum de quo dicit Saluator noster Iesus Christus in verbis propositis, quod regnum cœlorum acquiritur per vim.

Tertius inimicus qui sæpe facit & fecit prælium animæ deuotæ ad regnum paradisi tendenti, est caro luxuriosa. Hunc inimicum nobiscum nutrimus, & eum in sinu nostro tenemus veluti serpentem quendam aut scorpionem, qui est vsque adeò peruersæ naturæ quod quanto plus boni & placidi illi fecerit anima, tanto plus ei nociuus est & rebellis, & veluti falsa ancilla pedem ponit supra guttur dominæ suæ. Nimis periculosus & deceptiuus hic inimicus. Ferit enim osculando, & occidit amplexando. Apparet in principio amorem eius admodum esse dulcem, delectabilem & multum placentem, sed in fine suam discooperit malitiam quia ducit animam illaqueatam laqueis & catenis peccati & malæ consuetudinis vsque ad horribilem foueam in quam ipsa labitur. Falsissimus hic inimicus superatur à gloriosis Confessoribus & Virginibus gloriosis, & illis qui seruauerunt castitatem, nec malis suis suggestionibus se inclinauerint siue consenserint, qui duxerunt vitam Angelicam, & magis illi qui in paradiso est similem, vbi neque nubent neque nubentur. Maximopere laudanda foret victoria de hoc inimico tam deceptiuo, qui admodum difficulter superari potest, intantum vt credam multas virgines excellentiorem gloriam habituras quam aliquos martyres, quia vicerunt carnem luxuriosam pro toto tempore vitæ suæ, quod difficilius est quam breui tempore mortem sustinere. Hi sciunt qui periculum faciunt. Valentius qui octaginta annos natus erat, & erat virgo, bene ostendit per suum responsum suam fortitudinem, quid esset quando recitabantur coram eo eius strenuitates & suæ victoriæ quę in magno erant numero. Non glorior (inquit) nisi de vna victoria, est maximus inimicus quem habui & hunc superaui, carnem videlicet. Hunc inimicum vicerunt sanctæ Virgines, quia bona voluntas & amor Deo seruiendi dicebat eis, quomodo amor dilectionis luxuriosæ stolidissimus erat, & carni nimium dominabitur, quem Plato rationabiliter malorum cibum appellabat. Mali enim capiuntur voluptatibus carnis, sicut piscis hamo vel esca quæ ponitur in fine hami. Hoc recitat Tullius in libro de senectute. Et conformiter ad hoc dicit Sapiens, quod sicut pisces capiuntur hamo, ita & aues laqueo. Eijce ô anima deuota peruersam nutricem luxuriam, otiosam illam fatuam. Secundum enim quod dicit Poëta Ouid.

Otia si tollas periere Cupidinis arcus.

Fuge malam luxuriosorum societatem vt eorum luxuriosa turpia, immunda & dissoluta verba quæ animam inflammant per malas cogitationes. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Duc vitam sufficienter sobriam. Nam (secundum quod dicit Poëta Terentius) absque Cerere & Baccho friget Venus, hoc est per sobrietatem & abstinentiam moderatur luxuria. Audi sæpenumero deuota & sancta verba Ecclesiæ sãctæ ad hoc vitium euitandum. Sic docet sanctus Hieronymus. Ama studia litterarum & carnis vitia non amabis. Cogita infamiam & dehonorationem quæ sequitur quoad mundũ, & irrecuperabile damnum, quoad futurum seculum. Modicum est quod delectat, inquit Gregorius, æternum verò quod cruciat. Hoc est delectatio supradicti peccati est transitoria & cito in hoc mundo lapsa. Sed pœna quæ in

altero mundo sequitur, est æterna. Nequaquam dicas te castitatem seruare non posse, cum videas tantam cateruam puellarum & mulierum, quæ tam fragilis sunt cõditionis, quæ carnem vicerunt & superarunt, & ad virginitatem seruandam voluntariè se in mortem tradiderunt. Omitto exempla quæ sunt innumera, quorum multa recitat sanctus Hieronymus in primo contra Iouinianum. Non dicas te crastina die castitatem seruaturum. Nam secundum quod dicit Ouidius,

Qui non est hodie cras minus aptus erit,

hoc est, qui hodie sibi non cauere vult, multo minus cras sibi cauere volet propter malam consuetudinem, quę admodum difficilis est superationis. Extrude omnem huius peccati occasionem, si demum dicas difficile esse & maximam pœnam carnalitatem superare, Fateor. Scio multo facilius esse eam vituperare quam vitare, attamen est res possibilis. Aliter dicere esset hæresis. Scire debes & semper recordari quod regnum domini nostri per pœnam acquiritur & vim.

Declaraui ergo aliqualiter & ad nostram reduxi instructionẽ, quomodo gloriosi sancti & sanctæ, quorum hodie celebramus solennitatem, acquisierunt regnum domini nostri per vim & pœnam secundum tres status qui sunt in paradiso & tres principales inimicos viarum exploratores, qui sunt exploratores regni huius introitum impedientes. Apostoli & Martyres acquisierunt ipsum per constantiã aduersus tyrannidem. Patriarchæ, Prophetæ & Doctores habendo sapientiam contra blasphemantem hæresim. Sancti Confessores & Virgines habendo continẽtiam contra carnem luxuriosam. Nos Christiani ô deuote populus, vitam eorum quos laudamus hodie ad memoriam reducimus, & ab eis auxilium petimus per preces & deuotas orationes. Certis enim de causis, præcipuè propter tres solennitatem facimus victoriosorum & gloriosorum paradisi sanctorum. Verum est quod super hoc quod dictum est, multæ formari possent quæstiones ad hodiernam pertinentes solennitatem. Quarum aliquas breuiter absoluam.

Prima quæstio.

Quæ res est paradisus? Respondeo: Paradisus est clarè videre Deum facie ad faciem, eum summè amare, & de visione & amore eius inæstimabiliter lætari absque quacumque inuidia, habere perfectam securitatem sic perpetuò permanendi. Per quod patet hominem posse esse in paradiso, absq; hoc vt sit superius in cœlis. Sicut fuit de latrone cui in cruce dixit Iesus Christus. Hodie mecum eris in paradiso. Potest etiam paradisum non esse in comedendo, in bibendo, aut in luxuriando, quemadmodum dicunt Saraceni. Talis enim paradisus potius spectaret ad mutas bestias quam ad homines. Qui enim bene considerat, esset paradisus nimis immundus. Si enim biberetur & manducaretur, necesse esset consuetam sequi immunditiam. Aristoteles summus philosophus ratione naturali ostendit fœlicitatem nostram in bonis animæ esse, non autem corporis, primo & decimo Ethicorum. Ad propositum, regnum Dei non est esca & potus. Verum est, corpus habiturum summam delectationem, sed erit per beatitudinis animæ redundantiam, & non per applicationem rerum sensibilium ad extra saltem quoad tactum &
A gustum.

Secunda quæstio.

Si sancti paradisi cognoscant amicos eorum & parentes qui saluati sunt aut damnati? Dico quod sic, & dico vltra, vnumquemque cognoscere orationes quæ fiunt pro eis, hoc enim ad eorum spectat beatitudinem. Et dico eos orare pro nobis, & sæpius bona gratiæ & fortunæ impetrare, quę alias non haberemus. Non quidem quod sancti paradisi sint in statu meriti, sed meruerunt in hoc mundo vt preces eorum exaudiantur in altero.
B

Tertia quæstio.

Si tantum prosit orare aliquem sanctum minoris meriti, queadmodum quemquam alium? Dico quod sic, interdum propter vnam triũ causarum, aut propter orantis deuotionem quę maior est ad vnum sanctum quam ad alium. Et quia Deus concedit diuersas gratias diuersis sanctis, & pro aliquibus facit miracula quæ pro alijs faceret minimè, qui tamen gloriosiores sunt. Etiam Deus vult omnes sanctos suos honorari. Et quanto plures sunt
C supplicãtes, tanto melius valet. Causas has assignat dominus Altissiodorensis in tertio summæ suæ.

Quarta quæstio.

Si sancti paradisi possent ire cum corporibus eorum per terram, per mare, & per ignem sine impedimento, & sine læsione? Dico quod sic. Et quod maius est descendere in infernũ vt videant pœnas damnatorum. Quæres si compassionẽ habebunt? Respondeo quod non. Immo lætabuntur, quantumcumque fuerint parentes aut amici, propter
D iustitiam Dei, quæ ibi manifestabitur, &c.

Multæ aliæ quæstiones possent formari, quas relinquo. Nitamur ad hoc, vt illuc perueniamus & perfectam habebimus scientiam de omnibus quæ desiderabimus. Separemus quæso cor nostrum ab hoc mundo qui labitur vt ventus, nec expectemus horam mortis donec conuertamur. Aut enim subitò moriemur, aut in infirmitate nostra vbi solum de friuolis quibusdam rebus nobis fit sermo ne desolemur vsque ad districtum diem mortis, & tunc nimis tardè quicquam boni dicitur. Ideo bene
E dicit scriptura: Viuens & sanus confiteberis, hoc est, confiteberis cum fueris in bona sanitate. Et adimpleamus legem domini nostri, quia reuera omnia loquuntur & concludunt quod per hunc modum & non alium, perueniemus ad gloriam gloriosorum Sanctorum, quorum celebramus solennitatem. Quam quidem gloriam nobis cõcedere dignetur Pater, Filius & Spiritus sanctus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

F

SERMO DE DEFVNCTIS AD POPVLVM PARISIENSEM IN ECCLESIA *sancti Seuerini, per magistrum Ioannem Gerson Cancellarium Parisiensem editus.*



SANCTA *& salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* 2. Machab. 12. Sanctum est & salutare pro defunctis exorare. Postquam ergo ita est quod sancta & salutaris est cogitatio vt pro mortuis fiat oratio, & tu virgo & mater dignissima es sancta sanctarum, in qua

in qua sunt cogitationes sanctæ & salutares vltra omnes alios homines. Congruit te pro mortuis exorare. Et ad negotium hoc complendum atque impetrandum sumus nos hic congregati in spe gratiæ tuæ, quam postulamus te salutãdo, dicentes: Aue Maria. Sancta & salubris. &c. Extollamus in præsentiarum cogitationem nostrã, mortuorum statum consideremus præ omnibus terrenis rebus, absint omnes aliæ cogitationes mundanæ, vanæ & carnales. Dirigamus cogitationem nostram mortuorum statum considerare. Consideremus locum in quo fiunt. s. in carcere duro & ardenti purgatorij, in dolorosis tormentis & pœnitentia. Cogitemus vbi nobiscum in hoc mundo fuere in societate generis & alterius amicitiæ. Cogitemus vbi futuri sint. s. in paradiso, in gloriosa lætitia & felicitate, ibique pro nobis orabunt. Si bene aduertamus has tres considerationes, inueniemus manifestè secundum misericordiam, iustitiam, & vtilitatẽ quod sancta & salutaris est cogitatio vt pro mortuis fiat oratio. Verum hæc materia orationis nititur sæpe in secreto colloquio deuotę animę multas cogitationes sanctas & salutares inquirere. Bonus est studens, subtilis & ingeniosus quod sciendi desiderium appellare possum. Et hoc scio quia sæpenumero interrogatus fui & requisitus de doctrina quæ magis seruit animæ christianæ bonæ & religiosæ. Inducam ergo in præsentiarum duodecim principales cogitationes veluti duodecim considerationes, vt sciendi desiderio satisfaciam quoad plures eius quæstiones, omnibus enim quæstionibus satisfacere non possem. Et dumtaxat tangam breuibus materiæ puncta absque eorum in longum extensione. Breuitas enim placet & sese conseruat. Quas melius dicere esset Gallicè pro simplicibus quia Latini sufficientes habẽt. Continebit itaque quatuor partes. Prima quæ res est oratio. Secunda, quomodo pro mortuis valet oratio. Tertia, de valore orationis in generali. Quarta, de orationis valore in speciali.

Prima pars desiderium sciendi inquirit primũ quæ res est oratio. Responsio per cogitationem aut considerationem sanctã & salutarẽ. Oratio est eleuatio mentis in Deũ per religiosam & humilem affectionẽ ad gloriã perueniendã. Oratio habet veluti duos respectus. Vnus quidem est ad misericordiã siue liberalitatẽ Dei qui potest, scit & vult humanam adiuuare creaturam. Alter est ad propriam fragilitatem, miseriam & necessitatem. De duobus his respectibus nascuntur in cognitione veluti duæ alæ ad se in altum eleuandũ, spes & timor. Spes vt ad dexteram propter Dei misericordiam. Timor vt ad sinistram, ob humanam fragilitatem. Hoc igitur modo cogitatio sãcta est se Deo iungendo & salutaris salutem postulando. Prima consideratio. Apparet hic talem esse numerum & talem veritatem orationum qualis est numerus religiosarum & humilium affectionum, quæ (vt dictum est) cogitationem sanctam reddunt & salutarem. Apparet omne opus bonum virtutis orationem nominari posse, quia omne tale emanat à cogitatione sancta & salutari, aut deuota affectione ac humili, quãuis nomen orationis interdũ magis restringatur.

A Apparet virtutem omnis orationis in his verbis pater noster inclusam esse. Ibi nãque diuina includitur liberalitas & humana fragilitas. Pariformiter inueniri potest in crucis memoria. Apparet quomodo semper fieri possit oratio, nã semper fieri potest bona operatio quocunque fuerit modo, aut recurrendo ad diuinam liberalitatem aut subsidium quærendo de humanæ fragilitati accidentibus. Apparet omnes cogitationes quæ sumi possunt siue in libro creaturæ, siue in libro scripturæ verti posse in orationem, quia vbique

B legi potest aut diuina bonitas, aut nostra fragilitas & necessitas. Apparet omnẽ orationem sufficienter reduci ad duos cogitationũ modos. Vna cogitatio est quæ respicit auxilium qualecunq; sit quod aduenit animæ deuotæ, siue per Deum immediatè, siue per angelos suos, siue per homines, siue per alios & mille modos & beneficiorũ Dei & donorum naturæ, gratiæ vel fortunæ. Altera cogitatio est quæ animæ respicit miseriam qualiscunque ipsa fuerit, & à quocunque proueniat, aut per ipsammet animã, aut per corruptio-

C nem originalem, aut per crudeles & falsos inimicorum insultus vel per hominum malitiam, aut per quodcunque dãnum in bonis naturæ, gratiæ vel fortunæ. Patet omnem scientiam rhetorices quæ facere edocet orationes, ad supradicta duo puncta reduci. Nam per illa sufficienter acquiretur iudicis beneuolentia ad causam obtinẽdam allegando hanc laudem suam varijs modis, & illac indigentiam nostram ex quacunque occasione nos deprehenderit. Patet virtutem orationis

D sortiri aut sumere diuersa nomina secundũ quod humiles affectiones & religiosę, sese diuersimodè declarant, & fundantur super cognitionem sanctam & salutarem ad Deum ipsam eleuando. Si affectio est in suprema animæ portione qui spiritus nominatur qui quidem spiritus se eleuat & vertit ad Deum per talem affectionem super omnes res mundanas. In puro intelligentiæ lumine eleuato, fide, spe, aut charitate vel reuelatione. Et hic oratio pura & in spiritu atque veritate adoratio, & nominatur interdum raptus, in-

E terdum contemplatio, interdum ardens deuotio, interdum defectus spiritus aut extasis, interdum pax spiritus qui superat omnem sensum, interdum diuisio spiritus & animæ, & ad Deum vnio, interdum exultatio, iubilatio, admiratio & defectio, quando videlicet spiritus nec scit nec comprehendere potest quod intra se sentit; siue sit in lætitia, in dulcedine, siue in tremore, in reuerentia, in laude, in gratiarum actione, in benedictione, in gloria. Est hic oratio perfecta quæ

F spectat ad perfectos, & magis ad sanctos & sanctas paradisi. Sed si affectio in anima fuerit in portione. s. inferiori & non prorsus sic spiritum ad Deum attollat. Verum se fundet super alias cogitationes quæ sæpe permixtæ sunt imaginationibus aut corporis sensationibus & sensualitatis. Si affectio talis se per verba ostendat, vocamus eam orationem vocalem siue oris & dicitur supplicatio, deprecatio, obsecratio. Et fit modò cantando, vt hymnos & psalmos ac psalterij cantica, modò ostenditur sine verbo per suspiria, per lachrymas, per clamores, per vagitus, per querimonias (sufficienter quærit qui

conqueritur, per gemitus, per compunctus, per singultus, per voces imperfectas, per pectoris percussionem, per manuum intersionem, aut dentium fremitum, aut crinium euulsionem, aut se in terram prosternendo, ant inclinando, varijsque alijs modis. Et omne hoc cum cogitat quis ad miseriam suam, delicta sua, aut ad suas iniquitates. Et signa contraria accidunt cogitando de gratia, de dulci misericordia quam Deus quandoque facit vt ad bonam spem quæ sequitur. Deinde sequuntur oblationes ad extra, siue sit argentum aut quoduis aliud, quæ quidē oblationes virtutem habent orationis, & etiam vsque ad campanarum concitationem vel organorum aut aliorum instrumentorum quæ internam significant affectionem, quæ virtutes commouentur. Patet vnamquamque virtutem causare posse aut præcipere orationē vt per causam meritoriam. Ponatur exemplū in quatuor cardinalibus virtutibus cum depēdentijs, & in tribus theologicis. Patet per postremā definitionis ipsius orationē particulam quod postulatio facta cōtra propriā salutē, non est oratio, nec est pro altero, si sit contraria eius saluti. Patet nihil petēdum esse contrarium nisi inquantum non impedit ad gloriam adipiscēdam, aut vt ipsum prosit siue sint diuitiæ, siue sanitas, pax, fortitudo aut ingenium. Ideo nihil est quod sine conditione & absolutè peti possit, nisi Dei gratia, amor suus & gloria. Patet quod propriè loquendo de oratione sancti & sanctæ non orant pro seipsis, quia iam habent gloriam, bene tamen pro nobis orant. Desiderium sciendi quærit quomodo oratio pro mortuis prosit. Respondeo per considerationem aut cogitationem sanctam ac salutarem. Mortui sunt in tribus statuum modis. Aliqui migrauerunt à seculo absque debito vllius pœnæ, aut quia nullum malum perpetrarunt, vt pueri sanctificati vel nouiter baptizati, aut quia sufficienter satisfecerunt per pœnitentiam, martyrium, aut in senili ętate eorum per baptismum. Alij mortui sunt sine gratia, hoc est in odio & indignatione Dei per peccatum mortale actuale sine pœnitentia, aut per peccatum originale absque baptismate. Alij sunt veluti in medio statu, quia quamuis peccauerint, pœnitentiam tamen egerunt, sed non sufficientem ad omnem pœnam debitam delendam. Ante passionem Domini nostri erat alius quidam status sanctorum Patrum in lymbo existentium. Qui quidem lymbus amplius non est, sed lymbus puerorum non baptizatorum adhuc est, vbi ipsi sunt sine dolore & sine gaudio, sine spe aut desperatione. Dicamus igitur viuorum orationem primis qui iam saluati sunt non prodesse, nisi quia gaudent, tum propter honorem Dei, tum ad nostram vtilitatem, & est oratio nostra pro eis vt gratiarum actio aut regratiatio Deo secundum quod ecclesia requiem canit illis qui immediatè post baptismum decesserunt & saluati sunt. Canit etiam non quidem requiem in honorem sanctorum & sanctarum, est etiam hoc vt pro nobis orent, & nos eorum sequamur exempla ac bonam vitam. Dicamus insuper orationem damnatis non prodesse, nec pueris sine baptismate mortuis, nisi quod damnati non habent tanta perpeti quantum ad vnum pœnarū modicum, cum amici eorum viuentes & alij bonas faciunt orationes, quam si nullas A facerent & est solatium quoddam pro parentibus & amicis viuentibus. Verum est quod non fiunt orationes pro eis quia nunquam peruenire possunt ad gloriam. Dicamus præterea orationem viuorum proficere his qui sunt in purgatorio, quia hi egent & sunt in gratia, quæ eos facit dispositos ad recipiendum bonum quod pro eis fit, & tamen non possunt facere orationem talem meritoriā pro eis hic, sine tribus illis cōditionibus sufficiētibus ad hoc quod vnus satisfacere possit pro altero. Dicamus vlterius B orationē factam pro animabus purgatorij cōplures habere prærogatiuas & excellentias. Et notabimus duodecim.

Prima consideratio. Talis oratio semper suum habet effectum, quia fit pro illo qui est in gratia, & qui satisfactione eget, nec eam pro seipso facere potest, sed meruit quod aliquis pro eo talem facere possit satisfactionem. Hęc etiam oratio ex maiori procedit fide, quā ea quæ fit pro viuentibus. Est enim necesse cogitationē C eleuari ad purgatorium credēdū, & quasi ipsum per fidem videndū. Hæc oratio obligat aliqualiter in purgatorio existentes ad par referendum postea quam fuerint in paradiso, & oratio eorum valde accepta erit Deo & multum valens, licet non per meritum nouum, tamen erit per præcedentia merita & per virtutem amoris qui facit quod amantes vnum habeant velle, & vnus aliquid faciat pro alio, quemadmodum Deus suos amat sanctos. Hæc oratio est maioris necessita- D tis & festinationis, in quantum hi qui in purgatorio sunt, de facto punitionem recipiunt pro tempore quo non fit oratio. Hic patet crudelitas & periculum illorum qui nimis diu absque legitima excusatione testamenta eorum complere protelant. Exemplum de eo qui retinuit equum in domo Caroli magni, &c. Patet itaque viuentium soliditas qui nimium fidunt & expectant. Hæc oratio meretur quod is qui eam facit, pariformiter post hanc vitam iuuetur oratione E aliorum & ecclesiæ, bonitas vna alteram postulat, & misericordia huic fiet qui misericordiam faciat. Hæc oratio ex maiori emanabat charitate quanto fit pro illis potius qui magis elongati sunt à nobis expectando par nec gratiam quam nobis agant aut murmurationem in hoc mundo personam ipsorum. Hæc oratio satisfacit obligationibus magnis quibus viui deuincti sunt mortuis ob diuersa ab eis recepta bona, siue naturæ siue fortunæ, siue sint hæreditates, beneficia libri ecclesiæ, aut hospitalia.

F Talis oratio consolationem dat vel gaudium aliquo modo angelis qui defunctos custodiebant, & facile est creditu reuelare illis & consolari eos quibus huiusmodi fiunt orationes, & sic cognoscunt illud quod viui faciunt eis. Talis oratio inducit hunc qui eam facit cauere à peccatis, & citius pœnitentiam agere atque cōsiderare ne quicquam cōmittat propter quod talem incurrat afflictionē. Nota quare pœna grauior sit, quia est minus voluntaria & in curia quidem iusticiæ, hic verò misericordia est. Talis oratio quando fit manifestè melius exemplum dat alijs credendi vitam futuram. Hæc oratio persoluit

ſoluit multo maiorem pœnam & prolixiorem quam ſit ea pœna à qua talis fit oratio, & eſt ac ſi aſſe vno redimeretur francus. Nota contra illos qui hic petunt paruam pœnitentiam aut qui peccatorum ſuorum obliuiſcuntur. Hæc oratio potius inducit illum qui orat ad hanc vitam cōtemnendam, & ad aliam tendendam, memorando ſtatum iſtorum qui paulo ante viuebant, ſicut ipſe in diuerſis mundanarum rerum deſiderijs, & omne id præterijt niſi benefacta & præſertim niſi miſericordia quæ ſola concomitatur mortuos, vt dicit ſanctus Auguſtinus.

Tertia pars: Sciendi deſiderium quærit an ne tantum valet oratio pro pluribus ſicut pro hoc vel illo aut ſeipſo? Reſponſio per conſiderationem aut cogitationes ſanctas & ſalutares, præſupponendo orationem, ſuum ſumere valorem ex varijs reſpectibus. Reſpectu liberalitatis Dei aut alicuius ſancti humanæ neceſſitatis, vtilitatis inde prouenientis, diſpoſitionis & capacitatis illius pro quo fit oratio. Gratiæ orantis faciendi impetrationem ex ſpeciali gratia oranti facta propter talem aut talem caſum obtinendum de inſtitutione ſupremi vt papæ, qui dat valorem indulgentiarum obligationumque orantis talem aut talem orationem, facti meriti gloriæ eſſentialis precij ordinati per Ieſum Chriſtum, vt in ſacramentis voluntariæ ſatisfactionis & ſatisfactionis inuoluntariæ aut impropriæ. Oratio figitur & attribuitur principaliter Dei liberalitati, & illo reſpectu oratio tantū valere poteſt pro centum ſicut pro vno, quia liberalitas Dei eſt infinita & immenſa, poteſtque ſecundum ſuam magnificentiam tantumdem facere pro pluribus ſicut pro vno. Exemplum de rege, qui interdum daret ſecundum ſtatum ſuum plus quam ſecundum ſtatum rogantis. Nota de Anthigono & Alexandro de paupere, &c. Ideo orat Dauid ſæpius quod Deus ſibi faciat ſecūdum magnam miſericordiam ſuam, & propter gloriam ſuam. Oratio quandoque valorem accipit ſecundum magnitudinem miſeriæ & neceſſitatis illius pro quo oratur. Et iſto reſpectu Deus interdum maius dat donum aut veniam vbi maior eſt tribulatio & potius pro pluribus quam pro vno, & pro alio potius quam pro ſe, quia vt dicit propheta: Adiutor eſt in opportunitatibus, in tribulatione Deus eſt adiutor. Et Apoſtolus: Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Hunc modū orandi ſæpenumero habet Dauid, quando ſecundum poſſe ſuum omnem tribulationis ſuæ & peccatorum coram Deo ponit magnitudinem. Nota exemplum de pauperibus qui interdum congregantur & plagas ſuas demonſtrant. Nota hic orationis modum qui nominatur inſinuatio cū ſolum aperitur & declaratur quod poſtulare quis nō audet, aut quod nimis exiguū videtur vt poſtuletur. Oratio valorē capit ſecūdū gratiā aut charitatē quā orās erga Deum habet aut propter aliud donum ſpeciale quod Deus illi conceſſit. Et in hoc reſpectu oratio aliqua poteſt proficere & prodeſſe per modum impetrationis intātum pro pluribus ſicut pro vno & pro alio ſicut pro ſe ipſo. Nam hæc oratio prouenit ſæpe ex maiori feruore amoris. Exemplum de ſancto Dionyſio, ſancto Antonio, & cōpluribus alijs. Sumite exemplum de amicis huius mundi, & de his qui plus plorant pro aliorum peccatis quam pro proprijs. Nota de illis qui rogabant vt incommoda

A reipublicæ caderent ſuper eos. Nota quod rationabiliter poſtulari poteſt à Deo quod pœna purgatorij quam ferre debet aliquis alius adueniat oranti. Quæ videretur temeritas quædam, niſi pœna illa in hoc mundo perſolueretur, ſecundū illā quæ hic eſt miſericordiam. Non autē in purgatorio ſecundū rigorē qui ibidē ſeruatur. Oratio ſuum capit valorē interdum ſecundū ordinationē papæ aut ſanctæ eccleſiæ, volētis quod dicēdo talē orationē pro pluribus & pro alijs, tales

B aut tales habeātur indulgētiæ. Et iſta cōſideratione ſeu reſpectu vna oratio plus poteſt valere pro aliqua patria, & pro altero quā pro vno ſolo aut pro ſeipſo. Nota hic de valore indulgentiarū. Et quomodo quatuor requiruntur vt valeant acquiri, autoritas, charitas, neceſſitas, vtilitas, & eſt ibi veluti cōmutatio. Nota quomodo dari poſſunt mortuis propter bonum opus viuentiū aut nō. Oratio ſumit valorē ſuum interdum ſecundum ordinationem eccleſiæ quæ vult vt fiat pro

C pluribus & alijs, ſicut eſt miſſa, orationes publicę miniſteriorum eccleſiæ. Et hoc reſpectu oratio melius valet pro pluribus quā pro vno, & pro altero quā ſeipſo. Et quod maius eſt ſi quis aliquā taliū orationū pro ſe orare vellet aut pro vno ſolo, peccaret. Oratio poteſt valere plus pro multis quā pro vno ratione magnæ & bonæ diſpoſitionis illorū pro quibus oratur qui lætantur de bono cōmuni alterius plus quā de proprio, quāuis vtilius eſſet eis, hoc poteſt eſſe in purgatorio per

D modum cuiuſdam cognitionis & cōſolationis. Exemplum de candela aliqua inter plures intercepta. Oratio interdum valorem ſuum ſumit ex vtilitate quæ prouenit & vtilitate illius pro quo rogatur, in hunc reſpectum oratio poteſt plus ſæpenumero valere pro pluribus quam pro vno ſolo, & pro altero quam pro ſe, quia maior inde prouenit fructus. Exemplum de oratione ſancti Stephani facta pro conuerſione ſancti Pauli. Exemplum de pace vel regni vel eccleſiæ, aut pro principibus, prælatis & prædicatoribus, aut pro

E his qui ſunt in gratia, vt dictum eſt in purgatorio faciendo orationes. Oratio poteſt plus valere eo quod Deus tribuit talem aut talem virtutem orationi contra hanc aut illam neceſſitatem potius quam contra alteram. Exemplum de igne ſancti Antonij. Oratio interdum ſumit valorem ſuum non ſolum per modum meriti aut impetrationis, ſed per modum ſatisfactionis aut redemptionis: videlicet vt ſatisfiat pro illo quod debetur aut par referatur vel æquiualens ſecundum iuſticiam ſuam, iuxta æſtimationem illius

F cui debetur qui damnum ſuſcepit aut offenſam. Et hæc eſt tertia pars pœnitentiæ. Et hoc reſpectu ſolo oratio tantum valet quantum eſt de ſe pro pluribus debitoribus ſicut pro vno ſolo. Exemplum clarum eſt de decem perſonis quarum quælibet in decē obligatur libris. Si decem libræ darentur pro vno ſolo, liberatus eſſet, non autem ſi darentur pro omnibus ſimul. Attamen aliquis horum liberari poſſit, qui deinde magis alijs prodeſſet. Et ſciēdum eſt orationem dici ſatisfactoriā in quātū importat afflictionē aut pœnā voluntariā inter orandū. Et hoc mō in

paradiso & purgatorio & in inferno existentes non habent propriè loquendo talem orationem nisi per modum interpretationis, & nō per modum meriti noui aut satisfactionis. Oratio facta pro altero per modum satisfactionis non tantum valet pro orante ac si eam faceret pro se solo. Eodem modo iudicandum est de valore missæquo-ad hoc quia quamuis valor Saluatoris nostri qui illic est per consecrationem sit de se & in se infinitus, valor tamen finitus est & certus quoad satisfactionem dandam & redemptionem, & magis valet talibus & talibus, quam magnus autem sit, ipse solut nouit, & hi quibus dignatus reuelare. Oratio non minus meritoria est orandi ad habendum præmium gloriæ cæteris paribus si ipsa facta sit cum hoc pro satisfactione siue pro se siue pro alio. Hoc patet quia charitas non est minor, & præmium gloriæ confertur secundum charitatis moneté. Oratio satisfactoria quæ pro vnico fieri debet non absoluit orantem si se adiungat ad quélibet alium nisi alterá faciat compensationem. Ideo apparet stultitia quorūdam, qui se nimis facile onerant ad recipienda beneficia aut eleemosynas ab illis ad satisfaciendum pro eis. Patet etiam quo pacto dantes considerate debent quibus se cōmittant. Verū est valoré hunc hunc satisfactionis quādoque posse cōpensari per alios valores qui sunt in orationibus, vt per hoc quod orationes publicæ & ecclesiæ fiūt solénius & magis ad honoré Dei ac sanctorum suorum populique ædificationé. Et ob hāc considerationem sustineri potest in pluribus casibus, obseruatio ecclesiarum cathedralium aut aliarū, ponentium plures simul obitus, aut quod interdum mutatur obitus in aliud seruitiū. Missæ enim aut oratio alia quā requié, aut quæ appropriata est pro mortuis, potest bene mortuis prodesse. Verū est auté quod quanto quis plura bona confert ecclesiæ, tāto plus particeps fit bonorum ecclesiæ. Et hæc debet esse intentio orantiū quod. s. velint Deum distribuere secundū benefacta eorū secundū quod nouit & videt eos magis esse obligatos, vt debita spiritualia primū persoluantur & separentur. Nota de his qui impediunt orationes & seruitium aut ob loquelas aut auferendo reditus. &c.

Quarta pars. Sciendi desiderium inuestigat & & quærit si oratio peccatorum prosit & eorum qui orant pro pecunia? Responsio, per considerationem, cogitationéque sanctam & salutarem. Oratio peccatoris mortalis (de illo enim hic intelligo) non prodest sibi aut mortuis de condigno meriti, sed secundū iustitiæ rigoré ad malū vertitur. Oratio eius fiat in peccatum, dicit Propheta. Et sanctus Gregorius. Cum is qui displicet ad intercedendū mittitur, irati iudicis animus ad deteriora prouocatur. Nota de vindicatiuis dicentibus eorū pater noster. Nota etiā de illis qui orāt in malo per maledictiones & execrationes. Oratio peccatoris proficit vno modo de cōgruo aut à Dei misericordia qui non nobis reddit secundum nostra demerita, sed facit abundare gratiam suam, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, naturam. s. nostram & fragilitatem. Oratio peccatoris non est reconcilians, sed potest esse similis satisfacienti aut oranti aut absol-uenti quoad pœnam tēporalem. Nota hanc distinctioné. Et quomodo adimpletur pœnitentia in peccato mortali & de tēporali pœnitentia dānatorū quæ nō erat cōpleta in hoc mundo. Nota de merito tēporali, quoniā Romani meruerūt imperij amplitudiné secundū sanctū Augustinū propter aliqua bona moralia ab ipsis facta, & obstetrices in Ægypto secundū Gregorium meruerunt ædificationé domorū. Oratio peccatoris quantū ad valoré quā habet interdum vt opus priuilegiatū prodest, exéplum de baptismate & alijs sacramentis, de exorcismis & coniurationibus. Oratio peccatoris prodest ad de obligādum se à præcepto aut obligatione, aut voto quę prius eum ligabant. Patet de horis quæ dicūtur in peccato mortali. Oratio peccatoris facta principaliter autoritate alterius qui est in gratia, vt per modum ministerij aut obedientiæ, valet illi qui mittit. Sequitur ergo quod valet pro mortuis qui nos rogāt & mittunt. Nota quomodo proficiat adhortari pro his & illis. Orate pro inuicem vt saluemini. Et hoc modo fieri potest oratio pro viuentibus. Oratio quæ fit per aliquem peccatorem iussu alicuius ministri qui est in gratia, prodest. Quia saltem valet illi qui eam facit, & valet de cōgruo sæpius illi qui procurat eam fieri. Nota de oratione facta à pueris, quia sunt plerūque in gratia. Oratio peccatoris admixta orationi ipsius iusti, non impedit talem orationé, sed quandoque eam adiuuat, si peccator ille non fuerit excommunicatus. Ideo refutare non debet iustus orationes suas dicere cum peccatoribus. Exemplum de pauperibus qui libenter associantur cum infirmis, &c. Nota de periculo per contrarium. Oratio facta intentione habendi pecuniam aut distributionem in ecclesia non impedit quando bonus intendatur finis, vt videlicet melius habeatur quo Deo præstari possit seruitium & ipsum continuari, hic non est nisi vnus finis qui est Deo seruire, quia finis sub fine, &c. Oratio facta propter bonum finem cum intentione habendi pecuniam ad faciendum de illa pecunia alia bona opera, non est mala intentio aut corrupta, duo enim fines boni non sunt contrarij. Nota quod pecunia non potest esse solus finis licitus aut principalis faciendi orationem vel prædicationem, quia minus principale non est finis magis principalis. Oratio facta intentione pecuniam habendi principaliter ad malè vtendum ea, est peccatum mortale, & vt sacrilegium & simonia simile peccatum Iudæ quantum ad missam. Et si hoc fiat per peccatores in alijs peccatis eo peius est. Nota contra hos qui faciunt tales presbyteros celebrare. Nota quod isti satisfaciunt de opere in se, sicut hic qui ieiunat per hypocrisim aut in peccato mortali. Oratio quæ fit in gratia & iusticia & pro se & perseueranter, semper suum sortitur effectum. Nota declarationem vt de quatuor socijs orationi datis qui eam manutenent. Nota de postulatione ne aliquis purgetur in purgatorio, sed in hoc mundo, sicut fecit Mauricius imperator tempore sancti Gregorij. Orando igitur finem statuemus supplicando dulcissimo Iesu vt misereatur defunctorum, & nobis in mortali hoc mundo taliter viuere concedat, quod

quod ad benedictam suam gloriam paradisi peruenire valeamus. Amen.

SERMO SECVNDVS DE DIE MORTVORVM, FACTVS PER *Ioannem Gerson.*



Eati qui lugent. Matth. v. Dicit thema, hi sunt felices qui ex corde sunt lugentes. O benedicta paradisi domina quam extraneum & durum est verbum hoc carnalibus hominibus huius mundi, & qui nil quærunt nisi solatia eorum & mundanas voluptates, cum his de quibus scribitur. ij. cap. libri Sapientiæ. Exiguum & cum tædio. &c. Attamen ô deuote populo qui hic estis si attendere velitis & intelligere, probabo vobis admodum clarè horum verborum veritatem, hos scilicet esse felices qui in corde lugent. Quamuis autoritas huius qui ea dicit, qui est Dominus noster Iesus Christus sufficere deberet vnicuiquæ christiano. Et si autor vobis nõ sufficiat, eleuate vestræ cogitationis oculos, & inspicite in vestræ fidei lumine sanctorũ & sanctarum gloriam, quorum hesterna die solẽnitatẽ egimus. Nominate (si potestis) vnum qui ad hãc felicẽ gloriã peruenerit non habendo cor lugẽs, absque hoc quod passus fuerit pœnam, angustiã & tribulationem. Per multas tribulationes, &c. Per oppositum verò hi sunt sunt in inferno aut (si bene actum fuerit cum eis) in purgatorio, qui insecuti sunt mundanas eorum voluptates, quos si corporaliter audire possetis diceret vobis beatos hos esse qui lugent. Quæ persona posset aut vellet excipi à generali hac regula, cũ filius tuus gloriosus ô virgo benigna non intrauerit suam gloriã sine pœna dolorosa: Oportuit pati Christum. Et tu ipsa mater Dei gloriosa (melius te nominare nequirem) habuisti cor tam dolorosum in hora benedictæ, passionis, ac si gladio aut ense fuisset perfossum. Et tuam ipsius animam, &c. Et quia possumus & debemus in præsentiarum specialius quam aliàs loqui & audire quomodo habere debeamus corda dolorosa vt beati simus. Dicere etiam de quo dolore intelligitur, & ad quid ille prosit. Opus est nobis gratia vt dicamus & fructuose audiamus, imitemur atque operemur. Et quia tu domina gratiæ es thesauraria, ad te conuertemur ipsam postulando, téque salutabimus, dicentes: Aue Maria, &c.

Beati qui lugent, vt suprà. Præsumpsi Dei auxilio me probare velle & demonstrare sicut aduocatus & actor contra errores & vitia, vt existens in cathedra veritatis christianæ, quod hi sunt beati qui corda habent lugentia. Sed mox forsitan mihi obijcietur prouerbium: Facile causam agit in iudicio qui sine aduersa parte loquitur, videtur enim nullum loqui aut loqui debere contra me. Vtinam sic esset, quod nullus inueniretur aduocatus seu patronus qui huic contradiceret veritati. Sed heu aliter accidit, video mille & mille aduocatos (per quos vitia intelligo & peccata) se partem facere & iam dudum fecisse ad retrahendos homines, ne hanc credant veritatem, quod scilicet hi sunt beati qui lugent, &c. Et præcipuè quidam aduocatus qui
A nominari potest mundana voluptas posuit & ponit fere vniuersum mundum in contrariam credulitatem. Quis est homo qui iam sæpe numero audierit, immo quolibet die mundanam voluptatem hortantem omnia corda ad stultum gaudium & vanam lætitiam? vtrumque bonum in hac vita eligatur tempus, non est bonum tempus, sed pessimum quamuis stulti amatores mũdanarum dilitiarum sic ipsum nominent. Quis est homo qui non interdum in sua fuerit schola,
B & qui ei interdum non credat nimiũ. Dicit Virgilius quod trahit sua quemquam voluptas. Habeo igitur nimis duram partem, nimis potentem contra me patronum, qui taliter iam causam suã egit, vt ferè totus illi credat mũdus. Sed vos oro & obsecro ô deuote populo qui hic estis ad audiendum demonstrari & agi veritatẽ contrariã scilicet nostræ fidei veritatem. Vos inquam rogo nolite tantã fidem adhibere mundanæ voluptati quæ loquitur singulis diebus per se & suos pro-
C curatores innumeros quin habeatis cor paratum & voluntariũ credere & imitari illud quod vobis verũ esse ostenditur, & tenendum vni partiũ (vt scitis) non debet omnino fides adhiberi nõ audiendo alteram. Audi alterã partẽ. Volo sustinere partẽ contrariam mundanæ voluptatis, & probabo illos esse maledictos qui ipsam sequuntur. Per oppositum verò hi sunt beati qui habent corda lugentia. Et fundabo sermonem meum, qui est veluti actio quædam veritatis, in tribus
D rationibus principalibus. Et dico quod cor dolens (intelligoque de bono dolore pœnitentiæ) tria excellentia adducit bona, cor inquam lugens seu dolore affectum. Nam liberat amicos ab aspero carcere. Libera semetipsum à dolorosis iudicijs. Recipit hic gaudia securè & sanctè. Per contrarium verò mundana voluptas amicos suos incarcerat, dat malam mortem, bonamque aufert consolationem. Ideo nullus est qui dubitare debeat, quin pars mundanæ volu-
E ptatis falsa sit & periculosa atque fugienda, & veritas fidei tenenda quod hi sunt beati. &c. Prima mea ratio fundatur in hoc, quod cor lugens liberat amicos suos ab aspero carcere. Quæretis continuè, qui sint amici sui, quis sit hic carcer? Amici nostri sunt parentes nostri mortui. Carcer est purgatoriũ. Scitis Deum esse iustissimũ iudicẽ totius generis humani qui reddit vnicuiq; secũdũ opera & facta sua, bonis quidẽ præmiũ, malis autẽ punitionẽ. Non est immorandũ vt probetur illud: Non enim est patria natio aut
F terra tã extranea, siue sint Saraceni, aut Iudæi vel pagani quin hãc sciant veritatem & credant. Facile sciri potest, quod si iusticia inueniatur & & laudetur inter homines, Deum summum regem regum sine iusticia non fore. Iustus es Domine & rectum iudicium tuum, inquit Psal. Et alia innumera sunt posteaquã Deus est iustus habet diuersa loca in vniuersali regno suo totius mundi secũdum diuersa opera hominũ qui sunt sibi subiecti. Conspicio aliquos esse qui seruiunt Deo ex toto corde eorũ sua adimplẽdo præcepta & si interdum peccent, mox pœnitentiã agunt, atque hinc puniuntur & purgantur. Pro illis est

ordinatum regnum paradisi citò post mortem eorum. Alij faciunt contrarium qui nihil aut minimum eorum qui Deus præcipit, faciũt. In quibus sunt aliqua bona aut apparentiæ boni. Hi recipiunt hic præmium eorum, vel in diuitijs, vel in vana gloria vel mundana voluptate. Isti ibunt mox post mortem eorum ad perpetuam condẽnationem infernalis foueæ. Alij sunt veluti medij inter hos duos status, quia finaliter moriuntur in statu gratiæ, sed non sunt omnino puniti & purgati pro eorum delictis vel propter multitudinem, vel propter temporis breuitatem, aut propter corporis fragilitatem. Vel propter negligentiam, aut ob aliquam similem causam conueniens est iusticiam fieri, priusquam Deus eleuet eos ad gloriam suam. Propterea hi ponuntur veluti in carcerem quem nos purgatorium appellamus, quoniam ibi animæ purgantur & purificantur. Et de hoc carcere locutus sum cum dicerem prius, quod cor dolens amicos suos liberat à duro carcere. Dico insuper quod misericordia Dei summi nostri iudicis est talis, quod vna persona satisfacere potest & soluere debitum pro alia. Verum est si persona quæ satisfacit est adhuc in hac vita, & alia sit in tali statu quod seipsam iuuare nõ possit, possit tamen iuuari. Hoc quod dico est propter damnatos, quia in inferno nulla est redemptio. Psalm. Non dabit commutationem & precium redemptionis animæ suæ, & laborabit in æternum. Et inter varios modos redimendi & liberandi amicos nostros à purgatorij carcere, principalis modus est orando pro ipsis in corde humili & contrito. Quia cor contritum & humiliatum Deus non despicies dicit Propheta. Quid est quod adeò impediat habere cor humile, contritum & deuotum in oratione sicut mundana voluptas? Quid aliud vult ipsa quam bibere & comedere, confabulari & ludere, sequi cauponas & fugere ecclesias, audire potius detractionem aut vilia & immunda colloquia quam prædicationem. Sic faciendo non liberantur amici alicuius de purgatorij carcere. Hi non ostẽdunt se habere magnam curam aut memoriam de amicis ipsorum, nec de eorum liberatione qui ita surdam aurem eis præbent deorsum cogitationis ab eis vertũt, veluti si eos dedignarentur. Sed vos (Deo laus) deuoti homines qui huc venistis, significatis per vestrã præsentiã, vestrum intentum demonstratis, vos non omnino oblitos esse defunctorum vestrorum amicorum qui in vita verè amauit, in morte obliuioni non dabit. Erigamus igitur modo animæ nostræ oculos qui intra nos sunt. Videamus in claritate veræ fidei & credulitatis animas defunctas in captiuitate purgatorij existentes, præcipuè illas amicorum nostrorum. Facite hoc quod ego vobis dico. Videtis eos? Consideratis eas? Confido quod sic. Aperite ergo aures spirituales cordis vestri. Erigite eas in altum & audite humiles preces & gemebundum earum planctum vt eas iuuetis, succurratis ac liberetis. Considerate eas, non me, & inclinate capita in signum humilitatis & intelligite quid dicat mater filio suo, aut vnusquisque mortuus hæredi suo aut executori vel illis qui erant ei amici vel beneuoli in mundo. Chare fili ait mater, quæ est in affligenti

carcere purgatorij in pœnis & tormentis. Chare fili mi cogita de me, intuere me, audi me sicut **A** manus & iustitia Dei est supra me posita, quæ iure me tenet in hoc igne & in hac flamma & in amarissima afflictione, accede & propera chare fili mi qui prius eras cordis mei gaudium, festina succurrere mihi, vt me trahas & liberes de amarissimo hoc tormẽto grauiori quam lingua possit exprimere aut cor cogitare, & si excusationẽ quæras ac sumas te non posse venire ad me. Certè potes in quantum mihi opus est, non postulo vt corporaliter aduenias hoc fieri non potest bene scio. **B** Sed aduenire potes per bonam cogitationem, per piam considerationem, aut status mei memoriam. Et liberare potes ac trahere potes me miseram captiuam, me pauperem tuam matrem, quæ nunc posita est & deiecta in omnẽ afflictionem. Te ergo voco audi me, veni ad me, libera me. Et si quæras, quo pacto me liberare debeas. Dico quod erit faciẽdo pœnitentiã pro me orãdo Deũ pro me in corde humili & lugẽti. Plora pro me chare mi fili, plora in deuota oratione. **C** Et tibi assero quod aqua lachrymarum (si pura sit & munda sine immundicia peccati mortalis) omnino extinguet, vel magna ex parte magnum ignem quem sustineo qui me cruciat & vrit. Heu dulcis mi fili, poteris ne refutare afflictæ huic matri vnam guttam aquæ, vnicam lachrymam quæ intantum ei prodesse potest doloremque eius alleuiare? Ego sustinui tantos dolores & mala pro te, te pariendo, nutriendo & exaltando. Feci pro te & emisi multas lachrymas, copiosos quoque gemitus, tibi bene est, te quæso non mihi desis in vltima hac necessitate. **D** In necessitate probatur amicus. Ora pro me, habeas cor lugens pro me, nihil quæro quod non possis. Heu me miseram, si filium quem concepi, portaui & genui mihi refutat & mihi durus est, obliuisciturq; quis mei memoriam habebit? O Deus qualis miseria, quid faciet pauper hæc tua captiua? quò se vertet? vnde vocabit subsidium si proprius filius ei denegabit? Cum corpus meum in mundo erat ægrotum, tu fili mi & vos alij amici plorabatis cum magno dolore, **E** & apponebatis omne posse vestrum pro alleuiatione mea. Heu tamen præsens malum meum & illud quo tunc afficiebar comparabilia non sunt. Sustineo enim multo amariorem pœnam quam in illa infirmitate quæ erat in mundo. Et si tu fili mi & vos alij parentes ac amici qui bona mea possidetis & habetis propter quæ non omnino mandata Dei adimpleui, nec integram meam feci pœnitentiam. Peieraui sæpe numero & multas fraudes commisi, quod modo bene sentio, vos dico qui estis **F** tales & causam dedistis mihi istorum malorum quibus premor, nec compassionis habetur, nec mihi succurritis. Certè ostenditis vos multo ingratiores obliuionis & cognitionis mei quam deberetis. Deus autem (haud dubitetis) vos puniet. Cum enim in simili fueritis miseria similiter obliuioni tredemini. Si verò iuueritis ad meam liberationem, ad liberationem huius quã amicam vestram appellare solebatis, vobis parẽ referam gratiam. Et cum ascendero in gloriam in præsentia Dei, quod erit ad bonum suum beneplacitum, veram habeo certitudinem tunc inquam

quam

quam memor ero tui filij mi & vestrum, ô amici mei qui oraueritis & ploraueritis ad saluationis meæ accelerationem. Deuoti homines redite ad vosmetipsos adiuuate animas parentum & amicorum vestrorum qui defuncti sunt & in carcere Purgatorij, nullus enim est Christianus quin satis credere possit aliquos esse amicorum suorum in Purgatorio. Et vos videtis eos & auditis conqueri, & à vobis postulare vt oretis pro eis in corde humili ac lugenti. Teneo cor vestrum non adeò repletum esse mundanis voluptatibus, occupatum aliis curis, adeò plenum ingratitudinis & obliuionis quin ad Deum deuotè ploraretis. Tamen æquè bene debetis facere hoc si bonam habeatis Christianam Fidem (quam Deo volente habebitis) ac si eos videritis vel audiretis corporaliter. Et videtis nullum esse cuiuscunque status hominem qui se excusare possit quo minus iuuet mortuos. Nec est is qui verè dicere possit: Plorare non possum pro defunctis, non possum pœnitentiam agere, deuotè pro eis lamentãdo. In quocunque enim loco fueris & quacunque premaris paupertate, potes quod prædictum est facere, haurire potes & trahere ex cordis tui puteo (qui intra te est) puram aquam & mundam vt extinguas ignem qui in Purgatorio tuos adurit amicos, quod verum est quantum ad eos te scilicet posse extinguere. Gemere potes & lamentari pro ipsis, nec solum intelligo lachrymis corporalibus quãuis hoc necesse sit ad hoc vt cor sit perfectè lugẽs vt illud ostendat ad extra. Sed intelligo de lachrymis & fletu qui ad intra est in corde. Vis ergo adiuuare amicum tuum, tu qui hic es? Respondebis mihi, volo. Accipe cor in te lugens & ipsum munda ab omni immundicia, alioquin lachrymæ tuæ, & tuus dolor nisi parũ proficient. Interrogabis insuper quid facturus sis quo mundas habeas lachrymas. Vide quid eas faciat immũdas & scias. Nihil enim eas inficit quam peccatum. Aufer peccatum & omnia munda erunt, ad quod auferendum vt omnia munda sint tres scire debes veritates. Prima, peccaui. Secunda, me pœnitet. Tertia, cauebo mihi deinceps & confitebor. Quotiens dixeris bono corde has tres veritates, siue sit in camera tua siue alibi, iuuare poteris amicos tuos vt exeant carcerem habendo cor lugens ad Deum pro eis. Si verò credas & mundanam sumas voluptatem, potius impedies amicos tuos quam eos sis adiuturus. Bene nouisti plerúmque teneri bona mortuorum vt mũdanę voluptatis voluntas compleatur. Propter quod patet mundanam voluptatem incarcerare mortuos inquantum eorum retardatur liberatio. Concludo ergo per primam hanc rationem quod hi sunt beati qui corda habent lugentia. Quare? quia cor lugens amicos suos ab aspera liberat captiuitate, & mundana voluptas eos captiuat. Ratione diei, & quia in sermone quem feci hestèrna die in vniuersitate locutus sum aliqualiter de materia secundæ & tertiæ rationum. Insistam adhuc circa hanc rationem primam, & dicam de aliis in fine sermonis aliquid si tempus patiatur, & vos audire volueritis.

Super illo quod dictum est ad melius intelligendam hodiernæ diei materiam duodecim formabo quæstiones. Prima dic mihi vbi est Purgato-

A rium & qualis ibidem est afflictio? Responsio: dico quod de communi cursu Purgatorium est in quadam per te inferni prope Lymbum, in quo fuerunt antiquæ legis Patres, ibique est pœna multo asperior & durior quam quæcunque pœna quæ possit esse in hoc mundo, & ibi affliguntur animæ plus vel minus secundum quod magis vel minus punitionem meruerunt, & secundum etiã quod magis vel minus oratur pro eis. Interdũ per specialem Dei dispensationem animę purgantur in certis quibusdam locis, & in certis huius mundi spatiis, in quibus earum fecerant peccata

B propter quæ sunt in pœna, quemadmodum sanctus Gregorius in dialogo suo de compluribus recitat, & hoc est pro pœnæ eorum alleuiatione.

Secunda quęstio. Si animę purgatorij bene sciãt bona & preces quæ hic fiunt pro eis? Responsio: dico quod sic, tam per angelorum reuelationem qui ad eas confortãdas sæpius descendunt, quam etiam per hoc quod percipiunt earum tormenta diminui.

Tertia quæstio. Dic mihi quibus animabus magis proficiant sanctę ecclesię suffragia? Responsio:

C dico ea magis proficere, illis quæ magis meruerũt in hoc mundo, pluráque bona egerunt, & meruerunt etiam vt fierent preces pro eis.

Quarta quæstio. Dic mihi an ne quicquam proficiat damnatis aut saluatis hoc quod dicitur aut fit pro mortuis? Responsio: dico quod hoc solum proficit his qui sunt in purgatorio, & qui non in hoc mundo eorum compleuerunt pœnitentiam, quamuis mortui sint in statu gratiæ.

Quinta quæstio. Dic mihi, valent ne pro mor-

D tuis opera facta à peccatoribus & in peccato mortali? Responsio, distinguite, aut is qui est in peccato mortali orat pro mortuis ex sua voluntate & proprio motu ac vt persona priuata, & in tali casu orationes eius nec sibi prosunt, nec alijs. Aut orat vt minister Dei & ecclesiæ, quemadmodum si malus sacerdos missam suam diceret aut obsequiũ alicuius mortui, & in hoc casu oratio proficeret illis pro quibus fieret. Malitia enim ministri non impedit bonitatem & bonum opus personæ quæ

E bona est. Sicut si bonus aliquis dominus eleemosynam suam faciat per manum famuli sui iniqui, bonus ille dominus nec perdit, nec perderet propter hoc eleemosynæ suæ meritum. Aut ille qui est in peccato mortali orando pro mortuis orat nomine & vt minister singularis alicuius personæ & priuatæ, quæ tamen in statu gratiæ est, siue viua fuerit, siue mortua. In tali casu oratio illius qui esset in peccato mortali illi prodesset personæ, supposito quod dictum est ipsam esse in statu gratiæ, aliàs enim proficeret minimè. Nihilo-

F minus tamen certum est quod cæteris paribus oratio bonę alicuius personæ, multo est vtilior & mortuis & viuis, quam oratio personę iniustę.

Sexta quæstio. Dic mihi si mortui ordinauerint res aliquas fieri pro pœnitentia eorum aut saluatione, & executores nihil faciant, sint ne propterea mortuorum animę à gloria impeditę aut retardatę? Responsio: dico quod sic, quemadmodum legimus de quodam milite in historia Caroli magni, de quo legimus eum iuisse ad bellum & onerasse famulũ suum, quod daret equum suum pauperibus casu quo occideretur. Sed famulus vidẽs

equum pulcherrimum, ipsum sibiipsi tenuit, nec magistri sui cõpleuit ordinationem. Et post octo dies miles illi apparuit dicens: O inique famule quia non impleuisti ordinationem meam de equo meo, fui hactenus valde asperè in purgatorio cruciatus. Sed hoc scias carè id tibi vendendum, moxque infelix ille famulus ab inimicis in infernum fuit delatus. Et ideo securè factum est implere testamentum suum in vita sua per semetipsum aut committere illis qui diligenter & legitimè curent adimplere.

Septima quæstio. An tantum valeat oratio facta pro mortuis illi qui eam facit, ac si pro seipso oraret? Responsio, quoad habendum gloriam paradisi ipsa tantum valet & sæpius plus, secundũ quod facta est ex maiori charitate. Sed quoad pœnitentiam quam debet homo pro peccatis suis non tantum valet ad diminutionem eius. Per quod patet non esse omnino lucrum & vtile se pro alijs obligare pro beneficijs tenendis aut recipiendis ab alterius pecunijs. Et ideo bene considerent religiosi & omnes alij ecclesiastici, hic mentio fieri potest de eo qui propter hanc causam nihil recipere volebat ab alijs. Potest tamen bene recipi pro sustentatione, non autem vt quis efficiatur ditior, aut maiorem statum ducat, vel magnum cumulet thesaurum.

Octaua quæstio. Si expendam quatuor albos argenti pro missa quadam, erit ne totus profectus ille missæ pro me? Responsio: hic intelligi debet donantis & recipientis intentio, & sufficere debet generalis intentio, sicut voluerunt quidam dicere de indulgentijs, quod.s. qui plus dat maiorem debeat expectare profectum. Et pariformiter rogare debeat Deum quod secũdum hoc in quo scit me esse obligatum pro altero, mea diuidere velim suffragia, nec meam dimittere necessitatem.

Nona quæstio. Possunt ne acquiri indulgentiæ pro mortuis? Responsio, teneo quod non, quia indulgentiæ ordinatæ sunt pro his qui submittunt se curiæ misericordiæ, quæ hic est & durat vsque ad mortem, non autem post mortem. Et sumuntur dies indulgentiæ pro diebus pœnitentiæ iniunctæ. Et propterea bene fit dãdo pœnitentiam in generali sic. Omnia benefacta tua sint in remissionem peccatorum tuorum. Dico etiam quod absolutio à pœna & culpa liberat à purgatorio, & eam homo desiderare potest, impetrare & ea vti, si habita fuerit. Etiam si in postrema hora mortis persona petat gratiam vt liberata sit à purgatorio, oratio sua exauditur.

Decima quæstio. Si compleo pœnitentiam mihi in confessione impositam, an ne ero liber? Responsio (si ipsa ritè imposita fuerit & discretè) ita, & si facta sit in statu gratiæ. Si autem facta fuerit in peccato, quamuis ad salutem non sufficiat, teneo tamen non obligari quemquam vt denuo eam incipiat. Exemplum de restitutione aliqua facta aut eleemosyna data in peccato. Et ad hoc ordinata est discretio confessoris principaliter, & propter alias causas ad inclinandum etiam pœnitentes & docendum & instruendum eos quid sit peccatum, & qualiter sibi cauẽdum sit à peccato. Et ideo magnum est periculum ordinare presbyteros aut confessores nimium simplices & ignorantes.

A Vndecima quæstio. Quod opus est melius ad aliquam animam iuuandam? Responsio: sacramentum deficere non potest. Item quod pro & nomine ecclesiæ fit cum defunctus non est excommunicatus, aliter enim nihil sibi prodest. Videtis ergo quale malum sit animam excommunicare, nec vnquam ego id facerem sine magna causa. Dico etiam quod missa boni sacerdotis valet duobus modis, mali verò duntaxat vno, & nocere potest altero per peccatum illius. Insuper eleemosyna in tantum valet inquantum obligat
B hunc qui eam recipit ad orandum, at si nihil fecerit eleemosyna in se, amissa est, valet tamen alio modo in quantum est opus bonum & pœnale factum propter amorem Dei. Ideo bene videndum est cui detur, præsertim si sit res magna. Orationes, etiam ieiunia & abstinentiæ eatenus proficiunt, quatenus opera sunt pœnalia, & propter gratiam & amorem quem facit Deus his qui in deuotione orant & charitate. Et hic dici potest quomodo contemplatio delectabilis proficiat, atque hic fundari posset tertia ratio, quod cor lu-
C gens adducit iocunditatem securitatem & sensum.

Duodecima quæstio. Quomodo & quare cantamus missam pro defunctis siue requiem pro illis qui ante sexcentos annos defuncti sunt, & mortui cognoscant illos qui orant pro eis, & si possunt redire ad nos, & si postmodum orent pro nobis in paradiso. Quoad primum dico, hoc prodesse alijs & etiam illis qui orant & orationes procurant, cum hoc aliqui interdum damnati non sunt in tam magna damnatione
D propter aliquas fundationes & bona opera quæ fecerunt in eorum vita. Et ideo persona posito quod non haberet voluntatem vnquam dimittendi peccata sua, attamen semper facere debet omnia quę poterit bona. Quoad duo talia si bene sciant qui orãt pro eis, & si redire possint ad nos. Dico omne illud esse in volũtate & ordinatione Dei, nec aliqua super hoc data regula generalis. Verum est animas in purgatorio existentes scire & percipere interdum orationes fieri pro eis, ha-
E bendo videlicet cõsolationem & alleuiationem pœnarum suarũ, sicut etiam in hoc mũdo aliqua persona percipit orationẽ fieri pro se cum sentit se liberatã ab aliquo maleficio vel tribulatione in qua erat. Interdum etiam per misericordem Dei dispensationem mortui apparent viuis, vel vt petant ab eis auxilium sicut recitat Gregorius de illo qui apparuit cuidam episcopo orante eum vt curaret triginta missas dici pro eo, vt à purgatorio liberaretur. Vel propter viuentium instructionẽ,
F vt eos ad benefaciendum moueant, & cor eorum à terrenis rebus abstrahant. Quoad quartum. Si mortui postquam sunt in paradiso orent pro nobis, & præsertim pro illis qui eis adiutorio fuerũt dum essent adhuc in purgatorio. Dico quod sic, & propterea secura res est orare aut orationes procurare vel ieiunare, aut dare eleemosynas vel alia bona facere pro defunctis. Et si quæras, si preces & alia suffragia quæ fiunt pro mortuis etiam prosint ad damnatorũ liberationem. Dico quod non, quia in inferno nulla est redemptio. Si arguas de Traiano, qui fuit liberatus de pœnis inferni per sancti Gregorij orationem, dico eum

non

non fuisse damnatum propter gratiam quã Deus illi facere volebat. Complures aliæ curiosæ quæstiones hic fieri possent, sed eas breuitatis causa relinquo.

A

Finiendo ergo & nos exhortando tangam breuiter duas alias rationes simul, propter quas cor dolorosum per pœnitentiam est beatum, & mundana voluptas est spernenda, quoniam cor dolorosum liberat à rigoroso iudicio, & iocundum dat sensum seu sentiendi actum, voluptas verò mundana dat mortem, & bonam aufert consolationem. Boni homines, reperio in euãgelio quod malus diues gulosus qui negabat Lazaro micas mensæ suę, cum esset in inferno, meminit amicorum eius viuentium quinque fratrum suorum, & rogabat Deum vt mitteret ad eos monendos & coniurandos vt sibi cauerent ne descenderent in illum tormentorum locum. Cui respondit Deus: Moysen habent & prophetas. Non (inquit diues damnatus) sed mitte aliquem ex mortuis & ipsi illi credent. Si non credant Moysi & prophetis respondit Deus, si aliquis ex mortuis resurgeret non illi crederent. Deuoti auditores si damnati habent talem curam & diligentiam ne damnemur, & nostram hic compleamus pœnitentiam, quia aliud remedium non est. Multo potius credere debetis animas purgatorij maius habere desiderium, vt de peccatis nostris pœnitentiam agamus. Et hortantur modo nos alta voce dicentes: Hi in mundo sunt beati qui corda habent lugentia. Cur? quia liberati sunt ab hoc in quo nos sumus tormento, vel de horribiliori. s. de perpetuo inferni tormento. Chari homines, non fallamus nosmetipsos, credamus amicis mortuis, non autem mundanæ voluptati quæ nos auertit, quominus cor lugens habeamus. Non simus similes illis qui dicunt: Si videremus aliquem mortuum venire de inferno, huic crederemus. Audistis quid Deus his verbis responderit? Et reuera illa responsio fuit bene ostensa quando Iesus Christus resuscitauit semetipsum, quia Iudæi non credebant, & multas quoque visiones habuerunt & viderunt de animabus damnatis, qui tamen non egerunt pœnitentiam. Et talis appetitus desiderandi habere tales apparitiones est curiosus, & procedit ex parua fide etiam si vnus damnatus exiret infernum, diceres fortassis te eadẽ ratione exire posse, cum ibi esses, & parum curares. Domini mei & fratres mei omnes meruimus mortẽ æternam qui mortaliter peccauimus. Et quis est ille qui sic non peccauerit? Deus iudex noster nobis electionem dat, vel quod hic verberemur pœnitentiæ virga, vel quod rigorosum habebimus iudicium post mortem. Non simus vsqueadeò stulti vt virgam refutemus & mortem eligamus. Puer etiam qui in tantum timet verbera, non tamen faceret electionem, verum potius virgam præberet, & vt vapularet precaretur vt mortis sententiam per hoc effugeret, quam per hanc verberationem euaderet. Hic vre, hic seca, dicit Augustinus propterea amandi sunt detractores, & persecutores diligendi sunt, quia gratis nostrã nobis dant felicitatem. Prouocemus & appellemus à curia iustitiæ ad curiam misericordiæ, in qua domina nostra est magistra. Scimus necessarium esse, vt vel in hoc mundo ploremus, vel in futuro secundum quod dictum fuit in morte Arsenij abbatis. Pastor beatus es Arseni quoniã hic plorasti. Nam hic vel in futuro plorare necesse est, vt per hanc considerationem iudicari potest quomodo cor dolorosum per pœnitentiam habet iocundam sensationem & securitatem.

B

C

D

E

F

Quoad tertiam (quam in initio proposui) rationem cor dolorosum bene sentit & percipit quod qui hic per pœnitentiam vapulat, mortem euitabit inferni. Ideo dicebat beatus Augustinus: Doleat pœnitens, & de dolore gaudeat. E diuerso verò mundana voluptas semper remorsum habet & timet semper ne peius habeat. Non est simile gaudium paci conscientiæ. Et talis pax datur per pœnitentiam, aufertur autem per humanam voluptatem. Alia ratio est, quia pœnitentia curat hominem à malis tentationibus & inclinationibus quæ ipsum ad peccatum trahunt, voluptas vero mundana semper eas inflammat, magis magisque ad exemplum alicuius qui cruciatur febribus qui totus ardet bibendi desiderio. Si bibat, habet voluptatem aliquam præsentem, sed deinde continuò peius habet vsque ad mortem etiam. Nil ergo melius est quam ad pauxillum temporis pœnitentiæ sustinere dolorem quę ducit demum ad sanitatem, ne quisquam sic languore afficiatur per malam cupiditatem & malum ardorem vsque ad finem, dici potest vsque ad prouerbij modum, quod tãgere infectum per arsuram vilem, per tactum illum suam nanciscitur curam. Demum è contrario contra periculosum hãc mundanam voluptatem aduocatum, sumamus has tres quas adduxi rationes, & perlugendi corde tres. Sumamus etiam mortis respectum. Audite & credite omnium mortuorum consilio, qui dicunt vobis: Hi sunt valde beati qui in corde sunt mœsti. Heu aspice quid iam eis conducat mundana voluptas, siue fuerit in diuitijs, siue in pulchritudine, siue in delitijs, siue exercendis vindictis, siue in recipiendis honoribus. Mundana voluptas cum eis ludum lusit, quem falsæ societatis vocant. Eos dereliquit in necessitate, vel in purgatorio, vel in inferno. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt. Sed cor mœstum & pœnitens è contrario, cum hoc quod iuuit amicos suos in purgatorio existentes, & dat hic pacem conscientiæ, perducit ad gaudium ad æternam gloriam fortunatamque felicitatem. Ad quam nos perducat ille qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

SERMO TERTIVS DE MORTVIS VTILISSIMVS AD COGITANDVM *de fine, factus per prædictum magistrum Ioannem de Gerson.*

M*Emento finis*. Aperiamus quæso modo oculos & aures nostri intellectus. Consideremus & meditemur in veræ fidei lumine mysterium præsentis diei, planctus & miseriæ. Aspiciamus in spiritu animas defunctorum parentum aliorumque. Descendamus ad eas in purgatorij carcerem per memoriam

atque compassionem. Audiamus quid dicant vnicuique viuenti super terram & mortem expectanti: Memento finis. Priusquam arripiaris à morte, diligenter mediteris de fine. Quare dicũt, memento finis? quatenus nos inducant vt fugiamus & euitemus dolorosa illa tormenta in quibus ipsæ sunt constitutæ, vtque succurramus illis qui eas iuuare possumus & liberare quamdiu pręsentem viuimus vitam. Postmodum enim nullus seipsum poterit iuuare, nec alterum, si non bene hic egerit. Propterea clamitant alta voce vnicuique viuenti. Memento finis. Priusquam morte arripiaris, vide de morte vt decet præcogitaris. Non ergo surdam hic præbere debemus aurem, negotium enim arduum est nimis. Inhonoratus est nimium qui non meditatur, & qui se ad subitam mortem aut improuisam quominus labatur non disposuit. Et quia mundana fama vana & infructuosa nos sæpenumero impedit cogitare finem nostrum & statum defunctorum sollicitè meditari. Expellamus saltem eam modò si autem minus quo eijciatur sufficientes fuerimus, ad Deum recurramus & ad suam gratiam, tua mediáte intercessione virgo dignissima & omnium vestrum sanctorum & sanctarum quorum quarumq; hesterna die celebrauimus solemnitatem. Veni virgo dignissima ad nostrum auxilium, expelle à templo animæ nostræ perfidam hanc mũdanam famam, vt bene finis nostri meminerimus ad defunctorum vtilitatem, ad nostram instructionem, & ad gloriam huius qui te per Gabrielem angelum iussit salutari pulchra hac salutatione quam tibi præsentamus dicentes. Aue Maria, &c.

Memento finis. Nonnulli conqueruntur de præsentis vitæ breuitate quæ statim suum adipiscitur finem nec scitur quando aut qualiter. Conqueruntur nonnulli, sed si bene inspiciatur, Deus vix nobis melius dare posset remedium contra aduersarium nostrum fallacem peccatum abominabile. Nec rem aliquam, nec quicquam quod melius debellare posset & deuincere mundanam famam quę nos omnes cauillis replet & curis malignis, quo minus de Deo cogitare possimus, vt ipsum cognoscamus, amemus & honoremus. Qui autem mihi non credit, audiat quod dicit Sapiens: Memorare nouissima tua, & in ęternum non peccabis, &c. Et Hieronymus ait: Facile cõtemnit omnia qui se semper cogitat moriturum. Si sumas in terrena potẽtia & vana dominatione malam complacentiam, sicut Nemroth, Nabuchodonosor, Holofernes, Pharao, Iulius Cæsar, Alexander, & alij, memento finis. Vbi sunt ipsi? Audi quod dicit scriptura de vnoquoque eorum, & mortuus est. Si accumules terrenas diuitias, aurum, argẽtum & preciosos lapides, statum magnum & pomposam familiam, sicut Cresus, sicut malus & stultus euangelij diues, similesque, memento finis, vbi sunt? vnusquisque eorum mortuus est. Si quæras magnas & profundas scientias vt cursum mundi cognoscas, planetarum naturas philosophorum exemplo, vt sunt Socrates, Plato, Aristoteles, Democritus, Tullius, & alij, memẽto finis. Si sumas corporalem voluptatem aut in delitijs carnalibus, vbi sunt pulchræ iam dudum celebratę creaturę, Absolon, Alchibiades, Lucretia, Helena, cæteræque? Vbi sunt illi aut illæ quæ totum tempus eorum bibendo & comedẽdo consumpserunt & ludendo, vt Sardanapalus? memento finis, vt dicit incantator aut ioculator, suffla huc, nihil est, vnusquisque mortuus est. Finis ergo & mors declarant illis anima nihil esse, quæcunque desideras in hoc mundo præter vanitatem & somnium quoddam vmbra, ventum & fumum, & veluti personatum ludum, sicut scuti clypeus, nisi ad altiorem tendamus finem, ad finẽ videlicet perpetui paradisi. Qui autem deficit, cadit in ignominiosissimum, amarissimum & crudelissimum finem perpetuæ damnationis. Ideo nos admonent mortui omnes qui experientia sentiunt bonum aut malum, variabilis huius finis paradisi & inferni, & dicunt nobis: Memento finis. Sed heu mundanus rumor, occupatio mundanæ animæ nostræ aures obturat, & oculos velat cordis nostri adeò vt sæpenumero nec possimus nec velimus finis nostri meminisse viuaciter & profundè, quemadmodum deberemus, quod est omnium mirabilium mirabilissimum. Certissimè scimus & tam certè vt mortẽ (vt solet dici) nos morituros, viuimus tamen, & sic viuimus ac si perpetuò futuri essemus in hoc mundo, aut per vanam delectationem, aut stultam spem, aut falsam crudelitatem. Verum est ait rumor mundanus qui se vanè associat voluptati, quod qui semper finem suum meditaretur & mortem, nunquã gaudium esset habiturus, nec voluptatem quamcunque. Respondeo, talem habiturum gaudiũ, & voluptatem. Nam voluptatem suam sumeret seruiendo Deo, siue cauendo à peccatis & bene viuendo secundum virtutem & rationem. Et in hoc multo maior habetur voluptas quam malè viuendo & mundo seruiendo, quod sciunt illi & ille qui hoc quotidie experiuntur. Psal. Melior est dies vna in atriis tuis super milia. Nonne quæso magna est voluptas creaturæ firmam spem habenti, quod mox in fine mortis suæ ducetur in perpetuum gaudium, maius quam cor possit cogitare? Nec oculus vidit, &c. Et euadet horribilia inferni tormenta, Deo opitulante cui ipsa seruiuit? Profectò sic: Si voluptas aliqua sit in seruiendo mundo qui plenus est miseria & tribulatione, quæ voluptas esse debet Deo seruiendo, qui bonum est quoddam summum omnis gaudij & consolationis plenum. Deus totius consolationis. Alijs dicit mundanus rumor cum se stultè associat spei: Iuuenis adhuc es, te decet tranquillam ducere vitam, & cum senueris de fine cogitabis tuo, tunc eniteris quod bene moriaris. O stulta & mala spes quot homines fefellisti & falles? Quot homines sic dixerunt, qui in senectute peiores fuere quam in iuuentute? Quanto diutius viuit agnus, tanto deterior efficitur eius pellis. Naso:

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Quot homines stultam talem spem habentes ceciderunt per mortem subitaneam? Dic mihi: quis te certiorem fecit vt ad senectutem vsque viuas? Tam citò moritur interdum vitulus sicut vacca, iuuenis vt senex, & si ad senium perueneris, quam certitudinem habes vitam tuam emendandi? cũ nil amplius operari possis quando infirmitates te vndiquaque opprimẽt, quando tristitia & melancholia

lancholia cor tuum taliter constringent, vt nil aliud cogitare possis quam acquirere, nescio quas malas cõsolationes vanas & immundas per quinque portas quinque sensuum tuorum corporalium. Et cum mors cor tibi constringet, cerebrum turbabit, oculos claudet, linguam ligabit, vt amplius loqui possit minimè: aures obturabit, quid faciet tunc in hoc fine, in hac districta hora, in hoc postremo negotio siue necessitate, quid faciet misera anima tua, miserabilis profectò & admodum mœsta? Quid faciet ipsa? quò fugiet? si in hora illa mortis consolationem quærit, vbi eã inueniet? Vanus rumor mundanus qui eam solebat consolari, non poterit ad eam intrare, nec ipsa ad mundanum rumorem, omnes enim exitus corporei sunt cõstricti & obstructi per amaræ mortis dolorosam tristitiam. Tunc apparebit iudex suus vt denunciet horribilem hanc sententiam: Vade maledicta in ignem æternum. Tunc apparebunt peccata vilia & immunda quæ accusabunt & cõscientia detestabitur. Infernales quoque canes vndiquaq; erunt in circuitu per quos damnationis sententia adimplebitur. Igitur memento finis priusquam mors te arripiat, &c. Sed heu mũdanus rumor cogitationem nostram impedit & turbat, & sæpenumero huiusmodi finis nõ meminerit eò quo opus esset pacto. Et (quod peius est) damnabilis infidelitas interdum nititur omnia in tenebras vertere & in obliuionem memoriam illam auferendo, videlicet veræ fidei lumen, ne homo quicquam credat de rebus futuris nisi quod præsentialiter videt. Quomodo inquit infidelitas scitur qui sit infernus, purgatoriũ, paradisus? quis ea vidit & reuersus est. Tollite tollite damnabilem infidelitatem, aures occludite talibus blasphemijs. Explodite maledictam hanc cæcã quæ de hominibus indicare vult sicut de canibus aut porcis. O anima christiana si veritatem huius quod dictum est cognoscere velis, & iudiciorum Dei, memento finis. Et cuius finis? Memento propter quid Deus creator noster homines creauerit, cognoscentes & ratione vtentes potius quam alias bestias. Ipse eos fecit vt Deum ipsum cognoscerent, amarent, honorarent, illique seruirent. Hic est finis noster ad quem tendimus quem aliæ creaturæ adipisci nequeunt.

Posteaquam ergo humana creatura ordinata est ad seruiendum Deo, si illi seruiat, meretur præmium, alioquin Deus non esset Dominus liberalissimus. Et si illi non seruiret, ipsa punitione digna est, alioquin Deus non esset iustissimus iudex. Videmus enim hãc punitionem & hoc præmium in præsenti hac vita nequaquam dari. Boni namque aduersitate interdum afficiuntur, mali vero habent prosperitatem, est necessarium alteram posthac vitam esse & remunerationem vt gloria detur optimis, & damnatio pessimis, purgatio verò seu purgatorium his qui bene vixerũt, sed non omnem adimpleuerunt pœnitentiam. Qui allegare vellet visiones certas & reuelationes ad hanc veritatẽ probandam, inueniret certè sine numero tam per sanctam scripturam (quæ mentiri nequit) quam per alias historias sanctorum autorum. Scitis ne quid talibus accidet, qui finem hunc non credunt? Ipsum credẽt siue citò, siue tardè, velint, nolint ipsum confitebuntur.

Verum hoc erit cara eorum emptione & dispen-
A dio. Fatuus non credit donec recipit. Si loquerer infidelibus diutius immorater ad hãc rem declarandam, & demõstrarem hanc veritatem tam viuis rationibus, quam per alia probatissima exempla. Sed Deo laus, loquor regi christianissimo, loquor populo domus Francorum, in qua vera regnat fides, & gubernat Deo volente semper. Et si esset aliquis adeò miserabilis qui contrariũ huius dicere niteretur peior esset Iudæo aut Saraceno, & despectior cane vel bestia muta qui delendus
B & exterminandus foret igni & gladio tanquam falsus hæreticus, & Deo fidei & animabus defunctorum contrarius, atq; bonæ repugnans rationi, quę nos per finem nostrum docet nos animas habere immortales. Infernum quoq; esse pro damnatis, & paradisum pro saluatis, purgatorium verò pro animabus quę adhuc suam agunt pœnitentiã pro quibus hodie ecclesiæ orat. Et die quolibet animæ istæ viuos deprecantur & hortantur meminisse finis, tum vt seipsos custodiant modo dicto, tum vt eis præstetur auxilium vt bonis operi-
C bus viuorum liberentur. Memẽto ergo finis tam pro teipso, ne labaris in talem afflictionem quã pro animab. defunctorũ, vt illis recreationẽ, præbeas, liberationem aut relaxationem. Et si quæras quo pacto tibijpsi cauere & prouidere possis, ne purgatorium intres, & quomodo animas sis adiuturus vt exeant & in paradisum ascendant. Respondeo quoad primum te euitaturum purgatorium per tres in speciali virtutes, pœnitentiam, patientiam & beneuolentiam. Pœnitentia est di-
D splicentiam habendo de peccatis præteritis cum bono proposito deinceps non recidiuandi, alioquin displicentia non foret si semper continuare velles peccatũ cuius te pœnitet. Deinde fiat integra confessio nil celando, nec per verecundiam nec per hypocrisim, nec per timorem. Deinde fiat satisfactio secundum iudicium bonum confessoris tui, non redimendo alienum, non in odio perseuerando, non continuando malam & luxuriosam carnalitatem, si hoc modo feceris, in statu eris gratiæ & salutis. Et si bene compleueris pœ-
E nitentiam, discretè & sufficienter impositam, purgatorium non intrabis. Aduertite quod dico de pœnitentia, vt sit discretè & sufficienter imposita, aliqui enim confessores indiscretè pœnitentias imponunt, aut per stultam complacentiã, aut per ignorantiam, vel non sufficienter imponunt, propter confitentis indispositionem, qui non vellet aut non posset sufficientem assumere pœnitentiam, vel propter debilitatem, ne nimiũ marcescat deuotio. Sed omne hoc in purgatorio
F durè admodum perficietur.

Sumo itaque hic tres veritates, quamuis confessor pœnitentiã iniungere nõ debet, nisi opinetur confitentẽ eam adimpleturũ, nihilominus tamen admonere debet confitentem vt sufficiẽtem assumat pœnitentiam, si in tali fuerit statu vt eam complere possit. Hoc dico pro illis qui sunt in articulo mortis, aut diuersis ægritudinibus, vel alio quouis impedimẽto. Hi qui laudant aliquos præsbyteros, quia paruam iniungũt pœnitentiã, non discretè faciũt nec sapiẽter, grauius enim alibi subibũt supplicium. Multo melius valet pœnitẽtia hic per bonam & liberam volũtatem facta, quam

illa quæ est in purgatorio, quæ scili. est tanquã per compulsionem aut necessitatem. Hi qui hic pœnitentiam agere nollẽt sed expectare purgatoriũ vellẽt, possent quidem absolui, si voluntas illa nõ emanaret ex infidelitate aut purgatorij incertitudine, vel si casus non foret publicus. In omnibus his casibus mementote finis & has cognoscetis veritates. De secunda loquamur virtute à purgatorio liberãte quæ est patientia. Patiẽtia est volũtaria portatio vel sufferẽtia cuiusquam aduersitatis, siue corporeæ ægritudinis, siue bonorũ amissionis, siue infamationis ab alio, siue amissionis amicorum, siue paupertatis aut aliarum indigentiarum vel afflictionum. Dico quod in omnibus his rebus partem pœnitẽtiæ tuæ vel purgatorij tui complere potes, si eas patienter perferas, nõ contra Deum murmurãdo, neq; iniustam expostulãdo vindictam. Capiam itaq; tres veritates. Expediens est in hoc mundo aliquibus affici aduersitatibus, bonum quoq; signum est dum patienter capiuntur. Per hoc enim satisfit vel purgatorium euaditur in toto vel in parte. Augustinus: Hic vre, hic seca. Et si dicas hoc difficile esse, memento finis, memento vtilitatum quæ sũt redire in gratiam Dei, quærere gloriam Dei, euadere infernum, diminui purgatorium suum totum, aut partem eius, esse filium Dei, esse participem omnium benefactorum: Est euidẽs reprobationis & damnationis signum, cum quis semper operatur in hoc mundo mala, & nil recipit præter cõsolationem. Posteaquam enim peccatum puniri debet si hic non fuerit per misericordiam, punietur in regno iustitiæ rigorosissimę. Finis ostẽdit hoc, quotidie facere potest quis partem pœnitẽtiæ suę & purgatoriũ suũ imminuere, si de necessitate velit facere virtutem. De qua necessitate? de aduersitate quæ nobis superuenit sæpius velimus nolumus. Ideo patet hominum stultitia qui in aduersitatibus murmurant, incipiunt enim hic infernũ eorum & malè applicant abutunturq; quod magnopere eos iuuare posset. Deus punit in furore cum puniti non emendãtur, quemadmodum faciunt hi qui inferni hic incipiunt idioma maledicere scil. Deo, & eũ despicere. Pœnitẽtia tibi dura videtur, memẽto finis. Vertamus sermonem nostrum ad tertiam virtutem, quæ est beneuolentia. Beneuolentia est benefacere alicui per opus aliquod misericordiæ, siue corporale fuerit, siue spirituale. Sumite hic tres veritates aut cõsiderationes. Adiuuare alterũ in necessitate sua corporali, velle eum visitare & cõsolari, euitari facit purgatorium. Dare veniam alteri de illatis sibi iniurijs propter honorem Dei, facit vt euitetur purgatorium. Castigare ex amore bono errantes & malefactores, facit vt euitetur purgatorium. Omnes hæ veritates declarari possunt memorãdo finem, & sic homo potest in omnibus & vndique facere purgatorij sui partem. Nulla est hora quin aliqua habeatur aduersitas.

Descendere volucrã ad respondendum secũdę quæstioni, quomodo videlicet iuuare possimus liberationem animarũ purgatorij, sed curiositas inquirẽdi aut sciẽdi desideriũ cogitationem meã subintrat, & multas de hac materia interrogat quæstiones. Dic inquit mihi vbi est purgatoriũ, & qualis ibidem est afflictio. Dic mihi si animæ purgatorij bene ea norint quæ hic fiant pro ipsis? A Dic mihi quibus animabus magis prosint sanctæ ecclesiæ suffragia? Dic mihi, potestne peti ab aliquo ne vnquã puniatur in purgatorio? Dic mihi si absolutio à pœna, & culpa liberet à purgatorio. Dic mihi si missa aut oratio aliqua vel eleemosyna intantum prosit pluribus sicut vni, & in generali sicut in speciali? Dic mihi: an quicquã prosit damnatis vel saluatis quod dicitur aut fit pro mortuis? Dic mihi, prosintne aliquo modo preces ecclesiæ sanctæ ipsis pueris qui nati sunt mortui, aut pueris nouiter baptisatis & ilico postea B mortuis. Dic mihi, an ne apparere possint defunctorum animæ viuentibus, & lo qui illis vigilãdo vel dormiendo cum volunt. Dic mihi, si mortui ordinauerunt res certas fieri pro pœnitentia eorũ aut saluatione, & executores non exequantur extremas eorum voluntates, an ne mortuorum animæ ob illud impediantur aut retardentur? Dic mihi, prosuntne mortuis opera à peccatoribus facta & in peccato mortali? Dic mihi quod vtilius est & cõmodosius orare pro seipso, pro mortuis, C aut pro viuis, & si ipsi postmodũ oraturi sunt pro viuis? Ad secundã nostrã principalẽ partem aggrediamur, vt ostendamus secundam causã huius exhortationis mortuorum, qui dicunt vnicuique nostrum, memento finis, vt. sci. mortuos iuues & liberes generaliter per quodcunque benefactum. Responsio: Adiuuari possunt mortui qui sunt in via salutis tripliciter, præcipuè per eleemosynas, quoad bona temporalia. Per ieiunia, quoad bona corporalia, per orationes quoad bona animæ, seu D spiritualia. Hæc triplicia bona, aut suffragiorum modos postulant defuncti vt nos finem reducamus in memoriam, dicendo: Memento finis. Sed heu cum declarare intenderem tria hæc puncta, visum fuit mihi in consideratione quod humani generis inimicus conabatur impedire hos tres suffragiorum modos per maledicta quædam tria peccata quæ nominare possum: Statum effrenem & immoderatum, cõtra eleemosynas, voluptatẽ humanam, contra ieiunia, iuramẽta abominãda, contra orationem. Et per alia peccata innumera E quæ per finis generantur obliuionem. Per finis obliuionẽ deuenitur in statum sine freno & sine mensura, in populi grauamen & liberationis miserarum animarum impedimentum. Obliuioni finis iuncta est iniuria, omittuntur per eam factarum iam fundationum persolutiones in sanctis ecclesijs, ob quarum carentiam nec preces fiunt, nec debitum seruitium. Propter quod Deus sancti quoque eius & sanctę suo fraudantur honore, & animæ à missarum commoditate. Per statum F sine freno & moderamine non fiunt persolutiones eleemosynarum in hospitalibus, ideo hæc & similia mortuis sequuntur inconuenientia, puerorum mors sine baptismate, mors impregnatarum mulierum absq; cõfessione, mors pauperum sine consolatione in impatientia & desperatione, sineque doctrina. Complurium animarum damnatio quæ maledicunt his omnibus qui fuerunt causa huius, per statum hũc fundatorum defraudationis, qui quidem fundatores purgatoriũ ob illud intrabunt: Sacrilegium aut rapina eorũ qui talia habent bona indebitẽ, siue viui fuerint, siue mortui. Inhonoratio Dei, sanctorum angelorum,

Mariæ

Mariæ virginis, omniumque sanctorum & sanctarum, inquantum Dei membra sine sepultura remanent. Per effrenatum statum viuis plura alia inconuenientia accidunt quæ in animarum vergunt præiudicium. Iniustus hæreditatis vel possessionis titulus tam in se quā in suis per dona iniusta defectus restitutionis per impotentiam aut ignorantiam vel maleuolentiam. Eleemosynarum defectus per subiectorum paupertatem, quibus nihil est, nec ideo eleemosynas dant ne pœnitētiam eorum adimplent. Defectus soluēdi debita & testamentum in defunctorum præiudicium, vsurarum occasiones, falsæ mercantiæ, rixę. Paupertas enim rixosa est. Oppressiones satellitū & aliorum more infernalis inimici, mortaliumq; inimicorum aut peiorum. Causa solemnis periurij & contemptus, dominorum defraudatio, & ipsos maledicendo dominos. Causa sortilegiorū & nostræ religionis contemptus. Causa famis & mortalitatis propter laboris defectum & victualium sese occidendi occasio, ratione desperationis aut in amaris tormentis vxorum & filiorum viuendi. Horum omnium pomposus status causa est. Patet ergo quam abominabilis sit, & suos opprimens nutritores, pauperes, orphanos, bonas viduas misera Dei membra, fratres suos & sorores tenendo animas in carcere & afflictione, comedendo, vestiendo & bibendo earum redemptionem. Nota quod Domini & principes minorem habent partem. Nota quod consiliarij sæpenumero ad restitutionem tenentur.

Secundum peccatum principale, mundana scilicet voluptas procedit obliuiscendo finem qui sequitur. Qui enim bene recordaretur finis, prōptior esset ad ieiunium vel abstinentiam. Mundana voluptas supra mala effrenis status hæc causat inconuenientia: contemptum Dei & verbi sui, promissorum eius & minarum, rationis cæcitatem ad morem bestiæ mutæ, subitam mortem & improuisam, mortuorum obliuionem aut irrisionem, quamuis sic agens comedat & bibat eorum victum & sustentationem, defectum confessionis ob verecundiam aut desperationem, periuria & iurium naturæ (quę nominanda non sūt) corruptionē. Hęreses vel falsas cōtra fidē assertiones & contra sanam doctrinam, vt dicere vnumquemque esse saluandum, fornicationem non esse peccatum, peccatū carnis esse omnium peccatorum minimum, stulto amore esse amandum si quis fore vellit alicuius reputationis, vel quemquam sibi cauere non posse ab hoc peccato.

Demum quoad tertium peccatum dico quod iuramentum detestandum orationi contrarium & proueniens ex obliuione finis & suæ conditionis, impedit ipsas animas. In primis per hoc offendendo Deum, sanctos & sanctas ius cum honorandi essent & deprecandi, dando onus dominis temporalibus & spiritualibus huius peccati & damnationis, cum per iniustam dissimulationem reputantur consentientes tali inhonorationi Domini sui, regis sui, patris, benefactoris & saluatoris, inducendo omnes creaturas vt contrariæ sint humanæ creaturæ. Nota quomodo superiores magna hic adipisci possunt merita & ingentia præmia per rigorosam talium blasphemiarum emendationem. Finaliter ex iuramento de-

A testabili cum alijs supradictis peccatis & per finis obliuionem venit & continuatur horribilis hæc & monstrosa bestia schismatica diuisio, quæ distrahit & deuastat ecclesiam. Si enim particulares defectus non essent, nunquam talis vniuersalis regnaret defectus. Hoc tamen schisma omnia supradicta includit impedimenta animarum aliaq; innumerabilia. Concludo igitur per generale remedium quod in hoc concilio cogitetur omnibus his prouisum iri inconuenientibus. Concedat Deus vt rectè cogitentur media & melius

B exequatur finis, quem vnusquisque considerare debet ad honorem Dei ecclesiæ ac christianitatis reformationem, viuorum ædificationem, & defunctorum deliberationem. Præstante eo qui est α & ω principium & finis, Deus benedictus in secula. Amen.

TRACTATVS DE CONSOLATIONE IN MORTEM AMICORVM

nouem continens considerationes.

C EO quod omnis humana creatura fragilis est conditionis, & semper ad finē, hoc est ad mortem tendit, nec vllus sit qui postremum euitare valeat passum (quemadmodum vnusquisque percipit) & nihilominus tamen complures sunt qui de morte parentum suorum amicorum interdum maximam incurrunt tristitiam, cordisque angustiam, quam ratio non potest aut non vult tollere aut emendare; sequuntur in breui bonæ aliquæ considera-

D tiones fundatæ in scripturis & sanctorum doctorum dictis, per quas moderari possunt huiusmodi tristitię & angustię cordis irrationabiles de morte & transitu vniuscuiusque, quantumcunque propinquus fuerit aut dilectus.

Prima consideratio est

fundata in Dei creatoris nostri voluntate cōsiderando videlicet expressa voluntate aut iustissima Dei omnipotentis promissione, cui omnis humana voluntas finaliter cōformare debet, & non

E obuiare per impatientiam & peruersam murmurationem. Et ista sola consideratio (quod scilicet sic creatori totius mundi qui Dominus noster est metuendissimus, placet) optime sufficere deberet vt in bona sumeretur patientia, non modò mors quę euitari non potest, verumetiam omnes aduersitates atque afflictiones corporales & spirituales quas humana patitur creatura. Nihil enim fit (vt dictum est) sine voluntate expressa aut iusta Dei permissione. Secundum hanc conside-

F rationem sanctus Hieronymus ecclesiæ doctor gloriosus dicit: Si plangamus & deploremus parentes & amicos nostros mortuos, quos firmiter credimus resurrecturos cum corporibus, quid faceremus, si Deus solummodo eos mori perciperet absque spe resurrectionis? Sola igitur sua voluntas ad consolationē sufficere debet, cui quidē volūtati omnes nostras subijcere debemus affectiones. Ad hoc propositum dicit Seneca in epistola quadam ad Lucillum discipulum: Placeat homini omne quod Deo placet, non ob aliam causam nisi quia ei placet, hoc est notabile dictum ab homine qui christianus non erat.

Secunda consideratio.

Est bona æquitas per quam iustissimum est & rationabilissimum aliquẽ illud quod suum est cum vult recipere. Omne autem quod nos habemus fuit veluti mutuo acceptum à Domino supremo totius mundi, à quo omne venit bonum magnũ & paruum. Ideo si nobis dederit corpus & animam, potest recipere illa eadem quotiens voluerit nullam nobis faciendo iniuriam. De quo dicit sanctus Hieronymus. Nihil ab te abstulit, qui solum mutuum suum à te postulauit. Aliud de hoc ad te nõ spectat quam humiliter illi gratias agere. Sic fecit sanctus homo Iob nominatus, cum in omni quæ eum circundabat tribulatione, tam mortis omnium filiorum & filiarum eius & perditionis omnium bonorum suorum, quam de crudelissima ægritudine & percussione diuina, quę eum molestabat à planta pedum ad verticem vsque, nullum impatientiæ verbum protulit contra Deum, sed dulciter clamauit: Dominus noster omnia dedit, & omnia aufert, sicut illi placuit, factum est. Sit gloriosum nomen suum benedictum & sanctificatum. Verbum hoc maximè ab impatientia distabat aut murmuratione.

Tertia consideratio est

de necessitate mortis ineuitabili. Scire debemus humanam creaturam mortalem in hunc mundũ non pŏsitam esse, vt continuè ibi maneat, sed solummodo hic est vt in exilio quodam & peregrinatione ad faciendam dignam pœnitentiam vt tandem digna sit transportari ad finalem habitationem & naturalem suam patriam, quæ illi concessa est ab omnipotenti Deo patre suo, si hic eius seruauerit mandata. Ideo necesse est eam citò aut tardè mundum derelinquere, res etiam quæ euitari non potest, sed certissimè expectatur, si ipsa aduenerit simplicitas, est multum turbari, ac si esset casus nouus, & cui apponi posset remedium. Ad propositũ hoc dicit sanctus Dauid propheta in psalterio: Quis est hic qui semper viuet in hoc scilicet mundo, & non videbit mortem? ac si non esset homo illius conditionis. Hæc consideratio nõ eget ampliori declaratione, quia die quolibet apparet ad oculum, omnes nos mori opportere. Quapropter dici solet in communi prouerbio: Certus sum vt de morte. Et sicut ait sanctus Gregorius: Die quolibet currimus, velimus nolimus ad vltimam mortis migrationem. Hæc mors, vt inquit Boëtius, nec magno parcit nec paruo, pauperi nec diuiti, iuueni nec seni. Ob eam rẽ quod euenire debet, si hodie euenerit, non est mirandum, & consequẽter non tãtopere est affligendũ.

Quarta consideratio est

fraterna vtilitas, vt dicit sanctus Hieronymus. Si in hoc mundo nullas haberemus tribulationes & miserias, sed omnia vt vellemus pacata & tranquilla nobis aliqua esset occasio cur vita defunctos defleremus ac plangeremus. Si quis autem altius considerauerit pericula, angustias mundi huius & exilij innumerabiles aduersitates, valde cæcus fuerit si minus exire desiderauerit, ideo cum cernimus amicos nostros migrare de hac miseria, debemus aliqualiter sobriam habere lætitiam veluti si liberati essent à magno quodam periculo & tribulationibus. Quis sciret solum cogitare tribulationes illas quibus humana subiecta est natura. Non est profectò cor quod eas possit comprehendere, nec lingua explicare.
A Modò qui sanus est, modò ægrotus, modò lætus, deinde statim tristis, hodie diues, cras pauperrimus, modò viuit, mox deinde mortuus est. Qui ergo optat hic diutius morari, non aliud petit quam in pœna & afflictione perseuerare. Non itaque nimium mortuos nostros deplangamus amicos, qui ab his periculis sunt expediti. Et si dicas mihi, Dominum nostrum pro Lazaro Mariæ Magdalenæ fratre cum eum vellet resuscitare fleuisse. Respondeo per sancti Hieronymi dictum, reuera ipsum super Lazaro fleuisse sed non
B talibus lachrymis quibus tu tuos defles amicos, magnopere enim à tuis discrepabant lachrymis: Tristis erat de Lazaro, non quia mortuus erat, sed quia ad hãc vitam reuerti debebat. Plorauit, quia propter assistentes compellebatur bonum suum amicum à requie reuocare ad laborẽ. Lachrymæ tuæ non assimilantur suis, nec amor amicorum tuorum illi quem ipse habebat amorem. Nolebat bonum suum amicum reducere ad huius mundi pœnas. Et tu mihi dicis te proximũ tuum amare,
C quem denuo reuocare vis ad pœnas has quas trãsijt perpetiẽdas. Si ergo ploratus tuus & gemitus temperatus cum de amici tui bono debes lætari.

Quinta consideratio est

cogitando diuinam dispositionem, quæ multo melius nouit quod expediẽs est vnicuique. Bona in Deum habenda est spes. Et quod sic fuerit obediens illi vt moreretur, quamuis id nobis non videatur. Dicebat ergo sanctus Augustinus bonũ verbum: Dulcissime Deus, posteaquam scis mihi expediens esse quamdiu in misero hoc constitu-
D tus sum mundo, habeas veluti omnem de me custodiam, & me bonæ tuæ submitte dispositioni. Sanctus Petrus dicit in epistola sua. 1. Petr. 2. Iacite omnem curam vestram & sollicitudinem in Deum, quia ipsi cura est de vobis. Ipse enim (vt verum dicatur) dulcissimus pater est, qui cognoscit quod conueniens est omni humanæ creaturę nec semper opus est eo quod habere desideramus, quia sæpenumero omnino oppositum postulamus nostræ vtilitati, sed ipse gubernat ma-
E gnos & paruos per altissimam suam & incomparabilẽ sapientiam atque irreprehẽsibilem iustitiã. Contenti igitur simus de omnibus suis operibus tanquam iustissimis, illique gratias agamus Et si quosdam mori videamus morte aliqua extranea quæ nobis minus bona apparet quoad nostram reputationem, vt vnus moribus subitò, alius in prælio, alius se submergit, alius suspenditur, & sic de compluribus alijs modis, nihilominus Deus omnia vertere potest, si illi placitum sit ad vniuscuiusque vtilitatem. Ideo de nullo est desperan-
F dum nisi eius damnatio fuerit manifesta.

Sexta consideratio est

quod fletus & tristitia inutilis est, nihilque mortuis quantum est de se nisi aliud adiungatur, prodest. Certissimum est sine miraculo per ploratum & gemitũ mortuũ aliquem resuscitari non posse. Propterea dicit S. Hieronymus. Considera si plorare debeas, de quo remedium ponere nõ potes, ac si vellet dicere, magnæ id esse simplicitatis. Ideo (vt legimus in libris regum) sanctus propheta & gloriosus rex Dauid tenerè plorabat pro filio suo ægroto, ad mortem vsque, Deum deuotè deprecando vt illi concederet sanitatem.

Posteaquam

Postea quam vidit eum mortuum esse, cessauit à fletu, & seipsum confortauit, respondendo his qui alloquebantur eum: Quare inquit, plus mihi darem tristitiæ? Credere debemus omnem hominem qui moritur, mox aditurum paradisum, purgatorium aut infernum. Parui pueri non baptizati descendunt in limbum, qui est locus medius (vt multi tenent) inter purgatorium & infernum. Si ingreditur paradisum, magnopere lætari debemus, magnamque illi faceremus iniuriã, nisi esset per sanctum desiderium quo secum esse vellemus. Si descendat in purgatorium vt religiosè credere possumus, nisi oppositum sit euidens, facere debemus orationem & preces in sancta lachrymarum compunctione ad suam impetrandam liberationem. Nihilominus tamen ploratus illi & gemitus esse debent moderati & temperati cum sobria mixti lætitia sperando talem esse in saluationis via. Si certum sit ipsum esse in inferno, quod regulariter non scitur nisi per reuelationem aut miraculum quod Deus apparere facit, tunc omnes ploratus & gemitus cessare debent ad diuinam approbandam sententiam & se voluntati eius conformandum. Vt enim dicit sanctus Augustinus. Si patrem meum damnatum esse cognoscerem, non plus rogarem pro eo quã pro infernali inimico. Verumtamen est quod secundum quod aliquis bene vixerit ac bene mortuus est & deuotè, maior haberi debet lætitia & spes. Faciat ergo vnusquisque erga se dum tempus habet per quod gaudium det hominibus & paradisi angelis, dici enim solet bonam vitam, bonum ad se attrahere finem.

Septima consideratio est

de damno quod facit fletus & tristitia personę quæ talia habet. Hæc enim res est quæ naturaliter corrupit sanitatem vniuscuiusque & corporalem & spiritualem, ac interdum mortem infert. Ideo dicit sapiẽs: Multi mortui sunt propter tristitiam, & non est vtilitas in eis. Et rursum dicit in prouerbijs: Sicut tinea corrumpit vestimentum & vermis corrodit lignum, sic tristitia cordi nocet hominis. Et sciendum est talem tristitiam & angustiam sæpenumero procurari inimici instigatione. Et cum videt nos habere inordinatam ad aliquam rem affectionem, nititur omnibus modis eam nobis auferre vt nos in tristitiam ponat, & finaliter in desperationem, & nos grauet ad mortem vsque corporaliter & spiritualiter. Propterea summum consilium dat sanctus Petrus, quod si lætè & hilariter in hoc mundo vincere velimus & pacem habere, nec vllam grandem ac fortem habeamus affectionem ad quamcunque rem temporalem quantumcunque exiguam aut magnam. Postea quam enim illa res mutari potest aut deperdi, mox secundum hac tristitiam habebimus, & dolorem qui nos grauissimè affliget, secundum quod amor eius stultè delectabat. Ideo si pater tibi sit aut mater, maritus, vxor, filij, aut alia res quæcunque, noli cor tuum taliter apponere, quin ea perdere possis aut dimittere, cum tempus aduenerit. Ad propositum hoc dicebat Seneca: Accommodo me huius mundi rebus sed non me dedo. Et rursum dicit: de nulla re possessionẽ haberi, nisi quis semper paratus sit perdere eam aut dimittere. Secũdum hanc ergo consideratione cesset tristitia nimis abundans, quæ sæpenumero nocet habenti & nihil prodest mortuo, immo aliqualiter illi nocere poterit aut displicere, vt apparet in subsequenti exemplo. Erat fœmina quædam pulchra, quæ pulchrum quendam habebat filiũ, ingeniosum valdè & ad cunctas res habilẽ, sed satis citò migrauit à seculo. Vnde mater talem cõcepit tristitiam in corde & angustiã, quod incessanter diebus plorabat & noctibus. Accidit die quodam bonam hanc dominam in visione videre societatem iuuenum hominũ, qui valdè lætè & festinanter certum petebant locum, sed non vidit cum eis filiũ suum, inde magis turbata fuit, post hac cõsiderando vbi nam esse posset, percepit eũ longè post alios lẽto quidẽ gradu venire veluti si multum esset fatigatus. Tunc benignè eum interrogauit, cur nõ pulchra illa esset societate. Mox tanquam tristis respondit ei, tunicam suã in postrema parte prorsus madefactam, vnde tantum illa aqua grauabatur & onerabatur, quod socios suos sequi non poterat. Et adiunxit dicẽs: Bona mater supplico deinceps, sic flere desistas quemadmodum hucusque propter me fleuisti, sed dirige dulciter lachrymas tuas ad Deum cum sancta oratione, & paulopost in perfecta futurus sum saluatione. Hoc modo fecit ipsa, & filius eius omnino liberatus fuit. Sed dicet aliquis: multum mihi displicet me tali affici angustia & tristitia, sed eam auferre nequeo, nec excutere eã possum, adeò cordis tenet penetralia. Considera ergo in primis (vt prætactum est) quanta stultitia sit cor suum & amorem ad aliquam temporalem rem figere quæ mutari potest aut perdi. Et hoc tibi sit ad cautelã aliàs, vt tibi cauere posses si illud tibi accidere vellet tẽpore alio. Insuper bene admitto non omnino in potestate tua esse tales de cogitatione tua auferre passiones sine speciali Dei auxilio. Ideo bono corde ad ipsũ tibi recurrendum est per medium sanctorum & sanctarum eius, orando benignè quod de tali te deliberare velit tormento. Et scias certò Deum sic facturum si expediẽs sit aut citò aut tardè. Sicut enim dicit sanctus Bernardus: Pro certo teneamus & credamus nil nos postulare à Deo in sancta charitate perseueranter & pro nobis quin impetremus rem illam aut meliorem, quod nobis meritò sufficere debet. Et si dicas adhuc, quomodo esse possem non tristis & desolatus de morte proximi mei, cum sim in paupertate toto tempore vitæ meæ, vel tali aut tali inconuenienti? Scire debes Deum sufficienter esse potentem, sapientem & bonum, ad te in hoc mundo gubernandum, sicuti expediens est. Iacta igitur spem tuam & curam tuam principalem in eum, ad illum amandum & seruiendum ei, & ipse taliter tibi prouidebit vt consequaris sufficientiam. Secundum quod sanctus & probus homo Thobias filium suum admonuit, dicens: Considera fili mi nos pauperẽ modò super terrã ducere vitam, sed si timuerimus Deũ bona adipiscemur multa. Ad hoc est Saluator noster Iesus Christus in euangelio suo: Primum quærite regnum Dei, hoc est salutem vestram spiritualem, & omnes aliæ res necessariæ adijcientur vobis & dabuntur.

Octaua consideratio est

cogitando propriam vtilitatẽ & magnum (quod A nobis sæpius accidit) commodum per amicorum nostrorum mortem. Quod quidem commodum interdum spirituale est, interdum verò temporale, & si nobis non appareat. Quia reuera amici nostri sæpe varijs modis nostram impediunt saluationem. Ideo dicebat Saluator noster Iesus Christus in euangelio: Inimici hominis domestici eius familiares & cohabitantes. Ideo quia nos plerumque inclinant ad mundum amãdum & ad diuitias, honores & dignitates appetendas, quæ sæpe ad maximam nostram sunt perditionẽ. B Sic damna eorum infortunia nos magna afficiũt plerumque tristitia & cordis angustia. Eo modo sæpenumero Deum iratum facimus, hoc est præcepta eius transgredimus ne contristentur amici nostri, quæ res perniciosa est & damnabilis. Dicit ergo Augustinus, ad propositum hoc: Subtractio eorum ad hoc mundo eis sit tolerabilis, quorum præsentia cum dispendio erat & damno. Solet interdum augeri dolor & tristitia aliquorum, præsertim nobilium, cum per mortem filiorum suo- C rum progenies defecit & cecidit, quibus nulli succedãt hæredes in vera progenie, & hoc modò arma eorum necesse sit deficere, & nomen eorum quoad mundum obliuioni datur. Hæc consideratio certè admodum debili innixa est fundamento, vanitati namq; innixa est. Tales enim magno vanæ famæ in hoc mortali seculo tenentur desiderio, quæ quidem fama continuò mutatur, & præterit velut vmbra aut fumus quemadmodum cernitur, parumque est curæ illis vt in memoria sint perpetua gloriosi alterius vitæ quæ D sine fine est. Et hæc magna est abusio. Te quæso (vt ait Boëtius) vbi modo sunt magni imperatores, summi reges & gloriosi principes, qui omnem eorum curam posuerunt ad transitoriam mortalis huius mundi gloriam adipiscendam. Vbi sunt? Nonne iacent in terra absque nobilitate sine memoria & æstimatione? Profectò sic. Et sicut dicit propheta in Psal. de his qui in hoc mũdo sua celebrare voluerũt nomina, ac si ipse mũdus eorũ foret paradisus: Propterea sepulchrũ eorũ est extrema eorũ domus aut habitatio. Est misera domus. E Et Saluator noster in euangelio de talibus dicit iam eos recepisse mercedem & portionem eorũ.

Hac consideratione complures nobiles vt filij regum & ducum, parui æstimantes huius mundi gloriam reliquerunt omnes parẽtes suos, diuitias & possessiones, vt se omnino ad Deo seruiendum dederunt. Nec curabant si eorum deficeret prosapia quoad præsens hoc seculum, modo eorum nomen in æterna esset memoria cum his qui fideliter Deo seruierunt, cui seruire magnopere F est regnare. Et ad oculum cernimus multo maioris honoris & famæ esse benedictos sanctos paradisi qui contempserunt omnem gloriam mortalis huius vitæ, quam eos qui nisi sunt huius mũdi sibi comparare gloriam. Adijcio ad hoc quod (sicut iam tactum est) sæpe Deum maximum cõmodum corporale & spirituale afferre pluribus, cum eis ab hoc mundo subtrahit pueros aut propinquos. Sunt enim nonnulli qui ad promouendos & exaltandos propinquos suos in honoribus & huius seculi pompis ponunt omnem suam operam & diligentiam, nec requiem habent die nec noctu, & sæpius auarissimi efficiũtur, propter quod ponunt plerumque seipsos & eos quos promouere volunt in viam damnationis. Propterea dicebat Salomon: Vidi rem maximæ sub cœlo vanitatis hominem acquirere & cumulare cupidè diuitias huius mundi, non cessantem, nec requiẽ sumentem, nec tamen nouit cui dimitteret, aut si vllos habiturus esset successores. Ideo Dominus noster qui per innumeros modos creaturarũ suarum procurare nouit salutem vt auferat hominem de talibus angustijs & sollicitudinibus, illi interdum aufert vxorem aut pueros aut res alias similes. Et hoc singulis diebus experimur aliquos esse qui se omnino dedant ad Deo, ex toto corde seruiendum & mundum contemnendum propter huiusmodi occasiones, qui prius ne denariũ quidem propter Deum dedissent, ne propinqui eorum post mortem talium indiguissent. Dant seipsos & propria bona Deo pro spirituali salute. Et facile est scitu cũ tales venerint ad mortis horam, hoc singulare eis esse solatium. Legimus de duobus diuitibus personis adinuicem matrimoniali fœdere coniunctis, quæ ante omnia in hoc mundo prolem desiderabant habere ad quã impetrandam à Deo (qui omnia potest) continuò magnas elargiebãtur eleemosynas per quas multi pauperes sustentabãtur. Et quia Dominus noster plenus est omni beneuolẽtia, & interdum nostra adimplet desideria ad nos semper alliciendos in amorem suum illis dedit sobolem pulchrum videlicet puerum. Quid accidit? Mox parentes sui eius promotionem cogitare cœperũt more aliorum, & confestim à bonis operibus quæ facere solebant, manus subtraxerunt ad diuitias illas filio eorum seruandas ne vllam pateretur indigentiam: Tu Dominus noster illud videns, & quod pauperes (qui membra sua sunt) eo modo reditus eorum perdebant & sustẽtationem. Citò recipit quod dederat, & puerum illum de hoc abstulit mundo. Facile est creditu sic eum sæpius cõpluribus facere ad eorum vtilitatem. Sed vnusquisq; adeò amori huius mũdi est immersus quod illud considerare nequit. Adduci possent & recenseri exempla innumera ad supradicta confirmanda, sed breuitatis causa ea in præsentiarũ missa facio. Videtur enim sæpenumero aliquas diuites personas, quia nullos habẽt hæredes gubernare multos bonos homines, & interdum monasterium aliquod bonorum religiosorum quod prodest magis proculdubio & ipsis parentibus eorum mortuis & viuis & toti sanctæ ecclesiæ quam proficerent viginti aut triginta filij qui peruersæ essent vitæ & dissoluti, sicut plerumque accidit: Qui parentum eorum inutiliter dissiparent bona non orando pro eis in grande ipsorum præiudicium & damnum. Et hoc modo relinquunt homines maiorem de eis memoriam & famam post mortem eorum coram Deo & hominibus, quam facere possũt per omnes eorum hæredes. Per hæc quæ dixi non intelligo quin rationabiliter & secundum Deum proles desiderari & postulari possit. Quæ quidem proles fructus est matrimonij. Sed postquam habetur bene vtendum est ea, ne scilicet talis apponatur cura & amor vt de propria spirituali quis desistat cogitare salute.

Et

Et alia ex parte si non habeatur proles disponendum est se ad bonam patientiam erga Deum absque murmuratione. Et sic homo de omnibus suũ faciet cõmodum, de aduersitate videlicet & prosperitate. Hic dici posset in eos qui deflent & plãgunt sine confortatione filios eorum, & interdũ plus cum ingrediuntur religionem, quam si corporalem mortem obijssent, per hoc scilicet quod mundum reliquerunt, & se omnino ad seruiendũ Deo dederunt. Illi autem parentes omnibus modis contraniтuntur sanctũ eorum impedire propositum. Hinc difficile est quin malum aliquod spirituale illis accidat cum religio bene est obseruata bonis moribus & regularibus obseruationibus, sicut sunt nonnulli. Et qui nullam aliam legitimam habent retrahendi eos causam, quam propter carnalem amorem nimis ardentem & inordinatum quem gerunt ad filios eorum & parẽtes. Tales pessimè diuinam considerant gratiam, quã Deus eis facit, cum dignatur capere & dedicare eorum pueros ad suum seruitium, quod non vnicuique facit. Sicut enim per parẽtum bonitatem sæpius pueri saluantur, sic è conuerso per puerorum bonitatem referunt parentes similem saluationis fructum. Et per oppositum malitia viri nocere potest propter alterum. Propterea principalem suam curam adhibeat vnusquisque vt salutẽ suam operetur & aliorum quod si non fecerit saltem alios non impediat. Sicut enim dicit sapiens in prouerbijs. 3 ca. Noli prohibere benefacere eum qui potest, si vales & ipse benefac.

Nona consideratio est

de generali resurrectione, quæ in die iudicij est futura. Vnusquisque christianus considerare debet statum in quo est, videlicet christianitatis. Rationabilissimum est quod christiani qui credunt & expectant generalem resurrectionem omniũ in proprijs corporibus & animabus, quæ in hoc mundo habuerunt sint adeò certi & resoluti de resurrectione proximi, ne sint sicut pagani & infideles qui omnino existimãt homines mortuos esse in corporibus & animabus sicut mutas bestias nunquam resurgendo. Ad hoc propositum dicit sanctus Paulus in vna suarum epistolarum: Nolumus autem vos ignorare de dormientibus propter mortem eorum, quomodo resuscitabuntur vt coronentur, aut contristari more paganorum & infidelium qui de hac resurrectione spem non habent. Et notandum sæpenumero sanctam scripturam comparare hos qui sũt mortui ad eos qui dormiunt & quiescunt sicut Dominus noster Iesus Christus in euangelio suo dicebat suis discipulis de Lazaro Mariç Magdalenæ fratre, qui mortuus fuerat in Bethania: Lazarus amicus noster dormit, sed vadam vt suscitẽ eum à sõno illo. Et discipuli illi qui nondum hunc modum loquendi intelligebant, dicebant: Si dormit, tunc saluus erit. Tunc respondit Iesus clarius, dicendo: Amicus noster Lazarus mortuus est. Et vtitur sãcta scriptura hoc loquendi modo, mortem comparando ad corporalem dormitionem tribus de causis. Prima, quia queãdmodum per dormitionem homo quiescit à labore & afflictione quam vigilando habuit, sic per mortem quiescit de huius mundi pœnis. Secunda, quia quemadmodũ

non suscipitur dormitio ad semper sic manendum, sed pro paruo aliquo tempore, sic non fit corporalis mors nisi pro certo quodam tempore post quod semper viuetur in corpore & anima. Tertia est, quia sicut is qui dormit facile suscitari potest ab alio, sic multo facilius sine cõparatione potest Saluator noster hominem de morte ad vitam reducere, vt veluti eum de hoc somno suscitare. Et hoc faciet in vltimo die iudicij. Nolo dicere per prædictas considerationes, quin aliquis rationabiliter flere possit & plangere mortem parentum suorum amicorum. Conditio naturæ humanæ hoc requirit, & ad hoc faciendum compellit. Nec est interdum tam constans nec tam studiosus, qui prorsus abstinere possit propter naturalem quæ habetur passionem. Sed hoc intelligitur de lachrymis & tristitijs immoderatis & excessiuis, quas aliqui sumunt sine consolatione, adeò quod nec bibere possunt nec comedere quasi nullam in ipsis continentiã habentes. Quæ est res periculosa (vt dictum est) damnifera & omni personæ viro & mulieri inhonesta, specialiter quoad huius mundi honestatem. Recitat sanctus Augustinus in li. suo confessionum, quod cum bona mater eius Monica mortem obijsset, & ipse corpus cum bonis suis amicis sequeretur quod ad sepeliendum deferebatur se penitus à fletu & gemitu coram hominibus continuisse, ita vt sine dolore & compassione dictæ suæ matris videretur. Cuius (quare scilicet hoc faceret) rationem reddit quoniam inquit non existimabã honestũ & conueniẽs esse corpus sequi cum magnis gemitibus & planctibus. Hoc enim hi faciunt, qui de alia vita nullam spem habent post præsentem hanc vitam. Modo quamuis genitrix mea quoad præsens mortua sit seculum, firmiter inquit spero ipsam aliam viuere vitam multo securiorem & delectabiliorem vitam. f. gloriosam paradisi quæ fine caret. Attamen nominatus sanctus Augustinus quemadmodum de seipso testatur cum corpus sepultum esset, & ipse solus in cellula sua esset, reduxit ad oculos cogitationis suæ memoriam bonæ eius genitricis quæ tam dulciter eum nutrierat & precibus suis ad catholicam fidem conuerterat. Et tales habendo considerationes emisit dulces lachrymas quas diu intra se coram hominibus continuerat & compresserat, quæ dulciter decurrerunt. Atque deuotè orabat Dominum nostrũ quod misereretur bonæ suæ matris, & ei omnia delicta sua quæ per humanam fragilitatem in hoc mundo commiserat parceret. Et quamuis magnam in Deum haberet fiduciam omnia iam illi condonata esse, nihilominus tamen (vt dicebat) timendum est periculum in quo moritur omnis homo qui in peccato Adæ primi patris nostri natus est. Facile sciri potest dictas lachrymas dulces fuisse & temperatas, deuotæ quoque orationi permixtas.

Dilatari possent hæ considerationes innumera allegando exempla & autoritates ad hoc conducentes. Sed pro finali cõclusione bene aduertatur documentum in septima consideratione positũ. Non sc. habendo nec affectionẽ suã nimis apponẽdo ad quãcunq; rẽ trãsitoriã quãtumcũq; bona videatur & secura, modò quis decipi non velit.

Sed si volumus iocundum habere amorem & in sancta conscientiæ viuere pace, quæ superat omnia alia gaudia mundana, illum amemus qui nec amittitur nec mutatur nisi prius deseratur. Et est dulcis redemptor noster solus & verus amicus qui nunquam deest in necessitate. Qui vt nobis adhærere daret & adiungi amori suo & de amore huius mundi nos reuocaret brachia sua preciosa in crucis arbore extẽdit, mortem patiendo ignominiosissimam verendam & angoribus plenam, vt nos de manibus inimicorum nostrorum redimeret & transferret nos (nisi ipsi obstiterimus) ad benedictum regnum suum in quo per gratiam suam nos inuicem omnes videre nos possumus in perenni gaudio cum benedictis sanctis suis, qui plenè Dei in cœlis faciunt voluntatem, sic fiat & in terra: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Amen.

TRACTATVS DE CONSOLATIONE MORTIS PARENTVM.

Fiat voluntas tua. Hæc est tertia petitio quam Saluator noster Iesus Christus nos docuit facere, & quam ipse ter fecit ante benedictam passionem suã in monte olivueti, cum præ angustia & tristitia sanguineas guttas sudauit pro nostra redemptione. Debet itaque esse verbum hoc finis & meta omnium orationum nostrarum & omnium necessitatum nobis superuenientium. Et super hoc fundatur prima & principalis consideratio parui cuiusdam in gallico tractatus, nouẽ continentis considerationes, qui vocari potest consolatio de morte amicorum suorum. Verum est aliquas solere fieri dubitationes & quęstiones, aut per impatientiam, aut per ignorantiam quomodo persona non debeat dolere de amicis suis, & quomodo voluntas hominis conformari potest voluntati Dei in casu tali, & dicere sine mendacio aut fictione: Fiat voluntas tua. Respondebimus ergo ad hoc per vnam considerationem alijs nouem iunctam, vt dictus tractatus eò sit perfectior. Et dicamus quod secundum communem vsum loquendi generaliter de voluntate pro affectione, desiderio appetitu aut inclinatione, quatuor modos inueniemus voluntatis. Vna quidem est volũtas naturalis sine cognitione. Altera naturalis cum cognitione. Tertia rationalis est per conditionem. Quarta est rationalis absoluta, simplex & affirmata sine conditione. Sumamus igitur pro declaratione huius distinctionis aliquas doctrinas theologicas, morales & philosophicas, vt verbum hoc. Fiat voluntas tua, melius intelligatur. Prima doctrina. Voluntas naturalis sine deliberatione semper conueniens est & conformis voluntati diuinæ & suæ primæ institutioni. Sicut in exemplo: Deus vult lapides & res graues deorsum descendere & leues sursum secundum naturalem inclinationẽ, quam largè dicere possumus voluntatem. Plantæ diuersæ nutrimentum eorũ desiderant per pluuiã & solem, aliosq; modos. Deus vult omnes bestias irrationales, aues & pisces desiderare & velle quod ad earũ spectat naturas in valde diuersis maneriebus, tã propter earum considerationem, quam propter

A continuationem ipsarum in specie & successione. Et hic conspicitur pulchra intellectus occupatio, videre in particulari diuersas industrias & naturales inclinationes cũ sensuali seu sensitiua cognitione admixtas. Et qui altius hãc vellet extollere materiã, deueniret vsq; ad inclinationẽ naturalẽ volũtatis creaturæ rationalis erga Deum & erga virtutes in generali. Quæ quidẽ volũtas verbo Græco dicitur synderesis, & latinè scintilla rationis, quæ semper ad bonum inclinat, etiam in damnatis. Ideo eis continuò reuertitur conscientiæ remor-

B sus, qui est vermis pungens & tormentum quod mori nequeunt. Secunda doctrina. Voluntas naturalis sine deliberatione peccare non potest, vt ipsa est, hoc est sine hoc quod deliberet. Hæc doctrina sequitur ex præcedenti, quia peccatum non fit sine deliberatione. Exemplum si homo aliquis est eleuatus in altũ & decidat sua grauitate, ille descensus & casus non plus est peccatum, quã si lapis descenderet, si voluntas deliberatiua non sit aliquo modo in causa. Similiter si homo affi-

C ciatur fame & siti propter defectum nutrimenti, non est peccatũ, si voluntas deliberata non faciat ipsum vtendo cibo ipsi prohibito aut aliterquam deberet.

Consequenter si homo delectetur rebus aspectu pulchris, auditu, odoratu, gustu, aut tactu. Et per contrariũ si delectetur rebus inutilibus, oculis, auribus, gustui & sensui, non est de se peccatũ, quia hoc est secundum naturalem inclinationẽ. Verum est peccatũ aliunde euenire, queadmodũ

D in sequentibus tangemus. Cum enim voluntas deliberatiua suum prębet consensum contra Dei voluntatem, vt in aduersitate per impatiẽtiam & in prosperitate per stultam complacẽtiam, peccatum est. Et per oppositum meritũ est & virtus cũ persona sustinet patiẽter aduersitatem, & refugit prosperitatem, non transgrediẽdi Dei legẽ. Ideo non est impatientia, cum persona patitur & ingentem sentit dolorem naturalem. Modò non se dedat ad agẽdum aliquid contra Dei mandatũ ad hunc euitandum dolorem. Immo tanto maior

E est patientia quanto grauior est dolor & afflictio. Et bene notetur atque intelligatur. Verũ est voluntatem naturalem sine cognitione à naturali voluntate cognitionem habente differre. Prima enim non habet vllam delectationem nec tristitiam, in eo quod sibi conueniens est aut disconueniens vt apparet in lapidibus & arboribus. Sed voluntas naturalis cognitioni cõiuncta, voluptatem capit aut displicentiã, secundũ quod percipit rem conuenientẽ aut discõuenientem, quæ se illi cõiungit. Hinc est quod bestia aut homo etiã de-

F lectatur, cũ desideriũ suũ adimplet bibẽdo vel comedẽdo, quãdo fame afficitur aut siti, quæ illi tristitiã afferunt. Dicamus prætereа, quod voluntas rationalis quæ propriè dicta est voluntas, deliberationi cõiuncta est, quia eligere potest hanc aut illam partem vt vult, non autem naturalis. Hæc voluntas inquam est illa, qua dicere Deo debemus ex nostra voluntate, Fiat voluntas tua, quia ipsa hæc nostra voluntas liberũ velle habet quod velit id quod Deus vult. Et hic est quæstio & difficultas principalis, quomodo nos sẽper voluntatẽ nostrã ad Dei reducere debeamus voluntatẽ.

Opus

Opus est ergo secundum voluntatem tactam de duplici nos loqui voluntate, rationali vel deliberatiua. Vna est, vt per conditionem aut optionem & desiderium. Altera est sine conditione, vt per stabilium desiderium aut electionem. Exemplum; Homo aliquis erit in mari qui peribit, nisi omnes merces suas deijciat in mare, voluntas sua conditionalis per desiderium aut optionem esset, quod merces suas saluare posset, sed voluntas sua sine conditione & per electionem est vt se saluet, obedire & velle quod nauis patronus præcipit aut consulit. Et valde notetur hoc exemplũ, quod mille modis poni posset.

Tertia doctrina: Voluntas rationalis & deliberatiua quæ fit per cõditionem, vt modò dictum est, non repugnat voluntati Dei, quia hæc voluntas fuit etiam in Iesu Christo, cum desiderabat salutem totius generis humani, quamuis sciret totum humanum genus non esse saluandum in singularibus personis. Et hæc voluntas potest nominari volũtas misericordię, pietatis aut compassionis. Hæc voluntas non peccat, quia non est absoluta, aut affirmata in se, verum semper reducitur ad primam & principalem Dei voluntatem, ad exemplum orationis Iesu Christi de qua diximus. Exemplum, filius legitimus sentiet paternam mortem & hæreditatem sibi cessuram, filius hic lætari poterit de hæreditate sibi veniente, quia indigentia humana ad hoc inclinatur. Ex parte altera tristis erit & mæstus de morte paterna. Interrogabitur. Velles ne patrem tuum mortuum non esse? Facile cognoscitur ipsum dicere sic. Vellem eum ad huc superuiuere. Et si deuotus est christianus adijciet si esset Dei voluntas. Et hæc est volũtas conditionalis. Interrogabitur vlterius. Velles ne paternã habere hæreditatem? Teneo eum respondere posse, hęreditatem hanc de iure suam esse, quam vellet & debeat habere. Interrogabitur præterea. Velles ne patrem tuum mortuum non fuisse, & quod nunquam hanc consecutus esses hæreditatem? Hic requiritur modus respondendi, sicut in talibus scrupulosis quæstionibus quæ varijs modis formari possunt, secundum quod alibi data est doctrina quomodo se habendum sit. Et pro generali regula magis expediens est declinare, fugere aut mittere tales comparationes quia difficile est humanam non cadere aut labi creaturam in vnum duorum inconuenientium, quorum quidem vnum est præsumptio aut arrogãtia, alterum mendacium seu deceptio. Exemplum de primo, cum sanctus Petrus ait se velle mori cum Iesu Christo potius quam negaret eum. Exemplum secundi in Iuda, quia simile dicebat per fictionem, quod sanctus Petrus per præsumptionem. Magis ergo securum est consilium in talibus quæstionibus per distinctionem respondere aut omnino desistere, aut alio suam vertere cogitationem, aut talem fugere interrogationem. Curiositas tamen sæpe compellit respondere. Fiat ergo respõsio per distinctionem exẽplo puerorum cum quæritur ab eis, quem magis amẽt patrem, sc. an matrẽ. Respondẽt sine comparatione bene. Diligo patrem meum & matrẽ meam. Pariformiter in casu nostro si hæres interrogetur vt dictum est de patre suo mortuo, secure respondere poterit. Vellẽ pa-

A trem meũ bona frui vita, potest etiã dicere, non renuo, sed bene volo talem possessionẽ aut hæreditatem. Sed eum compelles. Velles ne patrem tuum è viuis non excessisse, & quod talem habere non deberes hæreditatem? Virtus sua & constantia talis esse poterit, quod sine præsumptione aut fictione dicet: Vellem patrẽ meum viuere, & nunquam me hæreditatem suam possidere debere. Fragilitas sua vt accidit talis esse poterit, quod hoc dicendo mẽtietur. Ideo prima responsio assimilabitur responsioni puerorum & est securior. Et quoad, modum quomodo libera

B voluntas deliberatiua vti debet volũtate naturali & sensuali, sunt doctrinæ morales communes sufficienter datæ quę dicunt de diuersitate quæ inter philosophos est Stoicos & Peripateticos. Peripatetici enim rationabilius loquentes secundum veritatem, & conformiter ad theologiam, posuerũt nos non posse omnino naturalẽ auferre volũtatem aut sensualem, sed sufficit voluntatẽ deliberatiuam superari, & liberã dominari & magistratum tenere. Et cum homo facit contrariũ dicitur

C peccare in affectionibus suis naturalibus & sensualibus, non autẽaliter, quia eas omnino tollere nõ potest, itaquod in sensibilis more lapidis efficiatur, secundum quod Stoici dicere cogebantur cõtra experiẽtiam & omnem rationem. Sed remanet difficultas principalis de voluntate Dei quã nos dicimus permissiuam seu permissionẽ, si voluntas nostra ipsam velle debeat aut approbare. Et super hoc sit quarta doctrina.

Quarta doctrina. Volũtas de qua meminit tertia doctrina quę deliberatiua est, si sine cõditionẽ

D sit firma vel affirmata, semper referri debeat ad volũtatẽ Dei absq; murmuratione & contrariã impatientia. Verũ dicere debet semper. Fiat voluntas tua, quia velit nolit, volũtas sit aut fiet. Verum est poni solere quinque aut sex signa voluntatis Dei. Vnum est de præcepto, aliud de prohibitione. Et his duabus voluntatibus obligamur consentire siue concordare, & nobis placere debet Deum sic præcipere, aut defendere saltẽ non debemus in contrariũ murmurare. Quoad volũ-

E tatem consilij sui non obligamur eam adimplere. Attamen ipsam honorare debemus, non impugnare. Pariformiter quoad voluntatẽ de omni illo quod operatur per bonum suum beneplacitum, quia hæc voluntas dumtaxat est respectu boni. Sed quoad volũtatem permissionis est maior difficultas, quo pacto humana sese habere debeat voluntas, quia hæc voluntas non dicitur nisi respectu peccatorũ & operationũ damnandarum ac detestandarum, vt permittit & fert dam-

F natorum damnationem, & obstinationẽ obstinatorum, malitiã malorum, subtractionẽ gratiæ peccatoribus. Interrogabitur ergo sic, exẽpli gratia: Volũtas tua assimilaturne volũtati Dei, quod velit separari à Deo, & esse extra gratiam suã in peccato mortali indignus paradiso ad damnationem æternam destinatus? Credo nullũ adeò esse insensatum, qui respõderet voluntatẽ suam esse talẽ, neq; quisquã est qui taliter dicere debet aut cõsulere. Sed quid faciet sẽsus talis quis est cõtrarius Dei voluntati, volũtati inquã permissionis, quę propriè loquẽdo nõ est sua volũtas, sed est ira sua, displicitum suum, & iustã contra peccatũ in-

dignatio. Respōdeam, voluntatē Dei quā dicimus permissiuam propriè non esse affirmatiuam, sed negatiuā vel priuatiuā. Ideo non oportet dare propriè volūtatem affirmatiuam, verū potius negatiuam, in hunc modum Deo dicēdo: Deus noster pater cælorum vis & principis ne peccemus, verum est quod ad benefaciēdum nos non compellis, & si peccare volumus, illud fers & tuā nobis aufers gratiam, quod te iustissimè facere posse fateor equidem, sed chare domine Deus te rogito mihi parcas quod facio ac feci malum, & quod tu pateris me facere. Atque modo & deinceps non patiaris me contra tuam peccare volūtatem. Est quasi dicere vt tuam auferas permissiuam voluntatem, & eam conuertas in volūtatem tui bene placiti, per hoc vt agam bonas operationes. Scio enim te nō velle me in peccato permanere, & sine gratia tua esse, posteaquā mihi præcipis cōtrariū. Hęc assertio nimis bonitati tuę est cōtraria dicere te velle quod peccē, & te me peccare facere, cū tam districtè peccatū prohibeas & punias. Possumus secūdum has quatuor doctrinas, quæ (vt verum dicatur) difficiles sunt & sine cōtinuo vsu & meditatione intellectu subtiles. Dicere possumus & cognoscere modū concordandi voluntatem nostrā voluntati diuinæ in omnibus casibus simpliciter nostram vtilitatē, siue sit prosperitas, siue aduersitas, siue in propria persona, siue in alio, siue in virtute, siue in peccato. Et hoc est veluti lux quædā quæ monstrat & ostēdit viam bene vtendi, tractatu superius de consolatione mortis parētum nominato, per decē considerationes qui incipit: Eò quod omnis humana creatura, qui multo tēpore ante hanc primam considerationem fuit compositus.

SOLEMNIS ORATIO EX PARTE VNIVERSITATIS PARISIENSIS

facta per excellētissimum doctorem Ioannem Gerson, in præsentia regis Caroli sexti, Delphini, complurium que ducum & comitum atque dominorum de stirpe regia, insuper & multorum singulorum statuum hominum.

Viuat rex, viuat rex, viuat rex. iij. Regū. j. Viuat corporaliter, viuat politicè & ciuiliter, viuat spiritualiter & indesinēter. Iustis de causis (vt mea fert opinio) offert ac proponit salutationē istā regis filia studiorū mater, pulcher & clarus sol Frāciæ, imo verò totius christianitatis, Parisiensis Vniuersitas à qua huc missi sumus in honorabilissimū cōspectū vestrū ô rex nobilissime & excellēs princeps, & omnium dominorum sublimis & sapiētissimi consilij, quod iure optimo dignitatem, magnificentiam & regalem repræsentat maiestatē. Missi inquam sumus vt de vita regia, de bono suo, totiusq; regni à nobis sermo habeatur, non per magistralē quidem autoritatē aut præsumptionē vllam, absit talis omnis suspicio, sed omni cum humilitate, deuotáq; exhortatione, sicut patri obedientissima filia, sicut subdita iustissimo suo & supremo domino. Eapropter per preces, supplicationes aut impetrationes suum sumit initium, Israelitici populi verbo ad Salomonem vtendo, cum Dauid se adhuc superstite. Salomonē thro-
A no suo iussit insidere atque regnare, quamuis esset admodū teneret iuuenis. Sicut notatur. 1. Paralip. 3. Id autem factum est ad matris eius Bersabee suppliciationem. Tunc iuxta regium mandatum, approbationisque lætitiæ & exultationis signum, vociferare totus incepit populus: Viuat rex &c. Legimus. Daniel ij. ca. quod cum magnæ Babylonis sapiētes, qui tunc vrbis illius vniuersitatem agebant, ad Regem Nabucodonosor venissent pro somnij sui expositione, eorum sermo nostro assimilabatur sermoni. Rex inquiunt,
B in sempiternum viue. Viuat rex, est pulcher accessus, sapiensque salutatio. Quid igitur mirum si regis filia eam imitetur sapientiā ad dictæ vniuersitatis assimilationem? quia vltra acquisitas & naturales scientias, quibus illa solū præstabat, hæc Parisiensis Vniuersitas, prima est & principalis scientiarum inspiratarū primo homini à mundi initio in terrestri paradiso, quæ per successum ad Hebręos deuenerunt per Abraham, vt Iosephus scribit ad Ægyptios, de Ægypto ad Athenas, de
C Athenis ad Romam, à Roma deniq; ad Parisios. Hæc inquam Vniuersitas multo præclariorē verę fidei sempiternæque vitæ quam altera habet cognitionem. Quam ob causam lumen fidei, veritatis magistra, clarum lumen totius sanctæ ecclesiæ & christianitatis est appellata. Eapropter scit & debet iure optimo dicere. Rex in sempiternū viue: Viuat rex.

Considerat & nouit etiam regis filia suum bonum, suam fortunam, suum honorem suā custo-
D diam atq; protectionem à rege vt vero patre dependere, per benignam, ciuilem, & dignatiuam adoptionem. In salutem illius est salus sua. Quid ergo mirandum est si ipsa desiderat, & precatur bonam regis vitam? dicitque: Viuat rex. Insuper regis filia, excellentiorem titulum eidem assignare profectò nō possumus, dirigit ac deflectit per vniuersum Gallię regnū suæ oculos cōsiderationis, sole clariores, atque Argi oculos numeriosiores. Quapropter illi quā Ezechiel vidit bestiam, non immeritò comparari potest plenā oculis an-
E te & retro, intus & extra. Ezechiel. j. Heu in sua quid perspicit consideratione? Videt turbationē per omnem contumeliam, perq; cruciantia tormenta. Videt pluribus in locis oppressiones populi crudeles, violentiā pro iusticia, rapinam pro misericordia, destructionem pro protectione, subuersionem pro sustentatione, pro pastoribus spoliatores, pro defensoribus persecutores, puellarum violationes, maritatarum prostitutiones. Et profectò in sanctis nonnullis locis fieri prophanationes locorum talium sanctorum, homi-
F cidia plurium, immo quod peius est horrendum & abominādum hominē seipsum occidere per insaniam & desperationem, quoniam mala ad quæ compellitur, ferre non possit. Et vt breuiter dicam, ipsa videt verendam & miserabilem regni huius (quam Deus auertat) dissipationem, nisi remedium conueniēsque apponatur prouisio. Nam secundum quod scribitur. ij. Machabeor. 4. cap. omne summi sacerdotis iudicium, sine regali prouidentia impossibile est rebus pacem dare. Ad has res regis filia vigilantissima huius regni potentissimi christianissimique alta clamitat

clamitat voce per ploratus & suspiria: viuat rex. Cur? Quoniã nouit optimè quod ait sapiẽs Prouerbiorum.20. Rex qui sedet in solio iudicij, intuitu suo dissipat omne malum. Ecquis est suus intuitus? Est eius consilium. De quo alio in loco dicit sapiens: Ibi salus ibi multa consilia. Velit Deus vt hoc intuitu dissipentur omnia mala, quemadmodũ expediens esse cognoscit, & nos omnes speramus cum eos respicimus, qui ob illam rem nobis hic assistũt, atque nos vsque adeò benignè audiunt. Sed vlterius filia regis scientiarum mater scit & cognoscit per theologorum, iuristarum, philosophorum & poëtarum doctrinas, & præsertim per expressam Aristotelis in politicis determinationem, quod regnum est politia & gubernamen melius, durabilius conueniẽtius & rationabilius quam quodcunque aliud, quod sit ad totius vniuersi gubernationis exemplar, quæ fit per vnum Deum supremum. Mundus inquit Aristoteles 12. Metaph. non vult malè gubernari, & pluralitas principum seu principatuum est mala, vnus ergo princeps. Sic Homerus, sic Plato, sic complures quantumcunque ad extra, vt populo placerent, idololatræ senserunt. Sic minor mundus, hoc est homo, vnam solam omnia intra se regentem animam habet rationalem. Habemus. j. Machab. 2. capite, quod post mortem Alexandri qui solus dominabatur, creati & diuisi sunt plures Domini. Sed quid dicit textus? Et multiplicata sunt mala in terra.

Nulla fides regni socijs omnisque potestas.
Impatiens consortis erit.

Nec fides nec lex est his qui simul regnant siue dominantur. Cognoscite ergo ô nobilissimi & excellentes Domini, quomodo magno iure & iusta de causa filia regis Franciæ bonum totius rei publicæ desiderans regimen, optat & petit viuere vnum principem, vnum regem, vnum singularem Dominum. Ideo dicit: Viuat rex. Et finaliter quoad hoc, quis est quin bene iudicet, & cognoscat detestabile, maledictum & execrabile scisma, quod tam longo tempore totam dissipat & deuastat ecclesiam, nunquam cõuenientius extirpari seu extrudi posse, quam per christianissimum, Franciæ regem, suorum prædecessorum exempla sequentem. Quantum ergo quilibet bonus christianus desiderare debet, quærere & amare sanctæ ecclesiæ, immo totius christianitatis pacem tantum debet dicere, precari & supplicari: Viuat rex. Recitat nobis Biblia Neémias. ij. quod cum Neémias legis doctor vellet à rege Babylonis Israëlitici populi captiui liberationem impetrare, ac etiam Hierosolymitanum templum reædificare, sic sermonem incepit: Rex in sempiternum viue. Debet igitur regis filia, legis magistra quoad libertatem, Franci populi & templi (nõ quidem materialis, sed spiritualis & mystici totius sanctæ ecclesiæ) restaurationem dicere & incipere: Viuat rex. Qui sic non optat & desiderat, aut qui regale Dominum in aliam mutari vellet politiam aut cassari destrui, siue maliciosè diminui, ostendo & pronuncio talem se non demonstrare legitimum sanctæ ecclesiæ alumnum, nec bonum regis subditum, & (quod peius est) Deo & Dei resistere ordinationi. Illud specialius locum in regis Franciæ potestate quam in alijs. Quare? quia

A eius potestas singularius quam aliæ potestates à Deo approbata & honorata est. Ecqui? quoniam cum sanctus Remigius Clodoueum primum Regem Christianum baptizaret, eum vnxit sanctæ lampadis oleo miraculosè missæ: quẽ consecrauit in signum potentiæ, & tanquam sacerdotali aut pontificali fungentem dignitate. Hic itaque Dei miraculis contradiceret, & tanquã scismaticus & seditiosus reputandus esset, qui huic precioso & pulchro huic non consentiret clamori, quod legitima & deuotissima regis filia

B singulis adimplet diebus: Viuat rex, viuat rex.

Verum est materiã in præsentiarum proponẽdam, tractandum & Deo dante bene terminandã, talẽ in se difficultatẽ, sublimitatẽ & arduitatẽ habere, vt non bene deduci possit, aut cõueniẽtem sortiri effectũ absque speciali spiritussancti gratia & illius qui dicit. Sine me nihil potestis facere Ioan. 15. In cuius manu sunt omnia regna mundi. Estque valde congruum semper incipere ab oratione quemadmodum regis filia à prin-

C cipio in processionibus & missis effecit, & adhuc perseuerat supplicãdo: Viuat rex. Quoniam cor regis (inquit Sapiens Prouerb. 20.) est in manu Dei, vita sua, sanitas sua, regnum suum prosperitas sua. Et mihi quid, qui in scientia & eloquentia meam sentio insufficientiam, & in alijs omnibus ad tam sublimem & adeò dignam materiam proponendam. Et (vt res postulat) viuaciter & propriè exponendam habita metuendissimę præsentiæ vestræ ratione cui grãdis inest di-

D gnitas, excellentia & prudẽtia, sicut nemo ignorat. Quid inquam agendum est mihi? quò recurrendum? nisi principaliter ad Dei auxiliũ. Et quia ad id ego non sufficio, & materia publica vnum quemcunque tangit & comprehendit. Exurgemus si placet communi concordia deuotóque consensu corda nostra leuando ad Deum, sine quo nihil possumus. Iaciamus spem nostram, desiderium & confidentiam suo in auxilio. Et in nobili hoc consilio deuotũ hymnum qui mysticus est, exordiemur, qui & dicitur, cũ sanctæ ec-

E clesiæ celebrantur concilia, vt Deus secundum promissum suum ibi sit vbi multi non tantũ duo aut tres in suo nomine congregati sunt. Et dicamus vt bonum nanciscamur principium, mediũ & finem. Veni creator spiritus mentes tuorum visita, imple superna gratia quæ tu creasti pectora. Comple precamur bonũ in nobis desideriũ, per sanctã tuam ac secretã inspirationẽ. Et quod est illud desiderium? Tu nosti: Viuat rex.

Et tu nobilissime & excellens princeps. P. & vos Domini mei omnes patienter & benignè

F quæ dicã intelligite, non personã considerando (humilis enim pauper & indigna est) nec ruditatem aut sermonis indiscretionẽ, sed potius ad factũ in se respicite, quod adeò iustũ est, nec aliud in conclusione nisi viuat rex. In Dei gratia, & cõfidentia beneuolentiæ vestræ. Et quoniam materia de qua locuturus sum, & regis filia pro qua dicturus sum, beneuolã debent habere audientiã absque tędio & mala suspicione nocendi cuicunque personæ paruæ aut magnæ. Id Deus à me prohibeat. Nimis enim obligor omnibus & malè pax per iniuriã inuestigaretur, procedã er-

go vlterius in facto nostro, sed prius humilem faciam gratiarum actionem & deuotam supplicationem. Gratiarum actio est ad Deum supremū regem, ad beatam virginem Mariam, ad sanctum Dionysium Franciæ patronum, ad totam cęlestē curiam, & ad vos excellentissimos dominos hac de causa, quia omnes nos humiles vestri subditi, profectò magna cum lætitia & iocunditate cordis, vos intuemur præsentialiter congregatos, communi quadam cōcordia confirmatos, & per iuramenta & per litteras cōiunctos, vt bonæ ordinationi, regiæ dispositioni, & regno suo superintendatis. Bene igitur inceptum est perficiatur quod supplicat regis filia: Viuat rex. Et proculdubio valde necessariū est talem fieri concordiā. Aliter enim quomodo congruè ad regis factū & regni procedi potuisset? Lib. 4. ca. 2. recitat Valerius, plures Romanos inimicitias & mortalia odia ad inuicem habentes, cum primum se ad officium aliquod reipublicæ simul eleuatos conspicerent ad concordiam venisse, vt fuerūt Marcus Æmilius, & Fuluius Flaccus. Itē Sextus Liuius & Nero contra Hasdrubalē. Si enim ciuitatis gubernatores inter se diuisi sint, plus alter alteri nocere conabitur, & quod alter effecerit destruere quam aliud quicquam, quin etiam cōcordia bona & vnio vestra, malè vobis volentes cōfundet, iocunditatem bonis tribuendo amicis. Quia vt dicit Sapiens: Frater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma. Et virtus vnita est fortior seipsa dispersa. Affirmat Iulius Cæsar, quod Francorū consensui totus mūdus resistere nō posset. Quomodo erit talis consensus? Per principalium dominorum concordiam. Si autem dissensio fuerit omnia diuidētur, effusa est contētio super principes, & errare fecit in inuio & non in via. Ad id facit historia per Macrobium de Athenarum rege recitata, qui hac consideratione cum filio suo in gratiam redijt, quāuis eum grauiter prius offendisset, videmus ad mala agēda homines congregari, & vniri Herodem & Pilatū, vt Iesum Christum persequerentur. Latrones vt spoliēt & furētur. Infernales inimicos, vt eorum astutijs homines grauentur. Multo plus vniri debēt domini ad bene agendum quoniam eorum dissensio nimiū est nociua. Et vt dicit Horatius: Prorsus super miserum recidit populum, quicquid delirant reges plectuntur Achiui. Gratię Deo qui hāc bonam vobis tribuit voluntatem. O quam manum bonū. O qualem iocunditatē in hac vnione intuemini, potius quam discordia, Deus bonam concedat perseuerātiam. Hæc est supplicatio nostræ adiuncta gratiarum actioni, vt perseueretis de bono in melius, alioquin hæc parum prodessent. Sed dicet aliquis: Est fortassis pax ficta & cōficta, est dissimulatio ad magis nocendū & aggrauandum populum. Omne præteritum obliuioni tradi debet. Post inimicitias iram meminisse malorū est, ait Cato. Dicit Tullius in Iulij Cęsaris laudem, quod nihil obliuiscebatur prętor iniurias, quod illi ad victoriam obtinendam non parum præstitit adiumenti, & ex ingenuo emanat animo. Fieri potest (domini mei) hactenus multa facta & dicta hincinde esse, nunc per hos, nunc per illos, quæ ad vnius tendebant depressionem, aut alterius exaltationem, eò quod

A vnusquisque magistro suo & parti suæ bene seruire & complacere nitebatur. Verum id obesse nō debet, immo potius dicendū est, quod Octauianus Hærodi ait, qui pro Antonio contra eum fuerat, fatebatúrque se Octauianū destruere voluisse, vt bene famularetur suo magistro. Non inuidemus (inquit Octauianus) virtutibus, si cū aduersario meo seruires, illi fidelis fueris. Sic mihi quodque facies, cum meas tutaberis partes, atque ei veniam dedit. Considero insuper dissensionem locum habere potuisse absque odio aut beneuolentia, quemadmodum inter sanctū Paulum & Barnabam, quod fit cum certo Dei non

B sentitur voluntas, in eo quod agendum est. Sicut in Daniele habemus de duobus bonis angelis secundum sanctum Gregoriū, Sed ponamus odia & iniurias interuenisse. Nōne melius est eas deleri atque obliuisci propter bonum regis & totius regni, quam in destructionem omnium & euersionem continuari? Legimus Græcos quandoque vt bonum publicum melius sese haberet, communem fecisse concordiam, quæ manestra

C nominabatur, quam nos abolitionē dicere possumus, in qua de omnibus venia dabatur, absque vllius iniuriæ aut vltionis in posterum memoria. Multi nobiles Romani eligebant potius extremam obire diem, quam destruere, aut patriam aggrauare, quātumcunque iniustè per suos exularent. Patuit de Themistocle, qui ob eam causam inter sacrificandum thaurinum potauit sanguinem. Omnia ergo regis ac regni donentur, nec iusiurandum à vobis præstitum flocci pendendum est. Iuramentum vinculum forte est,

D si modo licitum sit, nec est qui de eo dispensare possit, & præsertim cum sit propter tam magnū bonum. Scimus ne de Regulo quantumcunque pagano quod potius elegerit ad suos reuerti inimicos Carthaginēses, quam suam promissionem falsam reddere, & irritari ingenui hominis promissum, & regis verbū seruari debent. Ob eam causam rex Ioannes Angliam repetijt. Iepte propriæ filiæ non pepercit. Nec mirandū est, si vos domini mei iuramentum præstiteritis bono re-

E gis & regni vnanimiter intendere velle, cum & id in sua institutione rex noster iuret. Abeant igitur adulatores hinc & illinc, vtriusq; scilicet partis, quo perficta sua verba pręliari facerent petras aut fere paradisi angelos si audirentur, aut eis fides adhiberetur. Studium eorum omne est diuisiones omnes seminare per iniquas relationes, vt boni appareant famuli, aut boni amici, aut vt cōplaceant. Sciunt enim optimè libenti animo de eis qui odio habentur mala verba audiri. Au-

F diantur verba pacifica vt pax perseueret quemadmodum supplicamus. Extrudatur quicumque culpa sua primam concitabit discordiam. In ea conscientia & bona spe reuertar vnde digressus sum, & declarabo quid petatur per pulchrum illum clamorem: Viuat rex.

Diuisio huius propositionis. Tam in naturæ libro quam scripturæ triplicem reperio vitam. Vitam corporalem, carnalem & personalem. Vitam ciuilem, politicam aut vniuersalem. Vitam gratiæ diuinæ siue spiritualem. Prima defectibilis est. Secunda permansibilis. Tertia perdurabilis. Prima vita corporalis scilicet in coniunctione

iūctione animę & corporis manutenetur, de qua Genes. 2. Factus est homo &c. Et propheta: Quis est homo qui viuet? Vita ciuilis in coniūctione & vnitate domini, & subditorū in vna lege & iusta ordinatione cōseruatur. De hoc philosophus ponit in politicis quod in legibus est vita ciuitatis. Et apostolus comparat corpus mysticum ad verū, eadem ratione ad Roma. 12. & 1. ad Corin. 13. & ad Ephe. 4. Tertia vita spiritualis manutenetur per coniunctionē Dei & animæ in charitate & amoris vnitate, de qua ad Gala. Viuo ergo iam non ego, viuit verò in me Christus. Vnamquamque harum vitarū & omnes simul postulamus regi nostro dicēdo: Viuat rex, viuat corporaliter, viuat ciuiliter, viuat spiritualiter. Hic rectè sermo haberi posset de tribus pulchris liliorū floribus aureis in campo armorum regalium scuti resplendentibus. Posset etiam adduci fictio poëtica de rege Herilo, quem dicit Virgilius tres habuisse animas & tres vitas. 8. Æneidos.

Nascenti cui tres animas Seronia mater
Horrendum dictu dederat terna arma mouenda
Ter leto sternendus erat---

missa faciamus hæc & dicamus. Vita prima defectibilis est, hodie rex, cras moritur. Eccles. 12. Secunda vita diuturnior est, quia per legitimā regalis stirpis deriuatur successionem. Estque amabilior prima; quantum bonum publicum præstat priuato. In cuius signum princeps bonus corporalem suam exponit vitam pro ciuilis vitæ tuitione. Exempla sunt innumera. Tertia vita diuina est & perpetua, quæ alijs duabus longè est præstantior. Nam vt dicit Iesus Christus, qui gratia Dei caret nihil habet quod ei conducat. Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum faciat. Mat. 16. Mar. & Lucæ. 9. Sed Sed eleuate quæso paulisper vestrę considerationis oculos ad regis filiam, eousque à me auertite, statum eius & compositionem contemplemini, & percipietis cōuenientissimè ad eam pertinere facto & verbo nobilem hunc clamorem: Viuat rex. Quare? Videte medicinæ facultatem, quæ curat & gubernat vitam corporalem. Videte philosophiam moralem, ethicam, œconomicam, politicam, de quibus artes & decreta & leges tractant, & inuenietis his duabus facultatibus vnam ciuilem & politicam regi & gubernari. Theologia est magna vitæ spiritualis diuinæ & catholicæ gubernatrix. Nemo ergo regiæ filiæ obstare audeat, quin publicè vbique dicet. Viuat rex. Ipsa enim ea est cui propriū est semper ad pacem inducere, quia per Palladem scientiarum magistram figurata est, quæ quidem Pallas nomen Athenis communi omni iudicio indidit, cum Mars aut Neptunus illis nomen imponere vellent. Dictum ergo fuit quod qui regem magis produceret proficientem nomen Athenis esset inditurus. Pallas itaque oliuam germinari fecit in pacis signum, Mars autem equum qui prælium designabat, pacem censuerunt meliorem. Potest igitur dicere vniuersitas, quod Canticum 8. dicitur. Facta sum coram eo tanquam pacem reperiens, nec contraria audiantur mendacia. Si qui eam partialem fuisse vellent, insimulare ea in materia. Quia nunquam cuicunque domino vllos dedit deputatos, quin fuerit & sit parata dare cuicunque volenti tendere ad bonam regis vitam & iusticiam. Regiæ filiæ munus est tractare & docere veritatem & iusticiam. Seque adiungit & adhæret cuicunque qui iusticiæ & veritatis tutatur partes, & in ea intentione vna cum ipsa eiusque legitimis suppositis viuere & mori non recuso. Et si dicat quispiam quid vniuersitatis intersit, quin potius studeat & libros suos visitet. Est exigua nimium consideratio, quid prodesset scientia sine operatione? Scientia abscondita & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Non solum addiscendum est vt sciamus, sed vt doceamus & operemur. Ethicorum 2. Si concionator doctor aut baccalarius potest & debet doctrinam quam didicit (vt alios instruat) publicare, Regis filia tantis magistris referta, claudet ne os suum? abscondet ne lumen suum sub scamno? & scientiam suam in terra? hoc dicendum est minimè, thronus Salomonis (qui regalem significabat potestatem) duobus sustentabatur brachijs, dextro videlicet & sinistro, qui quidem thronus est clarum speculum quod Virgilius fertur composuisse vt Romam conspiceret, quia ipsum omnia monstrabat, brachium scilicet militare & ecclesiasticum. Si ergo miles pro iusticia tutanda se vitamque suam exponat in prælio, brachium ecclesiasticum in Parisiensi vniuersitate sinetne omnia cadere nec verbum dicet? nimis profectò reprehensibilis foret si id faceret. Considerate ergo quomodo regis filia tanquam clarus oculus in hoc regno posita dicitur, vt omnia facienda præuideat, & veluti custodia in alta turri, posita prospiciat ne vllum malum accidat, aut est veluti imago Palladis in principali turre Troianæ vrbis, Ilium appellata est, posita, quæ quidem imago si diu durasset Troia interea non desijsset. Vniuersitas quæ talis est, claudet ne oculos? tacebit ne? patietur ne auferri & furari? vbi esset filiæ patri subiectæ fidelitas? vbi esset timor pænæ quam per Ezechielem præsbyteris contra vitia tacentibus minatur Deus. Ezechiel. 23. Plutarchus homo vnicus ausus est imperatori Traiano gubernandi modum describere, magna cum libertate adijciens: Si tu inquit, bene regnare desideras, in Plutarcho tuum habes introductorem, sin aliter facere vis, liber hic testimonium erit, te ad imperij destructionem autore Plutarcho non properare. Quare ergo non potest & debet similia verba veritatis magistra regi suo & domino liberius intonare? Quid totus diceret Franciæ populus: quem quotidie vniuersitas per suos subditos ad patientiam & bonam obedientiam regis & dominorum adhortatur. Si non æquè bene regi loqueretur, vt sese benignè, iustè & rationabiliter erga populum suum haberet, videretur adulationis & dissimulationis factum, nec vnquam populus nos audire vellet. Demum vniuersitas repræsentatne vniuersum regnum? immo verò totum mundum, in quantum adueniunt aut aduenire possunt supposita, vt doctrinam sapientiamque acquirant. Ipsa est tanquam vigorosum se misericordiarum totius corporis publici, ex quo homi-

nes nascantur totius perfectionis. Ideo debet vniuersitas pro tota Francia, pro omnibus statibus, quorum aliquos ipsa habet studentes pro amicis omnibus in grauibus existentibus afflictionibus, qui huc venire non possunt nec dolorosæ eorum interesse lamentationi. Debet inquam rogare & dicere: Viuat rex, viuat rex, viuat rex. Et ad hoc se bene vestra ostendit concordia nobilissimi principes. Cum vsque adeo plenariã illi datis audientiam, de quo gratias vobis agimus supplicantes, vt principalem de triplici vita regis materiam benignè audiatis.

DE CORPORALI VITA REGIS.

Pars prima.

Viuat Rex. Primò vita corporali, quæ proportione & harmonia congrua quatuor qualitatum primarum, caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate conseruatur & manutenetur. In quatuor cõtrariarum qualitatum disproportione. In corporibus humanis vitalis & naturalis corrumpitur complexio, habendo calorem nimium aut frigus nimium, secundum quod experientia infirmitatum demonstrat. Accipiemus igitur hic nostræ supplicationis primum articulum, qui est de regalis personæ bono regimine, & quatuor dicemus considerationes.

Prima Consideratio.

Quantum diligenda est boni regis sanitas & vita corporalis, tantum non est vilipendẽda aut odiò habẽda regis filia, & specialiter quo ad medicinæ facultatem dicẽdo medicos nemini prodesse, aut quouis aliò modò. Medicina enim post Deum eiusque auxiliũ ea est quæ in primis prodest ad hanc vitam conseruandam. Ideo sperni non debet tanquam nociua & inutilis.

Secunda Consideratio.

Boni amici & fidi subditi sanitatem & corporalem regis vitam procurare debent non aliter quam propriam omnia auferendo impedimenta ipsam aggrauantia aut ad eam sanitatem habendam nocentia, etiam si eis non omnino cordi esset. Sic enim vnusquisque fieri in se velle deberet postularetque de facto, vt violenter retineretur, si per ignorantiam aut aliter labi aut se lædere vellet. Et multo plus si ab vnius talis vita totius regni bonum dependeret, sic agere erga principem aliquem, non esset resistere aut contrariari eius ditioni aut potestati, siue manum in Christum Domini inijcere, verum potius obedire atque obedientiam prouidere veluti si quis haberet per infirmitatem toti corpori nociuum auferetur igni aut cultro. Ad illud vniri debent & conuenire omnes regij sanguinis propinquiores, absque hoc vt vnus præcedat & alius sequatur ad malè complacendum.

Tertia Consideratio.

Quãuis regia vita corporalis diligenter sit quęrenda, nihilominus tamẽ hominibus anathematizatis & maledictis à Deo sanctáque ecclesia fides adhiberi non debet, nec ad consilia sunt: admittendi, quemadmodum sunt sortilegi, magici, A incãtatores, & id generis stolidi homines & peruersi. Sic enim agere non modò nihil esset proficere, verumetiam certis impedimentis bonam regis vitã & sanitatem impedire, queadmodũ in tertio puncto de spirituali vita clarius ostẽdetur.

Quarta Consideratio.

Ad bonã corporalẽ regis vitam habendam cõueniens esset & necessariũ adiuuante vita ciuili & spirituali (quæ meliores sunt) quod rex semper bona associaretur comitiua saltẽ prudentum virorũ, electorũ statuũ, bonorũ morũ, Deo deuotorũ, & ad bonũ publicũ fidissimorũ, semper bona verba bonũ tenent locum, & adhuc plus B bonũ exẽplum nec adeò regia vita opprimi aut fatigari deberet, sicut sæpe numero visum est, in grãde regis præiudiciũ, immo verò totius regni, ob irrationabiles & onerosissimas satellitũ petitiones. Velit Deus vt his aut humilibus considerationibus obseruatis nostra exaudiatur oratio: Viuat rex. Est hic notandũ in eo quod dixi, sumque de regia vita dicturus, verba ea obseruari debere in nobilissimi Delphini persona, primi & veri regis hæredis. C Est enim tanquã vna cũ rege persona, secũdũ sapientis dictũ Eccl. 30. Mortuus est pater, & quasi non est mortuus, reliquit enim similem filium post se. Pater post naturalẽ aut ciuilem mortem, in filij sui adhuc viuit persona. Inde est quod pater & mater tãto tempore filios suos in hæreditate aut dominio eis succedere desiderant, quod vsque adeò verum est, quod mater Clodouei Burgundiæ Regis (sic enim tunc Burgundiæ dux nominabatur) spõsa potius tres suos filios mori elegerit, quam vt includerentur, D & ab hæreditate secluderentur. Sic per eorum auunculos de duobus factum est. Tertius vero Clodoueus fuit reseruatus, tunc ambitio crudelis proditionis mater, sine fide, sine lege, sine progenie & ingenuitate regnabat. Habemus quoque diligentiam Bersabeæ vt filius suus Salomon post Dauid regnaret, & sic de alijs. Si dixerit quispiam Dominum Delphinum puerulũ esse, cuius ergo reputandus erit ęstimationis? Responde quod cuiuscunque iuuentutis fuerit, est E verus hæres, & viuit rex in eius persona, totũ etiã regũ vnitũ & iunctũ est ei per ciuilẽ alligationẽ tanquã naturaliter, in quantũ consuetudo valet naturã. Consuetudo dico est, quod regnũ per legitimã habeatur successionẽ. Et hic principalis philosophorũ fundatur ratio, qua probant regnũ melius per successionẽ quã electionẽ gubernari, eò quod libẽtius cõsueto quã extraneo aut nouo dominio præstatur obediẽtia. In obediẽtia autẽ totũ dominationis bonũ consistit. Insuper qualẽcunq; iuuẽtutẽ Dominus meus Delphinus F habeat, debet tamẽ bene cõseruari & edoceri, sicut mater sancti Ludouici de ipso fecit, à quo tanta prodierũt bona, quãuis adhuc iuuenis regni susciperet gubernacula. Erat enim sapiens in suorũ consiliariorum sapiẽtia, potens in suis militibus, iustus in bonis suis officiarijs. Inexplicabile est quantum doctrina bona prosit iuuenibus, multo tamẽ plus mala eis obest doctrina. Iosias cum octo tãtum esset annorum: regnare cepit, quarto Reg. 22. & tamen post Dauid fuit fortissimus & sapientissimus propter bonã illam instructionẽ quam

quam à legis & alijs sapiētibus adeptus est. Dicunt etiam Hebræi & Iosephus Salomonem sua in coronatione solū vndecim annos natū fuisse, quos sequi videtur sanctus Hieronymus id recitans pro confirmatione, quod tēpore suo nouem annorum puer, ex nutrice sua produxit filiolum. Nec Ionathas annosus erat, cū pro patre suo Azaria per 25. annos regnaret viuēte quidem patre corporaliter, mortuo verò ciuiliter per lepram, & ab alijs hominibus separationem. Et dici potest Deum velle & posse sæpius prosperitatem regno per innocētiam paruam, quam per magnos peccatores destinare, viso quod tales pueri non se solum, verum totum eorum dominium ab incommodis præseruarent secundum ordinem hierarchiarum. Hanc modò materiam dimittimus, velit Deus vt rex nobilisq; eius propago sic seruentur, gubernentur & instruantur, quod nostrum compleatur desiderium & omnium fidelium Frācorum, qui hunc faciunt clamorem: Viuat rex.

DE SECVNDA REGIS VITA CIVILI SCILICET.

Secunda pars.

VLTRA si placet progrediemur, & de secunda regis vita verba faciemus, ciuili videlicet & politica, qui status aut regalis dicitur dignitas. Estque eò melior sola vita corporali quo ipsa est diuturnior per legitimam successionē & quo bonum commune pręstat particulari aut personali. Debet autem fidelis quisque subditus adeò aut amplius solicitus esse facto & verbo, vt hæc vita regis bene conseruetur, quantum corporali vita est præstantior. Sciendū ergo est, in quo vita hæc ciuilis consistat, & ante tetigimus, quod in vnitate conseruetur, nihil sine vnione interueniri potest, quemadmodum declarat sanctus Dionysius Galliæ Apostolus vltimo de diuinis nominibus & Boëtius de consolatione. Vnio autem diuersorum sine ordine & ordinatione fieri potest minimè. Ecquid ordo? Est cum res quælibet id habet quod ad eam spectat in debito suo loco. Ordo est parium disparíumque rerum sua vnicuique tribuens collatio. Ordo sine amoris vinculo manu teneri nō potest, vt ostendit Boëtius, optando talem amorem sine defectu gubernare homines, quēadmodum mundus totus in bono & vnione regitur. O fœlix hominum genus, si vestros animos amor quo cœlum regitur regat. Cōcludo ergo quod odiū & diuisio omni ordinationi cōtraria, vitam hanc ciuilem & politicā destruunt. Hæc est expressa determinatio supremi magistri Iesu Christi, in patentibus euangelij litteris. Lucæ 11. Omne regnum in se diuisum desolabitur. Ad melius autem intelligēdum illud, capiemus huius vitæ mysticam ad veram similitudinē & dicemus, quod quemadmodū corporalis vita in bona proportione, ordinatione & harmonia primarum quatuor qualitatum (vt dictum est) conseruatur, & est naturalis cōplexio, quæ in vna iustitia naturalis qualitatis secundum medicinam custoditur. Sic simili modo vita ista ciuilis manutenetur & conseruatur proportione & coniunctione quatuor cardinalium aut principalium virtutum, quæ sunt prudētia, temperantia, fortitudo & iustitia, quæ quidē proportio generali quodam

A nomine iustitia ciuilis & legalis nominatur, prout iustitia est omnis virtus, aut nominatur secundū S. Augustinum, in vna epistolarum suarū, amor Dei, in quem ordinari, iūgi & vniri debet omnis virtus: Cōsiderate ergo quod postquam ciuilis vita in vnione, amore & bona ordinatione quatuor istarū virtutum cōseruatur, ipsa per cōtrariū destruitur. Vnusquisque nocet aut obest vitæ regiæ quando quatuor illis virtutibus aduersatur. Et quantū precatur & desiderat, viuat rex, tantum niti debet vt quatuor hæ virtutes in rege regnēt, & in suo regno

B prudentia, temperantia, fortitudo & iustitia, alioquin vana & ficta est vociferatio ore clamando: viuat rex, & facta necessarias illius vitæ causas destruere. Et quomodo destruuntur? Per falsitatem, pigritiam, luxuriā & iniustitiam. Cogitemus itaq; & notemus quæso supradictum sapientis verbum: Rex qui sedet in solio iudicij, intuitu suo dissipat omne malum. Si dissipat omne malū vitam habet ciuilem, sanam & perfectam. Sed videamus quid eam manuteneat, quatuor virtutes ipsam cōcomitantur. Rex debet sedere. Sedet in signum tempe-

C rantiæ aut moderationis. Sic enim designauit magister quidam Romæ histrionem agentem, qui socium suum carpsit, eò quod principē belligerum & omnia destruere volentem repræsentaret. Ipse verò principē effinxit sedētem & cogitabundum, in signum quod princeps temperans & bene præmeditans in omnibus actibus suis esse debet. Rex debet esse in throno, in signū firmitudinis & constantię, quēadmodum thronus inferius quadratus est. Sicut tetragonus sine vituperio inquit Aristo-

D teles, nec benedictione nec maledictione moueri debet non plus quam Dei Angelus. Rex debet sedere in throno, non quocumque, sed æquitatis & iustitiæ. Hæc est tertia virtus, de qua dicit propheta: Iudicium & iustitia correctio sedis eius. Rex diligenter intuitum suum ad cūcta dirigere debet, in signum prudētiæ & veritatis. Intuitus hic suum est consilium in quo veluti in oculo nullum debet esse impedimentum nec pulueris auaritiæ, nec inflationis, præsumptionis & superbiæ, nec fumi odij, nec spissorum humorum carnalitatis, nec cu-

E iuscumq; maculæ duplicitatis aut mendacij. Rex eo modo sedens in throno iudicij, intuitu suo dissipat omne malum omnemque malitiam. Poësis seu fictio pulcherrima.

Deducere conabar quatuor hæc puncta per historias & concordantias, considerando in secreto cogitationis meæ colloquio regium statum regnúque eius, cum humani generis inimicus & totius boni visus fuerat odiosum suum filium magistrum capitaneum peccatum scilicet vilem tyran-

F num falsumque proditorem fideli suo domino & supremo Deo destinare. Quare? vt præliaretur & destrueret quatuor has virtutes, vt iustitiæ subuerteret thronum, & sic auferet & interficeret omnem ciuilem regis & regni vitam, quod ne faciat, Deo obsecro. Nec solus erat (vobis affirmo) magna & maledicta septem capitalium & mortalium vitiorum societas ei erat auxilio. Superbia, inuidia, ira, auaritia, acedia, luxuria, gula, cum alijs quibusdam detestabilibus stipendiarijs & crudelibus expoliatoribus absq; numero, omnibus eadem est voluntas & coniuratio ad interniciem scilicet ponere pœnæ & culpę omnes

virtutes. Stipendia eorum sunt mors. Stipendia peccati mors. Ad Roman. 6. Si timore, tremore & horrore ea considerando affectus fuerim, nihil est quod quæras. Adhuc fremo & tremo quando huius mihi subit memoria. Certè explicare non possem decimam nec cētesimam quidem partem dolorosorum & affligentium cruciatuum quos peccatum abominabilis proditor omnésque eius comites periculosi contra pulchras virtutes exercere volebant. Notaui specialiter hic quatuor maledictos expoliatores, qui sub vmbra boni & interdum amoris occultè & implicitè, interdum apertè contra nitebantur & repugnabant his virtutibus, quilibet cuilibet. Adulatio mendax contra prudentiam & veritatem. Delectatio acediosa & otiosa contra fortitudinem & stabilitatem. Rapina contra iustitiam & æquitatem. Voluptuosus status contra temperantiam & frugalitatem. Nouerat humani generis inimicus, quod per falsos hos quatuor satellites destrui posset totius reipublicæ vita ciuilis, tum in capite, tum in membris, si eorum non obstaretur conatui. Per eos enim non modò regalis dominij status dissiparetur, sed quilibet trium statuum subditorum conseruantium & manutenentium statum illum supremum. Status hi tres sunt: status Ecclesiasticus, status militaris, & status ciuilis. Et contrariatur adulator mendax clericis & consiliarijs, & quibus inesse debet prudentia. Delectatio voluptuosa contrariatur militibus, quibus inesse debet fortitudo & bellandi constantia. Colorata rapina cōtrariatur iustitiarijs quibus inesse debet ad bene iudicandum æquitas. Sed pomposus status generaliter cōtrariatur omnibus magnis & paruis, vbi esse debet temperantia, & ad bene se habendum & manutenendum sobrietas. Status in se bonum est, probum & honorabile, siue in clericatu, siue in militia, siue in ciuilitate, sed quando iniuria se iungit & maritat alicui statui, totum est perditum. Ex hoc matrimonio perditissima nascitur proles, dum iniuria copulatur statui clericali nascitur sacrilegium & simonia, in statu militari, expoliatio & tyrannis, in statu ciuili, vsura & rapina. Propterea congruum mihi videbatur & necessarium proditoriam illam intentionem per quatuor illos occisores contra quatuor virtutes reuelare & declarare, quæ quidem virtutes bonam regis conseruant vitam. Et quare? vt euitentur, & homines sibi ab eis caueant. In eo enim videbatur & adhuc videtur esse principalis regis filiæ intentio, s. vt inueniatur & de facto apponatur congruum remedium, non nimis ad particularem descendendo modum, qui ad magnum regis pertinet consilium, sed in quantum bonæ prædicationis doctrina sese debet extendere, non vt doceatur aliquid quod vos nobilissimos dominos lateat, nec quin probè sciatis, sed vt admoneatur & inflammetur eius quod iam nouistis intentio, quemadmodum prædicatur de morte, non quin sciatur moriendum esse, sed vt humiliemur, & ad bene moriendum præparemur.

Certum est in proposito illo ac tali meditatione ingens bellum in secreto mentis meæ collocutione ortum fuisse. Nam dissimulatio ficta & timida mēdacis adulatoris filia genita per proprium amorem cum commodo concumbentem, conabatur, & omnino mihi silentium imponere studebat, A seditio crudelis iactabunda & fatua in oppositum trahebat partem. Prior dissimulatio locuta est, & dixit. Quid meditaris amice? Quid agere aut dicere tentas? Vis tu ne mundum reformare aut corrigere? Scias profectò eum vetustum nimis esse vt corrigatur, nam correctione potius peior efficeretur, quemadmodum vetus patella, cuius si foramen vnum obstruxeris, duo aut tria noua parabis. Vel veluti veterem reparando tunicam aut domum totum (vt videmus) rumpitur & decidit. B Sine fine (inquit) omnia seipsis emendabuntur. Semper fortis minatus est debili, diues pauperi. Mali autem peiorem semper habebunt partem. In huius cōtrarium tendere in vanum est conari. Nunquid consideras quis sis, & quo in periculo teipsum ponas, statum tuum & vitam amittendi? vis tu os in cęlum ponere? Dicere de magnis principibus quibus dicere non licet quare ita agant. Dorsum habes nimis macrū ad onus tam magnum portandum. Nonne legisti in historijs quid consecuti C sunt hi qui dominos magnos corrigere & docere voluerunt in boni communis fauorem. Zeno, Socrates, Tullius, Boëtius, & quam plurimi alij id morte eorum experti sunt. Domini (amice mi) semper manent domini. Et qui commune agit more populei folij mouetur & vertitur, semper fortunam & casum sequitur, sicut dicit Iuuenalis, modò vnum laudabit & in cœlum efferet, nec citius manū verteris quam eum in fimum aut damnum recidere permittat. Quid dico recidere permittat? immo verò persequetur eum. Lege de in- D gratis capitulum in 5. libro Valerij Maximi, inuenies quod Romani occiderunt aut in exilium truserunt principaliores eorum adiutores, quemadmodum fuerunt Romulus, Furius, Camillus, Scipio Africanus maior, Scipio minor, Corilianus, Scipio Nasica. Sic etiā fecit Carthago Hannibali, Lacedemonij, Licurgo. Nihil ergo est de auxilio aut fauore cōmunis boni. Stultus est qui confidit, qui communitati seruit, à nemine precium recipit. Et si malè egerit quilibet calumnias infert. Itaque mihi crede & quiesce, tempori sese accommodan- E dum est, tibi verum dico dissimulandum esse. Et est consilium prophetæ Amos 5. In illo tempore vir prudens tacebit, quia tempus malum est. Et est ne tempus pessimum? sic certè est. Tacendum igitur tibi est, qui de omnibus taces, de omnibus pacem habet. Sine præterire, sine vnumquemque, id bene conuenit. Sanet se qui potest. Crede quod Ptolomeus inquit: Sapiens est qui non curat in cuius manu mundus sit. Noli magnos principes à quibus recepisti & adhuc recipe- F re potes ingentes fauores, inimicos tuos constituere absque vtilitate aliqua. Nam dic quæcumque voles, si centum ex calibe linguis vsus fueris, nihil egeris, verba quid proficient, cum malorum cognitio tam grandium, tam miserabilium, non ad compassionem & prouisionem ponendam mouet? Viuat rex, viuat (vt consuetum est) absque restrictione status sui, aut diminutione regalis sui dominij. Non est alter melior dominus, qui sunt subditi, vt dominum suum corrigant, & discipuli magistrum? Ipsorum est obedire quātumcumq; sint discholi & inordinati domini, secundum sancti Petri consilium. 1. Petr. 3. Sed dic-

etiam

etiam quo initio ista inchoabitur reformatio & ad quem finem deueniet? Sic loquebatur dissimulatio vt materiam difficilem ostenderet & ab omnibus relinquendam, hæc vt videbatur ei, tanquam sobria & sapiens aiebat. A

Cum seditio crudelis quæ iam diu valde impatienter dissimulationi fuerit aduersata, eius interrupit sermonem, eam reprehendendo, sicut dubiam & communi bono contrariam, & tanquam pauidam, quæ regem & regnum perditum iri permitteret, illáque cadere nemine contradicente ad malam ciuilem mortem, posthac ira efferuescés & multum furiosam se ostendens, talis enim reuera erat, & quomodo inquit, manebuntne omnia semper in tali statu? Non quidem statu, sed destitutione, miseria, angustia & desolatione, vt homines sint magis serui quá mutæ bestiæ, expoliati, rosi & comesti vsque ad ossa, ne minimum quidem ipsis hominibus relinquédo, & ad quos vsus, aut potius spurcos & viles abusus. Heu Deus, potius eligendum esset mille mori mortibus quam talia perpeti mala, moriatur qui mori debet. Erit saltem sine languore tali & doloroso tormento. Deus quid hoc? O cœlum, ô terra, ô iustitia, ô pietas. Inuenietur ne aliquis qui bonum diligat commune, qui se exponat pro republica regis & regni. Viuat rex. Ego quidem id volo, sed pereant proditores falsi, qui deuastant regem & regnum eius, pereant inquam & exterminentur. Nam & si fiant ordinationes, promissiones & regales constitutiones quantas voles, nunquam erunt in regno hoc nisi rapinæ & tyrannides quamdiu certi vixerint homines. Sunt quemadmodũ ferrum aut spina quæ plagam ad sanitatem redire nõ permittit. Sed concordia erit. Qualis concordia? Sicut duorum fortassis luporum, vt agnum deuorent. Heu vbi sunt nũc probi & fortes reipublicæ socij, qui pro bono publico contra tyrannos corpus & bona eorum exponerent. Iudas Machabeus, Mucius, Themistocles, Trasibulus, Mathatias, & alij, vbi sunt inquam tales qui regnum hoc à miserabili oppressione eruũt? Eorum debet esse via facti habentium quod dicit Seneca quod non est sacrificiũ gratius Deo quam mors tyrannorũ, qui tyranni promissi sunt omnibus patriá liberare volentibus. Sed quid potest esse in causa quod nemo inuenitur qui velit aut audeat profari veritatem. Misera hæc dissimulatio omnibus os occludit, boni prædicatores vbi sunt, qui vt dicunt loquantur absque timore quicquid eueniat? Mala regnantia & peccata sunt satis grandia vel enormia, tam detestabilia, tam horribilia & abominabilia, in fide & bonis moribus quod terra ea sustentare non deberet, sed prorsus deglutire, patria etiam Franciæ, hoc est qui regi assistunt principes certi, qui & dici possent patres Franciæ, & sunt duodecim, deberent accusare & per ignem & gladium sine misericordia ea exterminare. Ad furiosam hanc seditionis vocem, ego quasi examinis faciem deflectebam, rabiem eius indicendo amplius ferre non valens, bene meam percepit modestiam, tunc extraxit è vestiméto suo scripturæ magnam quantitatem libellorum diffamatoriorum, partim per cognatam eius detractionem editorũ & malum os, partim per suspicionem meláncholicam, partim per vilem vulgi famam, quę omnia à casu effutit & deblaterat, siue verum sit, vt B C D E F

Virgilius siue falsum, nonnihil tamen aderat veritatis hos libellos coram me explicando. Vide inquit, materiam sufficiétem ad loquendum & proponendũ coram magno regis concilio, secundum quod ordinatus es ad reformationem faciendam. Nec verbum quidem emisi ego, quia dissimulationem percepi quę ad respondendũ sese pręparabat, tunc seditio alto clamore inceptum prosequebatur. Nec erat difficile perspicere quin talia colloquia, verbera sequerentur immixta. Nec dissimulatio amplius verbũ emittere ausa est. Nescio quid egissem si discretio sapiens voluntate diuina, missa non fuisset per regis filiam scientiarũ matrem vniuersitaté Parisiensem, ipsa est familiaris eius amica, discretio properauit vt duo hæc monstrosa vitia dissimulationé & seditionem effugaret. Dissimulatio & seditio vitia sunt & peccata, ad nihilq; códucunt quoniá dissimulatio in timiditaté labitur, seditio auté in temeritaté. Discretio tenet rectum iter regale non declinando ad dextram dissimulationis, aut ad sinistram seditionis, & inuisa est duabus alijs. Quia dissimulatio discretionem reputat iactabũdam & temerariam quando ipsa audet dicere veritatem, quantumcumq; ipsa sit vtilis si ipsi domino displiceat. Seditio eam fictá & timidam reputat, quando tacet sic quod nõ corrodit & deuastat singula, sed paruipendit discretio eorũ odia aut rumores, ad Quinti Fabij maximi exemplum, qui non ponebat rumorem ante salutum. Sufficit discretionem Deum conscientiam & veritatem pro se habere & communi bono prodesse.

Procedam igitur si placet vlterius secundum instructiones factas & ordinatas per sapienté discretionem sicuti credo, eijciantur dissimulatio & seditio. Et si forsitan non quiuerim singula verba instructionis ipsius discretionis bonæ magistrę, in propria forma retinere, meæ est fragilitatis & meæ ignorantiæ, quia ingenium meũ rude est & labilis memoria. Illud (affirmo) ex malitia non fiet. Semper ad discretionem refero omne meum propositum per quodcumq; verbum exponá, est semper quod viuat rex. Viuat inquam vita non corporali modò (vt dictum est) sed ciuili & mystica, quæ manu tenetur & conseruatur per vnitatem ipsius, sicut vnius capititis cum subditis suis, qui sunt sicut corpus diuersa habens membra secundũ diuersos status & officia quæ sunt in regno. Propterea rex aliquis persona priuata nõ est, sed est vna potestas publica ordinata pro totius communitatis salute. Sicuti ab vno capite descendit & dependet totius corporis vita, & ad hoc reges ordinati fuerunt, & principes in principio per communem hominem consensum & eo modo perseuerare debent. Persistamus hic paulisper in eo simili & propter illam similitudinem, & ad securè continuandum dicta dicendis, quatuor sumemus veritates verissimas & certas. Famulatum hunc singularem debet regis filia ipsi regi & omnibus dominis pulchrius seruitium præstare posset minimè quam eis constanter fidei veritatem, sanam doctrinam & bonos mores demonstrare contra falsos informatores, manifestos & occultos, & gratiæ Deo vobis quoque dominis meis, quoniam iam & alias hæc libenter audistis.

Prima veritas.

Secundum quod per naturalé instinctum omnia

membra in vno solo corpore sese exponunt pro capitis salute, pariformiter esse debent in corpore mystico verorum subditorum ad suũ dominum. Sed alia ex parte caput debet dirigere & gubernare membra alia, alias enim destructio esset, caput namque sine corpore perdurare non potest. Hæc veritas est contra horum errorem, qui dicere nisi sunt dominum in nullo subiectis suis teneri aut obligari, quod est cõtra ius diuinum & naturalem æquitatem, & veram dominij fidem, quemadmodum subditi fidem, subsidium & seruitium eorum superiori debent, sic superior fidem, protectionem & defensionem suis debet subiectis, bonitas vna aliam requirit. Secundum doctores luciferi peccatum in hoc fuit, quod voluit dominari omnibus alijs creaturis sine vlla obligatione ad earũ custodiam seu seruitium sicut Deus. Scire debet contrarium, quia seruitus eò maior est quò dominatio maior est. Propter quid alias supremus pastor seruum seruorum se appellaret? Quanto enim plus gratiæ aliqua creatura recipit, tanto secũdum beatum Gregorium plus ad Dei seruitium obligatur. Tanto esse humilior atque ad seruiendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorẽ respicit in reddenda ratione. Ad hoc accedit quod Traianus imperator fecit eo super equo existente & ad bellum iam properante, cum fœmina quædam clamaret: O imperator, tu dominaris & ego talem suffero dolorem, filius meus innocens occisus est. Imperator substitit & ait postquam redijsset à prælio se illi iustitiam ministraturum. Et si non redieris inquit, bona illa fœmina? Respondit Traianus, quod successor suus illi ministraret iustitiam. Nõ ait fœmina, tu mihi debes iustitiam, successor tuus de seipso satis agere habebit, nec ab hoc debito te absoluet, peto à te quam mihi debes iustitiam. Cognouit imperator quod verũ diceret, descendit de equo, examinauit causam & consolatus est mulierem, quo factum est vt publicam statuam iudicium hoc repræsentãtem habere meruerit, quam videns sanctus Gregorius eius misertus est, & precibus suis saluatus fuit. Et hoc probat nostra veritas, & etiam quod rex & princeps quilibet iurat se populum suum defensurum. Et si dominus non fideliter ipsos vt subiectos tractauerit, eum ipsi non vt dominum tractabunt. Secundum responsum quod dedit Domicius cuidam consuli: Si inquit, me non vt senatorem habueris, nec ego te vt consulem habeo.

Secunda veritas.

Sicut corporali visui nihil est crudelius, horribilius & euitabilius quam corpus humanum, aut naturam videre sese dissipare, aut discerpare per morsus aut aliter, sic similiter visui spirituali rationis non est minor crudelitas, verum multo maior videre corporis mystici partes separari, & vnam alteram persequi, sicut dominum subiectos suos. Sicut persecutio fit in hoc quod vnus alteri ius & officium aufert, quia naturaliter vnumquodque ius suum tutatur & factum per violentiam repellit per factum, per violentiam. Vim vi repellere licet. Hic manifestum est hos errare qui dicunt, dominis omnia ad ipsos spectare, & quod omnia agere possunt ad eorum arbitrium & voluntatem, omnia quæ subiectorum sunt absque vllo titulo ad se trahendo, quid hoc sibi vult. Violentia omnia potest. Et quid sequitur, tale sequitur inconueniens,
A veluti si caput totum sanguinẽ, medullam & aliorum membrorum substantiam ad se attrahere vellet. Quid esset? non dubium est quin esset propria sua destructiò. Caput sine corpore permanere nõ potest, corpus sine sustentatione perit totum. Hic apparet vlterius quod clericus ille perperam & peruersè intelligeret textum Bibliæ, qui contra veritatẽ vertere vellet verba scripta. 1. Reg. 8. cap. Hoc erit ius regis, quia verus sensus literalis alibi est & specialiter. Deuter. 18. omnino his contrarius. Et etiam omne bonum rationis naturalis iu-
B dicium cui nunquam contrariatur ius diuinum. Huic opponitur quod 1. Reg. scribitur, si Roboã qui Saüli successit post Dauid & Salomonem, omnia iure diuino capere potuisset, quare decimam regni sui partem amisisset, per hoc quod ad consilium iuuenum & adulatorum multiplicare volebat exactiones populi plus quam Salomon? Dauid etiam quare punitus fuisset de hoc quod hæreditatem Amphiboseph & Sybe sui famuli diuisit. Achas quare reprehensus fuisset, eò quod
C vineam Naboth habere desiderabat. Reuera ignoro vnde talis error emanarit. Illud enim dicere esset homines veluti oues subijcere, & dominos vt lupos rapaces super eos mittere, aut gallinarum pullis miluos immittere. Omnia finaliter ad destructionem properarent, sed ad auferendum huius erroris fundamentum dicamus. Primò quod ad intelligendam sanctam scripturam non sufficit vocabulorum grammaticalem & vulgarem significationem intelligere. Verum-
D etiam requiritur ingens studium & prolixa instructio tam in alijs scientijs philosophiæ & logicæ quam in sanctis doctoribus qui inspiratione diuina & per comparationem vnius ad aliud sanctam exposuere scripturam quæ puteus altus est. Aliter enim sequeretur quod grammaticus quilibet qui Latinam calleret linguam, aut aliquis qui Bibliam haberet in Gallicum versam sermonem confestim bonus esset theologus. Quod minimè verum est, immo est occasio maxima & communis in hære-
E ses labendi, sicut Iulianus apostata, Heluidius, Iouinianus & Thurelupini fuere scripturæ verba sæpius sunt ambigua. Et in vno loco aliter capiuntur quam in alio, aut quam communis grammaticus acciperet. Et concordatur interdum vnus passus per alterum & per causam & circunstantiam dictorum intelligentia dictorum secundum Hilarium ex causis assumenda est dicendorum. Exemplum in hac Latina dictione ius, quod non solum ipsum ius aut iustitiam significat, verum accipitur interdum pro potestate quæ iusta non est.
F Sicut hic secundum glossam ordinariam primi Regum 8. hoc erit ius regis, capitur pro exactione. Versus:

Ius æqua, ius rectum, ius dicitur esse potestas.

Sicut etiam hæc dictio rex quandoque sumitur pro tyranno. Oseæ 13. Et Iob 34. Et benedictio pro maledictione. Iob 3. Et lex iustitiæ pro iniustitiæ exercitio. Sap. 2. Et Deus pro diabolo. 1. Cor. 8. Dicamus igitur quod exactiones hæ (de quibus supradictum agit capitulum) ius regis nominantur propter harum trium causarum vnam, aut ob iustam populi punitionem qui contra Dei voluntatem regem postularerant, aut ob publicam subuentionem

uentionem in casu necessitatis rationabili, aut per solam nuncupationem, eò quod sic appellant ea
A quæ ipsa iura constituunt, sicut dicitur, ius portæ *bauder*. Et si dicat quispiam, postea quam ergo populus sic puniri debuit, rex illud iustè potuit exercere. Respondeo quod eodem modo probari posset persecutiones & afflictiones inimicorum & tyrannorum iustè factas esse, Deus falli non potest, nouit intentionem eorum. Sic aliquis alius dicat quod princeps quandoque ad id quod agit necessitatur. Sciẽdum est tunc vnde talis emergat necessitas, & an ex voluntate. Si enim dominus
B aliquis in triplo aut quadruplo plures velit tenere quam debeat homines, & quod sic in statu suo necessitatur, hic necessitatem facit. Est quæso ipse excusatus? profectò non, sed dupliciter accusandus, & multo magis si nihil eorum quæ recipit, in boni publici vertat defensionem. Verum ad malum vsum & dissipationem, propter quod sic oppressi à Deo vindictam petunt, & ipse exaudiet eos, propter miseriam inopum & gemitum pauperum nũc exurgam dicit dominus. Quid autem
C ad leges dicemus quæ dicunt: Omnia sunt principis. Et Lucanus: Omnia Cæsar habet. Cæsar erat & habebat omnia. Respondebimus obiectionem contra obiectionem, clauũ contra clauum. Dicit Apostolus pluribus in locis loquens de Christianis, omnia nostra sunt. Respondebis certè omnia nostra esse vt his bene vtamur. Verum est dico omnia sunt principis, vt his bene vtatur secundum ius & rationem, hoc est ad iustam & necessariam patriæ suę defensionem, ad finem hunc, proprium suum corpus exponere debet.

Tertia veritas.

D Quemadmodum venenum & intoxicatio corpus occidit humanum, sic tyrannis est venenum, intoxicatio, & malum quod totam vitam politicam & regalem ad interniciem ponit. Quare? quia tyrannis omnia ad proprium suum nititur trahere commodum & profectum, ideo conditionem habet innaturalem & omnino bonæ vitæ ciuili contrariam. De quibus prolixius loquebatur Aristoteles 5. politicorum, & ad tres reducuntur.
E Versus:

Pauca sciant, de se diffidant, sint & egeni,
Sic rege subditos dire tyranne tuos.

Tyrannus vult subditos suos pauca scire, pauca fidere, hoc est valde contrarium bono regimini regali quod ad hoc tendit, vt subiecti sui sint potentes, sapientes & fidei ad pulchram imaginem, imitationem & exẽplar benedictæ Trinitatis. Ecquid peius inimicus populi mortalis aut inferni inimicus facere posset, quam populum pauperem & diuisum constituere? Multo eligibilius foret sine
F principe esse vt fabulantur de ranis, quibus datus fuit rex, serpens quidam eas deuorans. Ex hoc est quod tyranni populum opprimunt per extraneos armigeros, per exactiones cornutas, tributa, homicidas secretos, impediũt insuper studium ne scientia acquiratur, defendunt omnia consortia, & diuisiones nutriunt per falsas impositiones & crimina. Concludamus vlterius quod si caput aut aliquod ciuilitatis membrum tale incurreret inconueniens, quod tyrannidis mortale venenum sorbere vellet, membrum quodlibet suo in loco toto posse obuiare deberet, per media conuenientia, & talia per quæ non peius sequatur, non congruit quod si caput paruo afficiatur dolore, manum ipsum percutere, hoc enim fatuum esset, nec conuenit ipsum statim abscindi, aut à corpore separari, sed in omni dulcedine medicari, tam per bona verba, quam aliter ad bonorum medicorum exemplum. Nec quicquam esset irrationabilius & crudelius, quam per seditionem tyrannidem impedire velle. Seditionem voco rebellionem popularem absque causa & ratione, quæ sæpenumero peior est tyrannide. Scilla vocatus fuit Romam vt tyrãnidem Marij auferret, & peius Mario egit, excessit medicina modum. Immoderata medicina grauior est (vt ait Lucanus) principali infirmitate. Opus est mirum in modum magna discretione, prudentia & temperantia ad tyrannidem expellendam. Propter quod audiendi sunt & fides adhibenda est sapientibus philosophis, iurisperitis, legistis, theologis, hominibus bonæ vitæ, bonæ naturalis prudentiæ & magnæ experientiæ. In senibus est experientia. Non enim subitò dominus aliquis tyrannus iudicandus est si peccator sit, pluribus in casibus, cum tamen sit hoc manifestè cõtra dominij sui finem & in boni communis subuersionem. Potestas (sicut dicit Apostolus) non est data cuiquam domino in subuersionem, sed ædificationem potius. Et propterea qui ea abutitur, eam vt perdat dignus efficitur. Ideo apparet quod hi regem suum aut principem minimè diligerent, si eum in stolidos errores aut tyrannidis conditiones vertere præsumerent. Nec est modus certior quo rex corporis & animæ & totius dominij detrimentum patiatur. Nam tyrannis & infidelitas tanquam innaturalis & violenta contra Deum & omnem rationem diu permanere non potest. Dicit sapiens, Sap. 18. Oportebat enim illis sine excusatione quidem superuenire interitum exercentibus tyrannidem. Violentia etiam (vt inquit Iuuenalis) durare non potest. Raro tyrannus morte moritur naturali, odio habetur à Deo & à mundo. Nec fermè adeò paruus est, quin si vitam suam periculo exponere vellet, vt tyranno vitam adimat, inueniat modum ipsum occidendi & pacem restituendi. Considerate igitur quod reges aut principes libenter hos audire debent, qui tyrannidis venenum impedire norunt ne eos arripiat. Estque multo eligibilius vt minus habeant dominium quod sit rationabile sanctum & durãs dando aliqua restringentia ne caput nimium ad se attrahat humorem & sanguinem cæterorum membrorum, hoc non est caput aggrauare, verum potius adiuuare. Tale responsum dedit Theopompus vxori suæ quę conquerebatur de hoc quod certis legibus potentiam suam restrinxisset. Sicut rex se subdit in multis casibus iustitiæ parlamenti. Verecundia est dicebat fœmina illa liberis tuis potentiam diminui sinere quam non conquisisti. Respondit ipse: Sino eis minorem potentiam, sed durabiliorem. Quare durabiliorem? quia rationabiliorem. Sed dices: Est autem minus honorabilis. Scias quod non, sed magis honorabilis, quia habere subiectos secundũ rationẽ est singulare dominium, singularis dignitas, honor, nobilitas & ingenuitas. Et in hoc dominus non se subijcit subiectis, sed rationi, cui iure diuino & naturali vnusquisque dominus &

alius quilibet obedientiam debet & subiectionem. De his Seneca: Si vis omnia subijcere tibi, subijce A te rationi.

Quarta veritas.

Cum rex sine subiectis, & subiecti sine rege diu durare non possint & rationabiliter viuere, concordia est necessaria & vnio pacifica simul per cõiunctionem quatuor virtutum superius nominatarum, in similitudinem quatuor qualitatum primarũ in materiali corpore, mediãte operatione & confœderatione diuina sancti Spiritus, qui hãc in corporibus mysticis facit conciliationem, sicut influentia cœlestis in corpore naturali. B Hæc est determinatio expressa omnium philosophorum, iuristarum, Legislatorum, Poëtarum & Theologorum. In cuius signũ rex regum se pacis principem nominat. Aristoteles auctoritate Homeri, 8. Ethic. determinat quod dominium regale est, sicut pater ad filios, aut sicut pastor ad oues, secundum quod Homerus Græcorum regem populi nominat pastorem, & Deus vult quod eum patrem & pastorem appellemus. Augustus Octauianus cum publicè dominus bonus & iustus appellaretur, hanc C prohibuit nominationẽ, voluítq; pater patriæ vocari. Diximus Salomonis auctoritate, qui rex pacis interpretatur quod finis regis est dissipare omne malum. Et quod est omne malũ? Videamus quod est omne bonum. Dicit sanctus Augustinus super illud: Pax Israël, quod est pax. Bellum ergo & diuisio est omne malum. Propterea finis regis esse debet in suos subiectos pax, vt describitur in decretalium prologo: Rex pacificus. Sic cognouit & facere voluit magnus rex Artaxerxes, qui dici- D tur etiam Assuerus. Vnde Hester. 16. in epistola sua testificans se non voluisse abuti potẽtia, sed quod populus suus pace frueretur, quæ ab omnibus mortalibus est desiderata. Bene se habet (volente domino) cum tale & tam firmum habemus fundamentum. In harum quatuor virtutum quaternario vita regis erit admodum stabilis, quia secundum Salomonem: Misericordia & veritas custodit regem. Prouerb. 20. Et hoc est nostrum desiderium. Viuat rex.

DE INTENTIONE ADVLATORIS MENDACIS.

VERVM reuertamur vbi eramus & descendamus ad proditoriam intẽtionem quatuor proditorum tyranni (quod peccatum est) reuelandam. Veniamus & videamus quomodo occultantur in quatuor nominatis virtutibus. Et primo de adulatore mendaci contra prudentiam. Prudentia est auriga virtutum. Quomodo? per lumen F veritatis & per filiam suam discretionem, ostendendo primum omnium vniuscuiusq; rei exitum. Rerum exitus prudentia metitur, postea deliberat de medijs congruis ad talem finem obtinendum. Alias à casu est si quicquam bonum sortiatur effectum. Turpe est principi, vt dicebat Scipio Affricanus, allegare & dicere non putaui, debet omnia prius præmeditari, nec se fundare in vanis rumoribus, aut in his quæ impinguntur: Sicut dicit Iulius Cæsar Francos agere. Ea propter sæpius intentione sua frustrantur, initia intentionum Gallorum ampla sunt, sicut de bellis & exitus stricti nimis. Aduertendum est diligentius quomodo intretur vt exitus haberi possit sine læsione, sicut piscis cauet ab hamo. Exemplum de quodam qui consilium petebat, vnde redeundum esset ab itinere quod facere intendebat. Sed audiamus quid faciat adulator mendax contra prudentiam. O Deus qualis famulus? Est incantator diaboli qui fascinat dominos & facit apparere de falso verum, de stulto sapiens, de nihilo magnum, de magnificis factis stolida, de stolidis insensata, hoc est extra omne bonum rationis iudicium. Hic profectò ex stultis insanos facit, ait Terentius. Quid decepit luciferum, & eum mutauit in diabolum? Suijpsius & adhærentium adulatio. Adulatio tunc incœpit, magistrumque suum à tam sublimi loco in profundum cadere fecit. De tam sapienti in tam stolidum. Quid ergo agent homines quo pacto sibi cauebunt? Quid decepit Euam & Adam de immortalitate ad mortalitatem mutauit de omni bono in omne malum? Inimici adulatio qui promittebat eos tanquam deos futuros. Nonne adulatio Nabuchodonosor, Alexandrum, Cosdroem & alios quosdam (vt eorum ferebat opinio) deos effecit. O qualis singularis fatuitas & error erat esse Deum in somnio, in fascinatione & in incantatione: Et nihil erat velut somnium surgentium domine, & cæt. Et breuiter secundum Iuuenalem, nihil est quod credere de se non possit cum laudatur dijs æqua potestas, non est religio tam extranea, de qua non citius falsum credatur quam de seipso. Quid mirum si domini se falsos fuisse comperiant cum redit veritas, aut per aduersitatem, aut per mortem, quæ liquidò huius æstimationis falsitatem declarat. Alexander recepta plaga in prælio, postea cognouit hominem se esse, licet ab hominibus filius Dei nominaretur. Homines inquit me filium Dei nominabant, hæc autem plaga me hominem esse declarat. Adulator malus est ianitor, qui sæpenumero spiritui mendacij & falsitatis portam aperit. Qui quidem spiritus modò assumit cappam & capitium subductum & prælatum fingit aut clericum, modò habitum militarem, modò habitum famuli, propter E quod omnia ad deceptionem tendunt, secundum Micheæ visionem, 3. Reg. vlt. Adulator est tibicen qui semper ficta canit musica & mutat modulationem suam, vt dominus vult eum canere aut corizare. Ipsa est speculi imago quæ ridet cum quis ridet, plorat quando ploratur, semper gaudet alienum sumere vultum. Dicet dominus: caleo, dicet adulator: sudo. Dicet dominus tempus esse frigidum, dicet adulator se præ frigoribus tremere. Sæpenumero eodem in prandio hunc aut similem intuitus sum casum, miratusque fui dominum id minimè percipere, aut si percipiebat quare non reprehendebat ac deridebat. Adulator vertit semper consilij tædam & facem quò dominus vult pergere quantumcumque cadat, etiam si collum sibiipsi frangat. Talem me volunt inquit, domini mei & talem me habebunt. Per Deum voluntati eorum non contradicam. Et si sciam mala hinc ventura, sint eis, sint eorum populo. Quare eorum incurrerem indignationem? Indignatio principis mors, in Dei nomine. Noli mori martyr, sed confessor potius, excorient, rodant, expolient, quid mea refert? Modò prædæ partem

partem habeam, aut commodum inde reportem. Audite Domini quid dicat adulator. Creditis eũ A ludere? proculdubio sic agit & peius. Inflat dominum qui eum auscultat vẽto vanæ laudis. Propter quod Dominus stolida repletur opinione & de se mira iudicat, cum solum ventus sit, quemadmodum cum tria pisa inflata sunt vesica, acus vnius acuties omnem eius deprimit pompam. Et ab omni eũ auertit incœpto. Quis es inquit adulator Domine? Considera modò tuam dignitatẽ, profectò terra non sustinet dominum tui similẽ. In cordis nobilitate, in probitate, in pulchris verbis, in magnis sensibus & prudentia. Alij sunt solum bestiæ in comparatione ad te. Insuper quandoque vilipendit dominum & in forma ministri, maledicit huic & alteri. Quid inquit domine? nimis humilis es, nimis religiosus, dulcis nimis, largus nimis, nimis pius. Quid curas de abiectis illis hominib⁹ aut de cappicijs subductis, aut de simulatis religiosis? Ostende te esse dominum. Quis es quæso? Eges ne alterius ope? Quis est qui te grauare posset, aut quiquam ostendere, aut tibi consulere? Audite Domini qualis aduocatus, vellet Deus vt veritas contra adulatorem Domino responderet. Cum adulator quærit quis nam sit, te oro responde veritas, pauper es & misera creatura, omnibus subiecta angustijs & tribulationibus, frigori, calori, dolori, infirmitati & necessitati mortis ineuitabili. Tu es saccus plenus fimi, terræ, cineris & putredinis, quantumcunque tunicam geras, quocunque auro argento, aut lapidibus preciosis, aut pomposa familia sis circundatus. Quid est quæso caro tua quæ citò aut tardè cadauer efficietur fœtidissimum, cib⁹ vermiũ. Citò erit tibi dico, quoniam in breui hoc tempore nulla est mora. Et si ita est, exurge paululum, aperi oculos per adulationem tibi clausos, & considera qui Domini erant in hoc consilio ante quatuor aut sex annos ab hominibus honorabantur, vnusquisque eos timebat, vnusquisque eis adulabatur, intantum aut plus quam tibi. Sed considera vbi sint modò, dormierunt somnium suum. Egerunt personam suam. Mors in momento superauit eos, & sepulti sunt. Quid proficit eis superbia? Quid proficit si oppresserunt & ad dolorosa tormenta minorem populum (vt adulatoribus placerent) perduxerunt? Adulatores transferrẽt te, de terra corpus & animam, si cecidit, de inferno? Verè cecidit, & tu postea eam nisi Dei misericordia per pœnitentiam ponat aut posuerit remedium. Terra terra terra audi Dei sermonem: Et quis est ille? Omnis caro fœnum & omnis gloria eius sicut flos campi, fœnum aruit & flos cecidit. Considera bene quod adulator infernalis inimici est presbyter, qui canit vigilias illis qui mortui sunt per peccatum, sepulti per malam cõsuetudinem, fœtidi iam per malã famam, cooperti durissimo ac ponderoso indurationis cordis lapide parati vt in inferni sepeliantur cœmiterio, malum cœmiterium profectò. Dicit adulator in suarum vigiliarum principio: Placebo Domino, sed valde malè continuat, quia non est in regione viuorum. Quid amplius de adulatoribus dicemus? Adulator est solum verborum intricator. Et cum ad veritatem dicendam ventum fuerit per verba duarum facierum, exitum quærit per amphibologiam, per euasionem subtilem & astutam; per conueniens aliquod diuerticulum omni vẽto se coaptat, dissensiones suscitat, vt pacem facere videatur, semper est in consonantia, secundum responsum vulpis quod dedit leoni, bene nouit simearum exire cameram, & fatui formam accipere vt pacem habeat. Est mala cornicula quæ magnorum dominorum oculos eruit, vel eos velat & cum eis ludit infidelitatis ludo. Adulator vt omnem tumulum mali dicamus est finaliter bonæ prudentiæ valde contrarius. Quare? quia B falsitatem introducit, & ne veritas per alterius consilium manifestetur huic qui se omnium sapientissimum iudicat impedimento est. Sed ad cuius iudicium? Adulationis. Tanta sufficiant de malis conditionibus huius homicidæ proditoris, mendacis adulatoris. Contra quem quatuor ponemus considerationes.

Prima consideratio pro prudentia.

Vnusquisque Dominus se in opere, & verbo talem ostendere debet cui quis audeat dicere veriC tatem, siue sit ad laudem, siue ad suum vituperiũ, sit in occulto, sit in publico, est doctrina sancti Ludouici ad filium suum. Aliàs si princeps dicat: Loquimini nobis placentia, aut si odio habet eos qui veritatem dicunt, sicut Achab de Michea: Odio inquit, habeo eum, quia semper mihi mala nunciat, profectò actum est de tali principe, perditus est in corpore, in anima & in fama: Ideo dicit sapiens quod princeps qui audit libẽter verba mendacij, omnes ministros habebit impios, siD ue enim sit iure siue iniuria semper dicunt: Dominus meus benedicit ius habet, & perditur omnis liberè loquendi & consulendi libertas. Nihilominus Cato maior assignat principalem causam exaltationis Romanorum, quia erat inquit animus in consulendo liber. Dominus agens secundum adulatoris consilium nõ excusatur si res malum sortiatur effectum.

Secunda consideratio.

Princeps non solum consilium petere debet, sed illi credere & exequi & id tenere secretũ. AliE ter enim videretur irrisio, aut curiosi factum. Petere consilium & non exequi, ad exemplum Achab, qui ad instigationem Iosaphat, à Michea consilium petijt, & cum his aut ter per iuramentum coniurauit, ne quicquam præter veritatem diceret Micheas illi visionem Dei reuelauit, tunc Achab iratus est & eum in carceres intrudi iussit, & pane doloris, aqua quoque angustiæ sustentari. Tota historia ad nostram conducit instructionem in 3. Reg. vlt. cap. Sic princeps in se habet F quod dicit Terentius, natura sic esse vt clarius alterius factum quam nostrum intueamur, facillimè quisque in proprio facto cœcus est, aut per iram, aut per odium, aut per propriam affectionẽ. Plura etiam vident oculi multi, quam vnus solus. Quid de sensu vnius solius est hominis? Propterea dicit & præcipit. Sapiens omnia agi consilio debere, & nunquam quisquam pœnitentia ducetur. Assuerus (sicut legimus in libro Hester) semper septem habebat sapientes, ad exemplum septẽ sapientum prædecessorum Romanorum, quorũ consilio omnia agebat. Ad hoc confert quod dicit Homerus de sole hunc mundum inferiorem

gubernante per consilium certè septem signorũ. Dicit Salustius diu consultandum esse & opus citò exequendum. Quoniam de illis qui consilio non credunt, dicit commune prouerbium: Consilium in proprio capite minimè esse portandum. Cur? Quoniam omne malum ad consiliarios reflectitur, quantum ad hominum æstimationem. Nam quantumcunque bene consulant & veritatem semper dici solet. Est malum consiliũ quod ei datum est, quod omnia facit. Sed quid est interdum bonorum consiliorum impediens executionem? Reuera id in causa est quod secreta non tenentur: Semel in publica mẽsa in qua antiquus sedebat rex, mihi dictum fuit per quendam dominum, & postquam consilia bene data fuerunt nescio qui famuli & nullius precij aut reputationis homines vesperi & mane omnia destruebant. Et quomodo id fieri possit, si consilia secreta forent? Secretum est fortissimum & optimum contra omnes reipublicæ aduersitates remedium, vt dicit Valerius maximus lib. 2. cap. 1. Recitando rege Persarum Romanis rebellem fuisse qui citius in bello victus fuit quam Romani extra senatum existentes, quomodo eius rebellio denunciata fuisset agnoscerent. Ex hoc facta est ordinatio ne pueri consilia intrarent præter Papirium qui ea bene nouerat matri suæ celare. Dimitto historiã. Quintus Fabius dicebat, quod si camiseam siue indusium suum secretorum suorum contra Hannibalem sciret esse conscium, confestim se illud dimissurum. Nouit Dominus, si consilia Francorum Synapij sequantur clamorem, & per vrbem decantentur quantumcunque secreta fuerint.

Tertia consideratio.

Tales ad consilia vocari deberent, qui timerent Deum & periculum propriæ eorum conscientiæ & qui bonum commune priuatæ & propriæ præponerent vtilitati. Aliter enim nunquam veritatẽ dicent absque timore aut fauore, nec seriosè mala populi & oppressiones, aut quod displicere possit, allegabunt. Sed suos vertent humeros & tacebunt, aut profectò quod malum est loquentur homines sanè sine fide & sine lege, auari, ambitiosi, quibus non est curæ vnde quicquam veniat, dummodo habeant, homines etiam præsumptuosi stoliditate aut iuuentute nequaquam bonũ cõstanter dabunt consilium. Qui ad Deum supremum suum dominum & ad seipsum fidem nõ habet, quomodo alteri eam seruabit? Qui sibi nequam, cui bonus? Nota in historia tripartita exẽplum de pacto. Constantinus fidos suos probauit amicos, proclamari iussit quod omnes volentes Christianæ renunciare fidei, boni sui futuri essent amici, & consiliarij proximi, alij autem ab eo egressuri. Multi mox fidei renunciarunt. Alij verò fidem seruando recesserunt. Constantinus suam mutauit sententiam, retinens fideles Deo, & Deo infideles expellens & ait: Si Deo fidem minimè seruatis, quæ spes mihi relicta est vt mihi fideles sitis: Iuxta hanc considerationem valde videretur expediens, vt de principalioribus regni partibus nonnulli vocarentur & audirentur, tam nobiles, quam clerici & ciues, qui liberè miserabilem statum patriarum suarum exponerent, quia multo melius nouerunt per conquestum & experientiam, quam hi qui iucundè Parisiorum inhabitant domos, vbi totius regni est pinguedo, & vbi vita sese ad cor retrahit, plus mouent ea quæ euenerunt & quæ homines senserunt, quam quæ solummodo auditu percepta sunt. Debet etiam regis filia in hoc casu bene audiri & ei fides adhiberi, quoniam parentes tantorum scholasticorum ex omnibus finibus confluentium, & consequenter ipsi scholastici (vt scire potestis) bene hæc sentiunt. Est etiam verum quod adulationis vox allegari non deberet per huius regni consiliarios. Quæ vox? Est quod sufficit esse confessores absq; hoc quod qui sint martyres. O adulator qui ita loqueris, noris Galliæ dominos non tales esse tyrannos, vt veritatem dicenti martyrium inferant, nec dignus es vt martyr euadas. Archiepiscopus Rhemensis, qui me ordinauit, dictam iam dedit responsionem cuidam Franciæ domino: Nec excusati sunt Rhemenses consiliarij, qui loco & tẽpore veritatem per fictionem subticent.

Quarta consideratio.

Bona prudentia exigit vt accusationes clam per adulatores factæ aut vt alteri nocumentum inferatur, aut vt quis bonus famulus vel Domini appareat amicus, aut propter stolidam complacentiam mox reijciantur quod securius est. Nec eis fides adhibeatur vlla absque hoc vt pars altera audiatur. Dura res est, ait sanctus Bernardus aliter agere, qui tamen tempestate sua magnos ignorabat dominos, & ab hac macula non erat coinquinatus, quæ nihilominus causa omnia generat mala, Dauid qui adeò bonus erat & sapiens per falsam Sybæ reuelationem contra magistrum suũ Miphiboseth deceptus fuit 2. Regum 16. & 19. de hoc Lyra tangit. Fui in curia & scio quod per tales occasiones potestatem habent vilissimi & nullius precij homines, optimos Domini amicos in indignationem eius ponere absque vllo remedio, quia indignatio celata excusari & sciri non potest. Et cum sic sit quod in certis casibus nunquã per dominum ipsum talis reuelaretur accusatio. Causam subticeo. Hæc consideratio locum habet in materia fidei & bonæ doctrinæ, vt nunquam credatur homini quantumcunque docto aut probo, si non audeat in publico dicere quod in tenebris & in secreto profert, & interdum irrisionis & ioci modo fides ludum non habet, & veritas lumen amat, vultque bene examinari. Et ante omnia vnusquisque rex aut princeps Christianus cauere debet ne per tales informationes in aliquos contra nostram fidem & sanam doctrinam incidat errores, se in factis suis iustificando, aut alio quouis modo qualiscũque fuerit per humanam fragilitatem peccator. Nullum enim est peccatum quod adeò regem aut principem Deo displicentem reddat, & infamem mundo vsque ad persecutionem eius per ignem & gladium secundum leges diuinas & Ecclesiasticas. Si per talem considerationem prudentia in consiliarijs bene conseruetur contra mendaces adulatores, magnum est adiumentum ad conseruationem regis & vitæ suæ ciuilis. Quoniam rex sine prudenti consilio est velut caput in corpore sine oculo, sine auribus & sine naso.

D E

DE DELECTATIONE VOLUPTUOSA FORTITUDINI *contraria.*

EST necesse cum consiliariorum prudentia militum fortitudinem & cōstantiam adesse, vt exequatur per potentiam quod deliberatum est per prudentiam. Alioquin rex est veluti corpus sine corde & brachijs. Sed heu delectatio voluptuosa maledictus stipēdiarius peccati spurcissimi quidem tyranni, qui guttur osculando abscindit, & amplexando occidit, potum administrando intoxicat, sicut Ioab nimis pulchram hāc virtutem inquietat militiam impugnando, quia non est tam fortis, tam constans, tam agilis, tam virtuosus commilito, quem delectatio non debilitet, & si se substernat, deuastet. Ipsa est fons Salmacis, in quo secundum fictionem poëticam vnusquisque vir balneans media efficitur fœmina, aut fœminina hermophroditus. Ipsa est rete ex subtilibus ferreis telis à Vulcano confectum, ad illaqueandum matrem cum Venere, ad irrisionem ipsius Veneris grandem, fortitudo scilicet cū delectatione. Et quomodo Troia magna destructa est? per voluptuosam complacentiam in Helena. Per quid perdidit Tarquinius & tota eius soboles Romanam dominationem? Per delectationē voluptuosam Lucretiæ. Progenies Benjamin, per quid quasi tota destructa fuit? Per voluptuosum appetitum. Quinque ciuitates & tota circumiacens regio, quæ antea paradisus terrestris apparebat, per quid cœlesti fulmine perierunt? Per fœtidum & vilem appetitum voluptuosum. Hannibal, Antonius, Alexander, Samson, Dauid & alij victoriosissimi milites, cum primum voluptas otiosa & acediosa eos amplexa est, perdiderunt cor & fortitudinem omnem. Sed etiam dominæ & matronæ omnes quantumcunque bene honoratæ, sæpius statum suum amittunt & vitam. Semiramis, Cleopatra, Rosemunda, Medea Bruchildis Franciæ regina & aliæ sine numero dominæ sint in exemplum. Princeps quidam Romanus audiuit quosdam Athenienses philosophos eam doctrinam dare, vt voluptatem omnes sequerentur. Quod ille vehementer admiratus est, & omnibus aduersarijs Romanorum eam doctrinam est imprecatus. Qua de causa? quia sciebat mox eos debiles futuros & fastidiosos, facillimēq; eos superari posse. Sed delectatio voluptuosa vt magis attrahat & decipiat, facit taliter vt boni vmbram latenter induat, propter Deum oro ingenui viri nolite fidere. Dicit Iuuenalis, nihil in diuite secretum esse, secretum diuitis nullum esse putes. Confestim omnia sciuntur, omnia his plena sunt. Exemplum de Mida, quem eius famulus asininas aures habere celare non potuit. Experientia docet seruitores omnia dicere quæ ab eis petuntur, immò verò si nullus eos audire vellet. Est mala eorum conditio, libenter detrahere. Est id per quod volunt agnosci dominis esse proximi, & faciunt quandoque eorum seruitores, quemadmodum Actheon corrosus & dilaniatus à suis est canibus, quamuis proprius eorū esset magister. Est etiam de malo homine in altum statum eleuato, sicut de homine qui scalas ascendit altas, mitram gerentem in capite, quanto plus cognoscitur, tanto magis ab omnibus digito ostenditur & irridetur, & venit mox in Sardanapali exemplum, qui propter tales voluptates regno priuatus est per præpositi sui inuidiam, qui eum delitiosè nimis inter fœminas viderat conuersari. Propterea dicit Aristoteles cautelam dando tyranno, vt factū suum continuet, ne se delectationi voluptuosè dedat. Aliter enim continuò floccipenderetur. Et sumemus aliquas considerationes contra delectationem voluptuosam pro fortitudine & cōstantia in militibus, loquendo aliqualiter sicut clericus de armis, ex lectura & auditu potius quam per experientiam.

Prima consideratio.

Milites exercitati sint & instructi à iuuentute sua in pœnis & laboribus & bellandi exercitijs tā per experientiam quam per scientiam Chronicarum, Historiarum, præclara veterum facinora. Si iuuentus delicatè fuerit enutrita, quid in senectute faciet? Manus molles & teneræ difficulter tenent gladium, & caput comptū ac calamistratum malè gerit galeam. Saül, Gedeon, Dauid, Cyrus, Alexander & alij probati & validi, laboriosissimam habuerunt iuuētutem vt per hoc magis exercitati, & in armis essent valentiores. Ad quod vtilissima est consuetudo à iuuentute, adeò quod ob talia in laboribus exercitia euenit, quod homines rurales & pagani aut opiliones sunt nōnunquam in prælijs plerisque militaribus fortiores. Propterea accidebat vt Romani vocarent aliquem ab aratro qui eorum esset imperator, bene quoque illis contingebat. De hoc loquitur Vegerius & Valerius. Per quod apparet, quod tales homines non sunt omnino à pulchris bellorum facinoribus repellendi, quodque iuuentus non debet otio esse dedita aut delitijs affluens. Bonæ insuper instructiones in antiquorum factis audaciam generant. Faciliusque fit quod quis scit bene se didicisse. Nos scimus quod per vnum stratagema, hoc est per vnam belli cautelam, sicut per vnū sophisma in logica, aut per vnam inuētionem seu ordinationem subtilem, de quibus loquitur Frōtinus in libro suo, & Valerius, decem homines armati vincerent centum, & centum superarent millia. Omitto Epaminundæ contra Xerxem historias & aliorum plurium. Ideo dicebat Scipio Aphricanus, quod bellum incipiendum est minimè ab eo qui taliter rem ordinare nescit, vt aliquid melius siue prærogatiuam maiorem quā inimici sui habeat, aut si necessitas non cogat, ad defensionem festinantem compellat. Hic reprehēdendi sunt hi qui parui pendunt, vt nobiles pueri è libris aut ex doctis addiscant historias aut præliorum chronicas. Mihi quidem videtur nullum debere esse principem aut aliorum dominum, qui non pro se suisque filijs librum de regimine principum aut aliquem consimilem in vsu & manibus familiariter haberet.

Secunda consideratio.

Militaris status in frugalitate conseruetur, omnis in omnibus hoc est dictum, mensura & mediocritas absque luxu & superfluitate sit in vino, ferculis & vestimentis, quæ possunt vertere corpus & animum ad lasciuiam, pigritiam & delectationem voluptuosam, qui se adeò vino aut ci-

bis replet vt vacillet aut in lutum cadat, quomodo firmus esset cõtra lanceam aut mucronem, qui ad dulcem vnius cicadæ sonum euigilare vult? quid faciet ad horribilem vnius tubæ sonitum? Si tunica ad duos pedes post se in terra trahatur, & manicæ à sinistris amplæ sunt, equi quoque ipsi dimidij pedis sint longitudinis, quid proderit omne illud ad vigorosè hostes persequendos? Dicebat Marius quod tales paruæ mundiciæ & superfluitates dominabus & domicellis congruunt, pondera verò & labores viris. Augustus Cæsar, Carolus magnus, Cato, Fabricius, & multi alij probati viri valde sobrij fuere, tam domi quam in bello, in tantum vt eorum aliqui non nisi eundo & redeundo manducarent, panem quidem manu gestantes. Non assidebant tribus horis mensæ, & exquisitè præparata mãducabant. Princeps quidam Romanus Metellus nomine, cum contra Iugurtam esset pugnaturus, expulit domo aquarũ latores, & prohibuit ne quicquam coctì venderetur, præcepitque vnicuique militi vt sine famulo esset & sine equo, suum quoque cibum & arma ipse portaret. Clausit castra, & exercitium suum fossis veluti si iam Iugurta præsens foret, propter quod victores extiterunt, non trahebant post se tres aut quatuor Saumarios seu quadrigas onustas tunicis, ornamentis, tapetis, caligis, calceis, subtentorijs telis. Non ferebantur post eos ferrei furni aut stanneæ fornaces, vt paruas facerent pastas aut placentas, tale onus quid valet nisi ad impediendam celeritatem seu festinationem. Et optimum lucrum est, inimicos aggredi & adoriri improuisos, ibimus ad securos. Iulius Cæsar & bonus iste præpositus Claquin cognominatus lucrabatur omnia per istam celeritatem. Sed exercitus aliquis portans sarcinas & pondera sua instar testudinis aut tortulæ, quomodo festinaret?

Tertia consideratio.

In militari statu ante omnia disciplina seruetur. Generatur per disciplinam principi aut capitaneo obedientia, absque hoc vt quisque proprium velit sequi desiderium aut delectationem voluptuosam. Salustius quærit quam ob causam Romani mundi monarchiam conquisierint? Per fortitudinem? Non. Nam vt dicitur, Galli fortiores fuerunt, & in militia magis exercitati. Per audaciã? Non, quia Romani fuerunt timidissimi, plusquã alij. Concludit ergo quod id eis dedit militaris disciplina. Talis inquam erat disciplina, vt sæpius hic puniretur qui capitaneo suo minus obediret quam qui ad inimicos confugeret. Posthumius Torquatus proprium occidit filium, eò quod cõtra præceptum eius duellum susceperat cõtra Gallum quendam, solus contra solum, quamuis eum superasset. Similiter alius quidam Posthumius filio suo fecit. Nonne Saül proprium filium suum Ionatham occidere voluit, ideo quod contra edictum suum (quod tamen non audierat Ionathas) pauxillum mellis gustauit? Timeo ne multo aliter apud Gallos sit disciplina seruata, immò verò deuastata. Cleacus Lacedęmoniorum dux, cum bellum iniret, suis dicebat: Plus timete inquit, capitaneum vestrum quam vestros inimicos. Et reuera exercitus sine obedientia quantumcunque copiosus non est nisi turba quædam hominum ad

mortem, & omnem occisionem deditorũ, quemadmodum oues sine ordine & pastore.

Quarta consideratio.

Ad auferendam omnem status militaris occasionem ne se delectationi voluptuosæ iungat, armigeri & stipendiarij sua recipiant salaria, vt bene satisfacere possint pro his quæ ab alijs accipiunt. Hoc enim est sancti Ioannis Baptistæ præceptum. Contenti inquit, estote stipendijs vestris, & neminem concusseritis. Si persolutio deficiat armigeris, si nihil soluerint se de persolutione excusabunt, expoliabunt & furabuntur, maximo cum detrimento à pauperibus hominibus. De alterius corio largæ corrigiæ, deinde eos inuadit voluptuosa delectatio. Sed quid accidit pauperi populo? vt ante eos fugiant necesse est, quemadmodũ oues coram lupis. Nonne melius esset populo absque defensione esse, quam tales habere protectores, immò expoliatores? Profectò non est lingua qui sufficiat miserrimam huius negotij describere indignitatem. Supplico vt benignissimus & pijssimus vester animus peragat in misericordia & compassione hoc quod nunquam quibuscunque verbis aut lamentatione exponi posset. Heu miser aliquis homo, si etiam satisfecerit taxæ suæ, suæ impositioni, suę quarto semper soluendæ anno exactioni, calcaribus regijs, cincturæ reginæ, teloneis ad fluuios soluendis, quibuscunque alijs exactionibus, parum illi remanebit, nihilominus restat adhuc alia exactio. Venient enim satellites arripientes ollas & patellas. Miser homo nihil habebit ad manducandum, nisi fortassis modicũ siliginis aut hordei. Misella vxor audiet quatuor aut quinque paruos pueros apud furnum, si furnus adsit calidus, qui quærent panem, clamabunt vt rabidi præ fame. Misera mulier nihil habebit q̃ dentes eorum conterant, nisi sit paululum panis habentis salem. Sufficere profectò deberet hæc miseria, sed venient raptores, omniáque quæ inuenient rapient, fortassis vnam gallinam aut quatuor pullos eius, quæ egena vxor nutrierat vendenda, vt reliquum exactionis posset persoluere, aut aliquam aliam exactionem superuenturam, omnia capientur & absumentur. Quærite quis soluet. Et si vir aut vxor aliquid dixerint, vilipendentur, arguentur & iniurijs afficientur. Quid sit iure eorum velint prosequi persolutionem, dietas amittent eorum, & duplum debiti exponent, & finaliter nihil obtinebunt, nisi fortassis schedulam vnam continentem, quod tanta summa debetur tali. Ita dicit alius, & debebitur. Quod vobis videtur, potest ne peius bono illi homini contingere? Certè adhuc restat grauius, verberabunt armigeri, nec contenti sunt nihil capere vbi nihil est, sed minas inijcient verbis & opere virum cũ muliere percutient, aut domum igne consumunt, nisi eorum loculos repleant, & pecuniam extorqueant quacunque iniuria, nisi etiam vina & cibos ministrent. Taceo de vxorum & viduarum oppressione. Videretur fortassis parum eò quod solo de vno homine sermonem feci. Credite Domini adeò certè sicut mortem, quod sunt mille & mille & plusquam decem millia, qui per hoc regnum peiora quam dixi sentiunt & senserunt.

Prouisio moralis super illo quod dictum est.

Altissi-

Altissimi & excellētes Domini, ad hæc verba nobile vestrum cor penitus benignum, non dubito ad compassionem iure optimo versum & affectū esse. O Deus quid contingeret, si oculis intueremini horribilissima & crudelissima facta, eo quo fiunt modo, non credendum est quin festinantissimè antequam vnquam somnum altum caperetis in lecto, de remedio prouideretis. Hæc incōmoda non fiunt vestris iussis, scio, sed non sufficit erga Deum & rationem. Parcite si liberè loquor, non sufficit inquam, nisi hos malefactores realiter, efficaciter & de facto impedieritis. Quidam bene dicunt famulis suis cum de eis fiūt querimoniæ nihil attuleris, sed interius aut in occulto alia verba dicent, rape omnia. Heu qualis seruitus est subiectorum aliorū si hæc sit libertas. Vbi est pulcher ille regis titulus: Rex Francorū? Multis in locis huiusmodi titulus vt mihi apparet deletus est. Solet dici de quibusdam patrijs per tyrannos gubernatis, quod opprimāt, & subiectos eorum explument, sed residuum securum est & bene seruatum, taliter vt nemo sit qui sub capitis pœna pullum aut gallinam vnicam auderet auferre. Nunquid res tolerabilior est subiectis, quā cum nihil tutum est, nec in corpore, nec in bonis, nec in conscientia, quia timida cura, tremebundus timor, ne spolientur per principes aut armigeros, eos afficit grauissimo, impatientissimo & doloroso tormento, vt nostro tempore plus sint qui desperarint & sese occiderint. Deus qualis horror, se occiderunt, vnus per suspendium, alius per submersionem, alius cultro cor suum perforando. Heu quid respondere poterunt in districto Dei iudicio hi qui perditionis talis Christianorum in corpore, & quod peius est, in anima (nisi Deus suam eis impartitus est misericordiam) occasionem dederunt? Si Deus his misericordia non impartiatur qui misericordiam non fecerint? qualem rigorem his ostendent qui talem procurauerunt crudelitatem? Tu ea non agis mala, verum est, sed ea fieri permittis & suffers. Sic Deus iudicabit iustè contra te, & dicet: non te puniam sed infernales diaboli te cruciabunt, eos ego non impediam, quia malum pro te esset. Nunquid mirabile est quomodo homines qui nihil fidei, nihil legis & nihil conscientiæ habent, non cogitāt qualem absolutionem habere, aut qualem satisfactionem facere in prædictis possent casibus. Non est adeò sapiens confessor quin quandoque dubitet de huius rei exitu. Deus prouideat, non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Necesse est restituere aut perdere quod Samuël verbo & facto demonstrauit euidenter. Hic fundo & sumo duas factas petitiones, vnam pro conseruatione status regij, & alteram pro defendenda contra inimicos regni iustitia. Si regi sint pauperes & pauci subiecti quid sibi proderit dominiū in subiectos? Et subiecti quid prosunt, nisi vt rex & ipsi viuant iustè. Prouerb. 14. In multitudine populi dignitas regis. Quantas familias existimatis regnum hoc reliquisse per talia opprobria? Quantæ mortalitates in filios, viros & bestias acciderunt propter nutrimenti carentiam. Ea quæ laboranda & colenda essent, absq; labore & cultura dimittūtur. Miserum est ea cognoscere pauperes enim non habent vnde seminent, aut nec equos nec boues habere audent, propter A principum & armigerorum timorem, aut ad laborem parum afficiuntur, quoniam eis nihil relinquitur nec filijs eorum, per quos antiqui iam parentes sustentari & adiuuari deberent. Continuò abeūt, malumus inquiunt tempus terere frustra, quam absque fructu laborare, necesse est interdum homines senio confectos aratrum trahere cum potius requiem habere deberent optatam. Et quid vltra? Senes nobiles magnos reditus habentes ab his persolui non possunt, quoniam egeni sunt nimium, vbi nihil est, rex ius suum amittit. Eccle- B siastici quoque id optimè sentiunt. Pauperes mēdicantes præ fame vt rabidi clamant, quia eis nihil administratur. Id videtur in quocunque statu ad oculum per prædicta regalia ædificia & reipublicæ, castra, pontes, munitiones, molendinæ omninò deperduntur. Et quantum ad factum præliorum iudicate per ea quæ dicta sunt, quod fideles subditi magis grauantur armigeris quam regnum ab inimicis. Deus de sua gratia breuiter remedium ponat vobis nobilissimis & excellen- C tissimis principibus mediantibus, vt rex viuat vita ciuili & politica.

DE INSIDIATORE RAPACE ET SVO CONATV CONTRA *regis vitam ciuilem.*

DECLAREMVS in sequentibus perfidum rapacis insidiatoris conatum. Id enim valde expediens est. Quis enim eum permittat cum D fatiget, subuertat & expellat pulcherrimam illam tertiam virtutem iustitiam, pulchriorem & mirabiliorem secundum dictum Aristotelis 5. ethicorum, quam sit diurnus lucifer. Et sine qua dicit Augustinus 4. de ciuitate Dei, regna nō sunt nisi latrocinia. Ad hoc applicari posset de Diomede latrone marino siue pirata historia, quem interrogauit Alexander quare spoliaret eos qui mare nauigarent? Respondit liberè, sed tu quare totum spolias mundum? Ideo dicor pyrata, quia solum paruam habeo nauiculam, & tu qui habes ma- E gnos spoliandi circuitus, imperator diceris. Eam considerationem habuit bona illa mulier quæ ait, latrones hos esse qui paruos ad suspendium ducerent. Hic sumitur punctum reformationis iustitiæ in hoc regno. Quoniam sic dicit Sapiens: Regnum de gente in gentem transfertur propter iniustitias. Nullum est malum quin quandoque appareat. Capiemus igitur quatuor contra rapacem insidiatorem pro iustitia considerationes.

Prima consideratio pro iustitia.

F Sicut nec debet iustitia nec potest vendi, sic officiales aut officiarij iustitiæ, precio, argento aut rogationum violentia armati, instituti non debent, sed per probitatem & sufficientiam. Quomodo venderet iustitiam ille qui adeò carè emit eam, ipsam mihi credite vēdet & cauebit, ne quicquam perdat. Nulla est cautela nec malitia quin eam inueniat priusquam perderet. Iura politiæ applicabit & indicabit nunc hac nunc illac, & litis vel stateræ ponderosius auferet ius. Nō posset die vno, non mense recitari afflictio iniusta, quæ propter illam causam pauperibus accidit

hominibus per dietarum amissiones, per defectus inuentos, per emendas, per procuratores, A aduocatos, promotores, per violentam satellitum extorsionem. O qualis animarum casus, & qualis illa curatio! Intrabunt domum nec quicquam erit quin iterum atque iterum subuertatur bis aut ter in die, quoadusque cum aduersario compositio facta sit quod contra Dei ordinationem est in antiqua lege, qui nolebat hominem proximi sui domum intrare vt acciperet vadia, & videret eius pauperiem, sed ad ostium expectare deberet. Accidit insuper nonnunquam expensas principale B ipsum excedere. Sed an excusandi sint hi qui tales instituunt per fidos officiarios, auaros & ignaros? Certè non. Deus in lege sua & antiqua boni Domini voluerunt bene aliter iustitiam obseruari. Rex Cambises præpositum habuit malè iudicantem, quem excoriari præcepit, & pellem eius iustitiæ sedi affligi, & filium eius in ea sedere vt memoriam haberet ne falsam exerceret iustitiam. Contra tales loquitur sapiens, Sap. 6. cum essetis ministri regni illius, nec rectè iudicastis nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem C Dei ambulastis, horrendè & citò apparebit vobis. Et Ezech. 34. & alibi pluries.

Secunda consideratio.

Quemadmodum misericordia fieri debet humilibus subditis, sic pariformiter iustitia contra peruersos exerceri debet, ne per eos boni onerentur & deuastentur. Hoc est verbum Virgilij in Romanorum laudem:

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Æneid. 6. Dicebat Cato, rempublicam bene se D habere non posse nisi inter bonos & malos discrimen fuerit. Inimici familiares plus nocent quam extranei, & ideo potius sunt extirpandi. Nunquid habemus de pluribus principibus qui vt leges eorum contra malefactores defenderent, iustitiam in seipsos & eorum filios exercuerunt. Carmides legem instituerat, ne quis forum cum gladio adiret. Longo post tempore cum foris veniret gladio succinctus erat, & absque aduertentia forum intrauit. Lex eius illi ostensa fuit. Tenebo inquit ea, & mox sese occidit. Zeleucus E filium habebat vnicum, cui ob demeritas oculi erant eruendi, liberum tamen eum alij dicere volebant. Pater autem iudicauit, quod ipse filius vnum oculum esset perditurus & pater pro filio alterum. Archiepiscopus quidam Angliæ vestitus erat ad missam celebrandam, cum sibi subditi sui tunc narraretur maleficium. A missa celebranda expectauit donec iustitiam exercuisset. Debeo inquit, iustitiam Deo, & prius eam persoluam. Comes quidam erat in lecto mortis, & audiuit F filium suum quandam violasse filiam, quem & vocauit & occidit. Presbyter cum esset sanctum recepturus sacramentum, illi conscientiam formabat. Respondit comes: Non se filium occidisse, sed suum maleficium & legem iustitiæ obseruasse. Audiui de quodam comite, qui & si peruersæ esset vitæ, acriter tamen subditorum puniebat delicta. Et cum ab eo quæreretur, quare in alijs puniret quod ipsemet faceret. Sufficit inquit mihi vt damner pro meis malis, absque hoc quod pro alterius malis pariter sim damnandus. Qui malefactores à malis non prohibet, est ne culpabilis in his quæ perpetrant malis, Ita ita. Postulabatur à quodam rege Franciæ venia pro homine quodam qui alium occiderat. Dedi inquit, veniam eidem prius in simili casu, propterea casum illum vlteriorem veniam nō mereri. Quare ait fatuus quidam assistens: Verè parcendum est illi, quia homicidium hoc postremum tu fecisti. Vade fatue inquit, rex, nescis quid dicis. Quomodo ego eum occidissem? Dicam tibi respondit fatuus: Domine, si de priori inquit, maleficio iustitiam fecisses, modò hoc non commisisset homicidium. Fuit sapiens fatui dictum, etiam si ipse vnus è septem fuisset sapientibus. Et dictum hoc nostra probat consideratio.

Tertia consideratio.

Iustitiæ officiarij multiplicandi non sunt, nec sæpenumero mutandi. Cum officiarij multiplicantur, vnusquisque suam aufert portionem, in pensione, in donis, in exactionibus, vt suum ducat statum. Quid prodest regem centum habere camerarios, & totidem cameræ famulos, & sine numero secretarios, & sic de alijs officiarijs? Est honorificum dicit quispiam? Verum est sed honor iste semper emitur à rege. Audiuistis ne de bona matrona, quæ Aurelianenses vidit studentes, quæ quæsiuit quidnam facerent? Responsum fuit illi, eos studijs operam dare, vt essent iudices, aduocati & procuratores. Heu dicebat illa, solum est vnus in patria nostra procurator, & fermè tota patria destructa est. Quid fiet de tam ingenti caterua, hoc est quantum ad iustitiæ officiarios, quantum ad hoc quod est eos facile mutari. Ad id cōducit quod recitat Aristoteles in rhetoricis, de homine varijs vndique plagis cruciato, & propter sanguinem omnino muscis coopertum, quidam misertus est eius, & muscas omnes ab eo fugauit. Qui conquestus ait: nouas venturas muscas prorsus famelicas quæ plus prioribus suggerent, & eū grauarent multo alijs fortius. Acerbus est muscæ macræ morsus. Verum est imperatorem quendam officiarios suos (vt eis vteretur veluti purgamine aut spongia) nutriuisse, ipse enim ab eis auferebat omne quod collegerant, eos incarcerando aut aliter affligendo.

Quarta consideratio.

Honoretur suprema iustitiæ curia taliter, vt eius sententiæ & aresta sine violatione seruentur, aliter omnis eorum iustitia flecteretur, tremeret & caderet, alioquin principalis vitæ ciuilis ipsius regis custodia deperiret. Nihil est quod magis dominium seruet regale in suo vigore, qualecunque personale rex habeat impedimentum quam iustitiæ conseruatio rege siue præsente siue absente. Et si fiant defensiones regni, potuisset institui vna talis certa lex, vt citò occurreretur inimicis vitæ ciuilis regis quæ semper esset permansura, in quocunque statu vita regis corporalis esset. Et vellet Deus vtinam hoc bene fuisset præmeditatum, ponderatum & ordinatum. Sed est nimis arduum, nihilominus tamen ipsa ciuilis vita melius plerunq; seruaretur in manib⁹ publicis populi, secundū ꝙ notat Aristoteles, quā in manu Domini.

mini. Consideratis maximis importunitatibus, & ardentibus eorum qui petunt cautelis, & domini liberalitate, qui nihil nouit abscondere, nescit aduersari suis. Et cum ad rem deuentum fuerit, nihil inuenitur, velit Deus vt saltem iusticia absque hoc vt infringatur conseruetur, nec pro magno, nec pro paruo, aliter enim verificaretur Anacarsis philosophi dictũ, quod causę & aresta iudiciorum cõparantur aranearũ telis, quę tenẽt paruas muscas, magnas verò euolare permittunt. Bene se habebit vita ciuilis regis, si prudentia sit in cõsiliarijs, fortitudo in militibus, iusticia in iudicibus, quæ bene seruentur & manuteneantur contra adulatorem mendacem, delectationem voluptuosam, & insidiatorem rapacem.

De statu iniurioso & sue conatu contra vitam regis ciuilem.

SEd expediens est quod quarta & vltima virtus germana soror aliarũ trium non violetur nec deijciatur. Quę est ista virtus? Temperãtia. Secũdum nomen suum ipsa est ad moderandũ, & seruandũ omnia in semetipsa, ne quid nimis, sine mẽsura omne irregulare est, totum in confusionẽ cadit. Cõtra hanc virtutẽ totum suũ nisum exercet quartus spoliator status iniuriosus. Verè spoliator est ipse, quoniã nihil ei sufficit, non plus quam lupo protsus famelico, nihil eum replet. Est nisi quędam maris sine termino profunditas. Est abyssus sine fine, sine littore. Est Eristomus fabulosus, qui satiari nõ poterat. Est vitiũ vnũ in figura odiosum nimis extraneum, nimis monstrosum, quia ex vna parte omnia dat omnia sine mensura, regula aut animaduersione expẽdit seu exponit, vt satisfaciat hyrũdinibus famelicis, quę eum omnino euacuãt, die & nocte rodũt absque hoc vt quietem sumere possit. Alia ex parte omnia per eum auferũtur, arripiuntur sine pietate, sine compassione extorquentur, quantumcumque alij pauperie premantur. Semper oportet vt non sine rapina sit nutrix prodigalitatis quia sua consumunt &c. Hic verificatur Iohelis prophetia in quatuor suis circulis. Residuum erucæ comedit locusta, residuũ locustæ comedit brucus, residuũ bruci comedit rubigo. Recitant poetæ de Polyphemo gigante, qui viros & mulieres viuos deuorabat, quẽ Vlisses excæcauit. De Busyride tyranno, qui homines equis suis dabat manducandos, quem Hercules occidit. De Lichaonte qui homines dijs suis sacrificabat, Iuppiter illum in lupũ mutauit. Status iniuriosus facitne heu tales aut peiores crudelitates? nũquid viuit sanguine carnis pauperũ, cum eos ad angustijs plenam perducit mortẽ, per iniuriã vim suam exercendo? Sit in cibis, sit in equis, sit in canibus, sit in sumptuosis edificijs, sit in põposa, rabida & furẽda familia sine numero, sine ordine, sine mensura, in vanitate, vmbra eleemosynæ aut religionis cooperta. Est mirabiliter dura sententia, sed vera est sapientis locutio: Qui facit eleemosynam de substantia pauperis, sicut qui occidit filium coram patre. O Domini mei, quid erit igitur de his qui dissipant substantiam, non vnius aut duorum modò, sed centũ, immo mille, immo profectò cẽtum millium in malis operibus, spurcis & vilibus propter eorum iniuriã. Nescio quid dicam, assero

A quod non est domus adeò firma, castrum tam bene fundatum, ciuitas tam opulenta, regnũ tam stabile, potens & honorabile, quin vastetur, decidat & perdatur cum hæc monstrosa bestia status iniuriosus inhabitet ibi & manet. Exemplũ in Græcis, in Romanis, & multo plus quam vellẽ in statu papæ & curiæ suæ, ab annis quadraginta aut quinquaginta. Commune prouerbiũ sapientissimè dictum est: Quibus expẽdit quam acquirit, sine cõquisitione mortem acquirit. Cõsiderate hic, considerate supplico, quãta subleuẽtur pro regni defensione in subsidijs, in exactionibus, consuetudi-

B nibus & alijs subuentionibus, veluti si inimici per totum regnum expansi & dispersi essent, vt cõtra ipsum pręliarentur, nec omnia hæc sufficiãt vt cõmuni statui satisfiat, & communes expensæ aliquorum dominorum expediantur, quilibet illud clamat, secretum non est: Id quomodo continuari aut manuteneri posset, quin nimiam tyrannidem exercendo totum rumpatur aut dissipetur: Sumemus ergo quatuor considerationes pro temperantia contra statum iniuriosum

C &c.

Prima consideratio.

Pro temperantia contra iniuriosum statum. Status conuenienter ab incuria & ignauia separari debet. In primis in prælatis & magnis dominis, quamobrem? Primò propter bonum exemplum, & quia secundum dominos populus se gubernat. Mobile mutatur semper cum principe vulgus. Et qualis rector ciuitatis, tales & habitãtes in

D ea. Nec dici intenditur, qui domini eminentiorem & honorabiliorem vltra alios habeant statum. Id enim rationabile est stolidum est enim minoribus & subditis ad dominos volare velle, nihilominus tamen conuenit sæpius minorum condescendere fragilitati, in speciali per prælatos & spiritualitatis homines. Exemplum humilitatis & temperantie in magna tum statu plus mouet quam verba. Sed inquies: status prælaturæ aut dominij in vituperium, contemptum & diffamiam eueniret profectò minimè, verum magis hono-

E raretur, appreciaretur & reuereretur, cum videretur id bene per humilitatem fieri, non per compulsionem. Insuper etiã quod per parsimoniam & frugalitatem in bonis & diuitijs reseruata in rempublicam conuerterentur. Quid prodest inquam, talis pompa nisi vt dominum aut prælatum aliquem semper in indigentia aut paupertate vitam ducere compellat? plus quandoque quam hos qui eorum quærunt panem. Voco eos in testimonium quod violentia adeò corpus aggrauat

F mysticum tam ponderosè, vt iam fermè contritum sit, & à bona promissionis terra per figuram populus in tenebrosam reuertatur Ægyptum duræ seruitutis, peccatorum vitiorum & & vilis oppressionis. Contra legis præceptũ Deuteronomi 17. vbi præcipitur, ne multiplicentur equi & currus, non reducant populum in Ægyptum. Et vt verum dicatur, in omnibus est pompa. Principes & magnates hi sunt qui minus habent, quibus minus remanet. Quotiens visa est regia persona, vt ne aureum quidem habere possit, nec per preces nec impetrationem vllam his præsentibus quibus sæpe per milia dona-

bat. Taceo de supellectili & alio statu communi. Alias comparaui aliquorum dominorum statum ad id quod factum est Bel idolo & deo Nabuchodonosor. Dan. vlt. Ministri & famuli suggerunt omnia pro eis & eorum expensis esse quæ afferuntur illis. Nihil est in Dei nomine. Simulant se velle præsentare, sed in nocte, hoc est in occulto ministri omnia auferunt, sicuti per subterraneas cauernas, hoc est dictum per cautelas subtiles & occultas, vt per hoc quod dicunt (nescio quas) obligationes deobligandas, & per dona boni speciem habentia & iustitiam coloratam, taliter vt centum franci à rege donati ad vtilitatem aliquam per manus famulorum suorum administrati sæpius regi, quadringentos aut sexcentos auferant. Multi hic se continent. Audiui tales esse quemadmodum canem *Taupin* dictum, qui omnia surripuit quæ mater existens in nuptiali mensa, volebat à dorso filio suo administrare. Quæ est hæc mater nisi respublica, quæ miranda domino donare intendebat. Sed famulus hic aut alter omnia inglutit. Propter Deum oro, sit dominus tanquam puer qui fame deperibat, clamãs ad matrem suam: Mater mea noli amplius facere *Taupin* canem nũciũ tuũ nihil enim mihi dimittit.

Secunda consideratio pro temperantia contra pomposum statum.

Status tam clericalis quam militaris & ciuilis à pompa debet esse separatus, per hoc vt bonæ instituantur ordinationes & seruentur quæ ponunt mensuram in cibis, & tunicis in equis, in suppellectili, in annullis, talibus rebus pompam nutrientibus. Rex Philippus per communem trium statuum consensum aliquas instituit ordinationes, quas bonum esset seruare, & fortassis semel in pleno consilio legere ad minus darent cogitationem, & demonstrarent clarè qualem in pompam vnusquisque status regni esset lapsus & decidisset in omnibus rebus. Interea notetur etiam tempus præteritum quãdo & qualiter in camera componi computabantur duodecim denarij aut duodecim solidi pro reparatione tunicarum reginæ aut Delphini. Et sine prolixo processu reducatur in memoriam tempus regis Ioannis, quem multi videre potuerunt. Quia vt relatione percepi, talis est modò miles aut simplex comes qui maiorem habet pompam in aureis & argenteis vasis, in tapetis, in velis extensis, in vinis, in cibis, in apparatu quam nominatus ille rex haberet. Quale ergo est miraculum si regnum sit egenum, & si populus has pompas ferre non possit. Sed dicet fortassis aliquis hic, sicut in casu simili Romæ obiectum fuit quod recitat Valerius. Quomodo? Non possum ego de diuitijs meis ad liberum agere arbitrium bibendo, comedendo, vestiẽdo, domos faciendo, eleemosynas largiendo? Respondeo quod non in aliorum reipublicæ membrorũ præiudicium. Malũ etiam exemplum esset & seruitus non felicitas, sicut dicit sanctus August. Nihil infelicius felicitate peccantium. Principes pagani & sine fide taliter ordinauerũt, sicut Licurgus, Solon & Romani, apparet per eorum leges, quas omitto. Et certè credo talem ordinationẽ demum vnicuique placere, quia per eam nõ haberetur verecundia, vt quis sese sobriè & temperatè manutenęret. Omne autem quod põpam illam gignit est verecundia aut vana gloria. Illud cõspicitur, quia in secreto talibus nõ est cura põpis. Burgẽses & alij matrimonio copulati norũt quomodo se tenere debeant.

A

Tertia consideratio.

Postquam necessarium est ad protectionem & vitæ ciuilis regis & regni nutritionem & cõseruationẽ accipere & leuare subsidia, id in bona ęqualitate aut æquitate per totũ corpus mysticum fieri debet. Hoc erat dictũ Platonis secundũ quod recitat Tullius in lib. de officijs, quod plus grauare vnam partẽ quam alteram in exigendo, est introducere perniciosam rem in republica scilicet seditionem. Verum est aliqua membra per mechanica opera aut mercancias non laborare. Aliter enim laborant quemadmodũ domini aut clerici ad exẽplum cordis aut stomachi, secundũ quod senator quidã Romanus allegauit vt populum cũ senatu ad vnionem reduceret. Contra quæ quidem senatum tanquam nõ laboraret murmurabat populus, talia mẽbra de aliorũ laboribus gubernari debent, sed tẽporatè & in bona æqualitate, absque hoc vt simul totum auferatur, aut laborãtia membra denudentur. Et quamuis hæc æqualitas ad oculum videri non possit, vt bene cognosco, nihilominus tamen quisque agere debet vt potest ne talis inueniatur enormitas, sicut tetigimus de principibus & armigeris. Pauper aliquis homo nõ habebit de omni labore suo, vt toto anno vxorem & filios nutriat, & iura persoluat & debita, nisi decem aut duodecim cados vini, & duas aut tres mensuras bladi, quod omne peribit in vna raptura aut armigerorum aduentu. Quid aget, quid incipiet, quomodo viuet? hoc duntaxat cogitare solum graue est. Et in tali casu diuites plures inueniunt exitus aut fauores quam pauperiores. Si vos omnes domini mei bene simul essetis cõfęderati, quid vobis in corde Franciæ prodessent armigeri? Regnum satis supérque diues esset, ad sustentandos vos & status vestros absque hoc vt cuiusque status inferior aut debilior efficeretur. Si petitis confæderari per hoc quod magnas extraneis datis pensiones? Nunquid securius est, facilius & honestius inter vos esse confæderationem, siue per contractus aliquos matrimoniales, siue aliter. Sic profectò extrudantur adulatores, qui libenter omnia turbant vt piscari possint, sed piscatio hæc est mala nimis.

B

C

D

E

Quarta consideratio

Postquam pompæ pomposos faciunt status in pluribus hominibus, ipsæ reducendę sunt ad mensuram & liberalitatem, siue sit prodigalitas, hoc est stolida ad extra largitas. Rex Philippus scripsit Alexandro magno filio suo contra talia dona, vt ponit Tullius 2. de offic. Quod te malum inquit, rex in istam spem induxit, vt eos tibi fideles fore putares quos pecunia corrupisses? An tu id aisne? Macedones nõ te regem suum, sed ministrum & præbitorem putẽt. Dona pomposa leuiter & sine vtilitate expendũtur, citò acquisitũ, citò expositũ. Apparet de acquisitis per taxillorũ ludum aut vsuram. Dona pomposa non satiant, sed inflammant, & inclinant ad semper plus recipiendum & habẽdum, sicut canis cui paulatim minuta dantur frustra. Dona pomposa pro vno amico, tres aut quatuor aut plures faciunt inimicos siue inuidiosos, qui se reputant multo digniores ad talia recipienda. Dona pomposa spoliant centum

F

&

& centum pauperes homines, immo mille, & mille, vt solus vnus homo & abiecti quidem status vestiatur, & qui non centum in reditibus suis habet solidos. Dona pomposa reddunt sæpenumero hos qui ea recipiunt raptores & spoliatores, cum à donatione cessatũ fuerit. Dona infructuosa seu pomposa adulatores & fictos faciunt amicos, qui sequuntur prædam non dominum qui plura eis tribuit, hic eos habet. De ficta amicitia sæpe se ad veram conuertunt inimicitiam, hoc videtur ad oculum. Dona pomposa faciunt quandóque nullius reputationis homines honorari & eleuari, non sine vili & spurca despectione, & nõ sine proborum & ingenuorum nobilium indignatione, qui de omnibus eorum magnis reditibus & hæreditatibus non possunt eo modo honorari vestiri & reputari, quemadmodum vnus centum denariorum hæres. Dona pomposa per scedulam aut os omnino conceduntur, & non magni reputantur. Sed qui videret coadunatos seu collectos mille aut duo millia francorum, & eos conquirendi difficultatem denarium post denarium à misero populo talis qui dat per millenarium quæ non daret per quaternarium. Nihilominus tamen omnia ex marsupio prodeunt domini, primum est soluere sæpius. Obsistite nobilissimi & excellentes domini, obsistite per magnũ vigorem contra spoliatorem hunc statum pomposum, & contra alios dictos tres, adulatorem mendacem, delectationem voluptuosam, & insidiatorem rapacem. Sitis tutores, seruitores & protectores quatuor virtutum, prudentiæ, fortitudinis, iustitiæ & temperantiæ. In quarum coniunctione & bona proportione consistit & conseruatur vita regis, ciuilis & politica, mediantibus considerationibus superius nominatis. Sit vestro adiutorio (facto plus quam verbo) completa pulchra illa vox: Viuat rex.

De vita regis spirituali, tertium huius propositionis punctum.

NOstra exhortatio finalis seu impetratio pro spirituali & diuina vita regis erit breuissima (hoc bene sentio) hora postulat. Non obstante tamen hoc christianissima vestra & religiosa benignitas (si vobis ita placuerit) deuotas mihi vestras adhuc paululum præstabit aures & attentas. Non quidem mihi, sed ad honorem Dei, sui verbi regis filiæ, regis & altissimi huius quod celebratur concilij. Ob eam enim causam congregati sumus, parum temporis veritati præstetur, cum sæpenumero multum temporis vanitati tribuatur. In ista confidentia audeo perseuerare & dicere tertiò: Viuat rex. Viuat inquam, vita spirituali, quæ conseruatur in vnione animæ cum Deo, hic in gratia & in fine per gloriam, hic per dispositionem & bonam donorum supernaturalium harmoniam, specialiter per tres virtutes theologicas, fidem, spem & charitatem. Et quia sæpius de his sermones fiunt, transeam breuiter dicendo de ipsis per quatuor considerationes pro vita ipsa diuina.

Prima Consideratio.

Quoniam bona vita spiritualis dependet à prosperitate conuenienti corporalis vitæ & ciuilis,

A vita hæc spiritualis vigilanter in rege & in omnibus sui regni hominibus conseruari debet. Contra quem vitam hanc spiritualem protegemus? Contra principem tyrannidis, peccatum mortale. Est occisio huius vitæ per malos mores plus nocẽs quam mali humores. Hoc pro certo tenete, quod pro peccatis corporis mystici, siue sint in capite, siue in membris, aduersitates nobis accidunt corporales & ciuiles, & præcipuè quando sunt horribilia peccata extranea, fœda & vilia cõtra Deum & naturam. Propterea bella, fames pestilentiæ,
B seditiones & diuisiones nos arripiunt, sic dicis lex ciuilis, sic affirmat scriptura sancta in mille locis dictis & exemplis. Notate maledictiones Deuterono. 28. Et nunquid per peccatum Dauid populus eius arreptus est pestilentia? 2. Reg. 26. Et pro peccato Acham punitus fuit omnis populus Israël. Iosue. 7. Nabuchodonosor eò quod Deum non cognouit, in eam cecidit melancholiam vt se bouem esse reputaret. Non est igitur melius consilium contra eas quas sentimus & formidamus aduersitates, quam eniti vt vitam spiri-
C tualem tam in rege quam in subiectis nanciscamur. Immutemus malam nostram vitam, & Deus rigorosam suam mutabit sentẽtiam. Seruiamus illi, & ipse erit nobiscum, & tunc quis erit qui nobis poterit nocere? Nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas, inquit Gregorius. Nullus est adeò adiunctus peccato mortali per consensus alligationem, quin noceat & proditor sit omnibus alijs & omni coniunctioni vitali, quam nos solum habere debemus in vno corpore, sed
D & exercere in eodem corpore. Conari ergo debet vnusquisque quod proximus suus siue magnus siue paruus fuerit, bene habeat. Debet etiam malum impedire, Deum pro proximis orare, singulariter pro rege & dominis, quia in eorum bono nostrum consistit bonum. Nimis reprehensibile est eis maledicere, quia quis maledicit sibijpsi & toti pupulo. Ob hoc initio huius regni debet inchoari reformatio magis quam aliter, orando pro dominis, in speciali prò rege, vt Deus bonam illis largiatur vitam, & quod sub ipsis pacatam nos
E ducamus vitam secundum apostoli præceptum. Domini alia ex parte omnem debent adhibere diligentiam vt boni eorum sint subiecti. Debent etiam temperare eorum onera aut aduersitates, ne per impatientiæ gladium, aut murmurationis aut insidiationis & furti quæ sũt peccati mortalis filij, crudeliter trucidẽtur. Omnia namque hęc essent in præiudicium (sicut dictum est) triplicis vitæ regis & regni. Heu quid prodest Deũ pacare verbis solum, & impugnare factis, immo facto & verbis
F impugnare? per vilia iuramẽta, per maledicere & detestari, periurare, loqui contra Deum, contra fidem, contra vitam omnium personarum bonarum, abuti Dei donis ea impugnando, sicut fortitudine, pulchritudine, sensu & ingenio inimico seruiẽdo, & Deum aduersus seipsas incitãdo, tales se reperiẽt deceptos siue citò, siue tardè, sed fatuus non credit donec susceperit. Cõtra Deum nec est fortitudo, nec sensus, nec consilium, potest in momento omnia permutare, & omne peruersũ eorũ studium & præsumptuosam intentionẽ ad stolidũ finem perducere. Comprehendit sapiẽtes in astutia sua, & adducit cõsilium eorum in stultũ finem,

nisi apponamus rationem in nobis & expectemus donec Deus ponat, vereor ne talis vetura sit tempestas & in magnos & in paruos quod horreo eam meditari. Deus nobis meliora det quam seruitia nostra requirunt.

Secunda consideratio de fide.

Quoniam fides christiana fundamentum est vitæ spiritualis, ipsa singulariter in christianissimo rege tam verbo quam facto debet apparere. Deus dando conditiones regis qui populum suum esse recturus Deuter. 17. voluit præcipuè regem semper legis librum coram se habere in quo nocte & die legeret, voluit quod sumeret exemplum à præsbyteris. In lege noua rex iurat cum consecratur, se viriliter omnes errores, hæreses, malas doctrinas expulsurum. Et optimo quidem iure, quia sanctus Remigius primum regem christianum baptizando per spiritum prophetiæ prædixit, quamdiu fides permaneret in rege & regno, regem victoriosum futurum. Apparet igitur regis filiam benignis aurib⁹ audiri debere, in hoc quod tangit fidem & bonam doctrinam tanquam legis magistram. Et ad exemplum sancti Ludouici & omnium aliorum fides est virtus quæ regem sub Deo humilem efficit cognoscēdo supremum Dei dominium, & quod Deus est is cui rex de gubernamine suo rationem sit redditurus sicut coram magno cameræ computi magistro. Et debet esse talis subiectus suis qualem Deum vellet erga se habere, puta dulcis, benignus & misericors. Est exhortatio magni sancti Antonij ad imperatores, illam considerationem habuit Traianus quando dicebat se velle esse talem suis subditis, qualem vellet dominum suum sibi esse. Excelso excelsior est alter. Et iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Per hoc videre possumus quod hi sunt periculosissimi cuicunque vitæ regiæ, qui semināt malas contra fidem doctrinas, siue publicè, siue occultè, siue sub forma ludi & ioci, siue ob certam malitiā. Tales profectò sequi deberet persecutio, quemadmodum falsos monetarios qui sunt contrarij vitæ ciuili aut temporali, hi autem temporali & spirituali. Quare? quia nihil est quod intātum subditos & rempublicam teneat in obediētia & vnitate sub rege, sicut fides religiosa. Et sunt proditores Deo & dominis qui vnionis vinculum dissipant quantum est in eis.

Non nimis extirpari possent huiusmodi homines, & per contrarium non satis extolli & chara haberi potest filia regis. Ipsa est quæ conseruat & nutrit illam fidem. Et fortassis si tempore Mahometi ipsa fuisset adeò magna & tam populosa sicut modò ex Dei gratia est, maledicta illa secta non in tātum fuisset dominata. Nonne percepistis à tempore dolorosi schismatis, quod vix vlla alia patria admonuit vt cessaret nisi ad instinctum vniuersitatis. Per supradicta apparet ipsam debere esse liberam & quietatam ab omnibus subsidijs aut laboribus, siue decimæ fuerint, siue aliæ subiectiones. Tum quia ipsa est filia Francorum regis & nobilis, tum quia singulariter ipsa laborat pro toto regno & tota ecclesia, ideo potius debet ei subsidium dari, quam quod oneretur. Et hæc vna est supplicationum quam iam sæpissime postulauit, & vos domini per magnum consilium petitioni eius consensistis tanquam rationabili, quamuis nondum sit per litteras & expressa mādata determinata. A Hic commendari posset bona regis fides, & vestrum omnium dominorum varijs modis religiosorum (nō satis erat expulisse Iudæos & vsurarios non sine vobis) in hoc quod prohibita sunt turpia iuramenta, execrationis Dei & maledictiones, quamuis executio minor sit quam necesse foret. In hoc quod ordinatum est, nec confessio ad mortem damnatis denegaretur, in hoc quod iam dudum literas dedistis, cōtra abominabiles maledictiones & quasi idololatricas quæ in Francorum fiunt ecclesijs sub vmbra festi fatuorū. Fatui sunt B ipsi & perniciosi fatui, nec sustinēdi, opus est executione. Finaliter quoad has res & similes est valde necessarium ponere prouisionē per præceptū aut assensum regalis prouidentiæ, siue pro habendo prouincialia consilia, siue deputatos in certo numero ordinando secūdum postremum scedulę restitutionis articulum, qui videre debent omnia quæ reformanda veniunt in spiritualitate & temporalitate ecclesiæ Francorum.

Tertia consideratio de spe.

C Cum virtus spes ad vitā requiratur spiritualem, virtus illa apparere debet & esse in rege & in omnibus suis subiectis. Contra hanc virtutem agunt incantatores & incantatrices, sortilegij, magici, maledicti, & omnes hi qui superstitionibus vtuntur vt infirmitates sanant, inuocādo auxilium inimici, quasi Deus sit minus potens, aut sapiens, aut adiuuare valēs, quam sit inimicus. Et hoc est quod prius in primo puncto dixi. Et facio contra huiusmodi homines argumentū euidēs & apud omnes D homines bonum rationis iudicium habentes, cōcludens: Tu sortilege aut magice qui promittis & das spem aliquā curādi infirmitatē, aut hoc est per miraculum aut per naturam, aut per malam artem. Non per miraculū, quia talem in te non ostendis vitę sanctitatem vt Deus aliquod pro te facere debeat miraculū, præcipuè cum tu contra legem eius agas. Quot religiosi & alij deuoti homines in mūdo existentes sunt de quibus maior esset spes vt miracula facerent si Dei esset voluntas? Si promittas curare per naturam hoc est per medicinam, au-E des ne dicere tibi potius fidem adhibendam in eo casu, quam viginti aut triginta aut centum medicinę magistris, qui omnem vitam suam studijs medicinæ operam dando & legendo contriuerunt viso quod tu es indoctus. Si confiteris te mala arte vti velle quæ prohibita est, iam factum est, nil amplius quæro. De mala arte nunquam quicquam boni proueniet. Inimicus non potius bonum facere posset quam glacies calefacere. Fatuus est qui confidit. Semper vtitur falsæ societatis ludo, qui F plus eum honorat & frequentat, peius demum reportat. Qui plus dicit aut facit illi seruiendo bona, eò peius agit. Dimitto historiam de Saül & Osia. Si dicis quod arte vteris, sed quæ bona est & licita. Quæro à te, qui credetur? an tibi, an omnibus Franciæ iuristis & theologis? Quæsitum fuit à quodam Gallię rege cum infirmaretur, quos ad suam admittere vellet personam, hortando vt spem suam potius in Deū poneret, quam in aliud quoduis. Malo inquit, rex mortem expectare ad bonum Dei placitum, quā vt per me fieret aliquid Deo & nostræ fidei contrarium. O pulcherrima, deuotissima, religiosissimáque responsio. O verbū regis

regis christianissimum, verbum plenum veræ spei, verbum remunerãdum aut in hoc mundo, quod parum est, aut in alio in perenni gloria. Nimis cõtrariarentur corpori, nimis aduersarentur bonæ spirituali vitæ regis & suæ sanitatis spei, qui vellent aliud nobili regiæ personæ accidere.

Quarta consideratio de charitate.

Quoniam charitas vinculum est perfectionis, quæ principaliter vitam spiritualem regis & diuinam conseruat. Charitas quæ est veluti chara vnitas, debet cõseruari in rege & in subditis. Diuisiones & schismata (quæ vitam ciuilem & diuinam occidunt) vnde prodeunt quæso nisi per ambitiosam cupiditatem, quæ est charitatis venenum? Si charitas regnaret vbique, charitas inquam non quæ proprium quærit cõmodum, sed quod Deo placet & communi proficit bono (quia ambitiosa & appetens non est) certè nos continuò pacem haberemus, & temporaliter inter dominos & spiritualiter inter sanctæ ecclesię prælatos. Intellecto etiam quod dicitur: Hispanos inuenire illic & reportare huc. Sed vos noscitis me diutius sermonẽ protrahere non posse, timeo enim vos fastidire. Materia etiam in se adeo proposita est, inuestigata & declarata, vt iam vlteriorem nõ requirat sermonem, quia quod proponitur per executionem fieri debere viarum rationabilium, & præcipuè per viam breuiorem & placabiliorem cordium. s. per viam cessionis voluntarię: si in alijs nullum sit impedimentum.

Conclusio finalis.

Propterea finem dictis imponendo, nobilissime & excellẽs rex, principes & domini, filia regis humiliter Deo gratias agendo, & vobis de bono vestro & sancto proposito, consensu & alligantia ad conseruandam vitam regis corporalem, ciuilem & spiritualem. Supplicat deuotè pro vestra continuatione & breui executione, secundum quod expediens est iuxta puncta superius in generali enumerata. Et de similibus magis in specialia quemadmodũ vestra profunda prudentia optimè nouit prouidere. Primò in bona sanitate corporali regis. Secundò in suo statu. Tertiò in facto iustitiæ. Quartò in defensione regni sui contra inimicos. Quintò in facto libertatum rationabilium iam concessarum filiæ regis vniuersitati Parisiensi contra omnia subsidia, siue sint decimæ, siue alia. Sextò in facto reformationis Gallicanæ ecclesiæ, siue sit per synodos prouinciales secundum antiquos canones, siue cõmittẽdo homines sapientes & probos secundum schedulam restitutionis in vltimo & principali articulo. Demum in facto vniuersalis ecclesiæ, extirpando detestabilę, maledictum & execrandum schisma, quod eam destruxit & vastauit. Hæc erunt ad honorem, gloriam & voluntatem Dei, ad bonum totius christianitatis, ad gloriosissimam regis & regni sui exultationem & vestrũ omnium ô vos domini nostri qui manus feretis adiutrices. Et erunt præcipuè ad iucundam omnium bonorum Francorum consolationem. Qui per exaltationem gaudij & lætitiæ pulchram istam emittunt atque emittent vocem: Viuat rex. Viuat rex. Viuat rex. Immo verò & regina & dominus Delphinus & tota regalis progenies liliorũ florẽtium. Et nos omnes hic per gratiam & postmodum per gloriam, Præstante eo qui est vita nostra, in quo viuimus mouemur & sumus &c. Qui A est benedictus per infinita secula seculorum. Amen.

Explicit hæc propositio: Viuat rex, facta Parisijs in castro quod *le Louure* vulgo appellant. In præsentia regis Delphini, quatuor ducum, & alterius ingentis promiscuæ multitudinis.

DECEM CONSIDERATIONES PRINCIPIBUS ET DOMINIS VTILISSIMÆ, *ne fatuis adulatorum decipiantur assertionibus, per magistrum Ioannem Gerson Cancellarium Parisiensem factæ.* B



AD obuiandum falsis nonnullis & fatuis informationibus quæ (vt dicitur) paulò ante factæ fuerũt contra veram nostræ fidei doctrinam, notentur subsequentes propositiones seu considerationes quę declarabuntur & sustinebuntur magis in particulari & prolixius si opus fuerit præcipuè quinta, C septima, octaua & nona, aliæ enim euidentes sunt.

Prima Consideratio.

Ante omnia vnusquisque rex aut princeps christianus cauere debet ne per malam informationem aut quouis alio modo cadat in aliquos errores nostræ fidei & sanctæ doctrinæ repugnantes, vt se iustificet in factis suis aut sapiens appareat qualiscunque peccator fuerit per humanam fragilitatem, quia nullum ab illo est peccatum quod D adeò displicentem Deo, & infamem mundo regem aliquem aut principem reddat, vsque ad persecutionem per ignem & gladiũ & omnem suam progeniem, & ad hoc conducunt ecclesiasticæ leges & ciuiles.

Secunda consideratio.

Non potest exhiberi maius regi aut principi seruitium quam constãter illi veritatem & sanam doctrinam demonstrare. Et per oppositum illi satis puniri non possent siue clerici sint, siue alij qui per adulationem & per stultam complacen- E tiam, aut per inconstantiam, aut propter aliquem alium malum finem regem aliquem aut principem ad falsas in fide & bonis moribus verterent opiniones siue hoc factum fuerit sub specie ioci, siue aliter. Quos vitare debet princeps veluti Dei & suijpsius proditores. Quia aliter sicut dicit Sapiens, princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habebit impios. Cuius ratio est, quia ad complacendum vnusquisque dicit (siue falsum sit siue verum) dominus meus bene F dicit, ius habet. Propter quod interdum reputat se alijs sapientiorem, & quod quodcunque dicit, tanquam euangelium sit. Dicit Iuuenalis. Nihil esse quod credere de se non possit cum laudatur, dijs æqua potestas.

Tertia consideratio.

Vnusquisque rex aut princeps habere debet verbum ipsum aut doctrinam ad exterminandum malũ siue errorem. Cum qui huiusmodi errorem aut aliquid dixerit quod (siue clericus sit, theologus aut alius quisquã) recusat aut non audet dicere siue in publico dogmatizare coram his qui experti sunt & instructi in veritatis fidei doctrina.

Veritas amat lucem, & falsitas odit eam. Ista consideratio summè valet contra mala quæ facit detractio aut proditoria adulatio erga reges vel principes. Ne fides adhibeatur illi qui non vult dicere causam suam aduersus alium, nisi duntaxat in tenebris & in occulto. Audi alteram partem.

Quarta consideratio

Non sufficit intelligere sanctam scripturam sic vt duntaxat grammaticalis & vulgaris dictionum sciatur significatio, verumetiam requiritur ingens & longum studium tam in alijs scientijs philosophiæ & logicæ, quam in sanctis doctoribus qui inspiratione diuina & vnum alteri comparando sanctam exposuère scripturam. Alioquin simplex grammaticus, mox bonus esset theologus immo per seipsum sciret omnem latinè conscriptam scientiam, quod verum est minimè, sed est occasio maxima in hæreses labendi, sicut Iulianus apostata, Eluidius, Iouinianus, Aturelupini fecerunt. Et nouissimè quidam iuxta Cameracum, qui Vespertilio nominabatur, & fermè omnes hæreses ex ista præsumptione prodierunt, quia sæpenumero dictiones sunt æquiuocæ, & aliter sumuntur in vno quam in alio loco, aut quam in communi sumuntur grammatica. Et est necesse concordare vnum scripturæ locum per alterum, alias inueniretur contradictio.

Quinta consideratio.

Quemadmodum de biblia bene & verè in Gallicum traslata bonum aliquod si sobriè intelligatur potest emanare, sic per oppositum innumeri errores & mala euenire possunt, si malè fuerit traducta aut præsumptuosè intellecta, refutando sensus & sanctorum doctorum expositiones. Satius esset huiusmodi rem ignorare quemadmodũ in medicinis & alijs quibusdam scientijs quas melius esset prorsus ignorare, quam parum aut malè scire, & se magistrum reputando in eis.

Sexta consideratio.

Error est regem aut principem informare ipsum iusto suo iure subiectis suis & eorum bonis ad suam voluntatem vti posse absque alio titulo publicæ vtilitatis aut necessitatis, imponendo quascunque exactiones ad libitum suum. Nam hoc pacto sine alia ratione agere, tyrannizare esset, non regnare secundum veram & propriam inter regem & tyrannum distinctionem, quemadmodum ostendit Aristoteles 5. politi. Rex est pro bono publico. Tyrannus autem omnia non nisi ad propriam suam vertit vtilitatem & voluntatem. Quæ res de iure naturali est contra principem & contra christianam charitatem, quod. sc. pastor aut gubernator sit dissipator & suos grauet subditos veluti si essent bestiæ, non homines, & aliter quam vellet superiorem suum in simili sibi facere casu. Quæcunque vultis vt faciant vobis homines &c. Mat. 7. Et sic respondit Traianus. Verum est quod pro defensione necessaria populi omnia sunt in principis iusta ordinatione per rationem & bonum consilium, quia eius potestas ad ædificationem est, non ad destructionem, quemadmodum dicit Apostolus. 2. Cor. 10.

Septima consideratio.

Error est dicere terrenum principem in nullo suis subditis dominio durante obligari, quia secundum ius diuinum & naturalem æquitatem & A verum dominij finem, quemadmodum subditi debent fidem, subsidium & seruitium domino, sic etiam dominus subditis suis fidem debet & protectionem. Et si eos manifestè & cum obstinatione in iniuria & de facto prosequatur princeps, tunc regula hæc naturalis: Vim vi repellere licet, locum habet. Et id Senecæ in tragedijs. Nulla Deo gratior victima quam tyrannus &c. Ad idem est Tullius. 3. de officijs.

Octaua consideratio.

B Clericus ille malè & peruersè textum bibliæ intelligeret, qui ad prædictos errores verba scripta primi Regum. 8. cap. vertere vellet, vbi sermo fit de institutione Saülis, hoc erit ius regis. Nam verus litteralis sensus alibi est & specialiter Deuteronomij capite 17. omnino oppositus. Et etiam omne naturalis rationis bonum iudicium, cui naturali rationi non contrariatur ius diuinum. Dictio hæc ius, non significat semper iurisdictionem seu iustitiam, sed significat interdum potestatem quæ non est iusta, versus:

C *Ius aqua, ius rectum, ius dicitur esse potestas.*

Sicut hæc dictio rex: quandóque sumitur pro tyranno. Oseæ. 13. & Iob. 34. Et benedictio pro maledictione. Iob. 2. Et lex iustitiæ pro iniustitiæ executione. Sapien. 2. Et Deus pro diabolo, in Psalm. Et 2. ad Corin. 4. Et pariformiter est in alijs rebus similibus innumeris. Et hanc violentiam minatur Deus populo qui contra voluntatem suam regem postulat, vt eum retraheret Deus ab illo proposito secundum omnes expositores.

D Ius glossa ordinaria interlinealis exactionem nominat. Et etiam in communi sermone sicut loquitur sacra scriptura, ius accipitur bene pro iniuria & violentia, est ius portæ *baudet* dicitur, vt qui habet ius, emendam persoluat. Et illud cognoscitur per loquendi modum & ex dicendi ratione. Dicit sanctus Hilarius, intelligentia dictorum ex causis sumenda est dicendi. Taliter in nostro est proposito.

Nona consideratio.

E Allegare regi aut principi omnia licita esse quæ leguntur in biblia, facta esse per patriarchas, reges & veteris legis principes, est euidens error. Tum quia multi talium enormiter peccauerunt, & humiliter pœnitentiam egerunt. Tum propter veteris legis statum, quæ est alia in pluribus punctis quam noua. Exemplum vt repudiare vxorem, aut in certis casibus plures habere vxores, aut dare mutuum extraneo ad vsuram. Et taliter in alijs cerimonijs & institutionibus. Aliter sentire peius esset quam iudaizare.

Decima consideratio.

F Clericus ille regem suum aut principem amaret minimè, qui peruersas tales ei vellet dare doctrinas, aut toto posse & scientia ipsas non impediret, quia non est modus certior quo rex aut princeps se perderet in corpore & in anima, totámque eius dominationem, quam habendo falsas tales opiniones, & eas opere exequendo. Cur? quoniam per hoc dominatio sua in tyrannidem verteretur & in infidelitatem. Modò certum est tyrannidem & etiam infidelitatem veluti innaturales & violentas contra Deum & omnem rationem Deum perdurare non posse, secundum quod exempla

exempla scripturę & naturę innumerabilia ostendunt. Roboam propter malum tale consilium decimam regni sui perdidit partem sicut scribitur. 3. Regum. 12. Eccles. 10. Regnum de gente in gentem transfertur propter iniustitias. Sequitur: Auaro nihil est scelestius. Et Sapien. 17. Oportebat enim illis sine excusatione superuenire in tertium exercentibus tyrannidem. Et August. 4. de Ciuit. Dei. Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia. Et Sap. 6. cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis (nota ministri) neque custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis quoniam iudicium durissimum fiet in his qui præsunt.

Nota quod hæ exactiones de quibus dicitur primi Regum. 8. Ius regis nominatur propter triũ causarum vnam, aut ob iustam punionem, aut ob publicam subuentionem, aut per solam nuncupationem. Ob iustam punitionem, quia populus meruerat vt tales haberet exactiones, quemadmodum peccator iure est ipsius inimici & diaboli. Et si inimicus ius nullum habeat & peccet, ob publicam subuentionem quin in casibus necessitatis pro iusta reipublicæ defensione tales exactiones iustè recipi possunt, seruata semper bona æquitate, non propter regis vtilitatem, & non in omnibus casibus, per solam nuncupationem. Ideo quia reges qui per volũtatem tales exigere debebant exactiones, eas iura nuncupabant, quemadmodum paganorum idola dij nominantur, non quod tales sint, sed quoniam ab eis sic appellabantur. Et solet dici, ius portæ *baudet*, qui ius habet, ipsum emendat.

PROPOSITIO MAGISTRI IOANNIS GERSON CANCELLARII ECCLESIÆ *Parisiensis facta anno domini.* 1408. *coram rege Franciæ & suis magnatibus.*



VEniat pax. Esaiæ. 55. Veniat pax, dicit & precatur modò cum sancto propheta Esaia filia regis veritatis doctrix, mater & fons omniũ studiorum, pulchrum lumen & clarum nobilissimi & christianissimi Franciæ regni, à tota laudatum christianitate. Veniat pax inquit ipsa, & iure quidem petit pacẽ, desiderat pacem vocat pacem, spiritualem. sc. pacem & temporalem, pacem quidem spiritualem in sancta ecclesia contra schisma & diuisionem. Et pacem temporalem nobili regno Frãciæ veluti timens afflictionem. Nullus admirari debet hoc, officium enim eius ad istud eam compellit. Nonne ipsa est filia pacis? filia regis pacis, qui dicitur rex pacificus, filia Dei pacis diuinæ sapientiæ filia quæ pacem docet & tribuit, quia pacifica est, dicit Iacobus. Ideo dicere potest prophetæ verbum in canticis: Facta sum coram te tanquam pacem reperiens. Facta sum coram Deo & rege tanquam illa quæ pacem reperit. In figuram huius Pallas quæ dicitur dea scientiarum, oliuam portat, & nomen imposuit ciuitati Atheniensi. Cuius imago Palladium nominata, secundum Troianorum opinionem ipsos semper conseruasset in pace. Et **A** habemus omnes philosophos & alios huius vniuersitatis sapientes, ab initio mundi hucusque singulariter pacem commendasse & consuluisse. Quare? quia in pace omne includitur bonum, dicit sanctus Augustinus. Neque quicquam est desiderabilius, commodius, honorabilius pace, in hoc quod pacifici, beati & filij Dei nominantur. Et è contrario rixosi & seditiosi sunt ipsius inimici filij, & maximè odio habiti, immo scelesti & adeò maledicti, ait Sapiens. Cogitate ergo nobilissimi & potentissimi reges, duces principes & **B** domini, in quibus repræsentatur regalis autoritas Franciæ in regis absentia, & in te præcipuè metuendissime domine de Viẽne, cogita quid dicere sæpe possit regis filia, humillima tua & beneuolẽtissima soror per dignatiuam adoptionem. Quid dicere potest cum scit & percipit pulchram pacẽ (quæ vitam ciuilem dare debet tam sanctæ ecclesiæ, quam nobili huic regno) deijci, turbari & veluti in carcerem missam esse aut exilium. Cogitate quid dicat, quotiens opinamini quod per **C** seipsam & supposita sua vsque adeò numerosa & nonnulla bona & deuota clamitet ad Deum cum propheta Esaia: Veniat pax. Apparet mihi bene me eam consideranti, sæpe ipsam Deo dicere per planctus, ploratus & suspiria. Gloriose Deus pacis, misericordiæ & totius consolationis, quotiens iam pacem petimus quam sæpe & à longo tempore clamamus: Veniat pax, & ecce turbatio & afflictio. Expectauimus pacem, & ecce turbatio. Quid hoc sibi vult? Est ne manus tua domine & **D** potentia tua imminuta? defecit ne tua benignitas quod possis nec velis pacem dare? Vbi sunt misericordiæ antiquæ domine? Retinebis ne semper iram tuam & indignationem tuam? Dicis per prophetam Hieremiam secundum quod sponsa tua mater nostra sancta ecclesia canit & ostendit in introitu magnæ missæ trium dominicarum huius temporis: Ecce cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Inuocabitis me & ego exaudiam vos de quacunque tribulatione. Populus meus clamabit ad me, & ego liberabo eum. Re- **E** ducam captiuitatem eius aut exilium suum vndique, vel ex omni parte. Et hic pulchra promissio & gratiosa concessio. Compleantur itaque domine hæc verba tua in nobis, inuocamus te, exaudi nos, tua veniat promissio, & sit stabilita vt regis edictum, & domini. Sed ore veritatis liberationem petimus à tribulatione, miseria, afflictione, quæ nos vndiquaque circundederunt, quæ nobis auferunt (& de peiori in peius auferre nituntur) magnum bonum pacis tam spiritualis quam tem- **F** poralis. Diuisio, angustia & afflictio fatigat, separat & deuastat exiguum populum tuum christianum mille & mille modis, miserabilis quidem & indignis. Da illi pacem domine, recollige eum, cogita pro & super eo. Cogita pacem, & non afflictionem. Veniat pax. Sic mea mihi dicebat consideratio ô nobilissimi reges domini, quod regis filia amica pacis & vt soror. Sicut veritas est soror pacis sæpe facit seipsa & eius suppositis tales planctus, tales conquestiones aut requestas Deo per deuotã orationem. Nec hoc ei sufficit nisi sermonem suum & querelam vertat ad homines magnos & paruos, diuersis quidem modis, in prædi-

cationibus publicis, in processionibus solemnibus in compluribus & varijs sumptuosis legationibus & diligentijs alijs innumeris. Et Paulò antè post ex hortationem prælatis, & huius regni ecclesiasticis factam, deliberauit solemniter & concorditer coram throno regalis autoritatis, qui hic repręsentatur sanctissimam hanc & vtilissimam materiam pacis proponere. Sanctior esse non potest nec vtilior quoad aliqua puncta. Nec vnquam me honorassem, nec consensissem ego qui minimus sum & pauperis conditionis, & in tam paruo tempore vt trium aut quatuor dierum. Non inquam ausus fuissem talem assumere prouinciam, nisi quatuor præcipuè me induxissent ac quasi me compulissent: Honor Dei principaliter & matris nostræ suæ ecclesiæ, & specialiter ecclesiæ Franciæ quæ hoc præcepit: honor & vtilitas regis totiusque regni eius. Honor & autoritas vniuersitatis matris meæ. Fauor & benignitas omnium vestrum ô domini mei, qui omnia dicenda in meliorem vertetis partem secundum simplicem meam & bonam intentionem. Talis reuera ipsa (vt mihi videtur) est. Et si facto aut verbo cōtrarium inter loquēdum appareret, hoc profectò esset propter ignorantiam, non autem ex malitia, non ex fauore inordinato cuiuscunque personæ contra bonū pacis regis & regni. Et sic supplico dicta mea recipi debere, & vt benignè interpretentur. Verum est quod quoad materiam pacis spiritualis & vniuersitatis ecclesiæ, & de desiderio, labore, ac diligentia quam vnusquisque bonus christianus secundum statum suum & pro parte sua subire deberet, non multum immorabor. Tantæ enim prædicationes, doctrinę & exhortationes factæ fuerunt à triginta annis citra, & maximè à vigintiquatuor annis continuè in hoc casu. Quod solum esset sermo amissus, aut in tædiū versus, si nimium circa hoc quis immoraretur.

Prima consideratio.

Quanto maior est dispositio pacem habendi & quod veniat in sanctam ecclesiam per sanctam & bonam procurationem regis, vestram quoque ô domini & matris meæ vniuersitatis (quæ tantum laboris adhibuit, & singulis adhibet diebus) tāto inuigilandum est diligentius & prudentius omnibus modis ne id impediatur aut amittatur. Hæc consideratio scripta fuit postremo illi qui Romæ est, & complures aliæ monitiones. Et cognoscitur hæc consideratio in lumine veræ fidei & sanctissimæ scripturæ. Nam humani generis inimicus omnisque diuisionis autor, tanto plus renititur per seipsum & suos hanc impedire pacem, quāto propinquius eam senserit affuturam. Insidiatur calcaneo, insidiatur & aduersatur singulariter fini omnis boni operis. Ecquid mirum? Bene enim nouit quod perseuerantia est virtus quæ coronatur, quemadmodum illa quæ vincit & omnia euadit. Ideo sequitur quod cum boni operis finis impeditus est, ipsum suum assequitur intentum & omnia in peius quam prius erant, reducit. Quod si sic modò contingat vt necessarium sit carere pace & vnione in ecclesia sancta, heu qualis spes deinceps haberit poteri quod veniat? Et notate hic quomodo inimicus peruerterit illum qui prius talem se ostendebat habere voluntatem, dicendo. s. quod via cessionis non esset iusta nec rationabilis, qui ante illud vouerat & iurauerat. Dicebat quidam: homo hic bonus esse non vult, nec tamen malus esse potest, & de eo qui apud nos est, quid boni dicere poterimus? Quis præcogitasset vsque adeò stultum inceptum temeritate detestanda plenū & falsitate, tam crudeliter cor eius arripuisse vt regiam personam excommunicare pręsumeret & vellet? O Deus, personam regiam tam innocentem & in hac materia sine culpa quacūque. Nonne est certa inimici tentatio, immissio per angelos malos? Plura dicerem si opus esse existimarem, & nisi perciperem vnumquenque damnabilis huius cæpti negotij capere indignitatem. Reperi duodecim numero errores aut defectus intolerabiles vel plures. Vobis itaque assero quod dicit Apostolus: Nihil possumus cōtra veritatem.

Secunda consideratio.

Fieri debet modò vsque ad cōcilium quod Pisis celebrabitur, recursus ad Deum. Et deuotius quidem quam adhuc vnquam factus sit, supplicando ei & dicendo: Veniat pax. Et istud fieri debet per emendationem & peruersæ vitæ correctionem, quia pax non datur nisi hominibus bonæ voluntatis &c. Non est pax impijs dicit Dominus. Certum est quod causa dolorosi huius & infortunati schismatis, est morum corruptio in populo christiano, quemadmodum humores mali disproportionem generant & infirmitatem in humanis corporibus. Oportet ergo obstaculum auferri, si quis velit bonum euenire pacis effectum. Oportet bonam voluntatem paci cedere, & tribus suis sororibus aut socijs. s. misericordiæ, veritati & iustitiæ, quemadmodum dicit propheta: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: Iustitia & pax osculatæ sunt. Opus est vt maledicti hi prædones & stipendiarij schismatis: Crudelitas, falsitas & iniquitas prorsus repellantur, quemadmodum alias prolixius declaraui. Dominus meus episcopus Parisiēsis decanus & capitulum matris ecclesiæ nostræ dominæ, iam pridem inter eos inchoarunt. Nec quicquam expectant præter bonam ordinationē regis & vestram domini mei, aliorúmque prælatorum atque ecclesiasticorum virorum, & procedere vlterius instituendo tam ieiunia quam processiones & alia orationis deuotæque religionis opera. Et reuera hoc admodum necessarium est, viso quod inauditum hoc est maledictum schisma vsque adeò iam est irradicatum, quod nunquam omnino delebitur sine speciali Dei auxilio, & tanquam per miraculum. Teneóque quod in præsenti casu rationabiliter potest peti miraculum, non tentando Deum, quia opus est supra vires humanas. Fiant itaque talia religionis opera per vniuersum regnum hoc plura quam prius, exemplo eorum qui Romæ sunt. Notetur historia: Prædicauerunt ieiunium & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere & clamauit & dixit in Niniue ex ore regis & principum eius dicens: Homines & iumenta & boues & pecora non gustent quicquam, nec pascantur & aquam non bibant, & operiantur saccis homines, & iumenta clament ad dominum in fortitudine, & reuertantur à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum.

Tertia

Tertia consideratio.

Conueniētissimum est quod omnes diuisiones aut partialitates vel diuersæ opiniones quæ lapso tempore ratione inauditæ huius diuisionis acciderunt inter quosdam ex ignorantia vel fragilitate humana ad præsens cessent, & quod omnes ad vnum se conuertant qui omnino vnus sit. Non enim amplius est tanta varietatis causa sicut prius. Cur? quoniam reuera veritas apparebit nimis dilucidè, falsitásque crudelis & intentio mala, quæ occultabatur sub pallio pulchri apparatus, & pulchrarum promissionum, oblationum & verborum discooperta est & accusata, taliter vt quod hoc non videat excusatus non sit. Fieri ergo debet quod dicebat apostolus: Quæ retro sunt obliuiscens, in anteriora me extendo. Obliuiscor omne hoc quod præteritum est inquit, & omnino meditor in anteriora pergere, quemadmodum peregrini, qui malam viam euaserunt, non conātur reuerti aut retrudere (ipsis inuitis) hos qui exire volunt, nec magnus videretur sensus, nec magna vtilitas, si in laborioso quodam bello capitaneus proclamaret aliquos militum suorum inimicos ipsius contra voluntatem talium militum & eorum intentionem, posteaquam esse volunt coadiutores & boni amici, & tales sunt quorum quis securè vti potest auxilio. Attamen semper me refero ad sapientem discretionem & ordinationem vestram ô vos domini nostri atque matris meæ vniuersitatis pro qua loquor. Diligenter etiam hic aduertatur, ne quicquam fiat aut concludatur vel absolutè quod causa esse possit in futuro concilio materiam principalem impediendi, & causa etiam diuisionis inter alios quandóque venturos. Non est igitur nimis insistendum aut determinandum in aliquibus suffragijs aut modis cum res propria non sit, sed compluribus conueniens, vbi vnusquisque suffragiū seu vocem suam habere vult vel honorem.

Quarta Consideratio.

Est sanctissimum opus ad perueniendum ad hoc vt pax reducatur spiritualis in tantum desiderata in ecclesiæ sanctæ sinum, quod pax temporalis fiat vel manu teneatur inter dominos & præsertim huius obedientiæ, adhuc autem spiritualius nobis huius regni. Hæc causa sufficiens, & si alia esset nulla propter quam regis filia, vniuersitas Parisiēsis cum ecclesia Franciæ huc venerunt dicendo & postulando humillima quidem integra & pia postulatione: Veniat pax, veniat pax. Domini mei dicat vnusquisque vestrum modò & quod dicere debet rex aliquis, princeps aliquis, & dominus exemplo regis regum & domini dominantium, & mater nostra sancta ecclesia sæpenumero hoc cōmemorat, vt dictum est, inquit enim: Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.

Super quo verbo satis conformi themati nostro priori specialius fundabo quod restat dicendum. Et dicam primò pacem esse finem omnis dominij, quemadmodum tyrannis tendit ad afflictionem. Ad quid enim ordinatum fuit dominium nisi vt in pace teneantur & vnione subiecti inter se & contra eorum aduersarios per bonam quidem prudentiam, per sapiens gubernamen, per bonam defensionem contra omnem violentiam & iniustam oppressionem? Quare domini reditus & tributa à populo & honorem reciperent, nisi propter illam causam, finem & intentionem?

A Ante triēnium tamen aut prius declarata fuit hæc veritas prolixius in simili exhortatione ad pacem & concordiam, pro nomine matris meæ vniuersitatis, fuitque thema: Viuat rex. Ideo facilius præteribo hoc & complura alia puncta, quæ maximopere ad præsens conducerent propositum, quoniam iniunctione matris meæ prædicta propositio illa tunc redacta fuit in scripto, & adhuc inueniri potest. Dicamus igitur quod magis proprium

B officium quod insit regi alicui aut principi tyrannidi contrarium, est cogitare cogitationes pacis, & non afflictionis. Recitat Macrobius in saturnalibus per factum cuiusdam mimi, quod nihil magis pertinet ad aliquem principem, quam cogitare & considerare pacem, quod verum est tempore & loco & debita mensura non. sc. sic vt vertatur cogitatus talis in melancholiam. Hæc enim res vt declarat sanctus Bernardus primo de consideratione, facit esse prudentem, sapientem & in omnibus rebus suis prouidum. Desolatione

C desolata est omnis terra inquit, quia nemo est qui recogitet corde. Conqueritur propheta quod omnis terra est desolata propter defectum cordialis cogitationis, hoc est considerationis. Aristoteles dicit quod tyrannus pro sua custodia & cautela fortem habere debet considerationem, non se nimium vino, aut cibo grauando, nec se nimis dedat leuitati nec ludis, nec immundæ carnalitati quæ non permittit quicquam cogitare quod conducat, & ad suum & commodum vel tutelam. Et

D adhuc multominus ad reipublicæ tuitionem. Qui ad hoc quæreret exempla inuenirentur abundantiora, & plura quam necesse sit, in hoc tamen deficit tyrannus. Supposito enim quod consideratiuus sit, seu cogitabundus, hoc non est pro & ad bonum populi, sed ad populi oppressionem & propriam suam vtilitatem. Nec dicere potest cum bono domino nostro: Cogito cogitationes pacis & non afflictionis, sed omnino per contrarium. Nil cogito præter afflictiones miseri populi, qui per hoc pacem perfectam habere non potest, tam

E sæpe clamore & eiulatu petitam: Veniat pax. Velit Deus, Deus pacis & consolationis, quod nostro tempore vnusquisque dominus exemplo suo & imitatione facto mōstret & verbo se cogitare cogitationes pacis, & non afflictionis. Si quis apponat difficulter ad hanc pacē peruenire posse. Responsio, dictum Terentij: Nihil tam difficile &c. Nihil est tam difficile quin bene cogitando & inuestigando ipsum inueniri possit.

Post susceptam huius exhortationis prouinciam ardentius quam prius cogitare cæpi de hac

F pace. Nec est bonus Gallus quin cogitare debeat erga se saltem vt oret atque deprecetur. Visum igitur fuit mihi in secreto animæ meæ colloquio quod bona pensatio quę cogitatio dicitur aut meditatio sapientis rationis filia præsentabat & allegabat duodecim causas aut plures propter quas ad pacem esset laborandum, addendo certas quò ad eam perueniretur prouisiones. Dicebat bona pensatio aut cogitatio hanc pacem fore ad honorem Dei & omnium sanctorum ac sanctarum eius. Ad confusionem humani generis inimici. Ad vtilitatem & voluntatem omnium animarum

purgatorij. Ad bonum etiam aliquo modo ipsorum damnatorum. Insuper ad corroborationem regalis dominij. Ad corroborationem totius militaris status, totius status ecclesiastici, totius status ciuilis. Insuper ad confusionem infidelium, ad confusionem inimicorum regni & maleuolorum, ad tenendum melius confœderationem seu pactum cum exteris. Postremò ad bonum totius ecclesiæ & christianitatis, vniuersalis quoque pacis. Esset ergo hæc pax respectu superiorum & quatuor primarum conditionum religiosa, quoad alias quatuor amorosa, quoad alios verò quatuor fructuosa. Ideo vndiquaque esset meritoria, salutaris, honorabilis, & gloriosa. Addebat bona pensatio aut cogitatio, sapientis rationis filia, quod ad hanc pacem inueniendam quatuor prosunt prouisiones vel considerationes in speciali.

Consideratio dignæ passionis domini nostri, & bonum ad eum refugium per opera bona. Recordatio breuitatis huius vitæ miserabilis. Recordatio exiguæ cōmoditatis sed maximi damni quod facit dissensio regi, principalibus quoque dominis. Intolerabilis populi afflictio qui sine pace est & sine quiete veluti in inferno positus. Recordatio regalis autoritatis & altissimi atque nobilissimi sanguinis sui ex vna parte. Ex altera verò parte honoris, laudis, gloriæ, quæ est & esse debet vnicuique pacem quærenti, ad pacem tendenti, cogitanti de pace, se ad pacem offerenti. Quemadmodum rex Dauid præcepit: Inquire ait, pacem & persequere eam. Et Seneca dicit: Quisquis bellum inceperis, fac pax à te inchoetur. Non est cor firmius, nobilius sublimius, regalius, quam illud quod in pace est & inquirit pacem, ideo reges & imperatores pro excellentissimo eorum titulo, serenissimos appellamus & pacificos. Sancta quoque scriptura pacificos filios Dei vocat: Filij Dei vocabūtur. Quare? quia Dei exemplo cogitant cogitationes pacis, & non afflictionis. Hoc pacto cogitabam ego cogitationes pacis secundum exiguum meum sensum, & posse admodum debile & infirmum, quamquam hoc esset in magno desiderio & voluntate pacis. Sed mox ad quamlibet ferè cogitationem & propositum se conspectui & oculis meis objiciat rigorosa afflictio. Durum hoc humani generis aratrum indignationis Dei filia, quæ nunquam facta fuisset nec reformata, nisi post coniunctionem malè voluntatis cum peccato, despectissimi domini sui proditoris. Primum quidem in lucifero & in curia cælesti, deinde in Adam & in curia terrestris paradisi. O Deus quam deformis illa videbatur afflictio, aspera valde, iurgiosa vehementer, multum quoque amara. Mendica eam associabat paupertas, rabies, diræ famis & sitis, timor languor, labor, congelatio, combustio ignis, mucrones gladij, mille quoque & mille alia dolorosa tormenta.

Terribilis sequitur mors, infernus etiam seruit illi, sed & purgatorius ignis duo præcipua habet officia, vnum ad emendationem punire cum adest patientia, alterum punire ad condemnationem aut exterminium. Ideo dicitur afflictio satelles vel carnifex aut executor iustitiæ regis regum legitimæ filiæ, est Deus ipse summus imperator, ipsa virgam suam fert in emendationem puniendo, & gladium seu ensem in exterminationem

A puniendo. Hæc dura officiaria quæ hoc modo & tali figura se in secreto mentis meæ colloquio manifestabat ad vnamquanque pacis cogitationem murmurabat, quam quidem cogitationem habere volebam. Quid inquam murmurabat, immo verò alta voce clamitabat iustitia, necessaria est punitio, necesse est vt secundum nomen meum & officium deest afflictionem. Quomodo afflictionem? aut ense meo mortalem afflictionem, aut saltem virga mea temporalem. Si fuerim admodum turbatus, stupidus & vndiquaque amari-

B tudine plenus, interrogādum est minimè. Diuersæ simul surgebant cogitationes, cogitatio videlicet pacis & afflictionis. Heu domini mei an facere possem? vellem duntaxat cogitare cogitationes pacis & non afflictionis secundum etiam onus & prouinciam mihi iniunctam. Semper autem se erigebat rigorosa afflictio sub officij sui titulo & iustitiæ seruitio. Et quod maius est, proponit quod non debeat, nec possit expelli, nec reijci.

C Iustitia enim inquit, est soror pacis, & semper osculantur se inuicem: Iustitia & pax osculatæ sunt. Oportet ergo secundum quod vnaquæque pars vult ad se teneri iustitiam allegando ius suum, quæram vndique afflictionem, alioquin deficeret & periret iustitiam. Ad verbum hoc occasionem omitto respondendi, vt afflictio abscedat à mente mea & duntaxat remaneat cogitatio pacis, secundum supradictum verbum. Cogito cigitationes pacis & non afflictionis, & secundum desiderium

D primariámque optationem: Veniat pax. Dicis ô afflictio, pacem sine iustitia & consequenter sine te nil prorsus valere. Respondeo tibi per verba occulta, iustitiam punitiuam (de qua loqueris) nō debere fieri nec quicquam valet nisi vt habeatur pax. Talis enim iustitia non est nisi quædam pacis famulatrix & ancilla. Cur? quia finis ad quē tendit omnis afflictiua iustitia est pax. Fructus iustitiæ pax. Si mihi fidem non adhibes, sume politicorum Aristotelis libros in quibus leges: Bellamus vt pacem habeamus. Bellū propter nil aliud

E est quam vt pax habeatur. Et certum est quod si semper seruata fuisset pax punitiua iustitia (cui tu seruis) non habuisset locum secundum illius philosophi dictum, cui etiam fides conspirat. Respōde mihi iustitia afflictiua si esset paci contraria, aut pacem impediens, pacem præsertim publicam, vocaretur ne iustitia aut æquitas? non vt videtur, sed potius iniustitia & iniquitas, ad hoc propositum præcepit Sapiens: Noli esse iustus nimis. Non sis (inquit sapiens) iustior quam opus sit,

F quare? alias enim eueniret quod dicit Terentius. Summum ius, summa iniuria. Nimis magnum ius iniustitia est. Nota quod feruntur mala quæ emēdari non possunt nisi peius eueniat, sicut ægritudines corporeæ, sicut vidētur esse in paganis, ideo si iniustitia &c. Nota prouerbium serua ordinem tuum & ius tuum liberū, sed pro quinque denarijs caue ne centum exposueris. Dicit sanctus Augustinus: tutare te à pulice aut musca pungent. Rex Carolus videns pulchram domum, noluit omnes defectus eius quærere. Nota de hoc quod dicit Hannibal: Quære ius, & si faciendum non sit, multa licent quæ non expediant. Nota Tullium

lium in offic. de custodia iuris. Te ergo precor & postulo ô rigorosa afflictio vt me sinas pacem cogitare vt loquar de pace duntaxat secundum prouinciam & intentionem mihi commissam. Et si opineris te habere ius aut actionem contra pacem propter dominam tuam iustitiam afflictiuam, vade prosequere alibi, quære alibi ius vel alio tempore. Fac allegationes tuas coram quo volueris, me enim eas audire aut eis respondere per consensum vel dissensum, non mihi est curæ. Non habeo loqui in præsentiarum pro iustitia afflictiua nec contra eam. Solummodo cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Et dico: Veniat pax. Bene inducere volui nobilissimi & potentes domini hanc afflictionis materiam per talem figuratiuam locutionem, vt darem intelligere filiam regis non velle includere aut excludere pro vna vel altera parte iustitiam afflictiuam. Ipsa omnino se refert ad altissimas prudentias vestras, quemadmodum ratio iubet; Ipsa refert se de superiori & inferiori ad regiam autoritatem & ad vos dominos nobilissimi sanguinis eius ad conuenienter ordinandum. Ex omnibus enim partibus & vndique sanguis vester & vestra caro, hoc est regalis vestra progenies inuenitur, ideo filia ipsa cum hæc ita se habeant, nec vult nec debet ponere os suum tam altè, nec ponere os in cælum. Satis ei est ad pacem hortari & pacem cogitare vt tantopere desiderata, tam religiosa, tam meritoria, tam chara & fructuosa, tam honorabilis & gloriosa, veniat pax.

Reuertamur igitur vnde digressi sumus, quod propter plures causas regis filia cogitabat cogitationes pacis, & non afflictionis, petebátque: Veniat pax. Pax est ad honorem Dei, bonorum angelorum omniúmque sanctorum sanctarum paradisi. Eleuemus cogitationem nostram ad sanctam natiuitatis diem, & videbimus quod solummodo ad pacem faciendam, ad pacem prædicandam, ad pacem relinquendam Deus natus fuit in carne humana. Audiemus nouum iustum cantum nunquam prius auditum: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Non est ergo homo bonæ voluntatis qui pacem non diligit, qui non audit libenter canticum & verba de pace quæ tantopere Deo placent & sanctis paradisi angelis, qui cum magna societate & exercitu eleuatis quidem vocibus ipsam decantant. Nam facta est communis multitudo cælestis exercitus &c. Et hinc est (quemadmodum mihi videtur) quod cum populus congratulari vult regi suo aut domino suo in aduentu clamat & vociferatur: Noel noel, veluti in memoriam huius pacis. Per hoc supplicando vt eos in pace manuteneat. Clamemus igitur omnes. Noel, quod veniat quod veniat quod nobis pacem afferat, veniat pax. Ecquid dicemus de te ô virgo pacis, ô regina pacis, virgo mater dignissima? Nonne pacem nostram tu amas præ omnibus rebus creatis? nostram concordiam & nostram reconciliationem? Sic profectò. Et breui verbo ciuitatis Dei de qua dicta sunt gloriosa, solum viuit ac regulatur pace & vnione. Sanctus Augustinus specialiter & sanctus Dionysius & in primis Boëtius dicunt gaudium nostrum perenne non esse aliud quam bonam pacem sine fine & af-fflictione. Et si aliquis obijciat sanctos clamare vin-

A dictam ad Deum: Vindica domine sanguinem nostrum &c. Respondeo secundum expositores quod hæc est doctrina, non imprecatio, vel est imprecatio ad bonum, hoc est quod aduersariorũ suorum iniquitas cesset, sintque boni & conuertantur. Sicut sæpe accidit per preces eorum post mortem. Demum quoad hoc non est dubium quin tota paradisi curia cõgaudeat bono & saluti eorum qui viuũt sani & in pace, dum sine timore de manu inimicorum liberati, seruiunt Deo, vt dicit canticum Zachariæ. Est ergo vox angelica

B & paradisi: Veniat pax. Sicut per contrarium pax est contraria & confusio infernalis inimici, quoad secundam causam. Nihil est quod tantopere ei placeat, & quod adeò procuret sicut prælium, odium, schisma, & diuisionem. Per alia enim peccata decipit homines & eos occidit vt vnum cum vno, aut duos cum duobus, sed per prælium & diuisionem includit in laqueis suis non modò vnam villam, vel vnam ciuitatem, vel vnum principem, verumetiam magnum regnum vel imperiũ.

C Scit quod post alia peccata agi potest pœnitentiam, sed post prælium sæpe accidit mors subita & improuisa, quæ omnem impedit pœnitentiam. Etiam cognoscit non esse peccatum aut crudelitatem, iniuriam aut iniquitatem, quin inueniatur in prælio, præsertim cum est inter christianos adinuicem, ibi pauperes, subditi innocentes magis affliguntur, roduntur, comeduntur, adeò etiam vt ne minimum quidem remaneat, & quod tam ipsi quam eorum miseri pueri compellantur sæ-

D pius perire in dolorosis tormentis quoad corpus, & nisi Deus misericordiã habuerit, etiam quoad animas per impatientiam & desperationem. Est itaque conditio diaboli & officium eius in prælio & afflictione sese oblectare. Non est similis crudelitas, nec quæ in tantum displiceat bonis angelis, qui ad nos custodiendum sunt commissi. Suetonius recitat de quodam Romano imperatore, qui desiderabat omnem populum suum solum habere vnum collum & vnum caput. Quare? vt in vno solo omnes posset trucidare. Desiderium

E hoc rectè erat diabolicum. Et simile desiderium habent hi, qui delectantur in prælio & diuisione ob lucrum aut vindictam. Incutiamus igitur pudorem diabolo, sicut dici potest & solet: Veniat pax. Pax enim est etiam ad vtilitatem & commodum vniuscuiusque animæ quæ est in purgatorio, quoad tertiam causam. Certum est vnamquamque animam in purgatorio esse in charitate. Et charitas (vt dicit apostolus) patiens est & benigna, non quærens crudelem vindictam in ira aut

F in afflictione. Et ratio est, quia charitas est mater pacis, immo omnium virtutum, non proprium quærit commodum, nec proprium suum honorem, sed commodum & honorem communem. Et quod est magis commune commodum quam pax? Ideo concludo necessariò quod quælibet anima purgatorij desiderat pacẽ, postulat pacem, cogitat pacem. Et quicunque opposito modo viuunt, non est hoc ad eorum delectationem aut commodum aut liberationem, sed est ad earum displicentiam, nocumentum & impedimentum. Quomodo impedimentum? quia non fiunt tãta bona, preces & orationes pro eis. Immo est timẽ-

dum ne pro precibus fiant maledictiones, pro diuino seruitio ecclesiarum destructiones, & pro eleemosynis rapinæ, atque pro ieiunijs & abstinẽtijs gulæ, ebrietates, ac fœminarum raptus, & alia mala innumera in præiudicium pauperum purgatorij animarum. Quis ergo opinari posset res tales eis placere? Quæ est anima purgatorij quæ velle posset in aliarum animarum præiudicium, immo suiipsius vt pax impediatur super terram per vindictam per iram aut crudelem afflictionẽ? Reuera vnaquæque earum potius cogitat cogitationes pacis quam talis afflictionis. Dicitque & precatur si per veram fidem nostri cordis aures aperire velimus: Veniat pax. O amici dicunt omnes animæ purgatorij, facite pacem, veniat pax. Quid nobis vestra prodesset diuisio? Quid nobis prodesset vindicta, cum nil petamus à Deo & hominibus nisi pacem & misericordiam, nisi amorem & simplicitatem? Quare? vt simus extra amarissimum tormentum & durissimam afflictionem. Et quomodo? bene faciendo vt nobis detur misericordia, vt parcatis alijs propter nos, quemadmodum clamamus, volumus & postulamus vt Deus faciat nobis misericordiam & præstet veniam ne audiamus durissimam hanc sententiam euangelij: Serue nequam dimisi tibi, quare tu quoque non dimittis, quæso amici mei supra terram, potest dicere vnaquæq; anima purgatorij quæso cogitate nos omnes adiuuare & liberare absque apponendo afflictionem supra afflictionem nostram, vos præsertim fœminæ & puer, malum ad malum, vt dici solet. Inter vos non est sanitas, si pro vna morte aut quouis alio damno mille & mille, immo centum milia fierent mala. Cogitate si esset ad nos iuuandas aut liberandas potius quam ad nos & vos simul impediendos, aut peiorandos? Cogitate quod si nos rẽpublicam amauimus, & pacem christiani populi cum eramus supra terram, multo magis modò amamus, & ad conseruãdam aut defendendã pacem in vos nos exposuissemus nosipsos mortis periculo contra aduersarios vestros. Credite quod pro nulla re vellemus pacem amitti per nostrã occasionem. Si homo vnus aut duo vitam eorum perderent aut statum ad nos vindicandos. Heu quid nobis prodesset hæc vindicta? esset facere pro vno damno tria, esset ad tollendum nobis preciũ & argentum quo erga Deũ nostram facere possumus redemptionem. Et esse potest quod per aliquem defectum fuimus causa nostræ afflictionis. Non ergo velle debemus innocentes pati pœnas & pacem perdere. Nonne maledicti sunt à Deo illi per quos scandalum venit, & pax impeditur? Insuper cum viueremus in terra inclinati eramus ad parcendum per charitatem, & ad complacendum & obediendum Deo vt pariformiter nos in defectibus nostris supportaret & eos nobis ignosceret atque indulgeret. Multo plus modò inclinamur, cum misericordia tam necessaria est nobis, quod sit sola bona socia illa quæ nos ad Deum perduceret, sola misericordia mortuorum est socia, dicit Augustinus. Sed forsitan humana quorundam impatientia respondebit: Quare & cui faciemus misericordiam cum nullus eam postulet? Charitas fraterna postulat ipsam, pax publica tam tẽporalis quam spiritualis postulat eam. Omnis bonus pauper populus specialiter eam postulat.

Domini mei omitto animarum purgatorij verba, redeóque ad meipsum & dico quod hanc charitatem, hanc misericordiam & pacem filia regis mater mea vniuersitas cum omni Gallicana ecclesia supplicat, clamat & postulat: Veniat pax. Pax enim vltra omnia quæ dicta sunt ad vtilitatem est damnatorum, aliquo modo, non quidem ad liberationem (quia in inferno nulla est redemptio) sed ad minorem affectionem habendam, & est hæc quarta causa. Hoc probatur autoritate euangelij in parabola vel hystoria quam ponit Saluator noster de diuite, qui rogabat vt quinque fratres sui ad benefaciendum hortarentur, ne in locum illum caderent tormentorum. Ideo patet damnatos aliquo modo de viuentibus curam habere. Et volunt ne quicquam faciãt propter quod damnentur. Nam dico id esse ex vera charitate, sed potius ex carnalitate. Valet tamen damnatis cum viuentes non damnantur, quæ pœna eorum non est adeò magna saltem pœna accidentalis, quemadmodum benefacta viuentium gaudium sanctorum augmẽtant. Gaudium est in cælis &c. Habemus in factis sancti Gregorij qui deprecabatur pro Traiano imperatore mortuo, cum vidit præsentationẽ quomodo imperator ille misericordiam habuerat, & compassionem de quadam misera fœmina. Et dixit tunc sanctus Gregorius in corde suo & lachrimis: Domine misericordiam pollicitus es misericordibus, fac ergo misericordiam imperatori huic. Tunc reuelatum fuit illi imperatorem illum esse saluandum. Nota hic orationem sancti Augustini pro matre sua quando allegat solam misericordiam pro ea. Nota quomodo in iudicio sola misericordia corporalis aut spiritualis saluabit. Nota qualiter die commemorationis mortuorũ venerunt ad cõsiderationẽ meã domini Franciæ, & præsertim hi qui vsq; adeò bonum & pacem regni dilexerunt, quorum adhuc nobilis in terra viuit generatio, sicut fuit anima regis Caroli defuncti domini Burgundiæ domini Aurelianensis, quę omnes pacem postulãt in quocunque fuerint statu. Et sunt Deo volente in statu saluationis. De eo qui postremò nominatus est, scio per testimonia fide digna quod cum in vita sua aliqui coniurassent, & hoc ad eius deueniret noticiam, conquerebatur cuidam religioso fratri Petro Burgensi, qui respondit ei: Est argentum domine quod accipis ad debita coram Deo tibi persoluenda. Tum absque vlteriori deliberatione respondit. Cum ergo ita sit, parco & ignosco omnibus bono animo veniam à Deo expecto. Et postmodum circa finem dierum suorum rogauit Deum vt eum puniret in hoc mundo & non in alio. Quemadmodum legitur etiam de Mauricio imperatore. Notetur historiæ. Propter has res & cõsimiles se cõformat quod prædiximus de nõ quærendo vindictã, sed parcendo singulis ad percipiendã veniam à Deo. Capiẽdo grato animo trãsitoriam punitionẽ ad euadendam alterã grauiorem. Hoc tamen intelligitur semper autoritate regali & sapiẽti sua ordinatione, & ne per hoc includatur aut excludatur iusticia, sicut potestati sumus prius. Factum autem meum solum est inclinare & adhortari vt fiat pax. Veniat pax.

Vertamus meditationem nostram de pace ad alias supra enumeratas causas. Et dicamus pacem

pacem non modo esse rem bonam & religiosam quoad defunctorum considerationem (quemadmodum declaratum est) verumetiam est admodum meritoriam, vtilissimam & salutarem pro illis qui sunt in vita. In primis enim est ad corroborationem totius status regalis dominij. Per eam enim autoritas regalis & dominium custoditur, & conseruatur obedientiam subditorum ad dominos. Certũ est autem quod cum Domini sunt adinuicẽ vniti, & se mutuo amant se adiuuant & tutantur subditi magis obediunt, quàm si inter eos videant diuisiones, odia vel separationem. Ad hoc confert historia quam recitat Macrobius in saturnalibus de quodam principe Athenarum, qui ob delicta secluserat filium suum ab eius curia. Intellexit hanc rem placere populo suo & confestim filium suum reuocauit publicauitque se cum eo redijsse in gratiam. Videtur in scholis quibus multi præsunt præceptores, quod cum ipsi præceptores contra seinuicẽ concitantur & irascuntur, gaudent discipuli & & irrident, & apparet eis quod saltem pro tunc non vapulabunt, vel non dicent lectionem suã, aut absoluẽtur ab aliquo præceptorum suorum. Hæc est puerorum conditio & etiam populi similis pueris semper præceptorum mutationem appetere aut dominorum. Ob quam rem? quia semper existimant libertates eorum ex hoc augmentari & meliorari. Multo tamen sæpius peiorantur. Sed quid? Non habent sensum, nec prudentiam, vel experientiam cognoscendi damnũ quod eis accidit, sufficit eis pro tunc à superiori eorũ liberari & absolui per mortẽ quidẽ eius aut quouis alio modo. Et visum est sępe numero sic euenire sæpi⁹ quidẽ & recẽtius quã necesse esset. Velit Deus ne plus accidat, quia periculum nondum prorsus exclusum est, nisi fiat prouisio. Sequamur semper potius pacem & bonum adinuicem amorem quam prælium & diuisionem. Et rogemus Deum facto & verbo dicentes: Veniat pax, vt cogitemus cogitationes pacis, & non afflictionis. Hoc etiam conducit vniuerso statui militari, intelligo de bonis, prouidis & validis militibus, sapientibus, Deum timentibus, qui norunt optimè considerare & cogitare grandia pericula corporum & animarum, & mala quæ sequuntur ex prælijs, tam eis quam bonis eorum subditis. Et quemadmodum difficile est inter Christianos iustum suscipere bellum, & tamen si iustum non fuerit, omnia mala quæ accidunt sunt in grauamen & condemnationem eorum qui ipsum cõtinuant. Nec etiam est tam iustum bellum quin mala fiant innumera, in expoliationibus, furtis, alijsque peioribus modis, quibus malis quæ interdum fiunt per inferiores spoliatores, boni milites grauantur, quia non possunt sufficientem prouidendi adhibere diligentiam & malefactores puniendi. Non loquor hic quibusdam qui potius bellum volunt quam pacem, siue iustum sit, siue iniustum, modò vt ipsi spoliarent, interficerent & furarentur. Illi enim non sunt nobiles neque christiani, sed spurcissimi latrones & flagitiosissimi serui, peiores infidelibus, & ministri diabolorum, qui non viuunt nisi esca venenosa, immo peiori veneno quod reperiri queat, hoc est peccato mortali. Cibus eorum est sanguis innocens, & caro humana miserrimorum hominum. Sed ô vos boni milites

A & prouisores optimè nostis pacem multo plus vobis profuturam quam prælium. Inter vos inquam vnius patriæ & eiusdem regni tam in bonis fortunæ quam in religiosa conscientia. Fugite itaque bellum & vocate pacem: Veniat pax. Non est melior hæreditas nec tam bona quam possitis filijs vestris relinquere & dimittere, nec ditiora donaria aut preciosiora clenodia vxoribus vestris si superuixerint quam ipsa pax. Est

B nimis malus thesaurus & periculosus nimis perseuerare in bello & diuisione, tam pro bono pręsenti corporis quam de futuro quoad animam.

Sed non est dubium quin ecclesiasticus status ante omnia pacem postulet & deprecetur pro pace secundum præceptum Dei & Apostoli, vt quietam vitam, &c. Et bono quidem iure. Deus enim pacis non potest melius seruitijs honorari quam pacis tempore. Quomodo scientiæ acquiri possent in studijs & vniuersitatibus nisi in pace? Quare translata est vniuersitas ab Athenis

C Romam, & à Roma Parisios, nisi ob pacis defectum? Et modò tot scholastici omittunt studium visitare propter maledictam ecclesiæ diuisionem quomodo ad extraneos, & propter grauia onera bona populi in multis modis & diuersis quoad illos qui sunt de regno. O Deus quot hospitalia, quot domus, quot religiones, quot ecclesiæ cathedrales & collegiatæ versæ sunt in ruinam & in desolationem propter pacis defectũ. Et propterea quod Domini cogitabant nõ qui-

D dem cogitationes pacis, sed afflictionis. Propter quod miseræ animæ purgatorij (quæ dirè cruciantur) dolent & conquestionem faciunt vt dictum est, ac etiam viuentes. Tot ecclesiæ pulchræ per regnum quomodo ædificatæ sunt etiã per boni populi contritionem quando non eo modo opprimebatur per tantas exactiones, iam verò nihil fundatur, nihil fit boni, & tamen nihil à quoquam possidetur. Vnusquisque pauperior est Iob, vt vulgo dici solet. Principa-

E liores etiam domini prisca tempestate pacifica erant diuites copiosè cum cogitarent cogitationes pacis & non afflictionis. Certum autem est quod pax quo ad quartam causam & octauam in ordine est ad tuitionem populi qui nihil tantopere desiderat sicut pacem, si sapiens saltem est & prouidus. Quodcunque enim damnum aut turbatio accidat reipublicæ, siue inter dominos per mortem eorum aut aliter, siue in statu militari aut ecclesiastico fuerit totum super ipsos populos relabitur, & in eorum afflictionem.

F Omnem fert populus quam facit princeps stultitiam, dicit prouerbium. Et Horatius:

Quidquid delirant reges plectuntur Achiui.

O bone deuote & obedientissime popule Frãciæ cogitate bene & iudicate quomodo pacem procuretis. In diuisionibus enim in prælijs, in seditionibus, nihil potestis aliud quam amittere aut perdere, & nisi cadere ab vna seruitute in aliã vel ab vno damno in aliud peius. Etiam si modò in momento pariter (quod Deus auertat) omnes mortui essent principes, nõ opus est ad antiquas vel extraneas recurrere historias ad hanc doctrinam docendam, ad oculum vidimus. Clamemus

igitur omnes communi assensu à magno vsque ad paruum pacem, quemadmodum clamatur ad ignem & aquam, cum videntur vicinorũ domus comburi. Nec est sæpenumero custodia, ordo, mẽsura, aut continẽtia propter periculi horrorẽ. Clamemus clamemus vniformiter: Veniat pax.

Expediam multo breuius & veluti in transcursu ad summa quatuor postremas causas pacẽ vocandi. Vna & prima est, quia præliũ futurũ esset ad gaudiũ & exultationem paganorum, infideliũ & aduersariorum Dei & possent facilius vndiquaque christianitatẽ inuadere & nos impugnare, sicut recitatur in fabulis de accipitre vidente ranam & murem adinuicem litigare. Sed & deinde malè volentes regno Frãciæ, vt sunt Angli, proculdubio libentissimè ciuile bellum & mortalem diuisionem inter nos viderent. Bene norunt experientia rem talem valere, nõ valere, sed obesse in destructionem & exterminium omnis boni alicuius politiæ. Non ignoratur omnes aduersarios multo tempore non tantum grauare potuisse eorum dominiũ Anglicanũ, sicut fecerũt ciuiles eorum diuisiones. Heu heu prohibeat Deus per dignam suã bonitatem ne crudelis hæc plaga regnum hoc inuadat, ipsa enim magna eius foret destructio, intolerabilis miseria & desolatio. Mentiri non potest qui dixit: Omne regnum in se diuisum desolabitur. Concordia paruæ res crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Quid dicemus quoad tertiam causam & in ordine ad vndecimam de his qui esse debent cõfederati & alligati huic nobili regno? Quæso Domini meditamini quod dicit Iuuenalis: Fortunam populus sequitur vt semper, paucæ inueniuntur amicitiæ quæ non sequantur fortunam & quæ non vertantur vel immutentur facile cum fortuna est contraria. Hic descendi posset particularius ad ostendendum periculum. Scitis quosdam subdidisse se regis gubernamini propter dissentionem dictos Guelfos & Gybelinos si talis diuisio (quã Deus auertat) nos inuaderet, qui nos esse reputabũt? Committo hæc & similia alia pericula prudentissimis cogitationibus vestris, quæ debent esse pacis, & non afflictionis. Demum tam propter id quod dictum est in vndecim nominatis causis quam propter bonum totius sanctæ ecclesiæ christianitatis vniuersalis vt nostra exhortatio illuc vbi incepit reuertatur. Certum est quod pulchrior, firmior, stabilior christianitatis pars est christianissimum Franciæ Regnum. De quo dicit sanctus Gregorius qui fuit Romanus, quod quantum christiani superant infideles in eorum fide & religione, tantum superat regnum Franciæ cæteros christianos. Hæc pulchra est laus ab vno sancto & extraneo. Tanto ergo erit magis damnum toti christianitati si regnum hoc patiatur quicquam propter defectum pacis & per afflictionem. Quomodo sufficienter maledicti esse possent & damnati qui essent causa huius vel per eorum maleuolentiam vel negligentiam vel ignorantiam. Sicut Pompeius & Romani opinantes conseruare eundem dominij honorem aduersus Iulium Cæsarem, ceciderunt in mille mortes, in seruitutem, in destructionem, quamuis Iulius Cæsar postmodum punitus fuerit & occisus. Sed fuit exigua confortatio pro illis qui excesserant è viuis. Quæ res fuit tunc & esset modo ciuilis dissentio, nisi corpus aliquod quod propter amissionem vnius digiti se crudeliter dilaniaret & disrumperet in partes, in capite & in membris veluti per furiosam afflictionem? Esset ne hic libertas? esset ne dominatio? seruaretur ne hic vera iusticia? Refero me ad vos. Saltem scio non esse cogitare cogitationes pacis, verum potius afflictionis, quemadmodum omnes desiderare debemus & clamare. Veniat pax.

Veniamus si placet mox finem imponendo & conclusionem. Veniamus ad ponendum ante oculos altissimarum, clarissimarum & deuotissimarum considerationum vestrarum quatuor res in speciali, quæ maximopere conducunt ad pacem obtinendam. Eleuate & aperite cordis vestri oculos in lumine veræ fidei & sanctæ christianæ religionis, & videbitis pacem tantopere quæsitam & amatam à Saluatore nostro Iesu Christo vt se poneret inter Deum & hominem, & reciperet ictum diuinæ vindictæ in arbore crucis ad pacem habendam. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus, &c. Esa. Attritus est propter scelera nostra, &c. Non dicit, conseruetur honor meus. Conseruetur innocentia mea, qui sum hic ad loquendum de pace & tractandum. O benigne Iesu, ô misericordissime totius mundi Saluator, ô innocentissime Dei agnus, quomodo confusa est per dignum tuum exemplum, charitatem & patientiam: superbissima & admodum spernenda presumptio: quæ inhonestum putaret loqui: aut tractare de pace, immo sæpius cum ipsa presumptio magnam inferat iniuriam. Non satis reprobari posset aut exaggerari stulta hæc humani cordis præsumptio. Et quid sequetur Domine? Horror est heu solum cogitare. Facies iudicium sine misericordia, durum & crudele de his qui non dignati fuerint loqui aut cogitare nisi rixas prælij & dissentionis. Facies eis de tali pane offam, dilexerunt diuisionem, & odio habuerunt pacem, ideo permanebunt perpetuò tam hic quam alibi sine pace in horribilissima confusione, nisi pœnitentiam egerint. Velis Domine benignissime, velis, ne tam dura sententia & dura necessitas supra nos descendat. Conuerte corda nostra ad te, inclina ea ad cogitandum de pace, de concordia, & non de afflictione. Sic facies si insequi voluerimus doctrinam tuam & exemplum tuum omnis benignitatis. O dulcis Iesu, non adeò excæcati sunt oculi cogitationis nostræ, ne videre possimus damna futura si pax non fuerit reddita nobis. Solet dici (Domini nostri) in Longobardorum prouerbio quod Deus aufert sensum quibus vult. Reuera sic est, non quidem per positiuam actionem, sed per iustam permissionem. Nota de Iudæis qui noluerunt credere Prophetis, & præsertim Esayæ & Hieremiæ. Benedictus Iesus fleuit super ciuitatem Hierusalem, quia non cognoscebat mala destructionis quæ erant ei ventura, dicens: Si cognouisses & tu. s. fleres. De hac destructione loquitur Iosephus, qui ei interfuit, dicens quod opinatur terram eos tandẽ deglutiuisse sicut Sodomã, si per humanã viam

viam non fuissent destructi. O Domini mei quęso ô Domini mei, non veniat talis cæcitas, aperiamus aperiamus cordis oculos, & ad bene videndum, auferamus tenebrosas & obscuras nubes peccati malitiæ, ne dicatur: Excæcauit eos malitia eorum. Et illud: excæca cor populi huius, ne forte conuertantur & sanem eos, &c. Recurramus ad orationes deuotas per vitæ correctionem. s. alioquin oratio nostra esset inaudita, execrabilis & excommunicata, nobisque esset ablata & prohibita quoad sanctos, pręcipuè noli orare, &c. Est reuera omne quod timeo in hoc negotio, est vitæ iniquitas & correctionis defectus qui nos in asperam hanc cadere facit necessitatem. Nota de quatuor principalibus punctis, de reformatione in persona regis, in facto iustitiæ de statu & prælio, & quomodo nihil obstruetur quod est bene ordinatum. Quid paulo ante ad oculum vidimus, qui noluerũt audire loqui aut tractari de pace quomodo illis successerit, nunquam refutata fuit pax, & rationabilissime vt accepi à quodam Domino Franciæ, quin finaliter malè successerit refutantibus quantumcunque haberent bonum ius aut bonum titulum altera ex parte. Huiusmodi enim homines (vt solet dici pueris) de iure eorum faciunt iniuriam. Superbia & dedignatio nunquam placuit Deo, sed eã reijcit, disturbat & perdit. Sanctus Dionysius scripsit quandam epistolam cuidam qui nominabatur Demophylus, ad inducendum eum ad benignitatem & pacem, &c. Nota ibidem historiam, & de sancto Ioanne & Carpo, &c. Ibi concludit benignitatem Iesu Christi talem fuisse quod adhuc vellet pro nobis pati ad nos saluandos, & pacem dandam si opus foret. Et est certũ exemplum vnicuique christiano Domino ipsum Christũ imitari. Inuenitur in historijs tam Græcis quam Romanis multos imperatores & Dominos, vt Decium Curium, Codrum & alios, adeò dilexisse pacem patriæ suæ vt ad eam obtinendam sponte se morti dederent. Et adhuc videmus die quolibet quod ad manutenendum pacem contra aduersarios, Domini & milites se exponunt mortis periculo in bello. Ideo concludunt per hoc Tullius & Seneca nullum posse habere iustum titulum bellandi contra rempublicam. Arguendo Iulium Cæsarem, & alios commendando, vt Coriolanum & Fabricium, qui potius elegerunt perpetuò iniustè sustinere exilium, quam præliari in præiudicium boni publici & pacis eius. Quid ergo facere debent christiani principes qui habent pulchrum talis benignitatis & charitatis exemplar in Iesu Christo, & qui perpetuum expectant præmium? Heu si videremus quod hæc miserabilis vita, plena omnibus afflictionibus, solum est velox quidam transitus ad gloriam perueniendi bene viuendo erga se & proximum suum per amorem & dilectionem, alioquin fit casus in æternam damnationem. Et hæc est secunda consideratio quam dicebam, quæ expressè ponitur in biblia secundi Regum 14. in quadam historia, quæ satis videtur nostro conducere proposito. Ideo eam recitabo de verbo ad verbum. Vos verò notabitis quod vobis conducere videbitur. Dicit sic textus, quod cum Ioab princeps exercitus Dauid percepisset, Dauid aliqualiter pacatum cum filio suo Absolon, qui occiderat fratrem suum Amon propter violationem sororis suæ Thamar: Ioab misit in quãdam ciuitatem dictam Thecua, & ibi accepit quandam prudentem fœminam, cui dixit: Simula te plangere & sume vestimentum lugubre & triste, nec vtere vnctione olei, vt appareat diu te plorasse mortuum aliquem. Deinde adibis regem & dices ei verba illa quæ pono in ore tuo. Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuites ad regem, cecidit coram eo super terram, & adorauit regem & dixit: Salua me rex. Et ait ad eam rex, quid causæ habes? Quæ respondit: Heu mulier vidua sum, mortuus est enim vir meus, & ancillæ tuæ erant duo filij qui rixati sunt aduersum se in agro nullusque erat qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum & interfecit eum. Et ecce consurgens modo vniuersa cognatio aduersum ancillam tuam dicit: Trade eum nobis qui percussit fratrem suum vt occidamus eũ pro anima fratris sui quem interfecit, & deleamus hæredem. Et quærunt extinguere scintillam meã vel lumen quod relictum est, vt non supersit viro meo nomen & reliquiæ super terram. Tunc ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, ego ordinabo & iubebo pro te. Dixitque mulier Thecuites ad regem: In me Domine mi rex sit iniquitas & in domo patris mei, rex autem & thronus eius sit innocens. Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & vltra non addet vt tangat. Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Viuit Dominus, quia non cadet vnus de capillis filij tui super terram. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad Dominum meum regem verbum. Et ait rex: Loquere. Dixitque mulier: Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei. Et locutus est rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum filium suum. Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur in terram quæ non reuertuntur. Nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne pereat qui subiectus est. Propterea nũc veni ad regem vt loquar ad Dominum meum verbum hoc præsente populo. Et dixit ancilla tua: Loquar regem si quo modo faciat rex verbũ ancillæ suæ. Et audiuit rex verba mea, vt liberaret ancillam suam de manu vel potestate omnium qui volebant de hæreditate Domini delere me & filium meum simul. Dicat ergo ancilla tua, vt fiat verbum Domini regis mei sicut sacrificium. Sicut enim angelus Domini, sic est Dominus meus rex, vt nec benedictione nec maledictione moueatur. Vnde & Dominus Deus tuus est tecum. Sequitur. Postquam inquisiuisset rex quod loqueretur pro Ioab.

Et ait mulier: Tu autem Domine mi rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei vt intelligas omnia super terram. Et ait rex ad Ioab: Ecce placatus fecit verbum tuum seu voluntatem tuam. Vade ergo reuoca puerum Absolon, cadensque Ioab super faciem suam super terram, adorauit & benedixit regi, & adduxit Absolon in Hierusalem. Et ordinauit rex & statuit rex pro punitione ne videret fa-

ciem suam, nec coram se compareret.

Qui vellet immorari circa hanc historiam quę est ad modum antiquata tam propter scripturam in se quam propter sapiens factum Ioab & regis Dauid qui fuit vsque adeò iustus & à Deo dilectus. Comparari posset vniuersitas Parisiensis non modò Iudith & Hester, quæ se exposuerunt mortis periculo, propter pacem populi eorum, sed etiam sapienti huic fœminæ quæ erat Thecuites, quod interpretatur buccina vel tuba. Vniuersitas est sapiens quemadmodum scitur, & est buccina veritatis. Vnusquisque bonus princeps aut miles qui regem Galliæ diligit, exemplo Ioab qui Dauid regem suum diligebat, missus per approbationem qui misit sapientem hanc fœminam vt loqueretur de pace. Vel hæc sapiens mulier est Gallicana ecclesia. Cui duo erãt filij quorum vnus mortuus est. Ipsa hortatur ad pacem. Primò ad ostendendam afflictionem non multiplicãdam esse super afflictionem. Et quod omnes morimur & Deus non quærit superuiuentium mortem. Et esset iniquitas contra populum Dei & peccatum in regem. Hæc sunt verba sapiẽtis supradictæ mulieris. Adde quod rex debet esse firmus & stabilis in dictis suis & factis, sicut angelus Dei, qui non mouetur à virtute nec adulatione nec detractione. Rex etiam debet esse sapiens sicut angelus Dei, nec errore falsarum informationum decipiatur, sed bene prouidere & prospicere possit de qua afflictione loquãtur cõsiliarij, si sit propter proprium commodum, & propter eos & ad seruanda magna eorum negotia & hoc quidem in regis præiudicium & damnum, aut si sit pro pace reipublicæ. Et hæc est tertia consideratio, quæ in hoc negotio haberi debet, quæ est diligenter considerare quo deueniant tanta subsidia & pecuniæ quæ accipiuntur cum tam intolerabili onere à misero populo. Videtur enim regem & principaliores nomen habere. Verum est quod cum puer aliquis malè egit, inuitè ipsum ad scholas proficisci aut disciplinam adipisci. Et equus scabiosus refugit strigilem & malefactor odit lucem. Ideo homines illi potius amant omnia in turbationem verti, in rixas, in seditiones, quam vt pax fieret vt reformarentur. Historia est de patre Alcibiadis qui ob hanc causam bellum intulit Athenis. Notate historiam. Sed vt verum dicatur, si tales homines scirent bene aliqua quæ sunt in querela, potius consentirent ad pacem componendam. Nota fabulam de lupo & agno & de vulpe, & de alijs duabus rebus, gallicè *maulstins* in straminibus occultatis. Notate quod si huiusmodi homines quærant reparationẽ ad bonũ regni. Multa alia bona puncta notari possent circa prædictã historiam regis Dauid, nisi apparerent aliquem nimis velle descendere in particulari ad factum quod agitatur. Respondendum tamen est ad hoc quod aliquis pacis perturbator hic allegare posset & dicere pessimè ex hac pace ipsius Dauid cum Absolon, ipsi Dauid accidisse, quia postea vsque ad mortem Absolon persecutus est patrẽ, volẽs ei omne regnũ auferre. Sed bona est responsio, quia Dauid per iustam dispositionem Dei (sicut ipse cognoscebat & cõfitebatur) hanc habuit persecutionẽ. Deus verò eũ liberauit, & Absolon crudelẽ mortẽ dedit quẽadmodũ meruerat sua ingratitudine & peruersa in patrẽ suũ & iustum Dominum seditione. Et est quod facit ad præsens propositum, ad demonstrandum & affirmandum quod nullus cuiuscunque status sit potest mouere seditionem contra regem, nisi per iustum Dei iudicium vastatus sit & destructus, quantũcunque seditionem faciens appareat potens in multitudine vel quacunque confœderatione. Caueat ergo sibi vnusquisque qui sapiens est Deũ timendo, ne aliquis talis forsitã esse posset virga afflictionis ad puniendos alios, sed finaliter destruetur & in ignem ponetur.

Relinquamus modò omnes alias doctrinas & fundemus quartã finaléque consideratione, quæ est regalis autoritas. Super istam historiã Dauid quæ est adeò bona notabilis, habetis hic Domini mei quod cum rex Dauid vellet pacisci cũ Absolon & suis cõplicibus, pacem fecit ex se & de sua propria autoritate nõ interrogãdo alios: Et quare hoc fecit? quia res hæc autoritatẽ suã regalẽ principaliter vna ex parte tãgebat, sanguinẽ suum, & carnẽ propriã ex parte altera. Ideo voluit vti hac autoritate. Et est quod dicimus in postrema cõsideratione ad iuuandũ vt fiat pax & obtineatur. Videtur & percipitur quod hoc pacis negotium tangit principaliter & quasi solũ regiã autoritatẽ ex vna parte, & ex altera sanguinẽ suũ & carnẽ. Debet ergo (vt videtur) rẽ hãc rex capere ad manũ suam vt ordinet de superiori & infimo, seu de paruo & magno, quẽadmodum bonũ illi videbitur vt fiat. Et quis est subditus vel subdita quin se spõte ponere debeat in talẽ ordinationẽ regalis autoritatis? Apparet etiã quod partes per querelas earum non quærant in summa & finali cõclusione aliam rem per earum postulationes. Et si sic fieret quid prodessent præterea aliæ in iustificationes, actiones aut processus. Modó rex cogitationem cogitet pacis & non afflictionis pro se & populo suo. Non dico amplius. Parcite mihi Domini ob honorem Dei & summæ vestræ nobilitatis, parcite mihi si minus teneo, tale frenũ processum & ordinem, talemque mensurã in verbis meis & gestibus, quemadmodum deberem. Amor pacis & magnus timor afflictionis me compellunt, me pungunt & affligunt taliter vt ratio non satis locum suum obtineat. Audistis ad modum patienter & benignè, gratiæ sint excelsis vestris excellentijs, exhortationem factam, quamuis modicè tenere & insulsè (quia sensus paruus est & tempus breue) ex pater filiæ regis iũctæ vniuersæ Gallicanæ ecclesiæ, quæ vos orat, clamat & supplicat: Veniat pax. Propter supra enumeratas enim causas pax est res religiosa quoad Deum & sanctos atque defunctos. Res admodum salutaris & amabilis quoad viuentes regni omnium statuum, scilicet principatus, militiæ, ecclesiastici & ciuilis status. Est res sanctissima & vtilissima aduersus infideles & maleuolos regni & ad tenendum pacta ac confœderationes firmas.

Et in generali pro bono totius christianitatis, & præsertim ad habendam generalem vnionem. Audistis quod ad obtinendam hanc pacem prodest cõsideratio exemplaris Iesu Christi, ponendo se in eius protectionẽ per bonam vitam.

Pro-

Prodest considerare mortalis huius vitæ breuitatem, quemadmodum hortabatur sapiens mulier. Prodest considerare paruam vtilitatem, immo verò magnum damnum quod accidit regi & principalioribus dominis, adeò intolerabilem populi oppressionem afflictionemque, vt æstimari non possit. Proficit considerare finaliter regalem autoritatem & quod hoc negotium siue honor sit, siue vituperium vndiquaque sanguinem suum tangit & carnem suósque subiectos. Ideo ordinari potest de infimo & sublimi secundum bonam suam affectionem: Et verus Deus pacis, rex regum tam breuiter concedat ordinare, vt hoc sit ad pacem ad concordiam & consolationem. Non autem vt turbatio sit populo, nec dura afflictio, vt omnium commune desiderium exaudiatur, qui tam instanter humiliter & deuotè, iunctis manibus & poplite flexo orant & postulant, Veniat pax, hic per gratiam & in paradiso per gloriam. Quam nobis concedat: qui est princeps pacis & benedictus in secula. Amen.

Post hanc exhortatione tota Gallorum ecclesia quæ est tanquam mater regis & filia sua vniuersitas Parisiensis, faciunt tres deuotas oblationes & exhortationes. In primis offerunt se facturas orationes & preces. Non enim ad hanc pacem & vnionem habendam alia habent opera. Offerunt se insuper in omnibus hortari velle populum vt similiter faciat, vitamque per bonam prædicationem corrigat. Offerunt se in omnibus alijs modis quos rex & vos Domini nostri eas docueritis in particulari vel vniuersali obedire in omni diligentia & integra affectione.

SERMO AD REGEM FRANCIÆ *pro Iustitia.*

Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Domini amate & seruate iustitiã qui iudicatis terram. Ad exponendum cõuenientibus quod mihi dicendum est coram se de hac regulari iustitiæ, coram vobis Dominus altissimæ & claræ prudentiæ, vbi sita est & repræsentata regalis Franciæ autoritas. Ad exponendum inquam ex parte filiæ regni scientiæ, studiorum matris Vniuersitatis Parisiensis matris meæ. Exordior per verbum sapientis regis Salomonis qui secundum nomen suum & interpretationem significat qualis esse debeat vnusquisque. Debet enim esse pacificus., Salomon pacificus. Debet ad pacem tendere. Et quia pax absque germana sorore sua videlicet iustitia esse non potest: Iustitia & pax osculatæ sunt. Et iterum: Fructus iustitiæ pax. Rex pacificus Salomon hortatur & docet in principio libri sapientiæ, dicens: *Diligite, &c.* Et si quisquam instet Salomonem librum illum nõ edidisse, sed quendam Philonem nominatum. Respondent expositores totum librum illum ex sententijs & verbis Salomonis esse excerptum. Ideo ei attribui debet. Et mihi videtur Salomonem aut eius recitatorem Philonem dare intelligi se principaliter iudices seculares & terrenos affari velle. Cum inquit, qui iudicatis terram, & innuit aliquos esse iudices qui aliud iudicant quam terram, aliàs videretur superfluus., vtitur

A etiam hoc verbo diligite innuẽdo quod iusticia fieri debet per voluntarium cordis amorem potius quam per aliam quamcunque affectionem aut occasionem, quemadmodum hæc res in sequentibus prolixius declarabuntur. Et ad plenius enucleandum hanc materiam, dandumque ordinem qui breuis sit intelligibilis & clarus sumam secundum nostri thematis terminos aliquas considerationes potius per modum doctrinæ & lectionis quam curiosæ orationis. Non me nimis onerando non necessarijs allegationibus, sed enitar punctum attingere & materiæ
B medullam, quemadmodum mihi fieri debere videtur coram vobis Dominis meis qui legem calletis, & intellectum habetis viuacissimum clarum & facile deprehendentem. Scientibus legem loquor.

Prima consideratio est

cognoscere quæ res est iusticia ne procedamus in æquiuocatione vel diuersitate aut ignorantia.

Secunda consideratio est

cognoscere qui sint iudices & qui terram iudi-
C cantes, hoc est terreni iudices, talibus enim verba facere debeo sicut faciebat Salomon.

Tertia consideratio est

cognoscere hos qui diligunt iusticiam, & signare huius aliqua signa, deinde descendam ad causus particulares. Omnia hæc tria puncta inclusa sunt in nostri thematis terminis, vbi inquit Salomon: *Diligite,* &c. Quoad primam considerationem dicamus, quod iusticia est perpetua & constans voluntas ius suum vnicuique tribuens.
D Iusticia est perpetua seu permanens & constans aut stabilis volũtas vnicuique ius suum vel quod suum est aut ad eum spectat tribuens vel reddẽs. Apparet primò iusticiam diuinam esse voluntatem. De nulla enim alia voluntate dici potest quod sit perpetua & constans aut immobilis. Et hoc diuinitus dictum est & verissimè. Quemadmodum enim summa dominatio, regnum, imperium aut dominium in deo est, immo est verè & essentialiter Deus, rex regum & Dominus dominantium, &c. Pariformiter de iusticia dici
E potest, quæ est propria proprietas dominij seu dominationis. In hac veritate bene cognouit Tullius cum ait ius non emanare ex scripturis iudicium, vt ex duodecim tabulis, sed ex ratione Iouis, per quem Deum intelligebat. Ad hoc concordat Salomon. Iusticia inquit, perpetua est & immortalis. Secundum thema ad propositum hoc valde altè & subtiliter concludit sanctus Augustinus, nullum posse cognoscere iusticiam nisi in diuino lumine, vbi immutabiles iusticiæ sunt veritates. Patet insuper quod sapien-
F tia Dei, hoc est sancta scriptura (quæ dat cognitionem de Deo & prophetarum eius) melius scire debet quid sit iusticia & eius cõditiones quã quæcunque alia scientia. Et est quod dicit persona sua sapiens: Per me reges regnant & legum conditores iusta decernunt. Apparet prætérea quod ad sanctam scripturam spectat ostendere & edocere iudices terrenos quæ res sit iusticia, & quomodo eam diligere debeant & seruare. Sicut fecit Salomon qui maximus diuina inspiratione fuit theologus. Et de hac authoritate nullus habere debet displicentiam qui cre-

dit in Deum. Quia vnicuique in sua arte vel scientia credendum est. Exemplum in muro faciendo, fides adhibetur latomo. In auro cognoscendo aurifabro. Sciendi modũ procedendi in causa aliqua aut processu, aduocato vel procuratori. Historiam ad hoc recitat Valerius. Notate qualiter latomus, aurifaber aut procurator irrideret theologum si sibi suum vsurpare vellet artificium, aut eum in suo opere emendare conaretur. Patet præterea matrem meam vniuersitatem in præsentiarum venire conuenienter ad loquendum de hac iusticia, & specialiter quoad facultatem theologicam, quamuis vnaquæque aliarum facultatum ratione philosophiæ moralis & naturalis, & ratione sacrorum canonum, meritò audiri possit. Patet vlterius concordiam esse debere & confederationem specialem inter hanc regalem curiam iusticiæ fontem, & vniuersitatem fontem scientiæ, & præcipuè diligi debet & honorari scriptura sancta, vt illa in qua fundantur & stabiliuntur iusticiæ fundamenta. Ad quæ recurrere necesse est si aliqua difficultas aut perplexitas oriatur in alijs scientijs de humanis iuribus tractantibus. Et si quis conaretur turbare hanc concordiam & vnionem, ipse de facto monstraret se non diligere iusticiam nec regis honorem, quia honor regis iudicium diligit. Ipso arguendi sunt hi qui irrident theologiam perinde ac si phantasia quædam esset, quia eorum transcendit intellectum, immo omnem intellectum creatum, siue hominis fuerit siue angeli. Et cognoscitur in lumine fidei aut gloriæ. Et ipsi comprehendere vellent & intelligere sicut alias veritates per intellectum eorum humanum, materialem & carnalem & per naturalem rationem sine fide. Nisi credideritis non intelligetis. Esa. 7. secundum 70. Patet etiam nullum esse posse perfectum legistam aut canonistam, nisi nouerit theologiam, aut eam præsupponat sicut principia sua certa & immutabilia, omnium enim legum inanis est censura (vt quidam ait) nisi diuinæ legis imaginem gerat. Exemplum de medicina respectu philosophiæ, & alicuius præpositi qui iudicare vellet falsum argentarium respectu aurifabri. Pariformiter est de iudicibus respectu peccatorum & terminorum legem diuinam tangentium in sua iusticia siue sint hæreses, blasphemiæ, sortilegia, aut sanctorum Sacramentorum vilipensiones, vel generaliter nostræ religionis transgressiones. Et si quis instet, dicátque per hunc modum vnumquodque iudicium reduci posse ad theologiam aut ad fidem, quia in vnoquoque malefacto reperitur contra Deum inobedientia. Responsio dabitur per id quod in secunda consideratione dicetur, vbi declarabitur quomodo non oporteat omnia peccata aut transgressiones iusticiæ reduci contra errorẽ fidei aut ad hæresim, vel ad iudicium ecclesiæ, queadmodũ imponunt aliqui theologis eos sic facere velle causantes. Dicamus insuper quoad secundam partem de iusticiæ descriptione, quæ dicit, ius suum vnicuique tribuens, quod nihil est iustum in quacunque re nisi inquantum diuina voluntas sic ordinauit: Et in hoc inueniri potest verbum, quod Iuuenalis peruerse attribuit mulieri: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Sed autenticum magis ad propositum, hoc est quod dicit propheta: Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, & in omnibus abyssis. Et sanctus Gregorius sanctum imitando Basilium dicit quod prima lex naturæ est Dei voluntas, secundum hoc sancta scriptura & theologi sicut Boetius nominant ordinationes rerum naturalium leges aut iura, vt istæ sunt leges cæli, & Deus certa lege cuncta coercet & similia, hoc modo leges reperimus & iura in vnaquaque re, siue sensibili siue insensibili, sicut lex ignis est sursum ascendere, calefacere & siccare. Lex terræ est tendere deorsum. Lex auium est nidificare tali vel tali modo. Lex formicarum est grana colligere, & aranearum telas facere. Et ita in omnibus rebus in quibus relucet sapientia & iusticia summæ voluntatis Dei. Quæ sic dat & reddit vnicuique quod suum est dono & liberali ordinatione. Et in hoc consistit pax atque tranquillitas regni naturæ. Verum est, magis propriè solitum esse loqui de iusticia & iure respectu solius creaturæ rationalis, quæ liberam voluntatem habet faciendi vnum aut alterum, & rationem ad iudicandum & discernendum quod bonum est aut malum. Et secundum hanc acceptionem in præsentiarum loqui debemus quod in secunda fiet consideratione de iudicibus & iuribus.

Sed antequam accedamus, dicamus adhuc in prima hac consideratione de iusticiæ natura ad cognoscendum qualis esse debeat iusticia humana & creata, respectu iusticiæ diuinæ & increatæ. Et dicamus iusticiam humanam Dei iusticiæ cõformari debere sicut vero suo exẽplari, quia eò valet ipsa, & est honorabilis quo imitatur hãc exemplarẽ. Sicut per figurale exẽplũ, lex præpositi aut baliui bona est eousque quousque ipsa regis legem imitatur & illi conformatur. Considerandum itaque est, qualis sit iustitia summa. Et quãquam hoc omnino comprehendi non potest, attamen cognoscimus per sanctam scripturam & naturalem rationem. Satis concordat quod in Deo vt in summo & perfecto Domino & iusto iudice, est potentia, est potestas, est sapientia, est scire, est clementia, est velle. Et solum appropriata est potentia patri, sapientia filio, & clementia Spirituisancto. Sic ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Potentia Dei manifestatur in creatione sicut in causa efficiẽte. Sapientia in gubernatione sicut in causa formali vel exẽplari. Clementia in inclinatione vel destinatione aut ordinatione, sicut in causa finali, secundum quod in qualibet reperta est mensura, numerus & inclinatio. Nã omnia fecit in numero, pondere & mensura. Et vbique reperitur vnitas, veritas & bonitas. Ita modus, species ordo proportionabiliter ad tres causas & ordo aut moderatio super efficientem exemplarem & finalem. Hæc materia diffusius declarari posset, sed ad præsens tantum efficiat. Et applicemus hoc ad moralem instructionem, declarando qualis debeat esse humana iusticia, & qualis iudex esse debeat. In vno quoque iudice debet esse potẽtia, prudẽtia & clementia, secundum exemplum Dei & deductionẽ Aristotelis in politicis. Et vnusquisquo talis debet velle facere iusticiam, scire & posse.

Opus

Opus ergo est tres sorores germanas ipsius iustitiæ (videlicet tres alias virtutes cardinales) semper cum ipsa iunctas esse, scilicet fortitudinẽ vel constantiam quoad posse, & prudentiam quoad scire. Et sic in iustitia humana tres illæ erunt virtutes. Aristoteles in politicis principi constantiã attribuit. Prudentiam & benignitatem ad politiam. Mutatæ tres supradictas res vt sit videlicet mensura quoad potentiam, numerus quoad sapientiam, pondus quoad bonitatem seu clementiam. Item proportionabiliter, vnitas, veritas, bonitas. Et iterum modus, species, ordo. Item pax, ratione potentiæ, veritas ratione sapientiæ, misericordia ratione sapientiæ. Iuxta illud: Misericordia & veritas, &c. In sua iustitia iustitiam faciet absque excessu in nimis magno rigore aut calore, aut nimis magno languore. Erit modus non mittendo hac atq; illac ad dexteram vel ad sinistram. Erit ordo nil aliud præter principale ad quod iustitia ordinata est exercendo, & est bonum & pax politiæ. Et si altius scãdere velimus secundũ principia veræ religionis christianæ. Iustitia humana spem sumet in potentia Dei, credulitas in sua veritate aut sapientia, & charitas siue benignitas in sua bonitate aut clementia. Hæ sunt tres virtutes theologicæ, fides, spes, charitas. Adhuc possumus dicere secundum proprietates naturales animæ & suas virtutes. Irascibilis erit bene ordinata & regulata per potentem constantiam. Virtus rationalis per veram prudentiam. Virtus concupiscibilis per dulcem temperantiam. Et hoc applicari potest contra principales iustitiæ inimicos, qui sunt mundus, diabolus & caro. Possumus vlterius dicere quomodo per hunc modum in iustitia humana & terrena figurata erit & assimilata iustitia angelica & cœlestis. Exemplum de prima & suprema parte vbi sũt Cherubin, Seraphin & throni. In Seraphin abundat clementia, charitas, benignitas. In Cherubin scientia, veritas & sapientia. In thronis potentia stabilitas & constantia. Et hæ res ad tres applicantur status. Ad statum militarem quoad potentiam. Ad statum clericalem quoad sapientiam. Ad statum ciuilem quantum ad concordem obedientiam.

Pro secunda consideratione Iustitia creata aut participata siue humana est vna virtus quæ inclinat habentem tribuere vnicuique ius suum, hoc est illud quod suum est. Terreni iudices sunt hi qui coerciuam habent iurisdictionem. Coërciua est potentia faciendi ius erga alium, velit nolit. Ius est quod spectat ad aliquem secundum voluntatem & supremi donationem, siue sit Deus principaliter aut aliquis alius minister, iurisdictio terrena est iurisdictio ordinans alterum in vita sua terrena seu temporali quoad proximum finẽ aut intentionem secũdum leges naturales & humanas. Iurisdictio spiritualis est iurisdictio quæ alterum ordinat in vita sua spirituali & immortali quoad proximum finem vel intentionem secundum diuinam legem & canonicam. Lex est signũ per quod homo cognoscit id ad quod obligatus est iudicio & voluntate supremi sui legislatoris, ad attingendum finem vitæ temporalis vel spiritualis, aut vtriusque. Signum per quod, &c. est mentale aut vocale vel scriptum. Lex diuina est in quadruplici gradu. Naturali in principijs moralibus positiuis, quodam ciuili & altero canonico. Voluntas duplicem habet spiritualitatem. Vnam quidam in virtutibus, alteram in rebus ad Dei seruitium & ministrorum eis dedicatis. Sed cessemus de his membris prosequi & teneamus, &c. Dicta nostra ad secundam considerationem conuertamus in qua debemus inuestigare qui sũt hi qui iudicant terram. i. terreni vel temporales. Altius ergo exordiendum est nobis secundum theologicum processum à primo principio ad conclusiones dependentem. Processus verò humanæ nostræ signationis alium tenet processum incipiendo. s. per conclusiones & effectus primũ cognoscere principium. Inuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt concipiuntur. Diximus iam & declarauimus primam & summam iustitiam esse voluntatem Dei. Est enim summa lex ligans & obligans. Attamen iustitia hæc se deriuat & communicat ad extra, sicut facit sua potentia, sua veritas, sua bonitas & dominatio sua. Et fit hæc communicatio creaturæ rationali principaliter vt detur cognitio voluntatis eius. Et est hoc quod nos appellamus iudicium aut rectæ rationis dictamina. Deus voluntatẽ suam diuersimodè manifestat, præcipuè duobus modis, consiliando aut dehortando per consilium, præcipiendo vel prohibendo. Hic sunt duo signa Dei voluntatis, videlicet consilium & præceptum. Et propriè loquendo præceptum est hoc quod facit lex, quoniam lex dicitur à ligando. i. obligando. Patet ergo iustitiam diuinam à se communicare & deriuare principaliter creaturæ rationali, & adhuc spiritualius creaturis rationalibus mũdi præsentis quas appellamus viatrices aut peregrinas, quia dicunt cum apostolo. Non habemus hic ciuitatem manentem, &c. Ad præsentem namque mundum spectat & pertinet ciuilis dominatio secundum leges & iustitiam obligantem potius quam ad saluatos & damnatos. Dicamus itaque primum figuraliter & in summa terminos huc pertinentes. Politia est hominum mortalium societas ad bonum ordinata. Præceptum est bene obedire vt viuatur in pace & sufficientia quoad temporalitatem aut quoad spiritualitatem, politia vna dominium habet diuinum sub titulo ciuilis charitatis aut ecclesiasticæ temporalitatis. Et vocatur regnũ vbi vnus dominatur, politia vero aristocratica vbi pauci boni, tyrannis est contraria ex nouis obligationibus. Dicamus igitur vt melius descendamus ad cognoscendum id quod declaraturi sumus in secunda hac cõsideratione, qui sint terreni iudices, &c. quod homo compositus est ex duabus substantijs. Vna quidem corporali & materiali, altera verò incorporali. Et hic mirabilis est coniunctio quæ comprehendit & repræsentat vniuersum magnum mundum. Ideo dicitur homo microcosmus & omnis creatura. Et hæc coniunctio secundum metaphysicos & theologos facta est vt omnis creatura ad suum reducatur principium, ad Deum videlicet per hominem. Videamus præterea quod secundum hanc duplicem sustantiam aut partem homo duplicem in generali modum viuendi habet secundum duplicem finem. Vnus quidem finis est supernaturalis diuinus & in æternitate. Alter est naturalis & materialis in tẽporalitate. Et certum

est horum finium vnum esse ad alterum ordinatum, vt corpus ad animam & temporale ad æternum vel perpetuum. Loquor christianissimis, nolo hic insistere, quoniam etiam ipsi philosophi in hac conuenerunt sententiam cum de hominis loquerentur felicitate. Erigamus consequenter nostræ considerationis oculos ad veræ fidei lumen. Id enim comprehendere non possunt nec inuestigare philosophi in solo naturali lumine per peccatum originale obscurato, quamuis rem quamlibet cognoscant. Ad hoc tendunt poëtæ de ætatibus & seculo aureo. Meditemur etiam hominem creatum fuisse sine peccato & in iustitia pro statu innocentiæ. Fecit Deus hominem rectum, &c. Homo in illo statu non indigebat legibus aut iustitia actiua coërciua vt ad bonum conuerteretur. Non igitur requirebatur dominatio ciuilis, aut politica, verũ sufficiebat dominatio secundum originem & iustitiam ad reddendum vnicuiq; quod suum est, Deo, corpori suo, suo proximo, omni creaturæ. Poterat esse dominatio aliqualis excellentiæ patris ad filium, viri ad vxorem, sapientioris ad minus sapientem, & vniuersaliter ratio dominatur omnibus reb. ratione carentibus. Accidit autem quod propter transgressionem legis quę imposita erat homini & denunciata & propter inobediẽtiam, mox regnum hominis & dominium in tyrannidem & subiectionem versum sit, ac omnino veluti infirmatũ & peruersum. Homo enim perdidit suæ dominationis titulum iustitiam videlicet originalem, tũc quia ratio non obediuerat Deo perdidit per iustitiam vindicatiuam & punitiuam talem dominationem. Proprium enim corpus suum in schisma versum est & rebellionem cõtra magistram suam & reginam rationem à quo prodierunt, & adhuc prodibunt peccata, & contra rationem violentiæ quas die qualibet experimur in rapinis, latrocinijs, homicidijs sacrilegijs, proditionibus. Et loquẽdo per metaphoram aut similitudinem tunc quatuor tyranni iustitiæ contrarij hominis regnũ inuaserunt. Qui sunt quatuor hi tyranni? Sunt quatuor passiones quæ nominantur gaudium, tristitia, spes, timor. De his Virgilius 5. Æneid. philosophus primo rhetoricorum: & in prosa cõfusa sunt, &c. Postea quam ergo ratio non sufficiebat ad seipsum & alios gubernandum, sed superueniebant indies persecutiones hominum istorum quidem contra illos, necesse fuit pœnas imponere & punitiuas leges contra peruersos & iniustos, vt boni & simplices viuere possent in pace. Et hic radicem habemus & causas dominationis & coërciui dominij. Causa efficiens occasionalis fuit peccatum. Causa finalis fuit pax, trãquillitas & sufficientia in vita ciuili propter finem alterum spiritualem & diuinum. Causa formalis in legibus consistit bene institutis. Causa materialis est rationalis creatura, mortalis glorificabilis.

Posteaquam inuestigauimus & inuenimus causam, & initium instituendi iudices super terram inter homines, facilius cognoscemus descriptionem & terminorum declarationem qui necessarij sunt vt cognoscant pro re nostra, de quibus in summa diximus. Iustitia (vt dictum est) virtus quædam est qua is qui eam habet inclinatur ad reddendum vnicuique quod suum est, aut

A ius suum. Iustitia diuiditur in iustitiam originalem, naturalem, diuinam vel euangelicam. Id est politicam, ciuilem, ecclesiasticam. Et iustitia politica diuiditur in iustitiam (quæ inter mercatores est) commutatiuam & iustitiam (quæ est inter iudices) distributiuam. Cognoscitur hæc diuisio vel distinctio respiciẽdo iustitiæ officium in statibus diuersis. In statu namque innocentiæ originalis regnabat iustitia in qua fundata erat titulus & ius dominij quod homo in tali habebat statutum in seipso, tum ad extra, nec amitti

B poterat nisi iustitia amitteretur originalis. Sed prætereamus hunc innocentiæ statum, & dicamus quod iustitia naturalis, inquãtum hominem respicit, fundatur in principijs iuris & naturaliũ legum, quæ quidem principia omnis intellectus sanum habens rationis iudicium, cognoscit & iudicat esse vera quemadmodum est hoc principiũ: Non faciendum est alteri quod quis minimè vellet sibi fieri. Benefactores diligẽdi sunt, parentes sunt honorandi. Nemo iniustè occidendus est,

C & sic de alijs præceptis quæ per Moysen in veteri lege repetita fuere, quia non vnusquisque sanum habet intellectum aut naturale iudicium ratione originalis corruptionis, sed est anima veluti obfuscata, obducta, obscurata, aut vt liber, obsitus & deletus. Excæcauit eos, &c. Iustitia naturalis virtus quædam est quæ habentem inclinat ad tribuendum vnicuiq; quod suum est iure naturali. Diximus enim hominem ad duplicem finem & duplicem vitam secundum substantiam suam ordinatum esse. Vnus quidem est finis & vita spiri-

D tualis. Alius autem finis & vita temporalis. Et quoniam spiritualis finis excedit vires naturalis ingenij, & eius transgreditur cognitionem, necesse fuit Deum inspirare & reuelare finis illius & vitæ notitiam atque cognitionem. Et quia Deus & natura non deficiunt in necessarijs, Deus reuelauit à mũdi creatione cognitionem hanc, quãta inquirebatur. Habemus enim Chaim & Abel Deo sacrificia obtulisse, consimiliter Noë & Abraham. Et expressius reuelata fuit hæc cognitio

E & ordinata per Moysen in lege veteri sed adhuc multo expressius & dignius in noua lege, quam euangelicam appellamus. Iustitia itaque euangelica virtus est per quam eam habens, inclinatus est ad reddendum vnicuique quod suum est secundum ius euangelij propter beatitudinem aut felicitatem adipiscendam & damnationem euitandam. Adijciamus insuper & dicamus quod posteaquam homo natura sua ciuilis est & communicatiuus, & talem habet indigentiam cui conuenienter succurrere non potest absque alterius

F subsidio, homo inductus fuit & veluti compulsus in communi viuere cum alijs, & opus fuit instituere ac ordinare aliquos conuiuendi modos. Et virtus iustitiæ, quæ ad hoc faciendum inclinat iustitia nominatur ciuilis aut politica. Politia (vt dictũ est) est hominum societas ad bonum ordinata, ad rectè præcipiendum & obediendum, vt in pace viuatur & tranquillitate & sufficientia, aut quoad vitam hanc temporalem aut quoad spirituale. Iustitia politica est virtus quę inclinat reddere vnicuique quod suum est secundum ordinationes & finem politiæ vbi ipsa fuerit, siue tempo-

temporalis sit siue spiritualis. Et quoniam principia iuris aut naturalis ordinationis sufficiunt ad temporalem vitam gubernãdam ordinatæ fuere & institutæ humanæ quædam ordinationes & veluti voluntariæ naturali iuri minimè obuiantes. Sed etiam non sequuntur euidenter præsertim quoad simplicium magis cognitionem. Pariformiter dicamus ecclesiæ principia haud quamquam sufficientia esse ad ecclesiasticæ politiæ gubernamen quoad spiritualem vitam, nisi adiungatur aliquid aut particularius enodentur, & ecce causam vltra eam quæ dicta est. Ecclesia sancta in principio possessionibus non fuit onusta nec magnis redditibus, quoniam legislator Iesus Christus eam fundare voluit per se & suos discipulos & apostolos in omni humilitate & spiritualitate per euangelij sui prædicationem. Vnde habemus ipsum fugisse cum turbę eum regem vellent constituere. Et ordinauit apostolos suos & discipulos, contentos esse his quæ elargiebantur ab illis quibus prędicabant. Dicit quoque sanctus Lucas hos qui crediderunt in principio omnia in communi habuisse. Apostoli autem nolebant se in quoquã occupare, neque in operibus misericordiæ exercendis, vt liberè quocunque ire possent & prædicare. Non est æquum nobis relinquere, &c.

Politca spiritualis (quam nos ecclesiasticam aut euangelicam nominamus) tunc præcipuè euangelio regebatur, & per eos qui ipsum euangelium norunt & intelligũt quos nos theologos appellamus: Et durauit hoc gubernamen, istáque politia ecclesiastica pro sustentatione sua & ad honorandum & per fauorem attrahendos homines ad legem & Dei seruitium, secundum euangelicam politiam recepit nonnulla antiqua politia de synagoga, quæ & figura est. In principio enim Deus nullam habuit temporalem habitationem, sed erat tabernaculum vel arca Dei quę ferebatur de loco in locum. Sed postmodum rex Salomon templum instituit in magnis diuitijs & magnificentia. Verum est multos murmurare hic & arguere ecclesiam valdè malè egisse eas recipiendo possessiones. Et dicunt tempore sancti Siluestri vocem quandam auditam fuisse: Hodie venenum effusum est in ecclesia Dei. Et venerũt nonnulli in talem furorem quod dixerunt post sanctum Siluestrum in hodiernum vsque diem omnes papas & alios qui possessiones huiusmodi receperunt & tenuerunt membra esse antichristi. Et plerique adhuc hodie dicunt, quare prælati nõ viuant vt apostoli.

Sed hoc error est & blasphemia, quemadmodũ paulo post dicemus. Deus diuersos habet modos suos gubernandi, modò quidem in aduersitate, modò verò in prosperitate. Pariformiter secundũ diuersitatem temporis ac temporalium locorũ ad seruitium suum exercendum applicatorum ad felicitatem acquirendam in spirituali ac ecclesiastica politia. Cur non etiã episcopi sunt vt primi christiani? Sic autẽ actum est (vt dici solet) quod qui solum aut terrã habet & prælium, nihil enim vsqueadeò bene inter homines ordinatum est, quo peruersi non abutantur siue diuitiæ sint siue paupertas. Ideo conueniens fuit secundum Aristotelicam doctrinã facere plures ordinationes,

quas nos leges appellamus, decreta vel canones,
A hoc est regulas ad iustitiam vnicuique faciẽdum & iniustitiam repellendum. Quoniam autem humanum ingenium non est infinitæ capacitatis, theologi qui eousque gubernarant, non suffecerunt cognoscere & memoria tenere positiuas tales ordinationes vltra legem euangelicam. Et sic veram ac legitimam causam habemus diuisionis theologiæ à decretorum facultate, & discretionis legis euangelicæ & iuris canonici vna ex parte, philosophia moralis diuisa est à legibus po-
B sitiuis alia ex parte. Habemus etiam discretionem iustitię ciuilis & iustitię canonicę secundũ bonorum & factorũ diuersitatem. Vnam quidẽ tẽporalem quoad iustitiam & politiam ciuilem, alterã spiritualem quoad iustitiam & politiam ecclesiasticam. His sic suppositis & intellectis facile est aliorum terminorum cognoscere discretionem, ius & potentiam, facultatem aut licentiam qui de facto ad aliquem spectant secundum iustam rationem. Ius diuinum pertinet secundum euangelium. Ius naturale secundum principia naturæ.
C Ius ecclesiasticum aut canonicum secundum decreta. Ius ciuile secundum leges. Et pariformiter manifestum fiet quæ res sit iurisdictio diuina, naturalis, canonica ciuilis. Iurisdictio nil aliud est, quam potestas faciendi & exercendi iuris diuini, naturalis, canonici, ciuilis, & restringitur iurisdictio, coërciua, alioquin potestas esset iurisdictio ordinis.

Lex est signum aliquod aut significantia qua homo id cognoscit ad quod est obligatus per di-
D uinum aut naturale iudicium sui superioris. Ideo est lex canonica & ciuilis. Tria sunt signa eiusmodi, mentale, vocale & scriptum. Lex diuina ordinat hominem principaliter & proximè ad spiritualem finem & perpetuum. Et in euangelio est contenta aut in eo quod necessariò sequitur ad euangelij veritatem, aut in illo quod Deus specialiter voluit reuelare ad dictum finem propinquum, vel in illo quod tenet ecclesia & determinat per apostolorum traditiones in diuersis hucusque successionibus. Nota hic quatuor gra-
E dus diuinæ legis aut euangelicæ. Lex naturalis ordinat hominem ad finem naturalem proximè & principaliter. Et sunt hę duæ leges immutabiles in quas nulla cadit dispensatio nisi à legislatore, à Deo videlicet solo. Lex canonica hominem ordinat ad vitam spiritualem principaliter, sed hoc est medio humanæ institutionis & voluntariæ atque positiuæ & veluti per medium vitæ huius temporalis, quæ spiritualis nominatur. Lex ciuilis proximè ordinat hominem ad vitam suam, quia
F Deo est dedicatus mediantibus institutionibus humanis positiuis & voluntarijs, quamuis demũ vita hęc ordinari debeat ad spiritualem vitam & perpetuam, sed non est immediatè in quantum est talis vita. Patet vlterius quæ res dominium euangelicum secundum fidei, spei & charitatis acceptionem amitti non potest hoc durante titulo, & competit pluribus plenè & integrè simul. Aliter euangelica dominatio in diuini iuris fundatur institutione. Dominatio naturalis in donis & in iure naturæ fundatur. Dominatio canonica in iure decretorum & sanctorum canonum. Ciuilis dominatio in legibus & iure humanorum legi-

statorum. Vnaquæque iurisdictio quatuor vtitur legibus, diuina, naturali, ciuili, canonica. Iurisdictio temporalis militiæ iuncta, non proximè vtitur legibus naturali, ciuili. Spiritualis iurisdictio iuncta ecclesiastico statui principaliter vtitur & proximè legibus diuina, naturali, canonica, secũdum humanas bonitates. Duæ hæ iurisdictiones duobus illis iunctæ statibus, sunt veluti duo ipsa brachia politiæ christianæ. Pacem quoque habere debent ac vnionem ad diuinæ iustitiæ thronum sustinendum. Ambitio cupida, stulta & mutabilis iustitiæ suisque sororibus contraria, quæ sunt benignitas, veritas & constantia, conatur schisma immittere & diuisionem inter duas illas iurisdictiones, & spiritum mittit mendacij modò ad vnum statum, modò verò ad alterum, vt maleuolentia, falsitate & inconstantia eos seducat. Statui quidem militari dicit ipsum dilatari debere & suã augmentare iurisdictionem propter honorẽ suũ & gloriam, suam quoque successionem, sibique alium statum ecclesiasticum .s. subdere & eius iurisdictionem cum fortitudo sit strenua. Ad id autem colorandum quatuor affirmat falsitates. Qui iurisdictionẽ habet spiritualem, temporalem habere nequit. Sunt enim veluti album & nigrum contrariæ. Christus Iesus verbo prohibuit & exemplo, ne ecclesiastici vllam temporalẽ haberent iurisdictionem. Nolite possidere, &c. Fugit cum eum vellent facere regem, &c. Militaris dominatio suam alienare nõ potest iurisdictionem, ideo nec ad ecclesiasticam transferre potest.

Status ecclesiasticus nullam habet iurisdictionem, nisi dono terrenorum principum, ideo sẽper in hoc subiecta manet militiæ, quæ ecclesiasticum statum omni temporalitate priuare & spoliare potest. Exemplum de cornicula quæ induit plumas aliarum auium. Iustitia fieri debet amore bono & bene regulato, non autem odio, non ira, non superbia, non ambitione, non crudelitate. Hoc enim modo iustitia verteretur in iniustitiam propter modum & finem agendi. Propterea dicit lex antiqua: Quod iustum est, iustè exequeris. Patet ergo hanc non valere consequentiam: Homo hic mortem iustè meruit, ergo is qui eum occidit, non peccat, nec est puniendus. Occisor enim varijs modis errare potest & deficere, aut quia non est iudex constitutus, sed priuata persona, aut officium suum iudicandi ad hanc non extendebatur personam, eò quod alterius est patriæ aut iurisdictionis. Patet insuper quod in supradicto casu occisor legem transgreditur diuinã quæ dicit: Non occides. Et est aduertẽdum quod hoc præceptũ immutabile est nisi autoritate Dei qui eam dat, & nisi inueniatur ipsummet exceptiones fecisse, quemadmodum in pluribus casibus in antiqua lege inuenimus, vt de homicidis adulteris, hæreticis, sortilegis. Non autem inuenitur (vt arguit doctor quidam theologus Scotus in 4. quod pro simplici furto Deus exceptionem fecerit, occidẽdum .s. esse furem. Non etiam reperitur quod aliquis qui non est iudex alterius, ipsũ occidere possit, esto quod morte dignus sit per iustitiam. Sed hoc prohibitum est, alioquin sequeretur perturbatio in politia & confusio, & vellet vnusquisq; iudex vniuscuiusque. Quę autẽ à Deo sunt ordinata sunt. Patet prætérea occisorem plus delinquere posse alium occidendo sub
A titulo officij iudicis quam si talis occisor priuata esset persona. Dicit sanctus Augustinus quod simulata æquitas, non est æquitas sed duplex iniquitas. Potest etiam accidere maius damnum politiæ hoc primo modo quam altero; propter studium & malum quod sequitur exemplũ, eò quod alio tempore ab aliquibus trahi niteretur in consequentiam rem talem licitè ac iustè fieri posse. Et hoc modo plus mali & aduersitatis sequeretur alteri. Dicit Iulius Cæsar in oratione sua quam recitat Salustius: Omnia mala exẽpla ex rebus bo-
B nis orta sunt .i. sub specie boni. Exemplum adducit de triginta tyrannis qui Athenas gubernarũt. In principio quidam occiderunt nonnullos pessimos & odio habitos sine iudicio & absque hoc vt prius audirentur. Hos occisores laudabat populus, sed paulopost tyranni hi & bonos sine iudicio interemerũt. Idẽ recitat de Silla, qui Romæ interfecit Damasippum & alios culpabiles absq; ordine iustitiæ. Romanus populus eundem laudabat & lætabatur, quoniam his talis debebatur
C iustè pœna, sed postmodum Silla comprehendit & bonos, vt eorum habere posset diuitias pro se & suis, quos puniebat sine ordine & iustitiæ ratione. Habemus in sacris literis Saül reprobatum esse à Deo, quod quamuis Dauid minimè lateret, nunquam tamen eum voluit occidere, sed iussit interfici hunc qui ei suam nunciauit mortem, eò quod diceret se ipsum occidisse ob postulationẽ.

Quomodo inquit ausus es mittere manum in Christum Domini, &c? Et deinde iussit occidi alios duos qui interemerant filium Saülis sui ad-
D uersarij. Sic fertur Alexandrum his fecisse qui Darium trucidarunt. Patet insuper iudicem aliquem peius agere posse & grauius puniendum eum esse si erret in modo iustitiam exercendi, excedendo metas & potestatem suam in occisione alicuius malefactoris digni morte quam si eum occideret vt priuata persona sine titulo aut vmbra sui officij. Hoc declarari posset cẽtum modis secundum quod centum modis & pluribus damna accidere possunt per primum factum quam per secũdum,
E vt exẽplum euenire potest vt alij iudices pro suo exemplo vellent eodem modo facere, & sic forsitan delinquerent, vt superior eorum factum hoc ad legẽ traheret, & sic iniustus erit dominus ille & tyrannus per eorum inductionem. Et accidere etiam potest vt prælatus aliquis aut duo, immo verò tota ecclesia ius suum perdet & iurisdictionem. Et qualis cessio esset hæc, qualis iniustitia & damnificatio. Hi fortassis qui mortem non meruerunt, sustinebunt eam quemadmodum eccle-
F siasticus nõ præsentialiter meruit mortem si simplex fur sit, sed viuere debet, suamq; facere pœnitentiam in carceribus. Si ergo interimatur mox nonne est occidere hunc qui mortem minus meruit? & hoc perpetrare nunquid est homicidium?

Adde etiam quod si res aliqua est consecrata & Deo dedicata, is qui eam aufert & eam frãgit aut malè tractat possessore inuito, sacrilegium committit. Et sacrilegium tanto grauius est quãto res est sacratior & preciosior.

Consideremus itaq; si creatura rationalis data & Deo sacrata, vt est clericus qui est de sorte & & communicatione Dei secundum sui nominis inter-

interpretationem Cleros Grecè, sors Latinè, consideremus inquam si non sit res preciosior quam calix aliquis aut imago templi, aut francus datus in truncum. Nolite tangere christos meos. Addamus adhuc quod talis aliquis de quo loquimur, habeat per iuramentum solenne & per superioris sui præceptum onus huius rei, nonne hoc est notorium periurium? Et pœnas agnoscitis quæ contra huiusmodi sunt iudices. Etiam hoc est ad proditionē rei reduci posset. Addamus præterea sententias prorsus iactas & fulminatas de facto in sanctis canonibus contra eos qui ecclesiæ impediunt iurisdictionem, & contra sacrilegos qui separandi sunt, nec cum eis est habitandum à quibus nec regij excipiuntur officiarij. Adijciamus insuper quod aliquis talis defendere vellet factū suum & ipsum iustificare, & hi de cōsilio pariter, nonne est obstinationis signum in malo, & desperatio correctionis tam pro eo quam pro suis? Humanum est peccare sed diabolicum perseuerare: Iterum: Non minus ardebit qui cum multis ardebit, quia non minus peccat qui cum multis peccat. Non insequeris multitudinem ad faciendum malum. Adiungamus vt respondeatur ad id quod obijci posset aut dici ad pūctum postremò tactum quod talis sit sufficienter de facto informatus per sapientes clericos & alios quod factum hoc malum est & iniustum, quemadmodum prętactum est. Nec tamen ob id se humiliat, nec factum emendat, confiteri non vult sese perperam & malè fecisse, immo imponit rem factam esse per Dominum suum & bonum consilium, hic nulla erit ignorantiæ excusatio. Adijciamus huic proposito quod vnus talis scire potest sententias, specialiter contra alios iudices qui similiter delinquerant qualiter puniti fuerunt. Notentur casus iudiciorum. Addamus talem se ingerere velle ecclesiæ seruitio & missæ non obstante quacunque excommunicationis sententia in qua esse eum ipse intimatur. Addamus quod propter factum alicuius talis, & quoniam correctus non est, à lectionibus cessetur & sermonibus in tota vniuersitate Parisiensi & Parisijs. Intelligite hic quale malum sit suspēdi bona ex lectionibus & sermonibus emanantia, mille & mille peccata non fierent, mille & mille bona opera pro viuis fierent & mortuis, mille & mille animæ à purgatorio liberarentur. Honor regis & reginæ in hoc est per totam christianitatem lęsus, eò quod extranei publicāt Parisijs nil fieri quoad doctrinas & sermones eo. s. quod iustitia haberi nō possit, dicēt ipsi. Tangit cancellarium Parisiensem in speciali propter lectiones. Addamus insuper quod factum talis alicuius valde tangit honorem & libertatem & exaltationem sanctæ ecclesiæ & christianæ religionis, ad quam sustinendam sanctus Thomas & alij ad mortem vsque bellauerunt. Et fortassis in minori casu. Iudicate itaque si aliquis talis de quo loquimur per exemplum posset esse rationabiliter de hæresi suspectus, aut ad minus quod malè sentiat de christiana religione & eius exaltatione, & si de hoc secum agi posset coram suo ordinario ecclesiæ. Addamus talem alias in simili casu fuisse deprehensum, & magis quam quemcunque suorum prædecessorum quorum sit memoria.

A Vertamus denique sermonem nostrum ad enumeranda signa nonnulla per quæ cognosci posset si iudex aliquis diligat iustitiam & in præsentiarum de tribus cōtenti simus principalibus secundum tres habitudines seu respectus qui sūt in vnoquoque iudice. Vnus respectus est ad Deū & ad religionem suam. Alius ad Dominum suum suamque dominationem. Alius ad semetipsum qui sese subdit rationi. Dicamus ergo quod amor Dei suæque religionis signum est iudicem terrenum diligit iustitia. Cur? quia in Deo est fons origo & exemplar totum iustitiæ

B secundum quod in prima diximus consideratione, quomodo iudex aliquis iustus esset alijs, si iniustus sit Deo summo iudici? Nota exemplum de Constantino quomodo probauit viros curiæ suæ amicos per hunc modum, &c. Communi autem dicitur adagio, quod qui dominum diligit, eius diligit gubernationem, & qui regem diligit, eius legem diligit. Sequitur ergo quod qui Deum diligit, ministros suos sibi dedicatos diligit, amat suam religionem, suam ecclesiam,

C suum honorem, suam libertatem, liberationem & exaltationem, seruat iura sua, & omnia quæ sua sunt diligenter. Exemplum de prædecessoribus regibus sancto Ludouico & alijs, &c. Nota epistolam sancti Augustini, ad iudicem quendam sui temporis vbi dicit quod Deus finis esse debet omnis terrenę iustitiæ, &c. Hic addere possumus quomodo vnusquique iudex habere debet tres virtutes theologicas iustitiæ sorores. Spem in potentia Dei, quod ei daturus sit constantiam. Fidē

D in sapientia Dei, quod ei dabit prudentiam. Charitatem in veritate Dei, qui ei dabit temperantiam, benignitatem & clementiam. Alioquin iudex est corruptus & subuersus à throno iustitiæ facile admodum, nisi confirmatus sit & stabilitus in Deo per has virtutes facile potentiam timet humanam, operatur per mundanam cautelam, deficit iudicando aut per austeritatem aut per iram subitam, applicetur omne illud ad præsens propositum. Secundum signum quod terrenus iudex diligat iustitiam, est quādo amat dominiū

E suum mortale & eius dominationem, hoc est cum tendit ad conseruationem dominij ipsius per opera & media quæ videntur conseruare & in pace tenere dominos ad suos subiectos. De quibus medijs tractat Aristoteles 5. Politi. Et medium principale est, quando in omnibus suis iudicijs ad bonum respicit publicum dominij potius, quam adulari aut stulte complacere singulari domini personæ aut famulorum eius. Hoc enim pacto seruabit à tyrannide quod est venenum & intoxicatio omnis dominij exterminādi

F & subuertendi. Non debet fauere plus illis quam alijs in officio suo iustitiæ. Et manu tenere debet iurisdictionem Domini sui & suorum terminorum seu possessionum suarum absque irrationabili diminutione aut augmentatione, alioquin esset tyrannus, & per tyrannidē regnum de gente in gentem transfertur. Nota de Theopompo. Applicetur signum hoc ad propositum. Nota de fatuo qui dixit regi: Vos interfecistis, &c. Nota de Roboam. Nota de comparatione legum ad telas aranearum. Nota dictum Ciceronis & Platonis, qui vnam prętereierit, &c. Tertium signum,

eſt amare ſemetipſum & ſuos ad ſe, ſuoſque iuſtitiæ & rationi ſubdendos, quia charitas ordinata incipit à ſeipſa, ſic debet & iuſtitia, quia qui ſibi nequam eſt.i.iniuſtus, cui bonus? & qui domui ſuæ præeſſe neſcierit, &c. Declarat Ariſtoteles 8. & 9. Ethicorum quod homo iniuſtus ſe odio habet, & non diligit: Conformiter ad id quod dicit propheta: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Cauſa eſt, quia vult ſibijpſi maxima mala, ſcilicet mala peccati. Et ſubdit partem ſuam meliorem, videlicet rationem, peiori ſcilicet ſenſualitati. Applicemus hoc ad propoſitum, quod iudex malefactor velle debet vt iuſtitia fiat ſibi. Exemplum de duobus in Valerio. Nota qualiter deſiderandum eſt vt quis hic puniatur, & non in inferno aut purgatorio. Exemplum de Mauricio. Diligere igitur debet talis vt ſua proſequatur correctio, &c.

Vtinam eſſent multi Gerſoni ſimiles, qui potẽtibus huius ſeculi veritatem abſque adulatione nec dimidio dente, aut per riſum ſiue per faceciam ſed cum maturitate, conſtanter & intrepidè aperirent, ad iuſtitiamque & pacem (inter Chriſtianos præſertim) perſuaderent. Deſinerent fortaſſis aut minuerentur rapinę ſacrilegia, iniquitas & iniuſtitia, ſecuritas præſtaretur peregrinantibus, graſſatores vias publicas obſidere timerent & germania præcipuè à tam pudenda tandem infamia liberaretur, qua priſci & noſtræ ætatis ſcriptores latrocinijs eam plenam aſſeuerant. Iulius Cæſar meminit. Thomas Aquinas in prima ſecundæ recenſet. Franciſcus Petrarcha conqueritur, & qui hodie Germaniæ terras quaſdam peragrant, qui quotidie cum damno & mœrore experiuntur. Principes tanta latrocinia neſcire non poſſunt, & vtinam ipſi huiuſcemodi latrones ſub alis ſuis non fouerent. Eos inquam, qui aduenis, Romipetis, clero, ciuibus & præclaris imperij ciuitatibus paſſim inſidiantur, bella indigna mouent, ſub quorum titulo innocẽtes & chriſtianos viros inuadunt, iugulant, ſpoliant, manibus truncant atque trucidant. Tanquam poſt hanc breuem miſeriam non ſuperſit altera quædam perpetua vita, tanquam Deus iuſtus iudex non ſit eos pro tantis flagitijs perpetuò caſtigaturus, tanquam peccatum à Deo dimitteretur niſi ablatum reſtituatur. Vtinam hæc ſaltem Auguſtini verba in cordibus fixa eſſent & vera eſſe certò crederentur à quibuſdam equitibus qui & de nobilitate quadam ſua gloriantur, qui verè ſũt nobiles, ſi nobilitas eſt dira & inhumana deprædatio, furor, blaſphemia, humani ſanguinis effuſio, ciuium Druidum & eccleſiaſticorum ſecularium perſecutio, contemptus, odium, & depopulatio calamitoſa. Miſerandum eſt tales non cogitare ſe homines eſſe, natos, non lupos, aut tigrides, non viuere humaniter vt homines, non meminiſſe ſe eſſe Chriſti myſterijs initiatos, non habere eos in corde ſuo vllam legem ſaltem naturæ qua inclinarentur alteri non facere quod ſibi fieri nollent, non cogitare eos quoque quos ſpoliant & iugulant eſſe chriſtianos, Chriſti ſanguine redemptos. Non cogitare quod Turcarum imperator tanta latrocinia in terris ſuis nequaquam ſuſtineret. Non cogitare de morte, de ſalute, de iuſtitia Dei, de nouiſſimo iudicio, de

A ſententia irrefragabili, de ſempiternis ignibus & perpetuo cruciatu. Non ſaltem cogitare de ſua fama, de nomine, de probitate maiorum, de laude patriæ & de propria nobilitate. Non iudicare impium eſſe alteri per vim ſua rapere, cum ipſi quandoque furem qui vix duos aureos ſubtraxit in patibulum faciant affigi, cum flagitioſior ſit furto, rapina. Non timere ſaltem propriam conſcientiam quæ relatrare debuit, quam effugere non poſſunt, quæ valet mille teſtes, & ſi ſpoliati vel tacere cogantur, vel prędones illos obuoluto vultu

B non agnoſcant vnquam, tum ratio tum cõſcientia eos prodit. Luna videt & ſydera, teſtes intendunt oculos, vt eſt apud Satyricum. Et animus impurus dijs hominibusque infeſtus neque vigilijs neque quietibus ſedari poteſt, ita conſcientia mentem latronum indubiè vexat, aut ita cæcos reddit eos ſua vecordia, vt fidem, religionem, famam, æquum, honeſtum, omnem legem atque pudorem pro nihilo ducant, immo ipſum Deum iuſtum iudicem derideant, in maliſque & ſua crudelitate, latrociniòque ſtolidi perſiſtant, non

C ſecus ac ipſe dæmon, cuius ſunt famuli & ſatellites, cui parent, quem rapinis placant, à quo & poſt paucos dies in ignem inextinguibilem miſerrimè detrahentur.

Finis.

EXCELLENTISSIMI SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS IOANNIS *de Gerſon, apud diuam virginem Mariam Pariſijs Cancellarij, in Dominicam Paſsionem expoſitio, è Gallico in Latinum verſa.*

D *D Deũ vadit ideo pœnitemini.* Ad Deum ſiquidem vadit Dominus Ieſus per mortem amaram, cernẽs dulciſſimam matrem ſuam Mariam. Ea propter per veram pœnitẽtiam doloris eius habere debemus memoriã. Ita profectò eſt, quod tui doloris verè memoriam debemus habere ſemper ô benedicte Ieſu, qui es verus ac ſolus totius mundi Saluator.

E Meritò habere debemus Paſſionis tuæ memoriã; cum poſtea quam nos ſolo tuæ voluntatis verbo creaueras ex nihilo, voluiſti etiã nos per magnos labores, inſignéſq; angores, & dolorem recreare atq; reparare. Per tantũ inquã dolorem, quod in hoc mundo ei ſimilis repertus ſit nunquã. Et hæc quidem omnia perpeſſus es pro nobis, pro nobis dico ô deuote populus, pro nobis miſerrimis creaturis & contemptibilibus ſubditis. In nullo namq; deliquerat ipſe, qui ab infantia ſua pati in-

F cepit in miſeria, in dolore, in fletu, in fame, in ſiti, in frigore, in longinqua exteráq; Ægypti peregrinatione, in vigilijs, in tẽtationibus, in impiorũ exprobationibus, in perſecutionibus mortiferis. Verum hodierno die (qui maximę & amariſſimæ paſſionis eius dies fletus eſt miſeriarũ & luctuũ) vniuerſa cõpleta eſt atq; conſummata pœnitẽtia. Quoniam ad mortem vadit Dominus Ieſus per mortẽ amarã, cernẽs dulciſſimã matrẽ ſuã Mariã. O mater amœniſſima, iam iam mẽtis meæ oculus ſurſum erigo, & in veræ fidei lumine, euangeliorumq; libris cõtẽplor, nunc quidẽ in cõiecturæ vmbraculo & deuotæ contemplationis mecum

conſidero,

conſidero, qualis fuerit diſceſſus ille beatiſſimi filij tui Domini noſtri Ieſu, cum ad Deum per amaram properat mortem. In primis autẽ ſedula mente voluto, quo pacto heſterno die, die ſcilicet magno Iouis, properauerit de Bethania, vbi hoſpitio vna tecũ recipi ſolebat in ædibus Lazari, Marthæ, & Mariæ Magdalenæ, fecítque tunc vltimam ſuã in Hieruſalem peregrinationem in morte ſua duriſſima. Heu quam mœſtus fuit ille diſceſſus, quẽ his verbis affari poteras abeuntem: Vale vale fili chariſſime vnicum ſolatium meum, & ſpes vnica, nunquã poſthac hic te intueri potero? Conquerendo in hæc verba, aut forſan in ſilentio, in ſolis gemitibus, in ſuſpirijs, in ſingultibus, in cõplanctu mœſtiſſimo, quod dolor vehemens loquendi auferret facultatem. Tu ſpecioſa mater miſericordię (quemadmodũ religioſè poſſum concipere) tuũ cõplexabaris filiũ, ſpecioſum forma præ filijs hominum, mitiſſimum agnum & innocentiſſimum, abſque felle, abſque reluctantia omni ab occaſione euntem. Tametſi idem in Trinitate Deus eſſet, eum tamen cõplexabaris tenerrimè, & facie (vndequaque effluentibus lachrymis perfuſa) demiſſa deoſculabaris, nunc ſacris humeris eius, nunc pectori affixa. Tunc reſumpto vigore dicebas: Vale fili chariſſime. Heu fili mi, immò verò pater meus, Dominus meus, & glorioſiſſimus De⁹ meus, poteſtati tuæ omnia ſubiecta ſunt. Supplico humillimè ego deſolata genitrix tua, parua ancilla tua, quam tanto dignatus es proſequi amore & honore, tua ſola gratia, nec vllis meis præcedẽtibus meritis. Supplico inquam miſerearis matris illius, maneáſque vnà nobiſcum hic in Bethania, paſchalem hanc ſolemnitatem celebraturus, quo Iudæorum euadas furorem, qui conceperunt te velle morti tradere, & iampridem in templo te lapidare conabantur, nec hoc te latet. Vidi etiam & ego lapides (heu quanta cum animi conſternatione) quos manibus apprehẽderant, vt te eiſdem impetitum obruerant, niſi diuina tua potentia te ab eorum manibus eripuiſſes. Simili quoque modo & nunc ipſos aufugere poſſis. Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat, prorſus ad optimam diſpoſitionem tuam & beneplacitum. Vale, & ſi hic in primis mihi moleſtus ſit diſceſſus, & valde doloroſiſſimus. Neque re vera te relinquere potero vllo pacto, ſed te comitabor quocunque ieris, mẽque periculis tuis obijciam omnibus. O conceſſus deuotiſſime, ſi hic cuiquam pium cor adſit quod aliquando expertum ſit amorem, eum præſertim qui eſt matris ad filium, præſentis memor ſit doloris, cum ex Bethania in Hieroſolymam ad Deum properat per mortem amaram Ieſus intuens matrem pijſſimam. Verum quid etiam Chriſto dilectiſſima & verè pœnitens Magdalena, hæc videns & conſiderans dicere poterat? Quid ſoror eius Martha honoratiſſima & chariſſima Chriſti virgo, eiuſque hoſpita in primis benigna? Credendum piè eſt, omnes ſæpius vale dixiſſe Chriſto Domino ſuo & hoſpiti, omnibuſque Apoſtolis ac diſcipulis qui eum magna cum triſtitia concomitabantur qui etiam vale dicebant his qui in Bethania remanebant, non forſitan ſequentes Ieſum Chriſtum in Hieruſalem. Quamquam certum eſt, tunc vna cum eo aut paulò pòſt, Mariam

A virginem, diuam Magdalenam, aliosque cõplures petiſſe Hieruſalem. At noſcere vellem, quem gereres vultum ô Iuda proditor nefandiſſime, qui dominum tuum optimum & magiſtrum Ieſum Chriſtum prodere ſpoponderas. Quale erat cor tuum? qualis aſpectus? cum & videres & cognoſceres tam graues & amaras querimonias? O cor adamante & marmore durius, quod nec molleſcit, nec infringitur tam affectuoſa dilectione, támque luctuoſa compaſſione. O cor hominis inhumaniſſimum. O cor leonis corde elatius, beſtialius crudeliuſque, cum nec flecti potuerit, nec
B placari vlla dulcedine. Quibuſnam oculis (ô ſceleſtiſſime Iuda proditor) cernere poteras cœtum omnem? Quomodo apparere audebas, aut te oſtendere, qui tantæ proditionis & conſenſum & cauſam præbebas, quod eius ſimilis fuerit nũquam? Audebas ne intueri ac ſalutare optimam tuam fidiſſimam & benigniſſimam magiſtram? quæ tantopere tecum amabat, tum venerabatur, & nonnunquam manſueto tibi famulabatur obſequio. Dic inquam Iuda, audebas ne eum
C intueri? Erat ne tanta tibi audacia vt ei vale diceres, cum tibi compertum eſſet, quod ſpeciali proditione tua, filij ſui amiſſura erat conſpectum? Ipſa namque amittebat ſuam vitam, ſuum ſolatium, & ſuam conſolationem. Tu verò horum omniũ malorum miniſter eras & procurator. O execrandam auaritiam, quæ taliter cor tuum reddidit obſtinatum, obcæcatum, & abſque verecundia, in tantam adegit ſacrilegium flagitij huius nefandi deteſtandique. Eras profectò Iuda po-
D tius cõmendandus diabolo, cuius malitia abundabas quam Deo. Tametſi pijſſima miſericordiæ mater nunquam erga te dignis vſa ſit opprobrijs, quemadmodum benignè te (quemadmodum & cæteros) ſalutabat. Sic etiam fecit Maria Magdalena quemadmodum religioſè abſque ſtulta aſſertione credi poteſt. Et quoniam forſan ſentiebat te Iudam principum Iudæorum vti conſuetudine, te rogabat ſuauiſſimè, vt Iudæos pacare velles, eſſéque pacis mediator. Iniquus profectò mediator & arbiter. Ignoras ô Ma-
E ria Magdalena, quo nam pacto ſeſe res habeant. Hunc enim affaris, qui totius mali & incommodi author eſt. Non ſatis nouiſti, quomodo huius rei occaſionem dederis per charum & precioſum vnguentum, quod ſupra Ieſu corpus effudiſti. Quod ſi hoc reſciſſes, hanc inſtigationem, & hanc Iudæ auaritiam, non modò vniuerſum patrimonium, verum & tunicas venum expoſuiſſes, priuſquam ei non integrè ſatisfeciſſes. At talis fuit diuina conſtitutio, quod te
F hoc latuerit, voluit enim quod ſuæ paſſionis myſterium ſic perficeretur. Sic igitur vadit Dominus Ieſus per mortem amaram, cernens dulciſſimam matrem ſuam Mariam. Ea propter per veram pœnitentiam, doloris eius habere debemus memoriam. Præcedebat pijſſimus Ieſus in via à Bethania ad Hieroſolymam, tanquam fortis & ſtrenuus princeps ad præliandum contra inimicũ & omnes eius miniſtros. Diſcipuli autem ſequebãtur modò cogitabundi, modò colloquentes, & Iudæorum malignitatẽ exprobrãtes, & Ieſu Chriſti magiſtri ſui conſtantiã atque fortitudinẽ commemorantes. Ipſe quoque Iudas cum eis, erat qui

forſan vt ſuam occultaret proditionem, audacius & acrius contra Iudæorum loquebatur malitiam, & pro magiſtri ſui commendatione, quemadmodum non erubuit in cœna dominum rogare, an ne ipſe eſſet qui eum eſſet proditurus. Veſperi cũ in cœna paſchalis Agnus manducandus eſſet, in magno quodam cœnaculo, quemadmodum duo ex Apoſtolis parauerant, per ſignum eiſdem à Ieſu traditum. Ite inquit, in ciuitatem ad quendam, & dicite &c. & illic parate cœnam. Quæ parata eſt tanquam in menſa rotunda, deinde loti fuerunt pedes Apoſtolorum, & demũ ſanctum altaris inſtituit ſacramentum. Tunc prædixit Ieſus in Iudę præſentia paſſionem ſuam futuram. Cui tamẽ precioſiſſimum corpus ſuum, ſicut & cæteris diſcipulis dedit manducandum, eumque iuxta vulgariorem doctorũ ſententiam in preſbyterũ conſecrauit. Deinde dixit ei Ieſus: Quod facis fac citius. At ille mox egreſſus eſt. Tunc Dominus ſe clarificatũ dixit, fecitque magnum ad reſiduos Apoſtolos ſermonem, eos præcipuè exhortans ad amorem, dilectionem & mutuã vnionem, deinde orauit pro eis. Et hymno dicto exierunt, erátque hora noctis fere decima. Tunc appropinquabat Ieſus morti ſuæ amaræ, abſque benedicta ſua matre, quæ erat (quemadmodum æſtimari poteſt & cogitari) cum alijs ſanctis fœminis in aliquo hoſpitio, cuius inhabitantes Mariæ Magdalenæ, aut ſancto Ioanni Euangeliſtæ, aut alicui alteri noti erant. Nec (vt reor) dormiebat. Cura enim & anxietas doloroſæ paſſionis filij ſui, quam & expectabat & ſciebat, eam ad vigilandum compellebant, & deuotè orandum iuxta exemplum filij ſui, quemadmodum paulò poſt dicemus. Nec pariformiter ſomnolenti eſſe debemus, audiendo de talibus verba fieri, immò potius per pœnitentiam, illius doloris habere memoriam. Omiſſis igitur omnibus hucuſque tam in cœna quã antea factis, incipiam benedictæ paſſionis hiſtoriã, illic vbi Eccleſia ſancta eam incipit hodie: Complectárque ſimul quatuor Euangeliſtarũ ſenſum, non nimium prolixis inſiſtendo allegationibus, narrationibus, hiſtorijs impertinentibus, aut dubijs & quæſtionibus, quæ fieri poſſent. Sed enitar præcipuè ad eleuanda corda noſtra ad deuotionẽ & ad huius amariſſimæ paſſionis condolentiam. Et accipiam ſemper ſimul ipſius textus portiunculam, vt cognoſcatis quid Euangelium comprehendat, & neceſſariò credendum ſit, & quid ſolum per religioſam cogitationem, cõſiderationem & memorationem dictũ ſit, quod veriſimiliter fieri poterat aut dici abſque quocunque erroris aut ſtultæ aſſertionis periculo, quemadmodum prius feci, ſanctorum doctorum exẽplo. Et diducam textum in quatuor & viginti partes, ſecundum quod dici horæ quatuor ſunt & viginti. Et erunt in nocte duodecim pro ſermone, & duodecim pro collatione. Nec recenſebo hiſtoriam Iudæ Pilati, crucis, triginta nummorum, boni latronis, Herodis, & ſimilium rerum quæ aut incertæ ſunt, aut paruæ commoditatis. Verum primum humiliemus nos coram Deo, poſtulemúſque ſuam gratiã, dicentes ſanctæ Eccleſiæ orationem: Reſpice quæſumus Domine ſuper familiam tuã, pro qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus non dubitauit, manibus tradi nocentum, & crucis ſubire tormentum. Dáque nobis vt fructuosè loqui valeamus, & audire ad cõmouenda corda noſtra ad pœnitentiã & huius mortis condignam reminiſcentiam.

TEXTVS PRIMVS.

EGRESSVS eſt itaque Ieſus cum diſcipulis ſuis in villam quandam Getſemani dictam, trans torrentem Cedron, vbi erat hortus in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum locum, quia frequenter conuenerat Ieſus cum diſcipulis ſuis. Cúmque illuc perueniſſet Ieſus dixit illis. Sedete hac & orate, vt non intretis in tentationem, donec vadam illuc & orem. Et aſſumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, ſuſtinete hic & vigilate mecum. Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam, orans & dicens: Pater mi, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte, id eſt, hæc paſsio: verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dixit eis: Cur dormitis? Non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate vt non intretis in tentationem, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.

EXPOSITIO.

QVID hic dicemus ô dulciſſime Ieſu: ô pijſſime pater quid hic dicemus? cum intueamur & audiamus ad nos redimendos, ſaluandos, & ad perpetuum gaudium perducẽdos (niſi nos obſtaculum poſuerimus) te tantas ſuſtinere pœnas, tantam triſtitiam & tantam ad mortem vſque mœſtitiam. Nos ſumus Domine hi qui peccamus & delinquimus, neque in te eſt culpa vlla, nos pœnam accipere debemus. O ingratum & peruerſum cor humanæ creaturæ, ſi hunc dolorem contempſerit, & eius memor nõ fuerit. Videor videre tamen quorundam ingratitudinẽ aut ignorantiam, quæ in hæc argumentetur verba: Ieſum Chriſtum ſcilicet Deum fuiſſe, nec ipſum ſuſtinuiſſe vllam pœnam aut affligentem dolorem, quapropter non opus eſt (vt eis videtur) nos dolorem habere aut compaſſionem. Sed hoc eſt ſtultum, videte. Aſſentior equidem Deum ſecundum diuinam naturam immortalem & impaſſibilem, ſed erat cum hoc tunc homo paſſibilis, & tunc ſimiliter dolorem ſuſtinebat, & multo maiorem quam aliorum hominum aliquis, quamuis hoc non neceſſitate, ſed ſua voluntate. Et eò amplius debemus eius eſſe memores, & agere gratias Deo, noſque accuſare, quod occaſio fuerimus tantæ benignitatis hominem, tam mitem, tantæ dignitatis & maieſtatis ſuſtinuiſſe pro nobis amaram vſque ad mortem paſſionem, & id quidẽ ſponte propria. Exemplum. Dominus tuus te peſſimũ videbit proditorem, quique per proditionem tuam & læſæ maieſtatis crimen mortis ſis obnoxius, & vniuerſa progenies ab hæreditate excluſa. Rex tamen adeò iuſtus fuerit, quod nec vllo pacto crimen tuum dimittere velit impunitum, altera verò ex parte tam benignus & miſericors, quod propriũ filium ſuũ innocentẽ doloribus cõmittet, anguſtijs & morti, & id quidẽ ſponte ſua, vt iuſtitiam concordet cum miſericordia & pa-

& pace, fiátque criminis emendatio. Dic quæſo mihi, erit ne tam obſtinatum cor tibi & tam peruerſum, vt nullo pacto miſerearis innocentis illius filij, qui tantis doloribus vt peccatum tuum reparet afficietur, vt tua morte libereris & eleueris? Non dices (vt opinor) te vſque adeo bonorum tàlis filij obliuioſum eſſe & ingratitudine plenũ. Dic ergo mihi, quis puer cuiuſcunque mortalis principis dignior, quis nobilior, quam ſit benedicta Domini noſtri Ieſu Chriſti anima? quæ pro te ſuſtinuit quæcunque prædixi & dicturus ſum, quæ (vt audio) triſtis eſt & mœſta etiam vſque ad mortẽ. Sed rogabis forſitan, ad quid Ieſu Chriſto afflictio & dolor tuus conducat? Ex hoc inquies, non erit hilarior. Reſponde iuxta prædictum exemplum mihi, ſi etiam nihil regio filio, qui ita pro te pateretur & tui cauſa prodeſſe poſſes, poſſesne memor eſſe doloris ſui abſque triſtitia atque afflictione? Reor quod non, cum naturaliter ſit habenda compaſſio de quocunque homine innocente, quem quis mori aut crudelibus affici tormentis videt. At replicabis, ſic optimè, inquis argumentaris. Si Ieſus Dominus ſolum vt me ſaluaret mortuus eſſet, ſed hoc nequaquam eſt, cũ pro vniuerſo humano genere mortuus ſit, & pro omnibus hominibus, præſentibus, futuris & præteritis. Repelle a corde tuo hanc ingratitudinem, auaritiam ac ignorantiam. Nam te manifeſtè perducam oſtendámque te amplius pio Ieſu & eius paſſioni te eſſe obnoxium, quam ſi omnia pertuliſſet ad te ſolum ſaluandum & redimendum. Nam te tam integrè redemit, ac ſi pro nullo prorſus abs te paſſus fuiſſet. Poſteaquã verò tam perfecte tibi benefecit & ſufficienter. Velles ne quod nulli alteri hominum ſimile bonum contuliſſet, ſiue patri tuo, ſiue matri aut alicui cognationis tuæ? Nunquam eſſes tanto rancore repletus, tam inuidus, aut tam auarus quod hoc velles. Cognoſcis igitur te obligatũ eſſe etiã cum eo bono quod tibi accidit ex Ieſu cõpaſſione, pro redemptione parentũ aliorúmque amicorum, & amplius quã ſi ſolus redemptus fuiſſes per precioſam Ieſu Chriſti mortem. Hinc clarè liquet Deo deditì auditores, quo pacto omnes & ſinguli debemus optimè per pœnitentiam huius doloris habere memoriã. Si Dominus Ieſus voluntariè ſibi pœnitentiam dedit, pœnam & fatigationem, multo fortius nos talia aſſumere debemus & pati, ad ſatisfaciendum pro noſtris delictis & iuſtitia placanda. Nunquam enim Deus malum impunitum permitteret, ea propter omnia peccata & delicta noſtra Ieſu Chriſto ſuppoſuit. Ideo ipſe eſt iuſtitia & redemptio noſtra teſte Apoſtolo. Modo nos iunxerimus ei, & per fidem gratiámque eidem adhæſerimus, mandata eius adimplendo, & quod ad nos ſpectat perficiendo, eius ſequendo exemplum, & quod nos reſtãs perficere nequiuerimus, ipſe perficiet, exſoluet & complebit. Conſidero inſuper benignum Ieſum dolori ſuo & triſtitiæ coniunxiſſe orationem. In qua nonnullas ſumo conſiderationes.

Prima conſideratio.

Expedit & neceſſarium eſt in quacunque tribulatione & aduerſitate ad Deum recurrere, qui eſt protector & auxiliator noſter quando expedit & neceſſe eſt, hoc eſt in tribulatione. Ipſe enim ſemper adeſt tribulatis, modò eum dignentur aduocare, aut niſi eum expulerint per aſperrimum impatientiæ & murmurationis baculum. Nec vult Deus fieri orationes vt doceatur, ſed quia tali medio vult nos ei ſeruire corde & ore, vt conſequamur gloriam ſuam, & pro commodo noſtro. Quemadmodũ rex aliquis honore afficit ex ſuis militibus aliquem probando eum in ſtrenuis belli actionibus tametſi abſque tali labore ipſum honorare poſſet. Eſt etiam vnus honorandi modus quo nos honorat, cum patitur nos ipſum rogare, cumque tali fiducia & familiaritate in noſtris alloqui orationibus. Hic namque eſt finis noſter & perfectio noſtra. Et eſt intelligenda hæc conſideratio de quauis aduerſitate, non corporali modo, verum potius ſpiritualiter, ſicut in tentatione luxuriæ, iræ aut auaritiæ, quoniam tunc eſt oratio neceſſaria magis.

Secunda conſideratio.

Expedit orantem eligere locum ſecretũ ab omni turba modò hoc aptè ac conſultè fieri poſſit. Poterat Ieſus proculdubio non minus deuotè orare cum diſcipulis quam ſolus, ſed diſcipulos reliquit. Formam orandi oſtendẽs & modum. Nobis præcipuè qui facillimè, aut aliorum hominum multitudine aut ſocietate in oratione præpedimur. Sunt præterea alia non contemnenda hic myſteria, cur Ieſus exierit ciuitatem, torrentem tranſierit, & cur exierit clamorem vel tumultum populi, & captus fuerit in horto. Verum hæc omitto.

Tertia conſideratio.

Quamquã in ſecretis orationibus quilibet quoad corpus eligere poteſt cõuenientiorem ſibi modum orandi, cogitationem recolligendo ad vnitatem & ſimplicitatem, eſt tamen vtile nonnunquam aſſumere formam & modũ Ieſu hic deſcriptum, qui ſe miſit in genua, & faciem inclinauit ad terrã, in totius reuerentiæ & humilitatis ſignũ. Hic modus potius locum habet in magna tribulatione, quando nullũ relictum eſt conſilium, quam vniuerſum negotium Deo cõmittere, ſeq; memorem facere propriæ impotentiæ, defectus & miſeriæ. Dixi in ſecretis orationib⁹, quoniã in publicis debet quis ſe conformare alijs & vſui conſueto.

Quarta conſideratio.

Secundum myſticum & moralẽ ſenſum, in orationibus noſtris hos tres diſcipulos nobis debem⁹ aſciſcere. Petrum ſcilicet Iacobum & Ioannem. Per quos tres virtutes innuuntur, firmæ fidei cognitio per Petrum contra tentationes, fortitudo per Iacobum, & diuina gratia per Ioannem.

Quinta conſideratio.

In omnibus orationibus noſtris ſubmittenda eſt voluntas noſtra diuinæ. Ipſe enim nouit quo opus ſit nobis. Et rationabile etiam eſt vt nõ noſtra, ſed ſua fiat voluntas. In ſignum cuius Ieſus Dominus ſe gerens per ſenſualitatem aduocatum, omnem inclinationem & ſenſualitatis velle Deo ſubijciebat & rationi. Quemadmodum patet in vulnerato, quem præcipiant medici incidi qui rogabit ſi fieri poſſit, vt abſque tanto dolore ſanetur, non tamen mea inquit, ſed chyrurgicorũ fiat voluntas, quoniam hi melius norunt quid expediat quam ægrotans.

Sexta conſideratio.

Membrorum fragilitas ſiue in religione ſiue extra eam, benignè & clementer toleranda eſt, quæ adhortari debet potius, quam nimium aſperè puniri aut condemnari. Huius meminit textus noſter, qui recenſet quo pacto dormientes diſcipulos Ieſus benigniſſimè excitabat & exhortatur. Oremus igitur ſecundum textum & dicamus: Verè totius mundi Redemptor Ieſu Chriſte, taliter dura corda noſtra ad dolendum & compatiendum commouere digneris, vt dignè orare valeamus abſque ſomno peccati mortalis, per continuam pœnitentiam tui doloris habere veram memoriam.

TEXTVS SECVNDVS.

ITERVM *ſecundò abijt Ieſus & orauit. Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix transſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Et cum ſurrexiſſet ab oratione & venit ad diſcipulos, inuenit eos dormientes ob triſtitiam, quoniam oculi eorum erant grauati, neque ſciebant quid reſponderent ei. Et relictis illis iterum abijt, & orauit tertiò eundem ſermonem, tunc venit ad diſcipulos ſuos & dicit illis: Dormite iam & requieſcite, ecce appropinquabit hora, filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus, ecce appropinquat qui me tradet.*

EXPOSITIO.

INCERTVS ſum profectò quidnam facturi ſumus quidue futurum ſit de nobis, & quid poſtulaturi ſimus, cum euangelicam audio hiſtoriam recitantem quo pacto Ieſus innocens, mortis vitæque Dominus ſanguinem ſudauerit ob imminentis mortis conſiderationem quam ſecundũ ſenſualitatem tantopere formidabat, & præſertim ſecundò, cum poſitus fuit in agonia & in ſignum mortis. Quid igitur nos reliqui miſerrimi peccatores agemus? quis finis noſter quo tandẽ perueniemus? Fuit autem hoc certamen, eò quod ratio viuaciter & clarè, ineuitabilitérque ſenſualitati mortẽ oſtendebat amariſſimam, quam paulò pòſt erat paſſura, voluitq; ratio ſenſualitatem eam ſuſtinere mortẽ, ad obediendum Deo, abſque fuga cogitanda, & abſque quocunque medio excogitando. Et aduerſo verò ſenſualitas percipiens hãc mortẽ, præſentiebat omnia futura ac ſi eſſent præſentia, ideo in maiorem modum reluctabatur tali morti, cum nullum videret effugium, neq; euadẽdi poteſtatem vllam. Ideo expediebat eam tanquam rationis ancillam, eique ſubiectam, obtẽperare illi quod ratio iuberet. Cumque ratio illa vellet ſicut De⁹, obediebat ſenſualitas, & huic ſe ſubmittebat pœnæ. Videtis igitur quale illic fuerit certamen & duellum. Exemplum de chyrurgico & ægroto, qui inuitus obediret, obediret tamen conſtanter. Et inſuper facile creditu, quod cum ratio cognoſceret ſenſualitatem eidem hoc pacto eſſe obediẽtem, ſuſcepit ex hoc in Deo ſingulare gaudium & naturalem feruorem atque vigorem, per quem totus ſenſualitatis ſanguis fuit

A commotus, & proceſſit ſanguinis ſudor. Licet potius miraculoſus eſſet quam naturalis, cum verus ſanguis eſſet & tam abundans vt etiam decurreret in terram. O vere totius mundi pater & Saluator, ſi agonia mortis cum tibi præſentaretur & appropinquaret, tantam tibi ſecundum humanitatem iniecit triſtitiam, fecítque prolixius orare, qui indubitatò gloriam eras intraturus, quid mirum ſi pauper ego & miſerabilis peccator, qui neſcio quo poſt mortem deuenturus ſum, nec quam

B ſumpturus ſim viam, an eam quæ ad ſaluationem ſit, an eam quæ ad perpetuam damnationẽ, quid mirum inquam eſt ſi tremo & tremiſco, cũ eius habeo memoriam? Sed quid mirum ſi ſanguinem ſudo ex omni eo quod in me eſt, ob inſignem timorem, pauorem & mortis horrorem quotiens aut nominatur, aut eius mihi memoria in mentem venit? Parce tamen mihi Domine ob miſerabilem cordis mei duritiæ, quæ iſta renititur ſufficienter penſitare, ſed potius ridet, iocatur & vilipendit etiam in huius mortis memoriam, niſi

C forſan cum iam eam ſentiat, & ipſum pungat, atque iam conſtringat. Heu ſtultum cor & furioſum cur non ſcinderis? aut ad ſolum ſonum huius mortis frangeris? cur ſaltem te non diſponis oratione prolixa & deuota, Dei tui & Saluatoris exemplo, qui in tanta propter te eſt anguſtia, orátque pro te prolixius? Si aliorum te non miſeret, habe ſaltem de te ipſo miſericordiam & compaſſionem. Plora ob ventura tibi, nec ſcis quando aut qualiter ventura ſunt, vnicum tibi

D reſiduum & refugium Ieſus Chriſtus, qui talia pro te pati non recuſat. Si tam grande de morte certamen Ieſu Chriſti fuerit, cogita quæſo quale in te erit, inter corpus & animam, inter animam tuam & inimicos, qui te vndequaque circundabunt. Ora etiam ſæpius ad Saluatoris Ieſu Chriſti exemplum, diſcéque bene mori, & omni hora per pœnitentiam huius doloris habe memoriam.

Adhuc ex textu præcedenti.

E SED dicit textus Ieſum etiam tertiò iuiſſe adorandum. Conſiderate deuotiſſimi, ſi vnquam tribulati hominis percepiſtis effigiem. Conſiſiderate inquam dulciſſimum & benigniſſimum Ieſum humillimè ad orationem euntem & redeuntem. Eundem etiã humanè & benignè diſcipulos confortantẽ & conſolantem eos, habentémque de eorum triſtitia compaſſionẽ ob quam naturali quoq; ratione ſomnolẽtiores magis grauati, & ad dormiendũ proniores erant. Quamquã

F eſt dãnanda corruptæ noſtræ fragilitatis cõſuetudo, nos ad mala quã ad bona potentiores eſſe, exẽplo Iudę & furis vigilantis, vt furetur & interimat cum nos dormitamus, qui bene agere debemus, & cuſtodiam noſtri habere. Ieſus dedit diſcipulis dormiendi & requieſcendi facultatem, ſed haud diu durantem. Bonus paſtor Ieſus Chriſtus vigilans præſentiebat Iudam appropinquantem qui eum traderet, ideo dixit: Sufficit, ſurgite eamus hinc. Hoc reuera duriſſimum ire eſt, ad Deum vadit per mortem amaram Ieſus, cernens dulciſſimã matrem ſuam Mariã. O mitiſſima, vbi nũc eras? quid operabaris? Si falſiſſimus prodi-

proditor Iudas tam diligenter ad perdendum benedictum filium tuum vigilabat, non credibile est quin amor tuus magis te excitauerit ad cogitandum de eo, quam Iudæ malalitia eundem excitauerit contra Ieſum. Nonne religiosè cogitari poteſt, Angelum te Mariam illa hora confortaſſe, quemadmodum hic dicit Euangelium, angelum tuum de cœlis confortaſſe filium. Si cœleſtis angelus tam benignus erat & miſericors vt Ieſu confortaret ſenſualitatem, tametſi opus non eſſet, cũ diuinitas ſufficeret ad dandam talem conſolationem qualis ad eum pertinebat, veriſimile eſt te dominam, quæ potiori conſolatione indigebas & confortatione, non (quin conſolationem reciperes à bono qui te cuſtodiebat angelo & amabat) ſolam remanſiſſe, aut ſaltem ab aliquibus alijs angelis, cum eis eſſes familiariſſima, cum ratione puriſſimæ tuæ virginitatis, quæ angelis dicata eſt, tum ratione Dei cui ipſi ſubiecti ſunt & cuius tu es mater, tum etiam quia eorum officium eſt & proprietas, conſolari deſolatos in eorum tribulationibus & confortare. Ad quod inſinuandum commemorat Euangelium Ieſum fuiſſe confortatum, ſicut & prius ei officiũ impenſum fuerat, & honor in deſerto, tunc ſicut victori Deo, nũc ſicut homini pauido, pauido inquam quoad ſenſualitatem. Gratiæ igitur vobis ſint ô angelici ſpiritus paradiſi, gratiæ vobis ſint de tanto ardore & diligentia quam de nobis habetis & de noſtra ſalute, quamuis nimium remiſsè cognoſcamus ſæpenumero, cum præſentibus vobis & ſuadentibus contrarium agamus. Non verecundamur pudenda ac abominanda perpetrare peccata & facinora, quæ nec faceremus nec facimus vllo pacto in alicuius hominis præſentia, qui tamen nullo pacto veſtræ nobilitati & dignitati venit conferendus. Nimius eſt hic error noſter erga vos, ingratitudine plenus, quod non vbiuis locorum, etiam quantumcunque ſecretorum & occultorum, nos non vobis debitum exhibemus honorẽ & reuerentiam. Adhuc ad hanc cogitationem oculos eleuo, & te rogo inuictiſſime princeps Gabriel, qui nobis bonum attuliſti noſtræ redemptionis nuntium & hanc virginem intactam in hæc verba ſalutaſti: Aue Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu &c. eámque diligentiſſimè confortaſti, cum primum in ea exiguam notaſſes tribulationem, cum cogitaſſet qualis eſſet tua ſalutatio. Te inquam rogo (& mihi veniã des de hac audacia) quoniam deuotio ad eam me impellit, cum hac nocte ſcires virginem illam eſſe in tanta triſtitia, in tribulatione multo maiori quam tunc, & hoc facillimè cognoſcere poteras, deſcendebas ne ad Mariam vt eam confortares? Potuiſſet ne reuerentia tua & charitas eius auellere tribulationem viſitatione ſecreta in hora grauiſſimæ viſitationis ſuæ, ſecundum quod viſitaueras eam, cum ſummo honore, gaudio & iubilatione quando dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et abſque dilatatione ad hunc conſenſum puella illa quæ erat deſpecta, ſpreta & miſera, quæ ad ſuam reputationẽ fuit diuinitus obumbrata & tam ſublimiter eleuata, quod mater vera eſt dominique & principis angelorum. Apparet mihi abſque præiudicio, credi poſſe teipſam Gabrielem viſitaſſe, dicendo: Ne timeas Maria, & incœpiſſe recenſere fructum ex hac paſſione proceſſurũ gloriam & gaudiũ, quod poſt Ieſu Chriſti reſurrectionẽ eſſet viſura. Nec id dixerim chariſſimi, tanquam Maria totius myſterij fuerit ignara, quod melius callebat etiam ipſo Angelo, ob eam quam habuerat experientiã. Sed quoniam ita accidit, quod amicorum colloquium in qualibet aduerſitate eſt ſolatium. Tametſi nil noui narretur aut prius ſcitum ſcit, immò ſola præſentia delectabilis eſt. Et cum benedictus eius filius tum cum ea corporaliter eſſet minimè, erat tamen ſecundum diuinitatem & gratiam, rationabile erat vt eã angeli aut viſibiliter aut per ſpeciale motiuum aſſociarent, præcipuè autem Gabriel & proprius Mariæ Angelus. Siſtamus hic, & iuxta præcedentem textũ oremus. Ieſu vltima ſpes noſtra & vnicum ſolatiũ, digneris per te tuoſque bonos angelos in omnibus tribulationibus afflictionibuſque nos confortare, præcipuè in poſtrema neceſſitate noſtra, in tremendo mortis certamine, vt habeamus per verã pœnitentiam tui doloris, tui ſudoris ſanguinei, & orationis memoriam. Amen.

TEXTVS TERTIVS.

ADhvc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs & fuſtibus, miſsi à principibus ſacerdotum & ſenioribus populi. Qui autem tradebat eum dedit illis ſignum dicens: Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum & ducite cautè. Et cum veniſſet, ſtatim accedens eum ait: Aue Rabbi. Et appropinquauit ad Ieſum, vt oſcularetur. Ieſus dixit autem Iuda, oſculo filium hominis tradis: Amice ad quid veniſti? Et oſculatus eſt eum. Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſsit, dixitque eis. Quem quæritis? Reſponderunt: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus: Ego ſum. Stabat autem Iudas qui tradebat eum cum ipſis. Vt ergo dixit eis: Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iterum interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis quia ego ſum, ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire, vt impleretur ſermo quem dixit: Quia quos dediſti mihi pater, non perdidi ex eis quemquam. Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum.

EXPOSITIO.

VBi nam incipiam? quid approbabo? quid magis demirabor? an deteſtandã Iudæ iniquitatem, qui oſculo magiſtrũ prodit? an inæſtimabilẽ Ieſu miſericordiam, qui eũ recepit & amicũ nominat? An nefandiſſimorum & furioſorũ Iudæorũ obſtinationẽ, Ieſum captiuantiũ? cũ ad tantũ ſignũ nõ aufugerũt, aut eũ adorauerunt. An eã quã Ieſus habuit potentiam, ſic eos confundendi? qui tamen ſe hoc pacto capi permiſit, & iniurioſè teneri, ligari, duriſſiméque & inhumaniſſimè abduci, quod etiã debiles illos & imponẽtes latrũculos orauerit: Sinite hos abire, loquens de ſuis Apoſtolis. O vere vniuerſi mundi Saluator & Deus

omnipotens, potes ne aliter tuos ſeruare Apoſtolos à perditiſſimorum carnificum manibus, niſi eos rogando ipſos abire ſinant? Eſt reuera verũ, omnia quæ feciſti, præcipuè facta eſſe, vt elatam noſtram & ſtultam humanæ mentis præſumptionem confunderes. Si namque tam inſignis tu magiſter & Dominus, in omni ſemper humilitate fueris ſubditus, multo irrationabilius & ſubiectos nos & nullius vtilitatis ſeruos, in omnibus tenere velle authoritatem, & de illatis nobis omnibus iniurijs, inhumanam & rigoroſam (omni pietate & compaſſione poſthabita) expetere vindictam. Quodque peius eſt, quoniã Ieſu humilitate abutimur atque dolore. Nec enim emendamur, nec ad eum pro impetrãda venia cum bona ſpe recurrimus, immò permanemus in malo ſemper obſtinati, nec à vitijs deſiſtimus, nec criminoſos delinquimus conatus. Compertum quoque hoc in Iuda habemus, qui ob tam magnum miſericordiæ & amicitiæ ſignum, nunquã cor ſuum, adamante durius) mitigauit, verũ proditoriũ ſuum auſum ad finem vſque cõtinuauit. Horrendum profectò eſt etiam, ſolũ meditari talem hominis miſeriã. Quomodo conſilia iudiciáque Dei terribilia ſunt, incomprehenſibilia, immò & abyſſus multa? Nemo enim conuertere poteſt eũ quem Deus ob iniquitates ſuas (vt dicit Eccleſiaſtes) reprobauit. Quis noſtrũ peccator, qui non ſimilem timere debeat miſeriam? Nullus enim eſt quin reprobationem metuerit, ſecundũ ſaltem iuſtitiæ rigorem. Exprobramus & deteſtamur Iudæ peccatũ, nec immeritò quidem. Nihilominus tamẽ quaſi ſingulis diebus ſimilia peccata, qualia Iudas perpetrauit, hoc vel illo modo cõmittimus. Iudas auarus fuit, quot ſunt huiuſmodi in mundo? Iudas ob auaritiam magiſtrum ſuum vendidit & dominum quoad humanitatem & ob auaritiam, aut alio minori peccato, quotidie nos Chriſtum ſecundum diuinitatem vendimus, ipſum negamus & prodimus. Iudas eleemoſynas & bona pauperum furabatur, vt vxori ſuæ daret & filijs. Quæro à vobis, ſi nõnulli eccleſiaſtici, aut aliqui teſtamentorum executores, non ſic faciant, aut peiora. Iudas noluit Ieſu Chriſti prædicatione cõuerti. Quod audimus quotidie tam publicas quã priuatas prædicationes, nec tamen in vllo emendamur. Iudas recepit præcioſum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſtatu peccati mortalis in peruerſo propoſito, ea propter inimicus citius corpus eius intrabat. In feſto Paſchæ, quæſo, & inter preſbyteros quotidie poſſunt ne aliqui tales reperiri? Iudas prodidit magiſtrum ſuum & dominum oſculando, quod ſignum eſſe debuit amoris. Peto à vobis, oſculando pacis ſignũ in Eccleſia, aut ſanctum altaris ſacramentum, aut fingendo exteriorem bonitatem, prodimus ne Chriſtum in ſuis membris, per odium, aut inuidiam, quemadmodum oſculando Iudas tradidit Chriſtũ Ieſum his qui poſtea eum crucifixerunt. Quod forſitan fuit eo inuito, & abſque eius intentione, nõ enim opinabatur rem eouſque progreſſuram, ſicut innuit euãgelij textus. Deinde crucifigimus eũ quotidie per crimen mortale. Crede non mihi, ſed Apoſtolo dicenti, quod per mala opera rurſum filius Dei crucifigitur. quod ideo eſt, quia quantũ eſt ex parte peccati, ipſum obligat Chriſtũ denuo mortem

A pati & paſſionem, ad peccatũ illud abolendũ, niſi paſſio ipſa ſemel ſufficiẽs fuiſſet ad deletionẽ omnium peccatorũ præſentium, futurorũ & præteritorũ. Qui igitur multis modis Iudæ aſſimulamur, cur non metuimus ne ei fiamus in pœna & obſtinatione ſimiles. Videtis ſigna in varijs modis. Igitur dolendũ eſt, quod nec admonitione, nec comminatione per aduerſitatem, per tribulationẽ aut dulcedinem, per quã Deus mittit proſperitatẽ, homines volunt ſeſe conuertere, & vitam emendare. Deus tibi comminatur, quotiens mittit tibi tribulationẽ, te oſculatur & dulciter admonet per proſperitatem, quapropter nulla tibi relicta eſt excuſatio, quin niſi mala operari ceſſaueris, veluti Iudas, damneris. Non inquies ſimile eſt de me & Iuda. Iudas enim magiſtri ſui intuebatur præſentiam, ſuáque cernebat miracula, ego verò non. O homo qui hoc dicis, quomodo ſcis Iudam Ieſu Chriſti intuitum fuiſſe miracula? Reſpondebis mihi per Euangelia. Credis ergo euangelijs affirmantibus huiuſmodi Chriſti miracula quæ Iudas viderat? & adhuc multo maiora. Nullã excuſationem habes, quin tantum honorem & obedientiã Chriſto Ieſu tribuas, aut maiorem quam tribuerit Iudas. Habes namque & debes habere maius de ſua reſurrectione teſtimonium, & mille millium martyrum atque miraculorum, quæ poſtmodum hanc fidem confirmauerunt. Si non credis miracula facta eſſe? Iudas ergo ea non vidit, non ergo magis eũ accuſare debes quã te qui te ideo excuſas, quod nulla videris miracula. Hoc ſimiliter conducit facto paruorum militum, mitem Ieſum capientium & durè ligantium, quamuis manifeſtè ſuam experti fuiſſent potentiã, in eo quod ad vnũ ſolum verbũ oris eius ceciderunt retrorſum. Suã etiam nouerant benignitatem, eò quod ipſos eſt paſſus reſurgere. Tenemus enim & credimus, ſicut tunc ſufficiebat, quod Ieſus eſt Dei filius & verus homo, nunc qui eſt in gloria. Iſti nullũ horũ credebant. Nec hoc dico ad excuſandum Iudæ facinus, aut aliorum Ieſum perſequentium, ſed ad humiliandũ nos, & per talia exempla conſiderandũ quomodo peccemus & quomodo ſimilem incurremus dãnationem, niſi pœnitentiam egerim⁹ & ſatisfactionẽ. Cogitate deinde quid de duro & obſtinato corde Iudæ fuerit, in hoc quod Ieſus ei dicebat melius fuiſſe ꝙ nunquã natus fuiſſet homo ille qui eũ proditurus erat, nec tamẽ terribilis illa cõminatio ei profuit quicquam. Et reuera minus malum foret & eligibilius, aliquẽ nunquã natum fuiſſe quã damnatũ eſſe, immò quã facere ſcienter contra Deũ vnum ſolũ mortale peccatum. Nobis illud dicitur & prædicatur ſæpiſſimè per Chriſti auctoritatẽ, ſed nos inſtar Iudæ ſurdam præbemus aurem, illudque contemnimus. Sed quæreret forſan hic quorumdam curioſitas, cur adeò reprehenditur Iudæ proditio? Poterat enim ipſum Ieſus ſua potentia retrahere. Nam ſecus etiam redemptionis noſtræ myſterium minimè fuiſſet completum. Et Ieſus etiam dixi illi: Quod facis fac citius. Quatuor hæ rationes nullæ ſunt. Prima non, Deus enim cum potentia obſeruare vult ſapientiæ ordinem. Per quam quidem ſapientiam contulit liberum arbitrium cuicunque homini in hac vita mortali exiſtenti, vt poſſit, bene aut malè operari. Vtitur etiam erga aliquos iuſtitia, erga

erga alios verò misericordia, nulli prorsus faciendo iniuriam. Nonne sufficere debuit Iudæ ad reuocandum A eum à peccato, quod ei Christus & dicebat & manifestè faciebat? modò benignè pedes eius lauando, & tamdiu peccatum eius celando, ne ipsum diffamaret, & ipsum in sua societate permittendo. Modò per rigorem, vt ei suam damnationem prædicando, & præcipuè cum ei diceret: Quod facis fac citius. Nec intelligendum est Iesum præcepisse Iudæ vt eum proderet, immo potius hoc erat ad reuocandum, si tali admonitione debitè vti voluisset. Poterat enĩ ex hoc facile percipere Christũ bene totum inceptum suũ malum, B & quicquid cogitabat scire, & tamen per huiusmodi verbum adhuc hoc Apostolis celabat. Putabant enim Iudam exire, vt aliquid de ea quam cõseruabat emeret pecunia, non vt Christum proderet. Facile enim conijci potest, alioquin sanctũ Petrum aut vt alios mox ipsum vi retraxisse, vel quod forsitan ipsum occidissent. Sanctus Ioannes etiam postquam familiariter & secreto (ob nutum quem sanctus Petrus eidem fecerat) Christum interrogasset, quinã eum proditurus foret, cui cum C Iesus dedisset signum, illum scilicet, esse cui daret panem intinctum, mox in spiritu raptus fuit, se super pectus domini declinando, vbi paradisi & diuinitatis secreta videns, nõ manifestabat Iudam alijs Apostolis. Quoad aliam rationem, qua dicitur passionis mysteriũ sic debuisse impleri. Verum est sic impletum fuisse, non tamen propter hoc Iudas compulsus fuit ad sic magistrum suum prodendum, immo quia prodebat sua sponte, Deus Iudæ peccato bene vsus est, quemadmodum fecit D semper. Bene etiam vtebatur peruersa voluntate tyrannorum martyres persequentium, & mala voluntate quotidie inimicorum. Exemplum adhoc. Infideles aliqui habebunt odium mortale contra reliquos hæreticos, suntque parati vt eos interimant, si Christiani illud permittant, non ob Dei & Christianitatis amorẽ, sed propter malam vindictam, vel vt possessiones eorum habeant. Dico hoc in casu, malam voluntatem illam ad bonum applicari vsum posse, eámque sumi posse in auxilium contra hæreticos fidei inimicos, si aliter E sese emendare noluerint. Non igitur sequitur, si factum aliquod bonum est, quod ipsum facientes bene faciant. Addendum esset quod ipsum bona facerent intentione. Susceperunt aliqui martyriũ ob vanam gloriam, aut fundarunt ædes sacras, & alij prædicant ob auaritiam, vel propter inuidiam, aut propter odium, & alijs plerisque modis, ex quibus magna proueniunt bona, cum boni debitè talibus vtuntur, & tamen taliter ea facientes damnantur. F

ORATIO.

BEnedicte Iesu & miles victoriose, dedimus nos captiuos tuæ misericordiæ, quia pro nobis voluisti ignominiosè & cum proditione capi atque ligari, recipe nos in gratiam, & nostra exsolue debita. Tuere nos domine à proditorijs mundi osculis, libera nos ab omnibus peccatorum vinculis, & ab horribili inferni carcere bona mediante pœnitentia, & pia huius ignominiosæ captiuitatis recordatione.

Gerson. Quarta pars.

TEXTUS QUARTUS.

VIDENTES autem hi qui circa ipsum erant quod futurum erat, & dixerunt ei: Domine si percutimus in gladio? Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram, erat autem nomen seruo Malchus. Dicit ergo Iesus Petro: Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum? Mitte gladium tuum in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt. An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum. Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Sinite vsque huc, & cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. In illa hora dixit Iesus turbis. Tanquã ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Sed hæc est hora & potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est vt adimplerentur scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Cohors autẽ & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum. Erat autem socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Judeis: Quia expedit vnum hominem mori pro populo.

EXPOSITIO.

O VIRGO mater Maria dignissima, mater gloriosissima, immo verò hodie dolorosa, incedit benedictus filius tuus instar latronis aut homicidæ ligatus. Vadit solus omnes eum reliquerunt in hac afflictione, vnus enim abijt huc, alter illuc. Heu quid dico? vadit immo non vadit, impellitur, trahitur, truditur, deijcitur. Non etiam solus est magna lictorum caterua omni malitia instructa eum vndequaque circundat, tam ex ministris iustitiæ, immo veræ iniustitiæ secularis Pilati, quam falsorum Iudæorum, peruersorum hominum & crudelium. Hæc autem societas instructa est vt impleat omnia iussa, immo verò peiora quã ei præciperentur, si peiora facere posset. Hac quoque tempestate adhuc inueniũtur complures illis similes (secũdum quod nominari solent) ministri diaboli. Opinaris ô peruerse latruncule, tua potentia & fortitudine te ducere Iesum & eum iuxta voluntatem tuam tenere ligatum, qui solo verbo in solo oculi momento euadere posset, & te morti tradere, aut terram aperire qui te deglutiat, aut te consumere igne cælesti. Hoc palam fuit cum totiens falsorum Iudæorũ manus euasit, volentium eum modò dare præcipitem, modò lapidare. Gloriaris tamen in tua malitia ô maledicte & abijciende latruncule. Tenemus ne te debitè magister? opus erit efficaci sermone, si velis & possis à nobis liberari. Afferte lumen huc dixerunt forsitan qui eum tenebant his qui deferebant laternas & ardentes faces. Accedite huc, non est ipse, ipse est, quam quæso fingit se humilem. Et sic forsitan dicendo, eum facibus & laternis vrebant, & gloriosam faciem, eius & preciosam Iesu carnem affligebant, aut ardentem pinguedinem supra eum, supra faciem eius, supra crines eius proijciebant. O pia mater, estne hoc dulce nutrimentum quod benedicto filio tuo ministrabas? sunt ne hæc dulcissima

oſcula, deuoti amplexus, quæ illi infigere ſolebas? eſtne hic gloria & triumphus ei in die palmarum factus? Cecidit dulcis Ieſus hic in longè aliorum manus. Non quidem eo inuito, quoniam inuito eo nihil illi moleſti inferri potuiſſet. Neque hoc eſt coactione aut neceſſitate, quoniam pertulit ligari propria ſponte ſua, vt nos remoueret & liberaret à duris peccatorum vinculis in quibus detinebamur omnes nos humani generis in carcere, ſcilicet, & inimici ſeruitute, & vt obligati magis ac ardentiores ad ipſum amandum eſſemus. Pro nobis igitur eſt ô deuote populus pro nobis eſt, quod Ieſus eò modo ignominiosè & durè incedit ligatus, ideo debemus bene per pœnitentiam huius doloris habere memoriam. Sed apparens inſuper valde admirandus in omnibus factus tuis ô dulcis Ieſu totius mundi Saluator adeò vt admirati ſunt infernales inimici ſubtiles admodũ, vt nec ſcirent quid cogitare deberent. Monſtrabas enim ſemper ſingularem poteſtatẽ & deitatem, cum præcipuè fragilitate, impotentia & humilitate. Hoc manifeſtum euadit nunc in hac captiuitate, quæ magna impotentia & humana fragilitate erat ſignata, nihilominus tamen ſe declarauit diuinitatis virtus in auris ſanatione, & in ſubito & reſupino caſu eorũ omnium qui nunc te tenent & pertrahunt te vi (vt eis videtur) & contra tuam voluntatẽ. Hinc euenit inimicum ſemper diuerſas excogitaſſe tentationes, vt certò cognoſceret, eſſet ne Ieſus Deus aut verus homo. Non enim intelligere poterant ipſum ſimul Deum eſſe & hominem, omnibus bonis contrarius ſathan, & iniquitatibus repletus, cum Chriſtus mortem expaueſceret, cum oraret & gemeret, & cum taliter poſtea duceretur. Ha inquit, non hic Deus eſt, nam hoc Deo nunquam fieri poſſet. Sed cum conſiderabat admirandos caſus reſupinos & miracula, certè inquit, hic Deus eſt, non homo. Millies & millies ſathan in tali fuit diſceptatione & hæſitatione. Et propterea tentauit eum in deſerto, nec tamen certior factus fuit, donec de facto poſt mortem eius ſenſit potẽtiam eius & diuinitatẽ cum ipſe tolleret ſanctos patres ab eo in quo detinebantur loco, & eos gloriæ faceret participes. Admiranda eſt humanitatis cum diuinitate vnio, quæ quia non credebatur & cognoſcebatur, ducebat poſtmodum Iudæos hæreticos in turbatione. Adhuc hoc exemplo multi ob diuina opera turbantur, cum Deus in vno caſu & in alio miracula operetur, aut in vno tempore potius quã in alio, & erga aliquos potius quam erga alios. Conſimiliter de ſua prouidentia cum inquirunt, cur Deus aliquibus malis bona mittat & bonis mala, & in fine contrarium. Præſumptuoſa curioſitas eſt, velle hoc modo omnia inquirere, & intelligere Dei iudicia, quod tamen ſubditus aut diſcipulus facere non debet erga alium mortalem hominem, qui aut præceptor ſuus eſt, aut dominus. Si Deus continuè operaretur miracula ipſa paruipenderentur, quemadmodum videmus in vniuerſo mundo, qui eſt maximum miraculum. Si nulla operaretur appareret ipſum nihil aut ſcire aut poſſe facere, niſi quæ actu operatur. Si vnicuique in hoc mundo ſecundum propria tribueret merita, videretur non aliàs eſſe inferos aut paradiſum pro diuina iuſtitia exequenda. Præterea ſi ſemper bona malis, & mala bonis mitteret, crederetur

A deretur Deum non gerere curam mundi, quoad homines, ſecundum quod aliqui hæretici aſſerere niſi ſunt. Adijciamus igitur omnes ſtultas quæſtiones, & credamus Deum eſſe iuſtiſſimum & ſapientiſſimum in his omnibus quæ videmus eum operari. Deus nec poteſt, nec debet ab alio quoque præterquam à ſe ipſo perfectè comprehendi & cognoſci. Sufficiat igitur bona fides. Sicut nos qui incarnationis credimus myſterium, cognoſcimus Chriſtum aliqua facere ſecundum diuinitatem ſuorum operum, alia verò ſecundum humanitatem, quemadmodum ſuſtinuit tam ignominioſam ductionem, tam verendam captiuitatem, tam crudelem ligationem ſecundum humanitatem, vt nos redimeret, vtque nobis exemplum daret ipſum amandi & patiendi pro eo tempore & loco, & vt ligaremur & duceremur ad mortem, ſi caſus expoſceret. Si enim caſus non popoſcerit ſecundum tempus & locum, fugere debemus ſuo exemplo ac præcepto perſecutiones. Quicumque cor patiens habes, deuotum & religioſum, pone nunc ante oculos cogitationis tuæ, in veræ fidei claritate, imaginem & piam Ieſu Saluatoris tui ſimilitudinem, qui taliter propter te ligatus eſt. Et vt hoc imiteris exemplum, ordina omnia membra tua ad ſuum ſeruitium per mandatorum ſuorum ligamina & per obedientiam dede te ſeruum & ligatum tanto domino, & rumpe alia peccatorum ligamina, quæ videntur furioſis huius mundi hominibus eſſe magna libertas, cum ſit deſpectiſſima ſeruitus, & maledicta incarceratio, quamuis ferrum & cathenæ, paſſiones & carnales delitiæ apparent nonnunquam pulchræ & placidæ, & tanquam auratæ vel pictæ, conſtringunt tamen eò fortius, vt aliquis minus exire velit, & malum verſum eſt in delicias, eſtque iam in ſenſu infirmitas. Sed loquamur paululum de benedictis Angelis, de quibus dicit Chriſtus, quod pater propter ſuam orationem mitteret ei plures quam duodecim legiones Angelorum. Legio vna complectitur ſex milia ſexingentos ſexagintaſex. Qualis eſt tanta multitudinis Angelorum potentia, cum vnicus vna nocte in exercitu regis Sennacherib occiderit centum viginti octogintaquinque hominum milia. Facile coniectandum eſt quod niſi voluntas Chriſti & ſapiens eius ordinatio ſuos impediuiſſet Angelos, mox Angeli ob honorem & reuerentiam quam erga Chriſtum habebant, confudiſſent omnem illam vnico ictu deſpiciendam cateruam. Sed expectauerunt patienter, vt ſuo optemperarent domino, quia etiam aliqui illic erant qui forſan erant ſaluandi, & adhuc ipſi quotidie noſtram expectant conuerſionem, qui facimus ſæpius talem reuerentiam Deo, & eis omnibus tanquam patri eorum & noſtro Ieſu Chriſto. Percipitis hic magnam benignitatem. Interrogabant enim Apoſtoli, ſi percuſſuri eſſent gladijs. Et priuſquam reſponderet, Petrus qui erat ardentior cæteris, extraxit gladium ſuum, & volebat forſitan diuidere caput ſatellitis pontificis, qui forſan propius acceſſerat, vt caperet Chriſtum, ſicut accidit, quod miniſtri Eccleſiaſticorum virorum ſunt interdum cæteris peiores. Sanctus Petrus errauit in ictu (quia poterat aliter deflectere collum) & ſolum abſcidit aurem, ſed Ieſus ſanauit eum. Dicent forſitan aliqui, quod propterea conuerſus

uerſus

uersus fuerit & spiritualem habuerit sanitatem (secundum quod Iesus facere solebat) cum sanitate corporali. Ostenditur etiam diuina misericordia in prohibitione, quam fecit Christus Apostolis suis & Petro. Et hæc declarari potest quomodo sancti Martyres permiserunt se morti tradere. Esto quod possent tunc vindictã sumere, aut euadere, exemplum Christi, & pro fidei nostræ confirmatione. Hic gladius ex duobus vnus erat, de quibus in cœna dixerunt Apostoli: Ecce duo gladij. Quibus respondit Iesus, satis esse, vt innueret secundum doctores, potestatem temporalem & spiritualem spectare ad sanctum Petrum & ad Ecclesiam sanctam. Sed gladius tẽporalis qui conducit ad mortalem & temporalem executionem, exerceri debet per temporales & seculares principes, per iustitiæ auctoritatem non propria voluntate vel propter personalem vindictam. Perit enim gladio (vt hic dicit Christus dominus) hoc est incurret mortẽ, quicumq; sic gladio percusserit. Omittimus huius materię discussionem, quomodo fieri possit bellum, & quomodo quisq; de facto potest & debet se defendere & vindicare. Et sumemus hic pro exemplo & doctrina, quomodo cõmendanda sit misericordia, & quod sæpenumero satius est iuxta Dei voluntatem aliqua patienter sustinere opprobria, aut ad remissionẽ propriorum criminum aut ad maiorem gloriam recipiendam & habendam quam de omnibus velle vindictam expetere. Hic etiã arguitur rigorosa quorumdam superiorum præsumptio, qui mox ad primam vim feriunt excommunicationis gladio, aut puniunt alterum, & abscindunt subditorum aurem, per quam intelligo obediẽtiam. Tot enim faciunt excõmunicationes vt iam non formidentur. Sed heu quã miserandus & gemendus abscessus vester fuit ô sancti Apostoli, quæ lingua explicari possit dolorem vestrum, cum forsitan nõ auderetis dicere: Vale pręceptor noster, bone instructor vale. Quãuis post illam fugam constanter & victoriosissimè mortem sustinueritis, aliqui tamẽ nunc huc ibant alij illuc. Et forsitan aliqui iuerunt ad diuæ matris hospitium, in quo erat pia mater in magnis doloribus & angustijs, cum alijs deuotis mulieribus. Quod præcipuè cogitari potest de sancto Ioanne Euangelista, qui iuuenis fuerat, cui ablatum erat pallium, secundum famatam magis doctorum opinionem. Poterat igitur ire illuc ad rursum se induendum, deinde redire, sicut dicemus postea. Cogitate ergo religiosè absque stulta assertione, quomodo sanctus Ioannes totus nudus iuuenis pulsat, sui dat cognitionem. Et cum ingressus esset, aliqui eorum qui intus erant, percũctati sunt eum, vnde esset tanta tristitia, hęc subita fuga, ille pauor, illa nuditas. Et Maria mox cogitabat quidnam esset, & dicere poterat forsan: Heu captus est, captus est verè Iesus benedictus filius meus. Prophetia impleta est. Pastor percussus est, & dispersæ sunt oues. Vbi sunt alij? Deinde se conuertit ad Mariam Magdalenam. Heu captus est benedictus Dominus innocens tuus & bonus magister, ô Maria Magdalena, vadit, actum est, mortem sustinebit amaram. Estne sic Ioannes? quid dicis? cur non loqueris? Da veniam (inquit sanctus Ioannes in magnis suspirijs & singultibus) da veniam bona magistra. Horror facti talis est, captus, qui me inuasit tremor, adeò vehemens est & magnus,
A vix respirare possim. Captus est verè & inhumanissimè captus trahitur, propulsatur, percutitur. Sed quid moror diutius? date mihi tunicam & reuertar, vos verò diem expectabitis quoniam nec securum est nec decens tibi bona magistra & tuæ societati noctu per vrbem incedere, referam vobis omnia. Cogitate præterea deuote populus, cogitate si vnquam pium vobis cor fuerit, & si vnquam experti fuistis quid sit amor matris erga vnicum charum suum filium, aut mulieris cuiuscumque benignæ & amabilis erga bonum suum
B dominum & amicum singularem. Cogitate dolores, planctus, clamores, singultus & suspiria, quæ hic fieri poterant tam à beata Maria quam ab alijs Marijs, quæ postmodum crucifixioni interfuerunt. Verba profectò me deficiunt ad ea explicanda, terminemus hanc orationem dicentes:

ORATIO.

VERE pastor Iesu, quem totiens peruersa desideria nostra insequendo deseruimus, cu-
C stodi nos ab omnibus peccatis mortalibus, & nos ad te congrega, conferendo nobis bonam patientiam, integram pœnitentiam, & captiuitatis tuæ assiduam memoriam. Amen.

TEXTVS QVINTVS.

ADOLESCENS *quidam sequebatur eum amictus syndone super nudo, & tenuerunt eum. At ille reiecta syndone, nudus pro-*
D *fugit ab eis. Petrus vero sequebatur eum à longè & alius discipulus, vsquam intro in atrium summi sacerdotis. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ & introduxit Petrum. Quem cum vidisset ancilla, ait: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? At ille dixit: Mulier, non noui illum, nescio quid dicis. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se, vt videret*
E *finem.*

EXPOSITIO.

SVPPRIMITVR hic facile iactantia & præsumptio cuiuscumque hominis. Quid vobis videtur? Si sanctus Petrus qui erat caput & fundamẽtum Ecclesiæ sanctæ, electus à Deo, dominum suum ad vnius ostiarię vocem negauerit, quę esse debet nostra fiducia, fiducia inquam cuiuscumq;
F humanæ creaturæ in hac mortali vita viuentis. O altitudo incomprehensibilis iudiciorum Dei, quis ea inuestigabit? quis ipsam non timuerit? Es (vt tibi videtur) hodie homo probus, Deum amas, honoras eum, nolens vllo pacto peccare secundum conscientiæ tuæ dictamen, in qua nullum peccati mortalis remorsum habes. Hoc dato, meo crede consilio, immo Apostoli, non te stolide & vanè extuleris, sed mane in pauore & timore. Ignoras enim an talis sis coram clara diuina prouidentia, qualis es in conscientiæ tuæ aut fiduciæ obscuritate, saltem ignoras quid mane futurus sis. Intuere sanctum Petrum, quis credidisset aut ipse

aut alius, quod à tali fiducia & charitate abſque impugnatione cecidiſſet? de tali fidelitate in tantam diffidentia, inconſtantiam & iniquitatem? E diuerſo ſi quis latronem, qui Chriſti ſocietati non interfuerat, & erat miſer latro condemnatúſque, quis ſpem de ſua cõcepiſſet ſaluatione, quódque cogniturus eſſet Chriſtum & eum confeſſurus, cum ſanctus Petrus eum neget? Quis iudicaſſet ipſum latronem debuiſſe peruenire ad paradiſum non modò ante Iudam, ſed ante omnes Apoſtolos, immo verò ante Mariam matrem? nihil igitur ſecurius eſt aut eligibilius, quam ſemper in profunda humilitate ſollicitè & cum timore permanere, diuinam expectando miſericordiam, non ſe de proprijs extollendo meritis, aut ſtolidè alios iudicando, aut ſe meliorẽ quam alium erga Deum æſtimando, cum ſaltem (vt vides) latro finalem habuerit ſaluationem. Cum aliquem peccare videris, quantumcumque tibi malus videatur & perditus, geme in corde tuo, ipſi compatiendo & tibi dicéſque Deo: Diues es in miſericordia, potes in momento miſellam hanc creaturam à fimo releuare peccati vt ipſa ſedeat in gloria, ſicut apparuit in latrone & mille alijs. Si è diuerſo videas hominem religioſum, optimum & deuotiſſimum, vt tibi videtur & fama eum talem prædicat, Deum glorifica dicendo: Cuſtodi Domine qui huc collocaſti dona, eſt enim pulcher gratiarum & virtutum theſaurus quem hic congregaſti. Sed vas ex ſe fragile eſt circundatum latronibus expertiſſimis. Precioſa nauis eſt, vt ſcilicet, dicebat Antonius ſed eſt in periculoſo mari, pleno fluctibus & tentationum abyſſis. Niſi eam protexeris Domine ſubitò omnia amittet, deſtruetur & diſſipabitur. Simile exemplum capere debes cum ſtatum tuum conſideras, ſiue in gratia ſis ſiue in peccato. Eſt inſuper hic doctrina contra eos qui nimis leuiter & abſq; matura deliberatione & conſilio bona incipiunt opera, ſiue religionis ſiue votorum. Aut qui dicunt in corde ſuo vel ore. Faciam hoc, faciã illud, perferrem hæc & illa martyria, priuſquam committerem vnicum mortale peccatum. Et tales homines iudicant omnes alios & erga eos indignantur, cum ſe aliqua tentatione vinci permittunt, eò quod ipſis apparet ſe nunquam tale quid perpetraturos. Nec tamen conſiderant abiectiſſimi ſtulti & præſumptuoſi, quod in ſic iudicãdo victi ſunt & ſuperati parua vana gloria, deteſtabilius & grauius quandoque quam hi quos ipſi de manifeſtis alijs peccatis condemnant. Ignorant etiam iuxta tritum adagium, horam pendere ad oculum. Non dico non iudicandum eſſe, quod quiſquam vellet tentationibus reſiſtere & non vellet vinci, ſed volo quod victoriæ ſpes à Dei procedat adiutorio, & non à noſtra fortitudine, virtute vel acquiſita, aut ex noſtra bonitate, conſuetudine ſiue voluntate, vel ex noſtro ſenſu atque conſilio, quanquam ſemper expediat iuxta poſſe & conatum proprium bona operari, & Deus ſupplebit reſiduum, qui non patietur nos impugnari tentatione grauiori quam nos poſſimus ſuſtinere, ſed nobis iuxta tentationis qualitatem feret ſuppetias. Et in hoc tenere nos debemus humiliter abſque ſtulta deliberatione aut iudicio huius vel illius partis. Conſiderate hic, ſi beata virgo audiſſet diuum Petrum taliter & tam parua commotione vel

A aſſultu Dominum ſuum negare qualem habuiſſet compaſſionem, quam manſuetè & benignè eum reprehendiſſet & arguiſſet, neque ei exprobratæ fuiſſet. In hoc enim diſtant veri iuſti ab hypocritis. Hypocritæ arguunt per indignationem, iuſti verò per compaſſionem. Quantumuis etiam iuſti irati videantur exterius, aut quantumcumq; dura afficiant punitione, eſt tamẽ ſemper interior manſuetudo, & iudicant nonnunquam eos meliores eſſe quos reprehendunt quam ipſimet ſint. Miror autem vbi diuus Ioannes fuerit in prima Petri negotiatione, quem commemorat textus Ieſum ſecutum fuiſſe, & ſuo medio Petrum duxiſſe intrò.

B Si enim diuus Ioannes hanc intellexit negationem, cur non ſtatim admonuit Petrum vt ageret pœnitentiam, & vt exiret, ſicut poſtea egreſſus eſt? Reor quod eam non audiuerit, ſed quod magis ſe applicuerit loco in quo Chriſtus erat vt omnia intueretur manifeſtius. In hoc autem quod dicit textus de quodam adoleſcente, qui veſtimentum quoddam dimiſit vt fugeret, habemus doctrinam, ſi quod poſſeſſiones noſtræ aut alia bona nobis

C impedimento ſint, & propterea nos inimicus ad ſe attrahere velit (ſicut contingет ſæpius & mille modis per laqueos & retia quæ nobis tendit) potius dimittere debemus quod nobis obeſt & permanere minus diuites, quam cum omni diuitiarum amictu deprehendi, teneri & perdi quoad animam ſæpius quoque quoad corpus. Caueamus inſuper hic ne aſſimilemur, ſcilicet Petro, quem vna fœmina negare fecit Dominum ſuum. Fœmina illa eſt mala noſtra carnalitas, quæ ſæpius ad-

D hortatur nos, vt dimittamus Deum & opere & ſermone. Poſſet hic conferri ſimonia illi fœminæ quia introducit aliquos in Eccleſiam, ideo facile poſtmodum Deum negent & ſuam potentiam, ſapientiam atque bonitatem per varia mala opera. Demum quomodo mala ſeducit ſocietas hic liquet. Cum namque diuus Petrus cum Chriſto eſſet, firmus erat, hic autem cecidit. Nec mirandum eſt ô diue Petre, ſi calefaciebas te, habebas enim cor internum iam frigefactum per timorem & triſtitiæ gelu magis quam corpus. Hic igitur in-

E nuitur Chriſtum verè totius mundi Saluatorem, inter cæteras afflictiones magna ſuſtinuiſſe frigora, vigebat enim intenſum frigus cum nudus penderet in cruce. Ideoque ad ipſum humiliemur orantes eum & dicentes:

Oratio.

PROTEGE nos domine à peruerſa inimicorum noſtrorum captiuitate & nocumentis alijs, ne te vllo modo negemus, nec facto nec ver-

F bo, ſed habeamus per pœnitentiam dolorum tuorum memoriam.

TEXTVS SEXTVS.

PONTIFEX ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius. Reſpondit Ieſus: Ego palam locutus ſum mundo ego ſemper docui in ſynagoga & in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil, quid me interrogas, interroga eos qui audierunt quid locutus ſim ipſis, ecce hi ſciunt quid dixerim ego. Hæc autem cum dixiſſet, vnus aſsiſtens miniſtrorũ dedit alapam Ieſu,

Ieſu, dicens: Sic reſpondes pontifici? Reſpondit Ieſus: Si malè locutus, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene, quid me cedis? Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Erat autem Simon Petrus in atrio deorſum ſtans & calefaciens ſe. Rurſus autem cum vidiſſet illum alia ancilla, cœpit dicere circunſtantibus: Et hic erat cum Ieſu Nazareno? Et poſt puſillum acceſſerunt qui aſtabant, & dixerunt Petro. Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua te manifeſtum facit. Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem. Et interuallo facto quaſi hora vnius, dicit ei vnus ex ſeruis pontificis cognatus eius cuius abſcidit Petrus auriculam. Verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus eſt, nonne ego te vidi in horto cum illo? Tunc cœpit deteſtari & anathematizare & iurare, quia neſcio hominem quem dicis. Et ſtatim gallus cantauit. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi quod dixerat ei Ieſus, quia priuſquam gallus cantet, ter me negabis hodie. Et egreſſus fleuit amare.

EXPOSITIO.

AVDISTIS deuote populus Ieſu præſentationem Annæ, qui ſocer erat Caiphæ, & tenebant ambo pontificatum anno vnus poſt alterum, & id quidem per pecuniam contra legis prohibitionem. Propterea Annas hic pontifex dicitur. Quales pontifices, talia & iudicia. Intelligitis inſuper rationabilem ſoliditatē benigni Ieſu, quomodo publicè locutus fuerat, & certus erat de bona ſua & vera prædicatione, nam aduocabat in teſtes, etiam accuſatores & aduerſarios ſuos. Expoſuerat & dixerat ſeorſum etiam complures ſuis diſcipulis ſimilitudines, ſed illud erat etiam in doctrina ſua publica, & vt omnia poſtmodum publicarentur & prædicarentur. Ex hoc doctrinam habemus reprobandi omnia quæ docentur, quæ in publico non ſe oſtendunt, ſingulariter religionem tangentia. Apparet autem mihi, quod tunc falſa & ficta adulatio in curijs regnabat præſulum, quæ ſolum conabatur complacere maioribus, ſiue iniquè ſiue obliquè, ſiue malè ſiue ad malum. Hanc video in miniſtro hoc qui appropinquans cædit. Ha quanta præſumptio huiuſmodi homunculi, benignum Chriſtum alapa cædere ſic dicendo: Sic reſpondes pontifici? Extunc deuotiſſimi, adulatio ignominioſè veritatem perſequebatur in illius perſona quæ ipſamet eſt veritas. Nec ceſſent interea idem efficere in pluribus locis in eorum perſona quæ veritatem loqui volunt, præcipuè autem coram dominis & curialibus, & ſæpe coram ciuilibus. Quid hæc agere debuit totius mundi factor & Dominus? Debuit ne huiuſmodi perferre iniuriam ſine expiatione & emendatione? Quare non ſe terra aperuit, vel ignis de cœlo cecidit, ad confundendum talem iniquitatis miniſtrum? Poſſet forſitan videri aliquibus Chriſtum hic vti debuiſſe ſua doctrina, & eam facto confirmare, quia ſcilicet deberet præbere alteram maxillam vt aliam reciperet alapam. Proceſſit Chriſtus medio modo qui per benignū & amicabile reſponſum oſtendit miniſtro huic ſuum peccatum, abſque hoc vt ſua vteretur potentia, ſed clementia vſus eſt & ſapientia, in eo quod dedit conſilij ſui & doctrinę intelligentiam, quam modo adduximus. Non enim intelligebat ad literam, quod ſi percuteretur Chriſtianus aliquis ad vnam maxillam, quod de facto deberet

A præbere alteram, nam hæc eſſet nonnunquam ſuperbiæ materia, aut ſimulatæ patientiæ. Sed intelligebat quod habere debemus promptam voluntatem, vt tantum aut plus (ſi caſus eſſe dederit) recipiamus. Hoc apparuit, quoniam ipſe pius Ieſus ſic fecit, quoniam poſtmodum pro peccato non modo vnam prębuit maxillam, verum totum corpus in mortem. Expedit interdum & neceſſarium eſt redarguere delinquentes, tum ob ipſorum ſalutem, tum ob reipublicæ vtilitatem. Conſidera hic ô cor impatiens, ô cor tumidum & inflatum, quod non potes, immo non vis ne vnum rigidum quidem verbum proferre, quin mox teipſum excrucies ira, & continentiam habeas furioſo non diſſimilem, exprobras, iuras, murmuras, minitaris aut verberas, dirumpis aut deijcis quod tenes, aut quod iuxta te vides. Et adhuc contra Deum loqueris dicens te hoc non meruiſſe, nec expectas vt ipſe tanquam iudex iuſtus vindictam pro te ſumat, verum te in cauſa propria partem facis & iudicem, mox meditaris vindictam vel per iniuriam vel nociua facta. Te etiam nonnunquam pœnitet de hoc quod non intuliſti ei aut dixiſti, & gloriaris de vindicta tanquam de precioſo vaſculo. Hic tamen vides regem regum, omnium innocentiſſimum, qui talem de facto recepit iniuriam, & à tali inque tali loco publico, in glorioſam ſuam faciem, quam Angeli deſiderant aſpicere, & quam totiens & caſtè & deuotè oſculata es ô mater virgo glorioſa, honorabilis & precioſa. Hoc tamen non obſtante, contentus eſt dictorum ſuorum rationem reddere & iniurioſum hoc facinus conuenienti ſuo reſponſo confutare, quæ tamen nunc ei nihil profuit benigna & rationabilis reſponſio quam Chriſtus & Annæ dederat & ſuo miniſtro. Immo Annas miſit eum ligatum, veluti iam morte dignum ad Caipham. Ad Deum vadit per mortem amaram Ieſus, videns matrem ſuam benignam, ideo meritò per pœnitentiam huius doloris habere debemus memoriam. Si non quod ductio acris fuit & ignominioſa in principio, adhuc acrior eſt ſecundariò. Sed dicere poſſem: Quomodo? audio diuum Petrum qui adhuc bis Deum negat, & grauius ſecundò quam primò, & tertiò quam ſecundò, quia peccatum quod non deletur per pœnitentiam mox ad peccatum trahit. Da veniam ſupplico Domine Deus omnipotens, ſapientiſſime & iuſtiſſime da veniam, ſi minutula & modica mea fragilitas ſtultáq; ignorantia interrogare audeat, quo pacto & qua de cauſa iuſta tua prouidentia paſſa fuerit Apoſtolum tuum Petrum, quem vſque adeò poſtea amaſti, & in hoc mundo honoraſti & adhuc indies honoras & perenniter in gloria qui poſtea pro te mortuus eſt. Quo pacto inquam, potuit ſapiens tua prouidentia pati quod taliter te negaret, adeò iniuſtè & adeò ignominioſè amittendo amorem tuum, excludendo ſe à tua ſocietate propter inimici ſocietatem & acquirendo ſecundum iuſtitiam damnationem. Me pœnitet Domine, non decet vt ipſe loquaris ſine mediatore tam floccipendendo homini qualis ego ſum. Sufficit mihi & ſufficere debet vt per ſanctos doctores, per te & ſacram ſcripturam inſpiratos & inſtructos, aliqualiter cauſas

cognoſcam huius paſſionis quæ tres ſunt, præter ſuperius tactas. Nunquā permitteres malum euenire, niſi eſſet ad aliud bonum procurandum. Vna ratio fuit, vt nobis daretur exemplum & ſpes remiſſionis, ſi flere volumus & agere pœnitentiam, quantumcumque grauiter diuinam offenderimus maieſtatem. Quiſque igitur audit vel conſiderat, quomodo ſanctus Petrus plenè & ſæpe Chriſtum negauerit, non illic ſiſtere debet greſſum, progrediatur vlterius ad correctionis ſuę modum & pœnitentiā. Gallus cantat: Ieſus Petrū reſpicit. Petrus egredietur & flet amariſſimè, ſéq; abſcōdit ſecundum doctores in antro quodam gallicantus dicto, quoniam non audet comparere, aut ſe permittere videri à te dulciſſima magiſtra vſq; ad reſurrectionem. Ad inſtructionem noſtram dico gallum cantare pro nobis, quotiés prædicatio aut admonitio nobis dirigitur. Sed non ſufficit cantus, niſi & aſpectus Ieſu adſit. Hic aſpectus eſt ſancta ſua & vigoroſa in corde peccatoris inſpiratio, qui te intuetur, ſpeculatur & diſponit ad gemendum, plorandum & pœnitentiam agendum. Nec corporalis aſpectus Chriſti ad extra ſuffeciſſet, niſi Deus interius fuiſſet operatus. Id apparuit in Iuda, qué Ieſus non modo reſpexit, ſed etiam oſculatus eſt, nec tamen profuit ei quicquam. Verè pœnitens poſt huiuſmodi reſpectū egreditur ab omnibus malis occaſionibus peccati. Quod non faciunt qui ſemper falſas eorum merces reſeruant, vel vſuras, aut prohibitas ſocietates. Et ſicut peccatū fuit valde amarum, plorādum eſt amare, exemplo Petri, qui toto tempore vitæ ſuæ ad gallorū cantus flebat. Si non poſſis flere corporeis oculis, fle ſaltē oculis cordis interius. Aliæ duæ cauſæ fuerunt tales. Vna ad humiliandum Petrum in ſemetipſo. Deus ſolet virtutum ædificiū in profunda humilitate fundare. Eſt igitur humilitas admiranda virtus, cum ad magis corroborādum eam Deus permittit pro tempore aliquo deficere virtutes. Notate de illa quę noluiſſet habere duos filios ſancto Ioanni & Iacobo ſimiles, & ante annū, poſtea duos alios habuit. Alia cauſa fuit ad humiliandū diuum Petrum erga ſuos ſubditos, & vt eſſet pronior ad indulgendum in benignitatis ſpiritu. Is qui non peccauit, eſt facile in punitione alterius rigoroſior. Nunquā inquit, hoc perpetraſſem, nunquam hoc vel illud cōmiſi facinus adeò turpe & horrendum. Et deſpecti elatique homines non cognoſcunt quod ſæpius ſunt peiores, etiam in alio quam in huiuſmodi ſtulta & præſumptuoſa ſui ipſorum æſtimatione, tanquam ſi propria virtute & abſque diuino auxilio aliquod peccatum euitaſſent. Tales ſibijpſis diuinam claudunt miſericordiam, ſicut cæteris claudunt. Non quin iuſtitia & correctio fieri debeat, ſed oportet aſſiduè compaſſionem eſſe interius, exemplo piæ matris aut miſericordis cuſtodis, qui verberibus afficiunt vel ligant ęgrotos aut mente captos pueros, & permittunt nonnunquam iniurias vel verbera eis inferri, non ob correctionem, ſed ob compaſſionem. Sumite hic doctrinam, quod magnus aliquis & publicus peccator, poterit eſſe poſtea veritatis & bonorum morum prædicator, modò ſit cum & poſt aſperam pœnitētiam & publicam, alter non. Videtis hoc in ſancto Petro, qui prius peccauit, deinde prędicabat & gubernabat Eccleſiam, ſed hoc fuit poſt pœnitentiam. Si igitur ſic

eſt ô diue Petre glorioſe paſtor Eccleſiæ ſanctæ & A cœlorum clauiger, ſi ſic eſt, & ſic certè eſt, vt haberes compaſſionē de filiolis tuis & ſubditis Dei, permiſerit Deus vt ſentires in tuis erratis qualis noſtra ſit fragilitas, humana fragilitas ad omnia mala & crimina prona. Supplicamus & te oramus, quod per illam quam Deus tibi conſulit miſericordiam, quando te reſpicere dignatus eſt & conuertere, vt impetrare vel ſupra nos omnes hic exiſtentes tam benignum aſpectum, vt ad prædicationis ſonum aſpectus Saluatoris noſtri Ieſu B Chriſti, tua interceſſione meliora reddat, auertat & conuertat dura & obliuioſa corda noſtra ad ſe ad compunctionem & ad pœnitentiam amaram, ſufficientem atque integram.

ORATIO.

RESPICE vere totius mundi Saluator, benigne Ieſu paruos tuos & cuiuſcūq; ætatis & ſexus ſeruulos & ſubditos, reſpice eos nunc tali aſpectu quo diuum reſpexiſti Petrum, & fac vt aſſiduè per pœnitentiā criminum ſuorū habeant memoriam.

C *Ad præcedentem materiam continuatio.*

In recitatione noſtra ſumus tanquam in noctis medio aut paulo poſt, cum Dominus noſter Ieſus duceretur ligatus ab Anna ad Caipham, vbi fuit inhumaniter & crudeliter ad diem vſque carceribus detentus. Deinde dicit textus.

TEXTVS SEPTIMVS.

D *MANE autem facto concilium inierunt omnes principes Sacerdotum & ſeniores populi aduerſus Ieſum conuenerunt, & conſilium fecerunt qui quærebant aduerſus Ieſum teſtimonium vt eum morti traderent, nec inueniebant, quāuis multi teſtimonium falſum dicebant aduerſus eum, & conuenientia teſtimonia non erant. Nouiſſimè verò venerunt duo falſi teſtes & dixerunt: Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Poſſum deſtruere templum Dei hoc manu factum, & poſt triduum aliud non manu factum readificare. Exurgens autem ſummus ſacerdos, interrogauit Ieſum dicens: Nihil reſpondes ad ea quæ iſti aduerſus* E *te teſtificantur? Ieſus autem tacebat. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eū & dixit ei: Adiuro te per Deū viuū, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei benedicti. Dicit illi Ieſus: Tu dixiſti: Et ait illis. Si vobis dixero, non credetis mihi, ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cæli. Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua dicens: Blaſphemauit, quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ecce nunc audi-* F *ſtis blaſphemiam de ore eius, quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis. Tunc expuerunt in faciem, & qui tenebant eum, illudebant ei, & cooperuerunt faciem eius & colaphis ceciderūt eum. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit. Et alias multas blaſphemias dicebant aduerſus eum.*

EXPOSITIO.

SCIRE deſideratis vt opinor, ô deuote populus Chriſtiane, vbi erat mœſta & gemebunda Domini noſtri mater tempore aſperrimi huius negotij,

negotij, mortalis. s. & iniustæ sententiæ, iniuriosarum harum blasphemiarum & turpium facinorum, contra innocentem suum & benedictum filium. Quoniam autem nõ nisi certæ scripturæ sunt, vtar verisimilibus coniecturis secundum quod incepi, absque præsumptuosa affectione, sed ad deuotionem religiosam permouendam. Heu vbi eras benignissima mater & domina, vbi eras inquam hoc doloroso matutino tempore? Audieras ne rumorem & magnam commotionem, quæ per vniuersam vrbem Hierosolymitanam diuulgabatur ob benedicti filij tui captiuitatem? Æstimãdum omnino est quod sic, quoniam pro omnibus curam habebat, & eò amplius diuulgabatur & dispergebatur ab vno ad alterum eius captiuitas. Vnusquisque murmurabat fiebant colloquia. Aliqui enim loquebantur ei compatiendo, alij, vt noua audirent, alij per despectum & irrisionẽ. Captus est dicebat vnus. Non respondebit igitur vobis amplius dicebat alter. Quid est quod agitur? Interrogabant hi quos adhuc latebat negotium. Falsus propheta est respondebat vnus. Iesus est Nazarenus dicebat alter, qui captus est & deductus. Hi etiam qui prius eum cognouerant amauerant & honorauerant detrahebant illi, secundum quod facere solet populus mutabilis, cum quis decidit à statu suo sublimi in aduersitatem aliquam vel condẽnationem, etiam iniustè. Dicebant igitur: Per Deum illud præcogitabant, prædicebam quod malè eueniret ei, mihi credite, quoniam nunquã placuit mihi, eò ergo deuenit quo peruenire debebat. Secundum (vt mihi videtur) facile præsumi potest, quod talis totius ciuitatis commotio cito peruenerit ad diuæ virginis aures. Vel relatione nepotis sui sancti Ioannis Euangelistæ de quo prius dixeram. Vel per aliquos alios discipulos aut per aliquos ex vicina. Vel per alios ipsius ciuitatis, qui eam nouerant & amabant. Nõ erat enim vlla bona creatura quę eum cognosceret quin ipsam amaret, magnificaret & honoraret ob singularem honestatem & beneuolentiã, quæ in omnibus gestibus eius relucebat, qui erãt benignitate, gratia & reputatione bona referti. Aduentabant forsitan complures tales nuncij, vnus post alterũ. Postremus idem dicebat quod primus nunciauerat, aut addebat, secundũ quod noua diuulgabantur & peruolant facillime, citiusque mala quam bona, & plerumque adijcit homo, vel per amorem vel odium. Et tu mater afflictissima eos audiebas patienter vt opinor honestè & constanter, quemadmodum decebat tantæ virtutis & constantiæ dominam. Et facili coniectura credere licet potius alios à te consolationem recepisse, præsertim Mariam Magdalenam & discipulos tu confortareris. Tunc incipiebas esse desolatorum consolatrix, quamuis internè experireris per graues tuas dolorũ aperturas, benignum cor tuum maternum & clemẽtissimum affligentes. Interrogabas diligenter quicquid fiebat & factum erat, modumque faciendi. Diuus autem Ioannes cum cognouisset Iesum ab Anna ad Caypham circa noctis mediũ ductum fuisse, & sanctum Petrum ter eum negasse, ipsumque egressum fuisse, cum Iesus missus esset ad mane vsque in custodiam in domo Caiphæ, de quo mane mentionem facit textus

A præsens, cum vniuersum congregatum esset cõsilium, inter ea dico diuus Ioannes ad te redijt benedicta domina ad eum in quo hospitio suscipiebaris locum, & illic manere poteras forsan ad mane vsque. Et dum dies illucesceret, cum beato Ioanne Euangelista nepote tuo, & alijs mulieribusque sequebantur filium tuum à Galilæa, & seruiebant ei ministrantes ipsi de bonis suis, & cum alijs qui vt dictum est, aduenerant, & valde mane in magno dolore & simplicitate accedebas Cayphæ domicilium, in quo ligabatur & de-

B tinebatur filius tuus benedictus, standòque in loco aliquo vici, cernebas falsos Iudæos cum magna diligentia aduentare. Nam cum ingenti odij signo exultabant peruersi & proditores Iudæi, eò quod detinebant in eorum carcere & ipsorũ potestate innocentem tuum & benedictum filium. Et manifestè apparebat in eorum gestu & operandi modò eos valde & acerrimè ànimatos esse, vt ipsum durissima morte affligerent, inuidia eos taliter incendebat & odium. Cum autem

C quasi omnes aduenissent, & Cayphas diligentius quam alius surrexit, deuenerunt ad eum locum in quo erat propheta ille Iesus. Cayphas eũ vocari iussit & adduci. Et milites nefandi quam promptissimi ad hoc faciendum erant, quorum aliqui in media nocte eum custodierant, inferẽdo ei omnes quas poterant iniurias, opprobria & conuitia. Et erat illic benedictus & innocens Iesus omnino solus, destitutus omni auxilio & consolatione cuiuscunque hominis ipsum amã-

D tis. Asperrima res est hæc & valde affligens, in memoriam reducere & desiderare regem regum turpiter incarcerari, vt nos à carcere liberaret, & vt nos libertate donaret. Alij etiam satellites qui de nouo aduenerant, paratissimi erant omnes, & cœperunt clamitare atque trahere. Hohe hohe Iesu bone magister, te venire necessarium est, sacerdotum princeps te vocat, aduenit finis tuus nunc scietur quid hactenus hic profueris. Tam horribili exclamando voce, protrahebant eum ligatum penitus & consputum atque fatigatum

E ad Caypham, sedente consilio vndequaque circa ipsum. Tunc factum fuit omne quod hic dicit euangelij textus. Quærebant falsa testimonia, & non inueniebant sufficientia. Non enim ob rationem & iusticiam inquirebantur testimonia, sed vt occultaretur eorum malicia & iniusticia. Erat enim duplex iniquitas, quoniam iniusticia & fictio. Iesus ad hæc falsa nihil respondebat. Tunc Cayphas enitebatur proprio suo responso eum conuincere, coniurando ipsum in Dei honore. Et Iesus dare voluit Deo illum honorem

F & suam hic potestatem profitebatur & deitatem prædicendo vltimum suum ad iudicium aduentum in honore & potestate, sicut iudicabatur per ignominiam & impotentiam. Cayphas magni doloris signum ostendens, dirupit vestimentum suum, secũdum quod Iudæorum mos erat, cum audirent aliquem contra Deum blasphemantem. Et in hoc sanctior erat eorum consuetudo quam ea quæ est inter nos christianos qui audimus quotidie Dei blasphemias vndique & omnibus modis, non ponendo vllum remediũ, vel saltem non exequendo & practicando data

remedia. Cayphas clamabat ipſum blaſphemaſſe eum contemnendo & interrogando. Quid vobis videtur? Et condemnauerunt eum eſſe dignum morte. Deinde conſpuebant & deridebāt eum, & inclamabant adeò valde & reor, quod virgo & mater doloroſa ſonum audire poteras & murmur, & etiam alapas colaphoſque atque deriſiones & quæſtiones quæ illic fiebant. Hoc non ſine magno gemitu tuo erat & dolore, quoniam prius nec videras nec audieras fieri ei tales ſubſannationes, dicendo: Tradamus eum morti, caueamus ne viuat amplius: & tanquam ſtulto illudendo ei. O inæſtimabilis Dei patientia. O humanæ creaturæ incomparabilis iniquitas. O Deus, ad quam diuina tua majeſtas humilitatem deſcendit? Ad quæ conuitia verſa eſt tua gloria & dignitas? Heu ad quam ignorantiæ & iniquitatis cæcitatem humana peruerſa eſt creatura? cum adeò furioſa eſt contra magiſtrum ſuum & proprium ſuum Dominum, contra te Deum ſuum, legitimum Dominum ſuum & iudicem. Sed ſic eſt, quod Adæ & Euæ ſuperbia per ſummam purgatur atque deletur humilitatem, & hic noſtræ redemptionis eſt myſterium. Heu quotidie adhuc peruerſa noſtra iniquitas inobediens eſt Deo. Neque enim magni facit, immo nihili omnino reputat, ſed quantum in ſe eſt iudicat ad minus per inuidiam, vnam rem vilem & indignam eſſe amandam, laudandam & honorandam. Conſpuitur, percutitur per diuerſas immūdicias & abominabiles à multis peccatoribus, & ſecum luditur tanquam cum fatuo, contemnendo legem ſuam & horrendas minas, quæ ſuper nos malos peccatores venient, niſi pecuniā egerimus, nos tamen abutimur illis & deridemus. Sic[illegible]que agere, quid aliud eſt quam iudicare Deum falſum in ſua lege & promiſſis prophetarum eumque colaphizare & alapis cędere, immo verò crucifigere. Nequaquam deinceps ſic agamus: ſed conuertamur & orando dicamus.

Oratio.

Ieſu vere in humanitate Deus & ſumme mundi iudex qui ad nos liberandum & ſaluandum in extremo iudicio, voluiſti falsò accuſari, iudicari & condemnari. Cuſtodi nos ab vniuerſis malis accuſationibus & condemnationibus, ſiue hominum ſiue inimicorum, vt quæ iudicemus & condemnemus nō te & æquam tuam ſuper nos ordinationem ſed noſmetipſos hic per pœnitentiam, & doloroſæ mortis tuæ memoriam.

TEXTVS OCTAVVS.

Adducunt Ieſum ligatum ad prætorium, hoc eſt ad curiam Pilati, vel ad iudicij locum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi, & ipſi introierunt in prætorium vt non contaminarentur & indigni fierent, ſed vt manducarent Paſcha. Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus eſſet pœnitentia ductus, retulit tringinta argenteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtū. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, receſsit & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Principes autem ſacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam ſiue in truncum templi, quia precium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager illic Acheldemach: hoc eſt ager ſanguinis, vſque in hodiernum diem. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt tringinta argenteos precium appreciati, quem appreciauerūt à filijs Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.

EXPOSITIO.

AD Deum vadit Ieſus: Hic enim traditus eſt Pilato, vt iudicetur ad mortem amaram quem videbat & ſequebatur dulcis mater eius. Si autē aliquis ignorat, aut non percipit vel ſentit in corde ſuo, qualis tunc fuerit premens anguſtia virginis Mariæ matris benignæ. Cogitet & meditetur Iudæ factum, qui habuit cor adeò induratum & peruerſum, & amplius quam diximus, attamen cum videret certò Dominum ſuum tam dulcem & adeò benigni cordis, Pilato traditum eſſe & condemnatum. Et cum videret etiam forſan afflictum & doloroſum ſtatum tuum ô domina, mitis, eius magiſtra, quem tantopere amaueras, ſuſtinueras, ſeruieras & honorauerаs, & ſtatū etiam beati Ioannis mariæ Magdalenæ & aliarum mulierum, tantum concepit dolorem & tantam deſperationem, verecundiā & indignationem contra ſeipſum quod ſe ſuſpendit, nec ſe dignum reputabat quod terra amplius eum ſuſtineret, vel quod vnquam veniam mereri poſſet. Verè Iudas, grauiter hic offendit, accipiendo tantam de diuina miſericordia & Mariæ deſperationem. Non igitur hoc factum tuum narro vt ipſum probem, ſed ad oſtendendum quod ſi dolor tuus & compaſſio tua tanta fuit de tuo & noſtro bono præceptore Ieſu xh, cum cognoſceres ipſum adiudicandum eſſe morti manifeſtum ſignum & argumentum eſt, quod tenerrimum, pientiſſimum dulciſſimum & amoroſiſſimum beatæ virginis cor, prorſus omni anguſtia & doloroſis tormentis fuit oppletū, ſimiliter & religioſa diſcipulorum corda aliorūque apoſtolorum & deuotorum hominum. Taliter itaque debemus nunc ſentire hūc dolorem & memoriam, & deuotam compaſſionem continuamque pœnitentiam. Notetis hic de Iuda & compluribus alijs punctis pœnitentiæ, quia pœnituit eum peccaſſe pœnitentia ductus. Confitebatur publicè quemadmodum peccatum puplicum erat, reſtituebat quod malè acquiſierat triginta ſ. argenteos. Sed in hoc errauit quod cecidit in deſperationem, malè ſentiendo de diuina miſericordia tanquam minor eſſet, peccatum ſuum maius ea. Et ortum habuit (vt videtur) hæc deſperatio ex humano & iniquo Iudæorum reſponſo, quia non eum benignè recipiebant, immo poſtquam peccatum ſuum & facinus confeſſus fuerat dicebant. Quid ad nos? tu conſidera factum tuum. Factum hoc exemplo eſſe debet confeſſoribus & viris eccleſiaſticis, ne ſint inhumani reſpondendo aut loquendo his qui confitentur, immo ne eos abire ſinant ſine bono conſilio, confortatione & bona conſolatione. Video hic aliquos peccare contrario modo ad Iudam, quoniam ſperant de miſericordia diuina, ſed cōfitentur ſine reſtitutione, ideo delinquūt in pluribus quam Iudas. Quapropter ſecum peribunt niſi ad ſe redierint & fuerint reuerſi. Cogitemus adhuc circa textum ſimulatam Iudæorum conſcien-

ſcientiam. Timebant intrare curiam Pilati, quia gentilis erat, vt manducare poſſent Paſcha. Quod non eſt intelligendum de agno paſchali contra Grecorum errorem, quoniam nocte præcedente manducatus fuerat. Sed per paſcha in præſentiarum intelliguntur panes candidi abſque fermēto qui comedebantur per ſex dies paſchæ. Nec tamē erat Iudæorum conſcientia adeò pura, quin ſine ſcrupulo innocentem traderent ad mortem. Cōplures hodiernis tēporibus ſunt eis ſimiles, quia occidunt homines per detractionem, murmurationem aut mala exempla & exhortationes, nullā formando de his conſcientiam, nec confitentur in aliquo. Taceo de abominabilibus & deteſtabilibus peccatis contra naturam, & naturalibus immundicijs quæ fiunt, & traduntur obliuioni, nec fit de eis confeſſio, niſi neſcio in qua generalitate, nil in ſpeciali ſiue in particulari dicēdo de talibus. Notate demum quo pacto Iudæi ſanctorum prophetarum impleuerint prophetias, quæ multo ante tempore ſcriptæ fuerant, abſq; tamen hoc quod ſe id facturos opinarentur. Eſt autem totum quaſi hoc ad fidei noſtræ approbationem. Per hoc etiam complures Iudæi poſtea fuere cōuerſi. Sic adhuc eſt quotidie, quod mali diuinam adimplent voluntatem inſcij. Sic ſimiliter prophetizabat Caiphas, quod expediens eſſet mori vnum hominem pro populo. Non quod crederet eſſe prophetiam, ſed hoc modo ſpirituſſanctus per os eius loquebatur, abſque hoc quod ſciret quò illud tenderet. Taliter ſæpenumero facit ſpirituſſanctus, quod voluntatem ſuam per peccatores annunciat, & per eos qui alios erudiunt. Sic agitur ſæpe cum humanis iudicijs. Ideo magna ſecuritas eſt pro bonis qui in Deum habent fiduciam ſicut Suſanna, & timorem, ſicut martyres. Nihil enim fit ſine iuſta ordinatione Dei, ſūmi Domini. Nec intelligendum quando hic & alibi ſcriptura dicit, aliqua facta eſſe vt adimplerentur ſcripturę quod ſcripturæ cauſæ fuerint cur talia euenire deberēt vel euenerint, ſed eſt è contrario, & per modum ſequelæ, quoniam quia res tales venturę erant ſecūdum Dei ordinationem, ſcripturæ talia ſic prænunciabant. Finaliter iuxta textum offeramus Christo Ieſu noſtram orationem.

ORATIO.

PRotege nos Ieſu magiſter bone, & cuſtodi ab omni ſemper deſperatione, quantumcunque te aut verbis aut facto offenderimus prodendo, noſque in gratiam recipe per pœnitentiam integram & fiduciam de tua iuſtitia, miſericordia, & tuæ mortis memoria.

TEXTVS NONVS.

PIlatus ergo exiuit ad Iudæos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Hunc inuenimus ſubuertētem gentem noſtrā, & prohibentem dare tributa Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum. Dixerunt ergo Iudæi: Nobis non licet interficere quemquā. A Vt ſermo Ieſu impleretur quem dixit ſignificans qua morte eſſet moriturus. Introiuit ergo iterum in prætoriū Pilatus, & vocauit Ieſum, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum? Reſpondit Ieſus: A temetipſo hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me. Reſpondit Pilatus: Nunquid ego Iudeus ſum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid feciſti? Reſpondit Ieſus. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit itaque Pilatus. Ergo rex es tu. Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quia rex ſum B ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet, iterū exiuit ad Iudæos, & dixit ad principes ſacerdotum ad turbas: Nihil inuenio cauſæ in hoc homine. At illi inualeſcebant dicentes: Commouit populum, docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit ſi homo Galilæus eſſet. Et vt cognouit quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad C Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat illis diebus.

EXPOSITIO.

VAdit ergo Ieſus à Pilato ad Herodem, quia Pilatus hoc medio cupiebat abſolui à Iudæis & eorum petitione, non condemnando innocētem. Dilucidè enim perſpiciebat tres eorum accuſationes nullius eſſe momēti, & quod Iudæi volebant vt ſoli eorum verbo fidem adhiberet. Si D (inquiunt) non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum vnquam. Sunt adhuc aliqui eis ſimiles. Deductio illa admodum verenda erat & opprobrioſa, eò quod in die fiebat, & eo tempore quo Hieruſalem variæ conditionis hominibus repleatus, ratione ſolemnitatis paſchalis. Et quāuis accepiſſent Iudæi conſilium, quod non occiſuri eſſent eum in die feſto, fuit tamen eorum cōſilium diſſipatum, tum per diuinam voluntatem & vt implerentur prophetiæ, tum per Iudæ proditoris opportunitatem, qui iudicabat tēpus hoc E opportunum, ſecundum quod dicit euangelium quod quærebat opportunitatem quomodo proderet Ieſum. Et cogitari poteſt facile, quod in huiuſmodi tranſitu, opprobrijs iniurijs & confuſionibus referto, ſequebaris mœſtum tuum filium mater doloroſiſſima, non quidem prope eum, nā furioſa turba te accedere vetabat. Heu quanta anguſtia pium tuum & maternum cor premebat cū cerneres & audires hoc pacto tuum perduci filiū Ieſum. Vnus trahebat, alter trudebat, alij proijciebant eum luto, alij ſurſum per feneſtras ei illudebant. Et vt breuiter dicatur, maledictus ille F populus quantumcunq; poterat, illi inferebat mala. Hæc fuit quarta deductio, qua Chriſtus deductus eſt. Prima ad Annam. Secunda ad Caipham. Tertia ad Pilatum. Quarta hæc eſt ad Herodem. Hic textus nos inſtruit per Domini noſtri reſpōſum, quod Chriſtus non venit in hunc mūdum, vt regnaret, & dominaretur temporaliter, quoniam fugit, cum vellent eum facere regem. Et quidam petebat, vt hæreditatem diuideret inter ipſum & fratrem ſuum. Cui (ô homo) reſpondit: Quis me conſtituit iudicem ſuper vos? Non dico quin

Christus rex fuerit, & totius mundi Dominus, & in temporalibus & ſpiritualibus. Sed dico eum nō veniſſe, vt exequeretur dominium & iuriſdictionem temporalem. Opinabātur tamen Iudęi, eorum Meſſiam regnaturum temporaliter, & eos facturum maiores & potentiores cæteris omnibus. Sed hic intellectus nimiū carnalis erat, ideo fuerunt etiā decepti. Et in hoc errore eos ſequuntur complures chriſtiani, qui nolunt ſeruire niſi propter temporalia bona, & horum deridēt paupertatem, qui inſequi Chriſtum volunt. Licet ad huiuſmodi errorem præcipuè tollendum Deus ſuſcipere voluerit noſtram humanitatē, & oſtendere cum facto tum verbo noſtram felicitatem non eſſe in hoc mundo, ſed eam in alio mundo inquirere debemus & in alia vita. Cōtemplemur inſuper Pilati modum, qui interrogabat quidem quid eſſet veritas, ſed non expectabat reſponſum. Tales ſunt cōplures qui volunt acquirere ſcientiā aut deuotionem, ſed non perſeuerant. Et ob hāc cauſam tam rari inueniuntur, qui perfectam habeant perſeuerātiam. Præterea concipere hic poſſumus Iudæorum contra Chriſtum odium. Eſto enim quod totis niſibus appeterent eſſe extra tributa Romanorum, & propterea poſtea eorū ſecuta eſt deſtructio, falsò tamen accuſabant Chriſtum Ieſum, quod prohiberet illa tributa, qui perfectam prædicabat libertatem. Hoc autem faciebant, vt Pilatus eum condemnaret. Reſponderūt etiam quod poteſtas interficiendi aliquem non attinebat ad eos, quamuis ſecundum eorum legē lapidarēt blaſphemantes, quemadmodum occaſione huius beatum Stephanū lapidauerant. Sed ordinatio Dei erat Ieſum debere aliam mortem ſubire ſecundum prophetias ſcilicet mortem crucis. Oremus igitur & dicamus,

ORATIO.

VEre rex & veritatis teſtis Ieſu Chriſte, da nobis veritatem cognoſcere, vt te valeamus ſēper ſequi per pœnitentiam & memoriam tuorum tormentorum, & tuæ (quemadmodum euangelium teſtatur) mortis.

TEXTVS DECIMVS.

HErodes autem viſo Ieſu gauiſus eſt valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quod audiret multa de eo, & ſperabat ſignū aliquod videre ab eo fieri. Interrogat autē eum multis ſermonibus. At ipſe illi nihil reſpondebat. Stabant autē principes ſacerdotū & ſcribæ conſtanter accuſantes eū. Spreuit autē illum Herodes cū toto exercitu ſuo, illuſitque indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die, nam ante inimici erant adinuicem.

EXPOSITIO.

FVit chariſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti duriſſimus & ignominioſiſſimus ad Herodem tranſitus. Sed adhuc reuerſio fuit tanto inhumanior quanto Iudæorum principes minus metuebant, quod Chriſtus eorum manus euaderet, & ne aliquo fauore ab Herode abſolueretur. Vidēt nunc magnam partem intentionis ſuæ ſe conſecutos eſſe, cū Herodes vnà cum eis illudit Ieſum.

A Conſiderate vehemens odium & inuidiā capitalium principū Iudæorū, quoniā ibant & redibāt vt accuſarent Chriſtū & ad obuiandum ne eis euaderet. Reuera Herodes hic prophetias de facto, multo melius operaris quā credas, & quā tua ſit intentio. Amictus albus quo induis Chriſtū Dominū, ſignat & teſtatur ſuam innocentiā & ipſum eſſe tanquā agnum album innocentemque, qui non aperuit os ſuum ad clamandum, ad balandū & reſpondendum. Videntes cōplures Ieſum hoc B modo veſtitū iudicabant hoc eſſe ſtultitiæ ſignū. Tu ô ſapientiſſima mater mox ad ſuam puritatem & innocentiam cogitatum vertebas, de qua quidem innocentia iudicabas meritò & approbatè. Sic quoq; quod ſtulti mundani ad illuſionē vertebantur & irriſionem, tu ferebas ad ſublime myſterium, honorem, reuerētiam & deuotionē, ſicut fit adhuc quotidie erga bonos religioſos qui deſerunt extraneos habitus mundi, ob aliquā obſeruationem ſpiritualem, ſapientem & deuotam. Sed conſidero etiam ſtultam Herodis curioſitatem, C rectè confuſam fuiſſe & reprobatam. Deſiderabat videre Chriſtum, non propter bonæ doctrinæ cōmoditatem, immo quęrebat aliqua mirabilia ſigna, vt in his recreationem ſumeret. Sed Ieſus non dixit ei verbū. Aduertamus hic omnes, quorum intereſt alios inſtruere in bonis & conducentibus doctrinis, aduertamus quod curioſis & his qui eorum facere nolunt vtilitatem, ſe quęrunt vt audiāt rem aliquam nouam vel extraneā, his inquā non eſt prædicandum, nec reſpondendum, quia ad placendum illis, quiſquā diſplicet D Deo. Adhuc ſunt nonnulli qui dicunt. Si eſſemus in tēpore apoſtolorū multo firmiores eſſemus in fide, eſſemus erga Deum deuotiores, & citius cōuerteremur. Hæc periculoſa tētatio eſt, & ſtolida cōqueſtio, tanquā Deus nulla nunc operetur miracula. Habuimus etiam noſtro æuo (etiam nos) aliqua miracula, quamuis cōtigerit ſæpe, quod hi qui euidentiora habuerunt miracula, minus ad bene faciendum & ſe corrigendum cōuerſi ſunt. Miracula etiā præterita tibi ſufficere debent, ſi ea E credis, quod ſi ea non credis, necq; profectò nūc illis fidē adhiberes, quæ videres & audires, immo ea contemneres, calūnijs afficeres & reprobares. Non eſt certè miraculū vllū, quod firmius me faciat in Deū credere, quā quod in eū ex ſua gratia credo. Satis enim mihi cōſtat nullū adeò magnū eſſe miraculū quin ipſum diuina potentia facere poſſit etiā maius millies. Meditemur demū quo pacto duo lupi conueniūt ad capiendā vnā ouē. Pilatus & Herodes prius inimici erant, eò quod F Pilatus iuſſerat occidi quoſdā Galilæos ſacrificātes & cōmiſcentes proprium ſanguinē cum eorū ſacrificio. Sed hodie amici facti ſunt. Et in hoc ſignificatū fuit Ieſum aduenisse ad omnis pacanda concordandáque nō tali intētione qua Pilatus & Herodes hodie concordati ſunt. Si his tēporibus concordiæ fiunt inter magnates aliquos, ad rodendum & ſpoliandum pauperes & innocentes, me ad id refero quod videtur. Conuertamus ſermonem noſtrum ad orationem, dicentes.

ORATIO.

AMiſimus pure & innocentiſſime Ieſu, pulchrā & albā innocētię tunicā, eāq; maculis detur-

detur pauimus. Velis quæsumus nobis eam renouare, aut facere vt eam renouemus per mundam pœnitentiam, nobisque tribue bonam in omnibus iniurijs patientiam, & in silentio discretionem vt de te habeamus semper memoriam.

TEXTVS VNDECIMVS.

Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis, sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei, emendatum ergo illum dimittam: Tunc exclamauit turba, dicens: Tolle tolle, crucifige eum: Dicit eis Pilatus. Accipite eum vos & crucifigite, ego enim nō inuenio in eo causam. Responderunt enim Iudæi. Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit quam prius. Et ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus. Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper, propterea qui me didit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur licostratos, Hebraice autem grabatha. Erat autem parasceue paschæ: hora quasi sexta. Et dicit Iudæis: Ecce rex vester: Illi autem clamabant: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices, Non habemus regem, nisi Cæsarem. Et accusabāt eum summi sacerdotes in multis. Iesus autem nihil respondit. Tunc dicit ei Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respōdit ei ad verbum vllum ita vt miraretur præses. Per diem autē solemnem consueuerat præses populo dimittere vnū vinctum, quē voluissent. Habebat autem tunc vnū vinctum insignē, qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus, Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam in pascha: quem vultis dimittam vobis, Barraban, an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius dicens: Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis vt peterent Barraban, Iesum verò perderent. Respondens autē præses ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt Barraban. Erat autem Barrabas latro, qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem. Dicit illi Pilatus. Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? Videns autem Pilatus quia nihil proficeret sed magis tumultus fieret in populo, accepta aqua lauit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Glossa. Bene vobis conueniat. Et respondens vniuersus populus dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.

A *EXPOSITIO.*

Sanguis Iesu certè super vos fuit, ô perfidissimi Iudæi, & super filios vestros in Hierosolymitana destructione, & est adhuc eritque semper super illos, qui se non cōuerterint. Et meritò quidem cum hanc receperitis maledictionem: & cum potius petieritis vobis dari latronem, seditiosum, homicidam, quam innocentem & pacificum Saluatorem. Sanguis hic sanctus & sacratus
B Iesu, clamat contra vos, sicut sanguis Abel contra fratrem suum Cain. Habetis etiam multas huiusmodi maledictiones in hoc quod vagabundi & fugitiui per vniuersum mundum estis, nullam habendo stabilem mansionem. Ad hanc quam dat Pilatus oblationem dimittendi Iesum, aut Barraban, quid dicere poteras ô sapiētissima domina Maria, cum audires filium tuum innocentem conferri ad latronem, homicidam & seditiosum? Dicebasne aliquibus Iudæis, apud quos stabas, & quos alloqui poteras, vt propter Deum
C sanctamq; charitatem filio tuo compaterentur? Qui tanta in eos contulerat bona, qui nec latro erat, nec homicida, immo mortuos suscitauerat, ægrotos curauerat. Vita etiam eius magis vilipendebatur, quam vita homicidæ, latronis, seditiosi. Et credebatur maioribus, qui contra eum inuidiam conceperant propter bonā eius famam, & sanctam eius doctrinam. Erant Iudæi aliqui, sicut Nicodemus & alij, quos curauerat Iesus, qui desiderassent Iesu liberationem, neque consenserāt in mortem eius, sed maior pars adeò inclamabat,
D vt victoriam obtineret. Confidite igitur in populi fauorem & mundi, præcipuè autem vulgi, non est enim res inconstantior vlla vt hic planè claréque intuemini. Paulo ante populus Iesum Christum filium Dauid nominabat, benedictum qui veniret in nomine Domini. Modò clamitat: Tolle tolle, crucifige eum. Est igitur hæc res nobis in singulare exemplum, ne habeamus aut ponamus nostram securitatem, gloriam & fiduciam nisi in Deum. Aduertite vulgum potius hic sedi-
E tiosum homicidam eligere & laudare, magisque sustinere amaréque quam Iesum sanctissimum & innocentissimum omnique laude dignum. Qualis iudex, tale & iudicium. Stultus est qui tali confidit electioni. Quotidie adhuc tales facimus electiones. Dimittimus enim Saluatorem nostrum, vt latrocinia in diuersis mercibus assequamur, vel in alijs rebus, postulamusq; lites & dissensiones. Hoc autem facere quid aliud est, quam retinere Barraban; & dimittere Iesum innocentem? O
F vere totius mūdi Saluator es qui iam pridem per Moysen Iudæos liberaueras à dura Ægypti captiuitate, à Pharaonis tyrannide. In huius admirandi signum, & talium beneficiorum memoriam in hoc festo paschali dimittitur Iudæis captiuus liber quem volunt. Et ideo tale tibi ob magna merita malum redditur, quod vadis ad mortem amaram, quam videbat & deflebat mater tua benigna. Dignare quæsumus per tuam misericordiam à falsis huiusmodi iudicibus in peruersis electionibus defendere, tam ergo nos quam erga alios. Sed quid agis ô Pilate? Debite

inquirere cœpiſti Ieſu cauſam, & ſuam iuſtitiam, ſed eum reperis innocentem, non morte dignum tam per te quam per Herodem, & modo quoque per vxorem tuam. Video tamen te vſque adeò inutabilem, vt tibijpſi contradicas. Te aſſeris eſſe innocentem à ſanguine Ieſu, manus lauas, nihilominus eũ morti adiudicas. Eum exponis mortalibus ſuis inimicis, qui prius dixeras in poteſtate tua eſſe eum liberare. Te lauas ſicut cornicula. Tota maioris maris aqua non amplius auferre poſſit Ieſu ſanguinem à tuis manibus, quam nigrum corniculæ colorem. Si Iudæi te magis eorum clamoribus ad hoc inducunt, malè faciunt, grauiter delinquunt, etiam erga te, cum non permittant te libere iudicare, officiumque tuum exercere, immo te conantur captiuum facere, & executorem execrabilis intentionis ſuæ non tamen obedire debes. Iudex firmus eſſe debet & conſtans, nec amore, nec odio, nec dono, nec nimis ſe flectere. Iudæi maius peccatum habent, & odioſiores ſunt. Nec tamen tu excuſandus venis propterea, quia poſtmodum grauiter punitus es, poſt reſurrectionem dominicam, vt narrant hiſtoriæ, quamuis tua relatione, & aliorum complurium, imperator & Romanus ſenatus Chriſtum in deorum numerum referre vellent: At alia fuit diuina voluntas, noluit enim cum diabolis numerari, quoniam omnes dij gentium dæmonia. Senſerunt doctores aliqui (vt videtur) quod cum Pilatus Chriſtum Iudæis præſentaret, dicendo: Ecce homo, ecce rex veſter, iam cum ad columnam ligauerat, & crudeliſſimè virgis percuſſerat, adeò vt in corpore ſuo non eſſet aliquid plagis & ſanguine carens. Aſſimilabaturq; forma & figura eius quaſi leproſo, iuxta Eſaiæ prophetiam. Adeo vt (dicunt aliqui) poſtmodum reuelatum fuit, Ieſum in corpore ſuo quinque milia trecentas ſeptuaginta quinque plagas habuiſſe: Pilatus ergo ad pacãdum Iudæorum furiam, præſentauit Ieſum in tanta afflictione, ac ſi diceret: Miſericordiam habete de iſto homine, homo eſt non belua. Si malè erga vos deliquerit, punitus eſt grauiter. Si prius ſe eſſe dicebat filium Dei, videtis me ei oſtendiſſe contrarium de facto, & per verbera, quietus eſt ſicut aliquis alius homo. Si ſe fecit regem, parum hoc vos mouere debet, cum in tali ſit ſtatu, & in tanta deiectione. Exiguum eſt regnandi principium, punitus eſt & correptus de ſuis delictis, vt clarè cernitis. Cognoſcis ô Pilate non ſatis durum, obſtinatum, peruerſum & crudele cor fellitorum & inimicorum Iudæorũ, eos pacare credis, & ipſos magis in flammas, reddiſque acerbiores, cum intuentur iam inimici eorum ſanguinem, tanquam ſylueſtris belua, quę eo crudelior eſt, quod iam viderit ſuæ plagæ cruorem. Poſtquam vident fragilitatem tuam & inconſtantiam in ſeruanda iuſtitia & quod intantum exceſſeris, ſperant ſe facile reliqua conſecuturos. Maledictus ſit eorum furor, qui taliter confirmatus eſt & obſtinatus. Notate eorum cæcitatem quoniam per hoc quod dicunt hic, ſe non habere regem niſi Cæſarẽ, ſcire debent Meſſię tẽpus aduenìſſe, per Iacob prophetiam, qui prænũciabat quod ex tribu ſua regali Iudæ, non auferretur ſceptrum regale, nec princeps, donec veniret qui erat expectatio gentium. Sed dimittamus Iudæos, & conſiderationis noſtræ oculos conuertamus ad te ſpecioſa mater, & ad incomparabilem dolorem tuum. Cum autẽ in tali ſtatu intuearis filium tuum, qui prius tam ſpecioſus erat, modò vero tam difformis à te videtur. Cogitas ne? Heu alloquar ne eum, an tacebo potius? Ad loquendũ me mouet cõpaſſio, ſed magna rei indignitas non reperit vllum ſermonem, ad anguſtiam tuam ſufficienter dicendam & explicandam. Cui hic maternum cor eſt ad vnicum filium, vel boni amici ad ſuum Dominum, aut cor pium, te meditetur dulciſſima domina mater, meditetur & cogitet doloroſum hoc tormentum. Sermo enim me deficit ad ipſum deſcribendum, & cor vt debitè cõſideretur. Figuremus ſæpius Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum per cogitationẽ noſtram in tam affligente doloroſo & miſerabili ſtatu, in quo auditis & creditis eum tunc fuiſſe ad nos peccatores redimendos. Propter te eſt miſera humana creatura, quod Saluator tuus Deus in Trinitate benedictus patitur, & redẽptionis precium eſt. Offer eum Deo, vt coram omnibus tuam paces offenſam, & dic: Ecce homo, qui vt pro delictis meis ſatisfaceret, & me liberaret erga vos, talem pertulit ſtatum. Reſpice Domine pater omnipotens in filij tui facie, qui propter nos ſe præſentat plenũ plagis & omnibus doloribus noſque recipe ad pœnitentiam, in huius pœnæ memoriam quam exſoluit pro iniquitatibus noſtris & ſatisfactionibus. Sed quid hoc ſibi vult, Pilati vxorem viſionem habuiſſe ad Ieſu liberationem? Dicunt doctores, hoc inimici procuratione factum eſſe. Multis namque ſignis percipiebat Ieſum promiſſum eſſe prophetam, & mundi redemptorẽ, ideo voluit medio vxoris Pilati, Ieſu mortem impedire, non ad bonum aliquod, ſed vt noſtræ obſtaret redemptioni. De modo autem per quem inimicus huiuſmodi immittit illuſiones, ſiue dormiendo, ſiue vigilando: & quomodo cognoſcitur bonorum reuelationum diſcrimen, & compluribus huiuſmodi illuſionibus, in pręſentiarum relinquo dicere quicquam. Et ſi hoſtis diuerſis veritatem perciperet ſignis, vt per exultationem patrum in lymbo aut purgatorio exiſtentium, & per hoc quod Ieſus tacebat, & prophetiæ implebantur, tanta tamen eius erat malitia, vt eum excæcaret, & rurſum compelleret ad perſequẽdum Chriſtum Dominum, neque à tali deſtitit perſecutione, donec anima corpus Ieſu egrederetur. Tunc enim expectabat ſupra alterum crucis brachium, ſecundum quod dicit gloſſa quædam, vt percipere poſſet ſi nihil mali inueniret in Chriſto Ieſu. Sed anima ſua mox glorioſa apparuit & victorioſa, quæ deſcẽdit vt liberaret omnes ſanctas animas, quę tũc glorificatę fuerũt, eſto ꝙ nõ aſcẽderint in cœlos ad aſcẽſionis vſq; diẽ. Tunc omnis inimici malitia cõfuſa eſt. Sed tũc adhuc tamẽ intelligeret Ieſu mortẽ per Pilati fœminã nõ eſſe impeditã ſicut mortẽ per fœminã procurauerat, ad priſtinã redit malitiã, vtiturque per ſuos miniſtros alio tẽtationis genere ſẽper, vt certius ſumeret experimentũ, ſi Chriſtus Deus eſſet, an homo. Tantumq; effecit vt rurſum reduceret in prætorium, hoc eſt iudicij locum ad illudendum ei omnibus modis cõtumeliarũ, tormentorũ & opprobriorum. Sic dicit duodecimi euangelij textus.

TEXTVS

TEXTVS DVODECIMVS.

Tunc Pilatus dimiſit Iudæis Barrabam, Ieſum autem tradidit eis vt crucifigeretur. Tunc milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorio, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem, & exuentes eum, chlamidem coccineam circundederunt ei. Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem & percutiebant caput eius. Et poſtquam illuſerunt ei, & exuerunt eum chlamide, & induebant eum veſtimentis ſuis, & duxerunt eum vt crucifigerent eum, qui baiulabat ſibi crucem ſuam.

EXPOSITIO.

VAdit hic Ieſus ad mortem amaram, cernés matrem ſuam Mariam. Quoniam auté dicit textus, Ieſum flagellatũ traditũ eſſe Iudæis, intelligi datur quod prius admonui, ſequédo dictũ quorundã, hanc flagellationé factam fuiſſe ante ſententiã à Pilato datã. Alij vero dicunt eam factam fuiſſe poſtea iuxta Romanorum moré, qui condénabant eos flagellandos qui morti erãt adiudicati. Nilominus certum eſt ſecũdum omnes Euangeliſtas, eum ſic flagellatũ fuiſſe virgis aut flagellis. Poſtea rurſum veſtierũt Dominum noſtrum veſtimentis ſuis, & adhæſit cruor calidus veſtimentis. Heu ſufficere debebat ad ſatisfaciẽdum Romanorũ legi, Ieſum ſic flagellatũ fuiſſe. Sed minimè ſufficiebat felle plenis Iudæis, quia forſitan nondũ eorum crucé omnino parauerãt, aut clauos, ignorabant enim quomodo Pilatus eum iudicaturus eſſet. Et vt ſemper augerent opprobria Saluatori noſtro, & præcipuè ob ſapientem ſecretamque Dei ordinationem, ſecundum quod chriſtus ſæpius prædixerat, tantum effecerunt quod peruerſi Pilati ſatellites, & omnis ſocietas acceperũt rurſum Ieſum, in prætoriũ eum ducentes, illic iniurijs pluribus & violentijs eum afficientes. Præſertim auté duodecim notabiles quæ hic ſcriptæ ſunt illi intulerũt violentias. Primò exuerũt eũ. Cogitate deuotiſſimi, quantũ hic Saluator noſter patiatur doloré primũ, & præcipuè cum oſtendatur corã tot hominibus. Secundò cũ veſtiméta adhærẽt carni vndiq; plagis dilaniatæ, eſſentque valde precioſæ carni ſuæ affixa ob calidũ cruoré, qui iam frigefactus fuerat, quæ fuerunt nunc inhumaniter ei ablata. Quæ res diligenter penſitãda eſt, quantũ fuerit tormẽtum. Cum enim veſtimentum illud hoc pacto eidem fuiſſet ablatum, apparebat Dominus noſter Ieſus Chriſtus tanquam excoriatus eſſet. Tertiò erat intẽſum frigus, ſicut prius tactũ eſt, quod diuus Petrus calefaciebat ſe. Quartò Ieſus purpura indutus fuit, quæ alutæ aſſimilatur, & fortius hæret quam pannus, ideo facilius carni ſuæ adhęſit. Illud etiam fuit per deriſionem, quia dicebat ſe eſſe regem, purpura autem habitus eſt regalis. Quintò vt non eſſet particula in Saluatore noſtro, que pœnis non eſſet obſita, fecerunt coronam ſpineam ex acutiſſimis ſpinis, ſecundum expoſitores, vel ex lingis pungentibus tãquam ſpinæ. Refert autem diuus Bernardus, quod huiuſmodi puncturæ perforauerunt caput eius, & decurrebat cruor. Non ſunt hæc certa, quæ ob vanitaté gerimus, quamuis (vt verũ dicatur) omnes vanitates noſtræ aſperrimis aculeis refertæ

Gerſon. Quarta pars.

ſint, plus animã pungẽtes, quã ſpinæ corpus. Sextò dederunt ei ad manũ dexterã arundiné. Et ex
A hoc rationale eſt Saluatoré noſtrũ non omnino fuiſſe ligatum, ſed quod chorda appendebat ſiniſtro brachio, quéadmodum dicunt aliqui. Arundo hæc quę erat perforata, & interius vacua deſignat mũdanam terrenãque potentiam, quæ fragilis eſt & vana. Septima illuſio in hoc fuit, quod flectebant per deriſionem genua, in ſignũ cuius hoc die veneris non inclinãtur genua, cum oratur pro Iudæis. Hæc illuſio his aſſimilatur, qui interius per verba Deum honorant, & exterius per
B mala opera inhonorant. Octaua illuſio fuit ſalutando eum regem, irridendo eum. Nona fuit turpis, deteſtabilis & abominabilis, cum expuerent in glorioſam eius facié. Sic adhuc faciunt omnes illi qui blaſphemant aut proferunt turpia iuramenta de Deo, de Maria virgine, vel de ſanctis. Decima, quando caput eius percutiebant arũdine, & ſpinas caput eius profundius infixerunt. Vndecima fuit, quando rurſum exutus fuit, per quod renouatus fuit pudor & anguſtia, propter
C cruorem & cutem purpuræ adhærentem. In harum rerum memoriam, exuamus nos vitijs noſtris, & veſtiamur virtutibus, certò ſcientes quod omnia mundana & honorabilia veſtimenta ſolum illuſiones quædam ſunt, fabea regalitas eſt, aut piſea, aut certè ſumniata, huius mundi regalitas: Quanto quiſque indignitate maioré eſt, aut in ſtatu ſublimior, tanto peccatum ſuum maius eſt. Duodecima quando ducebant eum ad crucifigendum, & fecerunt eum portare crucem ſuã,
D vt dictum eſt, & plenius in collatione dicemus. Accipiamus & nos (populus deuote) nunc Ieſu crucem ſupra humeros noſtros, per ſanctam deuotionem, exeamus ſecum foras ciuitatem mundi, per eleuatam contemplationem, cogitemus ſuper nos his non habere manſionem. Et vt nos attrahat ad perennem paradiſi manſionem, ad Deum vadit Ieſus per mortem amaram, ſequente eum dulci ſua matre Maria. Debemus igitur meritò per pœnitentiam huius doloris habere memoriam.

Oratio.

E O Ieſu, vere rex noſter, qui eſt coronatus gloria & honore in æternitate, concede nobis magnanimum cor & ingenuum, ad contemnendas omnes præſentis ſeculi pompas & vanitates & mediante aſpera pœnitentiæ coronatione, & mortis tuæ memoria, tribue nobis in fine gloriæ coronam in regno cæleſti. Amen.

Primæ partis huius paſſionis finis.

SECVNDA PARS HVIVS PASSIONIS POST PRANDIVM PER
F *collationis modum prædicata.*

ILlic incipiamus vbi mane finieramus ſ. quod Ieſus exiuit domum Pilati, baiulans crucem ſuam. Heu ergo deuotiſſimi, nunc certè Ieſus vadit ad mortem amaram, videns matrem ſuam benignam. Debemus igitur meritò per pœnitentiam huius doloris habere memoriam. Qualis (ô Deus) iniquitas? quã incõparabilis crudelitas? Quis vnquã audiuit condẽnatũ hominẽ, quantũcunque magnus eſſet malefactor & abominãdus fur, coactũ

fuisse, vt suum portaret patibulum, vel suam crucem. Sed hoc fuit ad prophetiæ Esaiæ impletionem, quod Iesus portauerit supra suos humeros imperialẽ suũ triumphũ. Detur mihi venia oro, si immoror in describẽda huius facinoris indignitate & peruersitate, quia adhuc sufficiẽter explicare nõ potero. Nũc haud absq; causa potest diua virgo triste & lamẽtariosissimũ vale capere à benedicto filio suo, cũ egreditur domũ Pilati, portãs magnã crucem, totus respersus cruore, & Iudæis circũdatus cũ aspere cædẽtibus. Et cũ tanta maiore inhumanitate, illusione & excessu eum affligebant quã prius, quanto securiores erant de sententia sui incepti. Vnus dicebat alteri, perge, eripe teipsum. Alter percutiebat eũ pede, genu, pugno, aut baculo, dicens omnino fatigato & onerato, propera citius, propera. Alius eum trahebat per eos funes quibus ligatus erat. Sicque faciebant eum supra vestimentum suũ calcare, & quasi ad terram prolabi. Nec virgo gloriosa, nec nepos eius diuus Ioannes Euãgelista, nec aliẹ deuotæ mulieres, poterãt propius ad eum accedere ob turbam quæ eum vnde quaque circundederat. Enitebatur tamen magnopere virgo Maria mater sua eum videre, se erigendo in pedes suos. Et cum eum intueretur, clamabat voce alta dicens: Heu vadit, actum est. Similiter & aliæ deuotæ mulieres conquerebantur, sequentes eum iuxta facultatem suam, & si facile credi possit, peruersum illum populum eas derisisse, & pepulisse ab eis. Sic ergo dicit textus.

TEXTVS.

ET baiulans sibi crucem, exiuit Iesus. *Exutes autem inuenerunt hominem Cyreneum venientem de villa, patrẽ Alexãdri & Ruffi hunc angariauerunt, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebantur autem illũ multa turba populi & mulierum quæ plangebant & lamẽtabantur eum: Conuersus autẽ ad illas Iesus dixit: Filiæ Hierusalẽ, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniã ecce venient dies, in quibus dicetur: Beatæ steriles, ac ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos.*

EXPOSITIO.

Formidabilis sententia & horrenda hic peruenit ad aures nostras mirũ est si non tremimus & fremimus de horribili tormẽto. Cõsideremus igitur deuotissimi, quod si Iesus purissimus innocẽtissimus & verus in humanitate Deus, in diuinitate homo patitur tantã pœnã dolorosam & ignominiosam, vt iustitiæ satisfiat, quid nos peccatores expectare debemus, quod nobis faciat iusticia? Iusticia filio Dei non pepercit, quid faciat peruersis inimicis filij? Iustitia vix saluat iustum, peccatores aũt & iniusti quid faciẽt? quò veniẽt? Cõsiderate diligẽter quãto odio iusticia peccatũ prosequatur, cũ vt ipsum auferret & deleret filiũ Dei occidit, traditq; ipsum tãtis pœnis & supplicijs, inæstimabilibus iniurijs & turpibus opprobrijs. Si inferiorũ pœnæ non essent adeò horrẽdæ cur iusticia filio Dei tãtas daret pœnas, vt nos ab illa eriperet pœna? Si adeò iusticia dura est hic, vbi per cõpassionẽ iudicat, & ad remissionẽ, qualis erit cũ per condẽnationẽ iudicabit, vel per amarã heu pœnitẽtiã quẹ nos sequitur? nisi & cõuertamur & emẽdemur, siue in hoc mũdo fuerit, A siue in alio, hoc est in purgatorio. Aut si obstinati fuerimus, heu multo maiora absque cõparatione vlla super nos eueniẽt, propter horribilẽ & crudelẽ dãnationẽ, quæ in perpetuũ nos vret, & sine fine nos occidet: Ploremus igitur super nos ô deuotissimi, ploremus super nos & super filios nostros. Si enim iusticia nõ parcit sãctissimo nostro & sũmo patri innocentissimo, facile coniectari potest, nos non euasuros manus eius impunes. Necesse igitur est aut hic aut alibi agere pœnitẽtiã. Et multo facilius hic faciẽda est pœnitẽ- B tia, vbi iusticia regnat gratiosa & misericors quã alibi, vbi est tardissima & ad liberãdum nõ cõpatiẽs infructuosaq;. Sed turbare posset pauperes aliquos quædã hic questio. Videtur enim Christũ prohibuisse fletum super se & super dolore suo. Nos verò toto hoc sermone exhortamur memoriã passionis, vt dolorẽ habeamus ad cõpassionẽ. Sicq; facit scriptura sancta in plerisque locis. Apparet cõtradictio, nõ tamen est contradictio vlla si totũ diligẽtius cõsideretur mysteriũ. Certissimi C estote Dei filiũ humanã carnẽ assũpsisse & mortalẽ nõ quidẽ pro se, sed ad nos redimẽdos, ad satisfaciendũ debito nostro & iusticiæ. Quicquid igitur patitur, pro nobis est & delictis nostris nihil ergo in se habet propter quod flendũ sit, nisi pro nobisipsis. Vniuersa doloris causa super nos cecidit, nã & ipsemet dũtaxat pro nobis dolorẽ assumit. Tãtoque ingratiores sumus, vt malè cognoscentes quæ pro nobis fecit, cum de suo dolore nõ habemus memoriam, & multo amplius, D cum intantũ peccauerimus & fuerimus inobedientes, quod talis inobedientia nostra Christũ ad mortem amaram, tradiderit, vidẽtem perdulcem suam matrẽ. Nec etiam magni facimus animam nostram ad quam saluandam, habendam & liberandã taliter benedictum sanguinem effudit tam charam eã iudicauit, quam nos singulis quibusque diebus pro minori damus quam obolo. Tanta tamque incomparabilis erga nos proditores suos peruersos fuit diuina misericordia, quod vnicum suum filium omnibus pœnalitatibus & opprobrijs fecerit obnoxiũ, vt nos à per- E petuis inferni liberaret pœnis, quas merueramus vt nos saluaret in gloria. Nec tamen adhuc tali vti volumus misericordia, immo abutimur potius in hoc quod mores nostros ad hanc Iesu Christi passionem, per bonam fidem & amorem nolumus conferre, eãque nobis appropriare, & eã Deo offerre, tanquã nostrẹ redẽptionis preciũ, nostrã exolutionẽ & nostrũ preciũ, absque quo prẹcio oẽs quæ vnquã fuerũt & futuræ sunt pœnæ, nec omnia futura bona sufficiẽt ad debitorũ F nostrorũ exolutionẽ & emẽdationẽ. Nõ est igitur sanius cõsiliũ, quã hãc benedictã passionẽ pro omnibus debitis nostris Deo offerre. Fuit aũt homini oblatio & prẹsentatio per bonã credulitatẽ & huius passionis memoriã, per quã criminũ nostrorũ displicẽtiã, quẹ exegerũt tantã emẽdationẽ, & agẽdas gratias Deo de hac incõparabili misericordia quẹ pro nobis inutilibus seruis & suis inimicis, filium suũ tradiderit in mortẽ. Hoc est quod cõsiderare debemus in hoc passionis libro, in quo septẽ signacula aperta sunt, quæ manifestè septẽ nobis insinuãt veritates. Prima, peccatũ maximo-

maximopere habẽdũ eſt odio, quod maximè iuſticiæ diuinæ diſplicet. Nã ad ipſum deſtruendũ videtis Deũ pati pœnã peccato debitã. Secunda, peccatũ eſt horribiliſſimũ, alioquin nunquã Dominus noſter ad liberandũ nos, tantã perpeſſus fuiſſet pœnã. Tertia, pręmiũ paradiſi maximũ eſt & inæſtimabile, alioquin diuina miſericordia no luiſſet, quod per talẽ tantãque paſſionem ipſum emptũ fuiſſet & acquiſitũ. Quarta, obediẽtia ſummopere laudanda eſt, nã Chriſtus Dominus eam patri ſuo ad mortẽ vſque crucis exhibuit. Quinta, huius mundi amor & felicitas fugienda eſt, quia mutabilis admodũ eſt & incerta, alioquin enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus non adeò eã contẽpſiſſet & depreſſiſſet, recipiendo omnia cõtraria, & omne quod mundus iudicat & opinatur in felicitatem. Sexta, animas habemus immortales, vt recipiamus alterius mundi præmiũ, quod hic nõ exoluitur: Aliàs enim Deus non iuſtus eſſet, qui nõ remuneraret magis ſibi famulãtes & minus, quã ipſum perſequentes, quod eſſe nequit. Septima, maxima eſt Dei & ſuorũ angelorũ erga homines clemẽtia. Alioquin ſic in peccatis iacẽtes turpiter & iniuſtè Dominus noſter purus & innocens, rex regũ Dominus Dominãtiũ nunquam permiſiſſet, quod etiam vnico momento in hac vita ſuper terrã permãſiſſent, quin ſubitò perditi fuiſſent & confuſi. Et hæc omnia in noſtra ſunt paſſione, ſi diligentius inſpexerimus & bene vſi fuerimus, & bonitatẽ fuerimus ſecuti: eam implendo tam erga Deum, quã erga proximos, vt de alio habeamus cõpaſſionẽ. Cõſidero inſuper quod in hoc textu Saluator noſter Iudæis prædicebat eorũ punitionẽ, & Hieroſolymitanæ vrbis deſtructionem poſt paſſionẽ anno quadrageſimo ſecundo, quæ deſtructio perennẽ deſignabat dãnationẽ. Quæ adeò horrenda fuit, vt ingenua quædam fœmina ob famis rabiem propriũ occiderit filiũ quẽ aſſatum comedit. Illic occiſi ſunt vndecim milia hominũ, ſecũdum quod refert Ioſeph, qui & ipſe præſẽs fuit. Et captiui fuerunt octoginta milia, decẽ & ſeptẽ, quorũ dabãtur triginta pro denario, ad eos occidendũ. Aliqui enim aurũ ſuum comederãt, ad quod habendũ occidebantur. Et hactenus videtis durã ipſorũ punitionẽ, ſunt enim fugitiui, & per totũ mundum diſperſi. Quos Deus permittit tã vt habeatur memoria ipſorũ facinoris, quã vt ſint teſtes ſcripturarũ noſtrarũ & prophetiarum, quas ipſi (quãuis inimici) tenẽt & cõfitentur, licet eas nõ bene intelligãt. Tertio, quoniã in fine mundi cõuertentur ſecundum prophetias reliquiæ, &c. Contẽplor finaliter Simonẽ Cyrenenſẽ qui Iudæus nõ erat, qui tamẽ crucẽ portabat poſt Chriſtũ Dominũ. Videtur aliquibus ſecundũ loquẽdi modũ huius textus Ieſum Chriſtũ priorẽ partẽ crucis ſupra ſuos portaſſe humeros & Simonẽ ſuſtinuiſſe aliud extremũ. Sed cogitemus hic cũ Iudæi perciperẽt Chriſtũ quaſi cadere, neque ire ſatis citò, ob magnũ põdus illi⁹ crucis, erat enim magna, vt ſuſtineret magnũ hominẽ quẽcunque aut ſex pedũ lõgitudinẽ habentẽ, & vt tantũ eſſet à terra ſubleuatus, quod nemo palma pedes ſuos attingere poſſet, & Ieſus erat prorſus debilitatus, propter pœnas & verbera ſuperius dicta, & alia pleraq; quæ ſcripta nõ habemus. Meditemur hic, cũ Iudæi parũ ſiſterẽt, intuerẽturque huc & illuc quis portare crucẽ illã ſi beata virgo ſe non obtulerit ad eã portandã. Nõne dicebat? Onerate me, quia libẽs ipſam portabo. Et diuus Ioãnes eius nepos: obtulit ne ſe ad portandũ eã, qui erat admodũ iuuenis? Magdalena etiã dicebat ſe bene portaturã. Erat magna amoris fiducia quę crucem illam volebat portare, magnus affectus vos hæc dicere cogebat, licet multi ex turba fœminas irriderent, quæ ſequebantur Chriſtum Dominũ, & ſimiliter earum fletus. Poteſt tamẽ non immeritò credi peruerſam credulitatẽ non adeò magnam fuiſſe tunc quocunque modo, quin aliquantulũ remitteretur erga virginẽ Mariam quę maximè erat deſolata. Multi, vt cogitari poteſt, eã intuẽtes dicebãt adinuicẽ, aut in ſemetipſis. Magna eſt de hac muliere pietas, magnũ eſt dãnum, cum ita tollitur eius filius, & ad mortẽ hoc pacto ducitur. Poterat liberari etiã ob ſolum ipſius virginis intuitũ. In parua illa mora cum quærebatur aliquis qui crucẽ deferret, eſſe poteſt quod proximius accedebãt deuotæ mulieres, & tunc Ieſũ Chriſtũ verſo ad eas vultu, id eis dixiſſe quod audiſtis ex textu, inſpiciẽdo (vt credo) matrem ſuã. Ex quo aſpectu egreſſa eſt ſubtilis pietatis ſagitta, quæ perfodit amborum corda in illa aduerſitate, ſicut prius dulcoris ſagitta ea perfoderat in proſperitate. Sic ergo quærebant ſelliti, qui hanc crucẽ portaret, nam vnuſquiſque in primis abominandum iudicabat eam portare. Viderunt hominẽ illum Simonẽ Cyreneum, venientẽ de villa, & incedentẽ via ſua, qui erat extraneus, illum compulerunt ad ferendam crucẽ hanc. Fuit valde felix portatio, taceo quod partim factum fuit ad magnum myſterium in ſignum quod pagani ſeu Sarraceni conuertendi eſſent ad fidem noſtram, & portaturi crucem. Et quoad textum dicunt aliqui quod partim factum fuit, quod duo huius Simonis filij erant Dei diſcipuli. Faciamus hic noſtram orationem, ad hunc textum attinẽtem, & dicamus.

Oratio.

Concede Domine taliter nos flere ſuper nos, & ſuper filios noſtros atque amicos portando exemplo tuo pœnitentiæ crucem, vt euitare poſſimus damnationem horribilem, quæ erit in eos qui ligna fuerint arida, & ſine bono pœnitentiæ fructu, quique non habuerint de tua morte ſufficientem memoriam.

Ieſus vadit ad mortem amaram, quem ſequitur ſua benedicta mater, & propterea vt ſemper aliquid addatur ad eius bonitatem, audite quid dicat Euangelij textus.

TEXTVS.

Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur, & poſtquam venerũt in locum qui dicitur Golgotha, quod eſt interpretatum Caluariæ locus, dabant ei bibere myrrhatum vinum cum felle mixtum, & cum guſtaſſet, noluit bibere. Ieſus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.

EXPOSITIO.

ET ſcitote ipſum ductum eſſe cum duobus latronibus, ad locum quẽdam fœtidum Caluariæ: in quo puniebantur malefactores, erãtque illi capita & alia mortuorum oſſa, & illi Chriſti olfactus admodum moleſtatus fuit à tetro qui il-

lic erat odore. Cui dederunt bibere acetum amarum & plenum felle, ad magis torquendum eum A in gustu. Et exuerunt eum tertiò cora omni populo, accipientes eum & durissimè supra crucem eum proijcientes, extenderunt, transfixerunt & perforauerunt alteram manum, quã clauo affixerunt ad vnum crucis brachium. Deinde alteram manum, quæ nõ poterat extendi ad alterius brachij crucis foramen durissimè pertraxerũt. Cunque nerui retracti essent, intantum chordis pertraxerunt manum, donec veniret in locum suũ. Et omnia adeò tracta sunt, quod omnes nerui B rupti fuerunt. Deinde affixerunt eum magno clauo ferreo absque artificio facto. Et similiter in brachio crucis ad pedes magnum clauum posuerunt, vel duos, sicut aliqui dicunt, per duos clauos pedes eius fuisse trãsfixos. Taliterque dominicum corpus & tam asperè tractum fuit atq; extensum sicut neruos, quod omnes iuncturæ diuisæ sunt cum neruis. Et poterant sui corporis omnes nerui dinumerari, similiter & ossa, secundum Dauidis Prophetiam. Non tamen obstantibus omnibus his iniurijs mortalibus & alijs C compluribus, quæ lingua exprimere non potest, nec cor hominis excogitare. De crucifixoribus bona dicebat in hunc modum. Pater ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt. Videre igitur potestis Saluatorẽ nostrum Iesum Christũ orasse pro omnibus qui agere volebant pœnitentiã, & eorum errores sine obstinatione relinquere, quemadmodum postea virtute huius orationis quã ad Deum faciebat, cõuersa fuerunt vno die tria milia, & altero die ad beati Petri prædicatio- D nẽ quinque milia. Quid hic dices hi magna creatura, immoverò in humana, impatiẽs, quæ nemini parcere vis, sed vindictã exposcis, maledicis, & facto verbóque, eos persequeris, qui non faciunt vel beneplacitum tuũ. Nunc itaque pẽdet Deus in cruce, orans pro omnibus his qui eum talibus tormentis affecerunt sic dicẽs: Pater ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt. Nonne magna est & inæstimabilis hic misericordia? Est profectò. Et ob hãc causam beata virgo iure & rationabiliter mater pietatis nominatur & misericordiæ, quæ E talis filij mater est, qui omnẽ pietatem habet & misericordiã. Et certè sciatis, & quicunque petierint filium & matrẽ humillimè, ab eis non despiciẽtur, cum filius dicat patri: Ignosce eis. &c. Rogemus itaque Saluatorem nostrum, vt nunc ad patrem pro nobis dicat: Pater ignosce illis. Sed aduertamus ô deuotissimi, quod sequitur tanquã pro excusatione. Nam nos in multis cõplectitur casibus. Nã de multis peccatis quæ scienter contra Deum facimus, & de his cognitionem habe- F mus, non meremur vt christus oret pro nobis. Nam peiores sumus quam multi eorum qui regem gloriæ crucifixerunt, non enim credebant Iesum esse Deum, sicut nos credimus & credere debemus. Reuertamur igitur ad fontẽ illum benignitatis Dominum nostrum Iesum Christum, ad benignam suam matrem, & eos inueniemus singulis horis paratos, vt dicant: Pater ignosce eis. Debetis similiter orare quam dicant patri, vt ignoscat malefacientibus vobis, quem orare debetis similiter vos per bonam & humilem patientiam, & per habendo de eo compassionem & memoriam.

TEXTVS.

Postquam autem crucifixerunt eum, acceperunt milites vestimenta eius, volentes facere quatuor partes, vnicuique militi partem. Erat autem tunica inconsutilis. Dixerunt ergo ad inuicem. Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi & in vestem meam miserunt sortẽ. Et milites quidem hoc fecerunt, & sedentes seruabant eum. Scripsit autem & titulum causa eius Pilatus, & posuit super crucem. Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respõdit Pilatus: Quod scripsi scripsi. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus à dextris & vnus à sinistris. Et impleta est scriptura quæ dicit: Et cum iniquis deputatus est. Et prætereuntes blasphemauerunt eum mouentes capita sua & dicentes: Vah qui destruis templum Dei & in tribus diebus readificas. Salua temetipsum, si filius Dei es descende in cruce, & credemus tibi. Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Et dicebant: Si tu est Christus Rex Israel, descendas nunc de cruce, & credemus tibi. Vnus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus saluum fac teipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum qui in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

EXPOSITIO.

Ad secundum hoc verbum magnæ liberalitatis contra auariciã, quod confert mirandã fiduciã omnibus peccatoribus cuiuscunque fuerint status, habendi veniã & gloriã. Sed vnde procedit ô fortunate latro, quod Iesum vides in eadem dãnatione sicut te, gemit sicut tu, magis irridetur ab omnibus sapientibus Iudæis quam tu, confiteris tamen dignitatẽ suam & suum regnum. Vnde hæc tibi datur sapiẽtia, quod redarguebas socium tuum dicens: Et tu in eadem dãnatione es. Et per hoc intelligo vnum non debere irridere alterum, quoniam sumus in eodem carcere vitæ mortalis huius mundi, & digni sumus condemnatione perpetua, ideo non debemus irridere nec iudicare inuicem. Quis antea credidisset beatum Petrum negaturum patrem suum & Dominum & latronem in cruce eundẽ confessurum, qui citius paradisum ingrederetur quam virgo beata? Illic enim paradisus est vbi Deus clarè videtur, & integrè cognoscitur per securam dilectionem in æternitate. Propterea nihil melius est quam semper recurrere in humilitate ad Iesum per orationem deuotam, vt nobis misereatur, & memoriam nostri habeat, vtque vnicuique nostrum dicat: Mecum eris in paradiso. Aliquis nominant duos hos latrones vnum Dismam, & alterum Gesmam. Iesus autem in medio eorum erat suspensus.

Et in

Et in hoc prophetia Esaiæ de Iesu impleta fuit: Quia cū iniquis & malis deputatus est. Et in hoc A etiam obseruata fuit extremi iudicij forma, cum saluati ad dexteram, & damnati ad sinistram. Sed tunc Iesus erit in potestate, qui modò velut est impotens & veluti signum cui contradicetur, secundum Symeonis prophetiam. Fit ei contrariū illius quod meruerat, eo dempto quod Pilatus veraciter titulum eidem scribit. Hic est Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Et est titulus hic tanquā signum triumphale vexilli Iesu Christi, est tanquam color eius. Et vnicuique christiano qui ipsum dicit vel defert in bona credulitate, valet cōtra B omness insultus diabolicos, secundum quod aliqui (qui ex reuelatione illud habuerunt) asserūt quod facile credi potest: Per hoc autem quod Pilatus noluit eum corrigere, scitur ipsum dudum prophetizatum fuisse per Dauid, in diuersorum psalmorum titulis, quemadmodum etiam prophetizauerat de Christi vestimentis quod partienda essent, & tunica veluti taxillis ludenda. Et in hoc fidei doctrina data est, nos non debere diuidere tunicam Christi Iesu. Quæ est illa? Charitas est & vnitas. C Quod est contra illos qui eam diuidunt quoad se & quoad alios. De qua re dici potest prolixius & de luto taxillorum déque alijs sortibus. Sed relinquo persecutionē huiusmodi, & me verto ad contemplandam admirabilem Christi Iesu constantiam, quæ nobis esse debet exemplo præsertim in hoc quoad agendam pœnitentiam constanter & perseueranter, siue in religione siue extra. Saluator noster Iesus Christus potestatem habet descendendi de cruce, ad quod hortabantur eum Iudæi per promissionem, D dicendo quod credituri essent in eum si descenderet, quamuis multi mentirentur, quia postquam resurrexerat, adhuc credere nolebant. Deinde Saluatoris nostri sēsualitas in magna est angustia. Credite deuotissimi gloriosam virginem Mariā, beatum Ioannem & alias deuotas mulieres mulieres maximo dolore esse affectas de illa māsione prolixa in cruce, quod Iesus tamdiu illic pendebat, ad voluntatem vsque diuinam, & donec omnia essent impleta. Hæc crux designat pœnitentiam, E quæ compungere debet nostrarum operationum manus & affectionum pedes, per bonam obedientiam erga Deum & suam legem. Reperio autem aliquam esse amorosam perfectamque pœnitentiam quæ fit pro alijs, sicut fecit Christus in cruce pro nobis & non pro se. Alia pœnitentia fructuosa est pro eo qui eam facit & sua sponte. Alia pœnitentiam est eo inuito & infructuosa.

Hæc secunda est crux boni latronis, tertia verò mali. Conuertamus nos ad orationem dicentes.

ORATIO.

Omnipotens Domine & rex victoriose, aufer à nobis omnia propria voluntatis vestimēta vt suspensi simus nudi in arbore crucis pœnitentiæ constanter atque perseueranter. Nec ab ea descendamus vsque in finem, nec per persecutionem nec per derisiones nec promissa quęcunque. Dicque in hora mortis nostræ veraciter vnicuique nostrum: Hodie mecum eris in paradiso, vt in vltimo suspirio mortis anima nostra te confiteatur, in pœnitentia & in memoria mortis tuę.

Hucusque euangelistę nihil dixerunt de virgine Maria, vbinam esset aut quid faceret. Quid hoc sibi vult. Potest ne credi ipsam filium suum in extrema aduersitate dimisisse? Nam antea societatem sibi tenuerat tam in aduersitate quam in prosperitate, eum proprio lacte nutriuit ab infantia, absque hoc vt aliud eidem daret nutrimētum. Ipsamet paruis panniculis eundem inuoluit mox post suam dignam natiuitatem, sine hoc vt auxilium haberet ab aliqua alia muliere. Pastores & tres reges inuenerunt eum cum ipsa. Postea detulit eundem de Bethleem in Hierusalem deinde monitione angelica portauit eum in Ægyptum per longa admodum itinera, vt Herodis effugeret persecutionem, fuitque illic cum per charo suo filio tanquam extranea peregrina, viuendo valde sobriè de suarum manuum labore & Ioseph artificio, qui faber lignarius erat. Deinde redijt in Nazareth, & ducebatur filius suus singulis annis in Hierusalem. Inde accidit eum illic amissum fuisse per triduum in duodecimo ætatis anno. Sed diligens beatæ virginis inquisitio, manifestè nunc ostendit ipsam non viuere posse sine eo. Hæc ostendi ad manifestandum, quod nunquam beata virgo filium suum reliquisset in vltima hac necessitate. Addite etiam, quod aliæ mulieres quæ non in tantum eum diligebant sicut ipsa, Christum sequebantur in sua passione & flebant sicut dictum est. Quæro igitur hic, cur euangelistæ non scripserunt quicquam de diua virgine, vbi erat, quò deuenit, & in cuius custodia erat? Ad hoc respōdeo beatum Ioannem euangelistam (qui vbique præsens erat & omnia videbat, qui eam in sua habebat custodia) hoc modo in suo dicere euangelio.

TEXTVS.

Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius soror matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalena.

EXPOSITIO.

Sed hic notate deuotissimi, ad mirādam beatæ Mariæ cōstantiam, quæ maximoperè defatigata est toto die sequendo filium suum in dolore & tormento, cum magna festinatione & ingenti confusione, tota nocte non dormierat, quoniam præcedenti die pedibus venerat à Bethania in Hierusalem. Adhuc ieiunabat post horam meri- F dianam, & post nonam adeò gemuerat & plorauerat, quod cor suum prorsus vulneratum erat & confossum gladio ignominiosæ & dolorosæ filij sui passionis. Erat tamen stans erecta. Ita dicit euangelium. Stabatque ante crucem, non ad latus videns faciem & modum filij sui crucifixi. Quomodo fieri potuit quod staret quis eam sustinebat quis ve confortabat ipsam? si vnquam mulier præ dolore mortua fuerit (sicut aliquæ occubuerunt) quo pacto in ea remanebat stabilitas, vigor, virtus & vita. Sed hæc omnia operabatur virtutū

suarum excellentia in superiori animæ parte, hoc est in suo spiritu, qui expendebantur & descendebant in inferiorem animæ partem, hoc est in sensualitatem vel carnalitatem, taliterque eam confortabant, sicut postmodum sæpenumero in martyribus visum est, qui patiebantur assari, comburi & occidi. Quod autem hoc in Christo non fuerit, ex speciali dispensatione diuina & per miraculum actum est, sicut postea dicetur. Et sciendum est beatam virginem nunc nullos fecisse plãctus aut indecentes gestus, quę non conuenirent eius dignitati & studiosæ bonitati, quamuis dolorem vltra dolorem experiretur. Nam interdum profundius suspirabat vel gemebat amarè. Facies eius omnino lachrymis erat perfusa, prorsus pallida & tanquam mortua, vox fracta, oculi turbati, fusi in lachrymas. Attamen semper remanebat lux quædam & lumen, descendens ab animæ suæ virtutibus, séque exterius monstrabat, & vertebat fellit os Iudæos vt credo, ad modum quendam amoris atque compassionis, taliter quod eam persequi non habebant in corde. Et poterat diua virgo hoc pacto loqui: Quæ sunt hic iudicia tua ô vere Deus omnipotens? ô vere totius mundi creator, quam incomparabiles & admirandæ operationes tuæ, & hic plusquam fuerint aliàs vnquam vel futura sunt. Videre hunc qui est omnipotens purus & innocens secundum humanitatem, quique est Deus benedictus in æternitate videre inquam pendere in crucis patibulo, videre perfossum & affixum rudibus clauibus ignominiosissimè inter latrones, videre eum & audire derideri vndique tanquam peruersus esset. Heu fili quid feceras, quod te in tanta video confusione? Quid te compellebat assumere carnem humanam in me tua parua ancilla, vt sustineres talem homo amarissimam mortem & pœnalem? Quid te impellebat venire ad tam horrendam & crudelem damnationem in tuæ iuuentutis flore, in perfecti hominis ætate? Quo tempore ad omnes exhortabaris virtutes & omnia confundebas vitia, quo tempore multa habere debebas solatia, meum gaudium, mea consolatio in medio senio quod appropinquat, & in mea desolatione sollicitudo, quis me confortabit? quod erit meum auxilium? quis me tuebitur? O ingratissimi Iudæi, est hæc ne remuneratio quam filio meo redditis pro omnibus beneficijs quæ fecit vobis? sanãdo vbique ægrotos vestros, prædicando bonam doctrinam redditis ei omnia mala pro omnibus bonis. Citissimè eam vertistis reuerentiam quam dominica die transacta illi exhibuistis, eam vertitis in ignominiosissimam irreuerentiam & facto & verbis. Quomodo igitur inter vos manere possum? vos audire, sustinere vel intueri? Ideo te rogo charissime fili mi & Deus meus omnipotẽs, me exaudias, méque iungas tibi in hac morte, noli ferre quod post te viuam, iustum est quod non separarer à te in morte tua, cum semper in vita simul fuerimus. Aufer me de hac miserabili & maledicta terra, noli me permittere in tali societate eorum hominum qui taliter te occidunt & trucidant. Te oro ad precem meam intendere digneris, & exaudire orationem vnius desolatæ matris tuæ. Da mihi Domine donum, dic verbũ quod dixisti latroni, dic mihi: Hodie mecum eris

A in paradiso. Largire mihi bone fili præclarũ hoc verbum, concede mihi illud verbum & sufficiet mihi. Heu misericordiæ pater, mihi gratiam tuam benignè conferre digneris quemadmodum latroni contulisti. O latro inquit, virgo beata, qui in illa cruce pendẽs, valde gaudere debes, vtinam vellet benedictus filius meus, quod ego similiter penderem ad audienda & recipienda similia encœnia, sua tamen, non mea fiat voluntas. Et conquerebatur mirabiliter amplius quam dicere possem. Deinde nonnunquam cogitabat ad secreta

B Dei iudicia, & ad sublimia huius passionis mysteria, & quomodo iterum resurrecturus esset quodquè per hanc mortem mundus saluandus esset & redimendus. Redibat tamen sæpissime ad priores planctus & suspiria, ob dolorosi filij sui in cruce existentis præsentiam. Sed heu modò ad Deum vadit per mortem amaram, & in vita dimittit matrem suam dulcissimam. Debemus igitur per pœnitentiam huius doloris habere memoriam. Heu fili mi aperi benedictum os tuum, conuerte ad

C me oculos tuos & dic aliquod consolationis verbum, non abeas hinc ad Deum absque hoc vt loquaris mihi, & absque hoc vt des mihi aliquam bonam custodiam. Neque abijt quin postulata perficeret. Nam sicut dicit beatus Ioannes euangelista in suo textu.

TEXTVS.

D *Cum vidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.*

EXPOSITIO.

QVamuis magna sit mutatio quæ fit erga beatam virginem, cum pro magistro datur discipulus pro Deo homo, pro Domino subditus, pro Domino subditus, pro filio nepos. Accepit

E tamen diua virgo grato animo testamẽtum illud & ordinationem illam benedicti filij sui. In quo beatus Ioãnes dignitas ostenditur, & virginitatis cõmendatio, cum Deus committit sancto Ioãni virgini tantũ thesaurum custodiendum, hic est virgini virginem, vt per virginitatem seruaretur virginitas. Et in hoc Iesus castitatem commendabat contra luxuriam & carnalitatem. Per hunc quoque textum cõcludunt doctores Ioseph iam tunc fuisse mortuum, alioqui Dominus noster non abstulisset Mariam ab eius custodia, qui ab

F initio tam fideliter & dignè eam custodierat, & in omnibus periculis socius fuerat. Cur tunc Iesus non nominabat beatam virginem amplius suam matrem sed potius mulierem? Responsio quod dixit ei mulier. Si enim dixisset mater, cor defecisset Mariæ, nec potuisset quin diuisum fuisset aut ruptum pietate quam videbat. Dicamus insuper aliquid ad nostram instructionem. O anima deuota sustine paulisper & eleua oculos tuos ad hanc lamentosam passionem quæ pro tua saluatione celebratur & fit, & aufer oculos tuos à terra, eosque

cósque sursum erige ad cogitandum & respiciédum hanc crucem, & considera benignum Iesum in ipsa pendentem, matrem eius & discipulum assistentes. Quid intuebaris nisi amorem & summam charitatem, nam pro te & tuo amore Iesus hoc pacto patitur in cruce. Propterea in omnibus necessitatibus tuis, periculis tribulationibus & aduersitatibus huc accurre tanquam ad certum refugium, teque colloces in medium inter Iesum, Mariam & Ioannem, quorum te cómittas potestati. Mihi crede, non peribis. Peccasti manibus, pedidus, ore, naso aut alijs partibus corporis. Iesus pro te patitur in omnibus partibus, vt vndique peccata tua deleat, extendit brachia ad te amplexandum, recipiendum, osculandum. Plagæ suæ apertæ, indicio sunt interni amoris. Si non audeas absque medio eum accedere, beata mater eius & diuus Ioannes bonus eius custos, accincti sunt & parati ad te præsentandum, vt petitionem tuá pro te faciant, ad impetrandum quicquid pro salute volueris postulare, si mundus in re insurgit, si caro te fatiget, si tibi minatur inimicus, accurre per veram fidem, applica te huic cruci, quoniam eum tenendo neque cades, neque fatigaberis, non timebis, neque perdes quicquam. Sed dices: Nulla bona egi neque merui quicquá, aut lucratus sum erga Deú, recurrendum ad ipsum est assentior. Crede tamen meo consilio, fac merita tua & bona ad exemplum sancti Bernardi, & tunc diues eris. Et hoc facies, vt te iungas ei ad hanc crucem in fide, in spe & dilectione, hoc est quod ipsi credis, habes spem & amorem tuum. Adhuc forsan dices: Iniquitates tuas maximopere esse abominabiles, turpes & detestabiles, ita vt vix audeas accedere vel coram ipso apparere. Esto: tanto amplius ad hanc crucem recurrendum est, vbi enim abundat peccatum superabundat & gratia. Opus est vt laueris, hic fons est. Quæris veniam, hic misericordiæ est curia. Submitte te illi, dic beatæ virgini quæ domina est, quod te subleuet secundum curiæ suæ æquitatem. Si hoc pacto egeris interea dum iusticia suam obtinet sedem, hoc est vsque ad horam mortis in qua iusticia se retrahit à rigore, vt exequatur tuam appellationé, nec te accusabit amplius misericordia enim super exaltat iudicium, & est gloria eius sublimior quam iusticiæ in hoc mundo. In hac fiducia recurrere debes ad hanc crucem, vbi sanctus Ioannes mediator noster est & intercessor, & beata virgo erga filium suú, & filius erga Deum, hic omnis charitas est & misericordia, totáque pietas. Si Iesus pro persecutoribus orat quomodo nos sperneret, si ipsum rogamus & petimus tanquam humiles famuli? Oremus igitur & dicamus.

Oratio.

Conserua nos Domine in bona semper custodia, in custodia matris tuæ, singularis amici tui Ioannis, aut aliquorum aliorum, & benedictis sanctis tuis, vt toto tempore simus iuxta crucem tuam, per firmam fidem, bonam spem & amorosam memoriam benedictæ tuæ passionis.

Progrediamur nunc vlterius in textu nostro, vt noscamus quid actum fuerit.

TEXTVS.

A Sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horá nonam. Et circa nonam clamauit Iesus voce magna dicens: Heli heli lamasabatani quod est interpretatum: Deus meus Deus meus vt quid dereliquisti me.

COMPLANCTVS PIVS.

Pius vtique compláctus est in hoc, quod ratio causam agit sensualitatis, proque ea loquitur & suo nomine tanquam pro illa quæ prorsus erat desolata, & quæ nulla ex parte confortationé habeat. Conqueritur ergo ratio ad Deum sensualitatis nomine lamentabiliter tanquá pauper, mendica & afflicta, quæ ignorat quo ire debeat aut recurrere, & dicit: Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me: Ac si dicat (vel ratio pro ipsa, quoniam ex se non habebat de Deo cognitionem.) Hei Deus meus nullum penitus habeo subleuamen per eas virtutes quæ in spiritu meo sunt omnes à consolatione mea se retrahunt, nulla ad me vsque se extendit, nec constantia, nec fortitudo, nec clara Dei visio, nec eius amor, nec eius gaudiú, quo recrearet spúm meú gloriosé. Derelicta sú ab omnib9 huiusmodi in dolorosis tormétis, quicquid sentio & quicquid video tormentú est. Deus meus Deus meus quare me derelinquis? Pésate hic deuotissimi, & reperietis quod Iesu Christi sensualitas tunc dicere poterat verbum de ea prophetizatum. O vos omnes qui transitis per viam attendite & videte si est dolor similis mei? Certè non. In alijs namque sanctis sensualitas à spiritu confortata fuit: & virtutibus existentibus fide, spe, charitate, constantia & alijs, adeo vt hilares tormenta subirent. Hic verò secus est per specialem deitatis dispésationem, quæ permittit sensualitatem pati integrè omne quod ei infertur, crudelia tormenta omnia quæ excogitari poterant ipsa autem optimæ complexionis est, propter quod acrius sibi contrarium percipit. Nullus cogitare posset huius doloris magnitudinem, ratione huius credo mentem Saluatorem suumque aspectum non traxisse Iudæos & alios ad compassionem & misericordiam sicut dixi de diuæ virginis aspectu. Nam in ea spiritus sui virtutes per corpus expandebantur exteriusque relucebant, quemadmodum lampas vitrea per interiorem relucet claritatem. Preciosum autem Christi corpus veluti lampas extincta erat & absconsa, ideo nec formosa apparebat nec benigna eius figura, sed pallida: & tanquam mortua sanguinolenta fœda. Aliàs enim potuisset vnico solo aspectu formidinem incutere omnibus suis inimicis, & eos conuertere sua benignitate, sicut fecit in die palmarum, quemadmodum legitur de diuo patre Dionysio & alijs compluribus sanctis. Auscultate benignissimi, quomodo mater particeps fuerit mortis Iesu Christi filij sui ratione redemptionis humani generis. Et hæc consideratio ei non displicet ad suum dolorem, cum placeat filio suo ipsam ei mittere. Audite ergo charissimi quam pro nobis obtulerit oblationem sicut bona mater pro filijs suis volebat exoluere redemptionis

precium, si illud filij sui non sufficeret quod tamen sufficientissimum est ad centum mille mūdos redimendos. Sed sumamus doctrinam quādam fructuosam, quod in omni aduersitate nostra ad Deum recurramus non ad inimicos qui nos affligunt, & permissione Dei persequuntur. Videtis quale det exemplum. Assimilatur puerulo, qui de omnibus suis verberibus & iniurijs apud præceptorem suum vel apud patrem conqueritur, præsertim cum intelligit se verberari patris suis ordinatione, solummodo veniam petit & misericordiam à patre, nam famulus eum cædens dumtaxat minister est ad id commissus. Simile est in omnibus aduersitatibus vndecumque procedant. Omnes enim ex Dei ordinatione contingunt, ideo principaliter ad nullum recurrere debemus nisi ad ipsum. Vel si ad hominem recurrendum est vult talem in officio publico locum suum tenere in iudicando. Hoc est quod per autoritatem iudicis, non nostram, prosequamur querelam nostram, si non adeò perfecti simus quod eam omnino remittere velimus, vel si remissio infert tum damnum alicui aut reipublicæ, vel contra nostrum est officium. Vt autem facilius veniam demus debemus bene per pecuniam huius doloris habere memoriam. Attendite hic pietatem contra inuidiam exercendam esse in hoc quod ratio pro sensualitate deprecatur, proque sua causa & querela. In hoc etiam quod Iesus remittit omnem iniuriarum suarum causam ad Deum, non ad suos inimicos siue aduersarios. Oremus igitur & dicamus.

Oratio.

Totius consolationis pater, non nos permittas in desolatione. Sis in cunctis aduersitatibus nostris, tribulationibus & necessitatibus nobis refugium, vt tuo mediante auxilio semper maneamus in pecunia, & de tua morte memoria. Præterea Saluator noster Iesus, vt demonstraret verum suum & naturalem dolorem, voluit quod sensualitas declararet suam causam suum opprobrium & suam sitim, & quod in hoc impleatur prophetia dicens: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Vt nobis ostenderetur sobrietas, vt etiam peccatum commissum per dulcem gustum pomi remitteretur & deleatur per acidum huius aceti saporem. Sic dicit textus?

TEXTVS.



Vidam autem illic stantes & audientes dicebant: Heliam vocat iste. Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura dixit: Sitio.

EXPOSITIO.

QVintum verbū hoc deuotissimi, est de sobrietate contra gulam. Nam notum erat Iesu se habiturum acetū pro potu, post tam prolixum ieiunium hoc vesperi suspensus fuerat iam in cruce fere quatuor horis, & ad intra prorsus siccus erat potest etiam bene coniectari prædicta hora matrem eius adhuc fuisse ieiunam.

Oratio.

Iesu qui nostram sitis salutem: concede nobis super illam sitim pro nobis & in nobis, vt libenter faciamus pœnitentiam in ieiunijs & sobrietatibus, & in tuæ mortis amara memoria.

A TEXTVS.



Vas autem erat positum aceto plenum. Et continuò currens vnus ex eis, acceptam spōgiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Cæteri verò dicebant. Sine videamus an veniat Helias liberans eum.

EXPOSITIO.

INsignis nobis demonstratur perseuerantia in sexto hoc verbo, contra nostram inconstan-
B tiam & mutabilitatem, qui nihil ad perfectionē perducimus. Verbum hoc dici potest Mariæ virgini, ratione proximi decessus filij sui per mortem amaram. Sed è diuerso sumere poterat ipsa consolationem de pœna, quæ hoc modo in dolorosa senualitate terminabatur. Oratio.

Perseuerantiam bonam concede nobis Domine, vsque in finem, & ad impletionem veræ pœnitentiæ, per recordationē semper tuæ mortis vsque in finem. Amen.

C TEXTVS.



Esus autem iterum clamans voce magna ait. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite tradidit spiritum.

EXPOSITIO.

AD Deum vadit spiritus Iesu, per mortem amaram, præsente matre sua Maria. Septimum verbum hoc dictum fuit ex profundissima erga Deum humilitate, & ad nos instruen-
D dum vt in hora mortis, immo verò qualibet hora cogitemus quoniam continue imus ad mortem, ideo commendare debemus humiliter spiritum nostrum Deo, & in manus eius hoc est in suam ordinationem, non habendo fiduciam in quocumque aliud auxilium, aut nostrum aut alienum, nisi quatenus ordinatur ad Deum, nec nimium cogitare debemus ad mundum qui deseritur. Vox hæc facta fuit, secūdum quod dicere videtur apostolis in clamore magno, in lachrymis & precibus quæ fuerunt
E exauditæ ob reuerentiam Iesu Saluatoris nostri, summi papæ & pontificis eas offerentis. O ingēs & alta vox, quæ contulit & commouet cælum, terram & vniuersum mundum. O potens & penetrans vox, quæ penetrat ad inferorum vsque claustra. O dolorosissima mors, cui condolent omnes creaturæ. O mors preciosa, quæ occidis mortem nostram vitiosam. Mors potens, quæ mordes infernum duobus in locis, in lymbo. s. & purgatorio. Confers perfectam gloriam iustis Iudæis im lymbo. In purgatorio existentibus
F plenariam vel integram largiris remissionem propter gaudiosum aduentum sanctæ animæ Christi Iesu, aut saltem magnum facis remissionem, liberando aliquos à pœnis & alleuiando eorum pęnas qui remanent. Confusus ne es peruerse inimice, vitiose serpens leuiathan? Nisus es mordere preciosam carnem Christi Iesu, morsu mortis, sed occultabatur intus, & iungebatur diuinitatis ham⁹. Qui aperuit maxillas, & liberauit prædā quā opinabaris tenere atq; deuorare. Tu quoque synagoga destruere conabaris benedictū Iesum, sed quemadmodū Ægyptiaca mulier, voluit

voluit tenere benignum puerum Iesum per pallium, qui tamen euasit liberè è manibus eius. Sic in manus tuas Domine commendamus spiritum nostrum, quem recipe in hora mortis nostræ, mediante sancta præcedente pœnitentia, per tuæ mortis memoriam. Quid vobis videtur? Est ne cor lapide durius, cor humanę creaturę, quod non scinditur per compassionem, pœnitentiam & contritionem? in huius mortis memoriam, per quam facta sunt ea, de quibus textus hęc modo dicit mirabilia.

A

TEXTVS.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est & petræ scissæ sunt, & monumēta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

B

EXPOSITIO.

IN nimia dura duritia tua & in humanitate cor humanum verere, quoniam causa es huius mali in te facti spiritualiter, quod tunc factū fuit visibiliter. Scinde & rumpe ignorantiæ velum, quod te seducit & impedit. Intuere sanctū sanctorum, hoc est Deum qui debet irradiare super faciem tuam per veram crudelitatem. Treme ob timorem diuinæ vindictæ, tu qui es terra maledicta, vt per huiusmodi tremorē & commotionem ipsa sanetur ab iniquitatibus suis, secundum prophetiam. Scinde vlterius & confringe duram cordis tui petram contritionis malleo. Deinde aperi in confessione conscientiæ tuæ sepulchrum immundum & putredine refertum, vt spiritus tuus (qui per peccatum mortuus est & sepultus) resurgat per gratiam & dolorosæ huius mortis virtutem, vt veniat in sanctam ciuitatem Hierusalem cælestem superius in paradisum. Qui resurrexerunt, an mortui fuerint vel cum Iesu ascenderint ad cælos, non habemus scripturam certam. Oremus igitur & dicamus.

C

D

Oratio.

Scinde Domine ignorantiæ nostræ velum, cōfringe dura corda nostra, eáque ad compassionē commoue, aperi conscientias nostras ad fructuosam confessionem, & resuscita spiritum nostrum per pœnitentiam, per doloris tui & mortis assiduam memoriam.

E

TEXTVS.

Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu & his quæ fiebant timuerunt valde, dicētes: Verè filius Dei erat iste. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem noti eius à longè & mulieres multæ quæ secutæ erant Iesum à Galilea, quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymā. Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Et cum esset in Galilæa, sequebatur eum.

F

EXPOSITIO.

ET tunc incepit Saluatoris nostri oratio fructum producere. Videtis iam hic, complures esse quos pœnitet. Et fuerunt hæc miracula quæ tunc facta fuerunt, quod Centurio (id est qui cētum sub se habebat milites) dixit & credidit Iesum esse iustum, & Dei filium. Considerabat tenebras solis contra solitum naturæ cursum, erat enim plenilunium. Sanctus Dionysius Galliæ qui tunc in Ægypto erat, dixit quod Deus naturæ pateretur, vel quod machina mundi dissolueretur. Considerabat insuper centurio Iesum reddidisse spiritum sua sponte, quoniam adhuc vigorosam habebat vocem, qua designabat se potuisse diutius viuere, si sua fuisset voluntas. Videbat terram tremere, petras scindi, & complura alia stupenda. Poterat hoc pacto argumentari: Homo hic se dixit filium Dei esse, & vt talis, hodie huic latroni paradisum promisit. Si falsum diceret, omnium superbissimus esset, sed ostendit omnem patientiam, humilitatem, non appetendo gloriam vel honorem. Si enim desideraret gloriam & famam, & propterea fingeret se esse filium Dei, fieri non potest vt voluisset se suspendi. Nam nemo peruenit per suspendium ad gloriam & honorem. Oremus & dicamus.

Oratio.

Iesu quem verum filium Dei esse confitemur, concede nobis percutere pectora nostra per veram pœnitentiam, sine macula, per mortis tuæ memoriam.

TEXTVS.

Iudæi ergo quoniam parasceue erat (erat enim magnus ille dies sabbati) rogauerūt Pilatum vt frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & ille scit quia vera dicit vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: videbunt in quem transfixerunt.

EXPOSITIO.

CRudelissima est hæc contra filium Dei persecutio, sed diuina ordinatio illud sic permittere voluit, vt clarè ostenderet ipsum esse verum agnum, qui figura erat agni paschalis, de quo dictum fuit, quod non comminuerentur ossa eius. Euidentius insuper argumentum fuit, ipsum verum esse prophetam, in quo plene erāt omnia signa prius prophetizata, quoniam in nullo alio inueniuntur impleta. Et hic diligenter notandum est, quod antiquæ prophetiæ quæ veræ inuētæ sunt in omnibus, hic nō defecerūt. Hoc inter cætera in primis est notandum, etiam secundum vulgatum Iudæorum dictum. Et per huiusmodi signa atque rationes apostoli, postmodum Iudæos per propriam suam legem conuicerunt, qui adhuc se conuerterēt, nisi obstinati essent reprobati & obcæcati. Præterea Deus prouidere voluit stultis paganis & hæreticis, qui negare voluissent Iesum verè fuisse mortuum, & propterea dixissent ipsum non resurrexisse.

Ob hanc causam prouidit Deus quod Iudæi fuerunt apud sepulchrum ipsum custodientes, quamuis postea corruperint custodes sepulchri, dando pecuniam, & procurauerint, vt dicerent populo discipulos Iesu venisse & abstulisse corpus eius ipsis dormientibus. Quod testimonium ô Deus, testatur de hoc quod factum est eis dormientibus. Etiam si Iesus non verè resurrexisset, numquam discipuli & innumeri alij, qui postea conuersi fuerunt tunc temporis & qui viderunt omnia, sustinuissent tam crudelissimã mortem, vt in illa fide persisterent. Videtis quod si Iesus prius non mortuus fuisset, non potuisset vlterius viuere, eò quod taliter fuit perfossus lacea in latere eius ad cor vsque. Propterea dicit diuus Ioannes quod aqua, sanguis, & spiritus testimonium dant Christo Iesu. Aqua fuit in significantiam sacramenti baptismatis. Sanguis in significantiã sacramẽti altaris. Et dicit sanctus Augustinus latronem fuisse baptizatum illa aqua, cuius pars salijt super eum. Quo ad sanguinem Saluatoris nostri, si super terram manserit, aut nõ teneo omnem sanguinem qui erat de integritate & perfectione Iesu, in resurrectione fuisse receptum. Sed alius sanguis modus maneri potuit, quemadmodum fertur Brugis esse, & in palatio. Oremus igitur & dicamus. Oratio.

Concede nobis Domine veram purgationem, & ab omnibus iniquitatibus nostris ablutionẽ per secundum pœnitentiæ baptisma, & per preciosum sanguinem tuum in sacrario altaris, quod est tuæ mortis memoria & recordatio.

TEXTVS.

ET cum iam sero esset factum, venit quidam homo diues & nobilis ab Arimathia ciuitate. (Glossa, ad nouem miliaria ab Hierusalem) Ioseph *nomine, vir bonus & iustus, eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem, propter metum Iudæorum, qui expectabat & ipse regnum Dei, nec consenserat consilio & actibus eorum. Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur si iam obijsset, & cum cognouisset Pilatus, iussit reddi corpus Iesu. Venit autem, & Nicodemus qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum. Acceperunt autem corpus* Iesu *& ligauerunt eum lintheis cum aromatibus, sicut mos est* Iudæis *sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus & in horto monumentum nouum, in quo nundum quisquam positus fuerat: (Glossa, à cruce illuc vsque erant centum decem octo pedes.)* Ibi *ergo propter parasceuem* Iudæorum *(qui erat iuxta monumentum) posuerunt* Iesum, *& aduoluerunt saxum magnum ad ostium monumenti, & abierunt. Erat autem ibi Maria Magdalena & altera Maria, sedentes contra sepulchrum, aspicientes monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius, & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, vt venientes vngerent corpus Iesu, & sabbato quidem siluerunt, secundum mandatum legis.*

EXPOSITIO.

HOra illa completorij admodum sera, fuit vltimum vale, reditus in Hierusalem, posteaquam tu mater dolorosa, afflicta & angustiata, A aspexeras de cruce deponi preciosum corpus filij tui cumque inter brachia tua tenuisses. Nolite dubitare dilectissimi, scitote quod admodum deuotè ipsum est amplexata, & charitatiuè osculata. Credo etiam quod dilecta sibi Magdalena prostrauerat se ad pedes, quos antea vnxerat, & suis lachrimis irrigauerat, suisque terserat capillis. Dixit forsitan sæpenumero diua virgo vale. Quæ fuit diuisio à suo filio, cum spiritus eius Deum adiuuit? Prorsus remansit desolata in hoc deserto, in hac miseria: in morte B illa. Cumque deuentum esset ad sepeliendum ipsum: & vt ab eis acciperetur brachijs, dicebat forsan: Heu quid facere vultis ô Ioseph & Nicodeme? quid dicitis? quod tam citò dimittam filij mei corpus? adijt Deum & adhuc aufertur à me corpus. At assentior, nam ita fieri debet, vt impleatur prophetia, quod sepulchum eius erit gloriosum. Vtinam Dei esset beneplacitum, vt cum eo sepelire deberem & sicut viuebamus cõmuni concordia & eodem spiritu filius meus & ego in hoc mundo, vtinam Deus vellet vt ea- C dem hora me mors mitteret cum eo, & quod tu mors tale mihi faceres vale. Heu quale vale? Hæc vita potius mors est, nisi quatenus Dei beneplacitum est. Deus Deus meus & creator meus fiat voluntas tua in me & de me, non autem mea. Officium exigit, mysterium sepulturæ adimpletum est. Et moraliter loquendo, debemus similiter & nos sepelire in cordibus nostris preciosum Iesu Christi corpus per pœnitentiam D & deuotam memoriam, ipsumque inuoluere albis linteis virtutum puritatis, castitatis, amoris, constantiæ, perseuerantiæ. Nicodemus & Ioseph abierunt, beata virgo, sanctus Ioannes, aliæque mulieres diutius tardarunt, appropinquabat tamen nox valde, que eos reuerti compellebat. Considerate quæso deuotissimi & inspicite oculis mentis vestræ, per sanctamque compassionẽ, reditum beatæ virginis, sancti Ioannis, & aliarum Mariarum in Hierusalem. Rationabiliter cogitari potestis, quod in via ostendebant loca E & plateas, in quibus Iesus crudeliter tractatus fuerat & deductus. Reflectebant sæpe ad crucem oculos, postquam prius beata virgo eam adorasset, sicut prima filium suum adorauit in natiuitate sua, dicebant: Hic percussus fuit, hic non valebat crucem suam portare, hic dicebat quod non fleremus super se, & aliquos similes sermones. Demum reuersi sunt ad hospitium, vale dicendo quibusdam alijs, qui non erant eiusdem hospitij. Nam facile sciri potest, complures viros & mulieres, qui iam erant conuersi F ad pietatem, copiosè conuenisse ad consolandum dominam nostram, matrem nostram honorandum. In introitu autem ostij honestè sese vertit, agendo eis gratias, & vale dicendo ipsis. Ipsi autem è conuerso flendo dicebant. Vale bona domina, fortis esto. Deinde intrauit hospitium, & ad mensam posita est, vt ali quantulum sumeret refectionem. Cœna nec prolixa fuit, nec lauta. Postremò beata virgo se recepit sola in suum secretum cubiculum & oratorium, posteaquam gratiæ dictæ essent, & vale dixisse ipsum Ioanni fideli suo custodi, qui similiter aliam

solita-

solitariam petijt cameram. Si rogent aliqui, quid facere potuerit beata virgo ab illa hora ad horam vsque resurrectionis? Teneo ipsam fuisse raptam in spiritu & contemplatione. Nec exiuit locum vnum, nec quamquam allocuta est, nec amplius visitabat sepulchrum quia certò sciebat ipsum resurrecturum. Si Moyses in monte, Paulus in sua conuersione, gloriosus Ioannes Euangelista in cœna, & deinde in insula Pathmos, & complures alij rapti fuerunt, vt viderent diuina secreta, facile conijci potest & credi, diuam virginem non fuisse in terra absque illa gratia, præsertim in illa hora & eo tempore, in quo consolatio erat ei magis necessaria, & sensualitas quasi omnino mortificata erat & absoluta, ob filij sui absentiam. Ideo spiritus erat fortior, & magis inflammatus, magisque deliberatus, vt se in altum extolleret, & consideraret profunda nostræ redemptionis mysteria & huius passionis. Cogitando etiam excellentissimum nouum gaudium (cuius numquam fuerat simile) sanctorum Patrum in lymbo existentium, & cogitando similiter ad eorum liberationem à carcere purgatorij. Et quomodo filij sui diuinitas à spiritu suo daret illic iucundam claritatem & gaudium perenne felicissimum. Considerabat etiam quomodo animæ eam benedicebant, cum portaret fructum & precium redemptionis earum, præcipuè autem parentes eius, sicut sanctus Ioãnes Baptista, sancta Anna, & fidus sponsus Ioseph eam magnificabant & exultantes dicebant: Benedicta sit quæ tantum Saluatorem & Redemptorem nobis attulit & genuit. Fateor tamẽ quod frustra me fatigarem, me inquam miserum ignorantem & nulla talium secretorum scientẽ, recẽsere velle omnes pulchras, deuotas & sublimes considerationes atque contẽplationes, quas habere poterat felici illo & admirabili raptu, ad horam vsque & diem, in quo filius suus surrexit in corpore immortali, impassibili & glorioso, qui (vt piè creditur) se ei ostendit, eam salutans dicendo: Salue mater. Quæ eum adorauit, fuitque gaudium suum renouatum, impletum & perfectum, quæ rursum cantare poterat: Magnificat anima mea Dominum. Magnificentia inquit, dicit anima mea vero, summo & cælo Domino. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Et nos in hoc fine oremus.

Oratio.

IEsu vere totius mundi Saluator, concede nobis per passionis tuæ virtutem, quo taliter pati possimus, & pendere fixi in cruce pœnitentiæ, & talem mortificationem sensualitatis habere & omnium vitiorum peruersorum, quod spiritus noster tibi sedebat per eleuatam contemplationem, & in cælis conuersationem vtque corpus tanquam sepultum sit in pace & tranquillitate, sine vita vitiorum & passionum, vt fiat veluti immortale hic per abundantiam gratiæ imperfectè, & in resurrectione nostra perfectè per gloriam intercedente merito benedictæ passionis tuæ, & gloriosæ resurrectionis. Amen.

FINIS.

Gerson. Quarta pars.

TRACTATVS MAGISTRI IOANNIS GERSON CONTRA ROMANTIUM *de Rosa, qui ad illicitam Venerem & libidinosum amorem vtriusque status homines quodam libello excitabat.*



MAtutino quodam tẽpore paulo antequam euigilasset igneũ meum cor mihi visum est volare pennis & alis diuersarum cogitationum de loco vno ad alium ad curiam vsque sanctæ christianitatis, talem quidem qualis esse solet. Illic erat iusticia canonica & legalis throno æquitatis insidens sustentata hac misericordia, illac verò veritate. Iusticia manu sua dextra sceptrum tenebat remunerationis, leua verò scindẽtem gladium punitionis. Oculos habebat viuos, honorabiles, & matutina stella immo verò sole ipso splendidiores. Pulchra erat eius societas, ex vno enim latere sapientissimum suum erat consilium, & in circuitu vniuersa nobilis sua societas, militia & omnium virtutum baronatus, quæ filiæ sunt propriæ Dei & liberæ volũtatis, vt sunt charitas, fortitudo, temperãtia, humilitas, & aliæ in magno numero. Caput consilij & veluti miles subtile erat ingenium firma societate Domini rationi sapienti iunctum. Secretarij eius erant prudentia & scientia. Fides bona christiani & sapientia diuina atque cælestis de stricto seu secreto erant consilio. In auxilium earum erant memoria, prouidentia, bonus sensus, & alij complures. Eloquentia theologica quę mediocris & tẽperati erat sermonis se curiæ gerebat patronum siue aduocatum. Causarũ promotor conscientia nominabatur, nihil enim est quin ipse sciat & deferat. Cum sic delectarer magna quidem admiratione omnem pulchrum ordinem curiæ istius christianitatis & iusticiæ ius tribuentis contemplando. Vidi (vt mihi videbatur) conscientiam exurgere quę ex officio suo curiæ causas promouet, cum iure quod se magistrum gerebat requestarum. Conscientia in manu sua & in sinu suo multas habebat supplicationes. Inter alias erat quædam cuius singula memoriæ teneo verba quæ continebat miserandam querimoniam pulchertimæ & purissimæ castitatis. Quæ quidẽ castitas nunquam dicere voluit aut cogitare aliquã turpitudinẽ nec immundiciã. Iustitiæ legali locum Dei in terra tenentis & vniuersæ curiæ suæ religiosæ, deuotæ & christianissimæ supplicat humiliter & conqueritur castitatis legitima vestra subdita vt remedium ponatur & breuis prouisio de intolerabilibus forefactis, quæ mihi intulit nec dum inferre cessat quidam fatuus amator appellari volens. Et hi sunt articuli.

Primus articulus. Fatuus hic amator omnem adhibet conatum, vt me de terra expellat, quæ innocens sum, & bonas meas custodes quæ sunt verecundia, pudor & damnũ, quod quidem damnum bonus est ianitor, quę nec auderet nec dignarẽtur cõcedere vnicũ quidẽ turpe osculum aut dissolutum aspectũ, aut attrahentẽ risum seu

verbum leue. Et hoc facit per maledictam quandam vetulam diabolo peiorem, quę docet monstrat & adhortatur qualiter iuueniles virgines omnes corpus earũ vendere debent citò & charè absque pauore & sine verecundia. Nec magni pendant fallere aut peierare, modò sẽper aliquid inde assequãtur. Nec curant aut damnũ aliquod iudicent, si festinent se citò prosternere interea dum pulchræ sunt omni turpitudini & carnalitatis immundiciæ siue ecclesiasticis siue laicis siue presbyteris absque vllo discrimine. Secundus articulus. Reprobare vult matrimonium sine vlla exceptione per contemptum quendam suspiciosum, odiosum & litigiosum tam per seipsum stultum amatorem quam per aliqua dicta aduersariorum meorum. Et potius consulit vt quisquã se suspendat, submergat, aut peccata faciat quæ nominari non debent quam se matrimonio iungat. Et vilipẽdit omnes mulieres nullã excipiendo, vt eas reddat odiosas viris omnibus eo quidem pacto ne velint capere eas in fidem matrimonij. Tertius articulus. Vilipendit homines iuuenes qui se dedunt religioni. Ideo dicit semper eos tendere vt eorum exuant naturam, & hoc in meum est præiudiciũ specialiter enim dedicatus sum religioni. Quartus articulus. Iacit vndique ignem ardentiorem & magis fœtidum quam sit ignis græcus & sulphureus. Iacit inquam, ignẽ luxuriosorum verborum, immundorum & prohibitorum, interdum nomen veneris, cupidinis aut genij, sæpius proprio suo nomine per quod ardent & comburuntur pulchræ meæ domus & habitationes sacrata templa mea humanarũ animarum & turpissimè deijcior. Quintus articulus. Infamat dominam rationem bonam meam magistram imponendo ei talem rabiem & turpe vituperium, quod loqui consulat nudè, illotè & turpiter iuxta libidinem sine verecundia de omnibus rebus quantumcumque abominabilibus aut erubescendis, vt dicatur aut fiãt & inter personas quidem admodum disolutas & mihi aduersas, heu. Si mihi vtique parcere non vellet, quiddam mali contra eum egit ratio: Attamen ita est. Profectò prælium mouet in omnes virtutes. Sextus articulus. Cum loquitur de rebus sanctis, diuinis & spiritualibus, &c. mox immiscet verba dissolutissima ad omnemque immundiciam mouentia. Et tamen immundicia non ingredietur paradisum tale quale ipse describit. Septimus articulus. Promittit paradisum, gloriam & præmium omnibus his qui carnalia opera complebunt, præsertim non in matrimonio. Consulit enim in propria sua persona, & ad suum exemplum cum omnibus modis fœminarum indifferenter congredi & periculum facere. Maledicitque omnibus his qui sic non fecerint, saltem his omnibus qui me recipient & conseruabunt. Octauus articulus. Nominat in persona sua partes corporis inhonestas & peccata immunda atque turpia per verba sancta & sacrata, veluti si omnia talia opera res essent diuinæ & sacratæ ac odorandæ etiam si non fiant in matrimonio, sed fiant per fraudes & violentias.

Nec contemptus est supradictis iniurijs publico vndique ore dictis sed & eas curauit iuxta posse suum tam scribi & depingi curiosè & preciose ad citius alliciendas personas, vt eas audiant, videant & contineant. Sed adhuc peius restat, vt enim subtilius falleret mel miscuit veneno, saccarum intoxicationi, serpentes veneficos sub viridi verba deuotionis latentes, & hoc facit congregando materias diuersas parum sæpius ei conducendas, nisi ad supradictam causam, & vt melius illi fides adhiberetur, & maioris esset autoritatis quanto plura appareret eum vidisse & ad maiorem operam studijs impendisse. Supplico igitur domina iusticia de festinanti & conuenienti remedio & prouisione super his omnibus iniurijs & alijs maioribus quas parua præsens non solum continet supplicatio, verumetiam liber eius fidem facit multo maiorem quam foret necessarium.

Posteaquam hæc castitatis supplicatio leuata fuit distinctè & in aperto, Illic percipere potuisses vniuersum consilium & omnem nobilem militiam quæ in vultu suo apparatu indignationem præ se ferebat. Attamen tanquam sapiens & temperata dixit, quod pars altera audienda esset, sed quoniam fatuus amator cum accusatus esset non adderat (transierat enim passum altum à quo nullus regreditur) interrogatur si in curia christianitatis sint aliqui procuratores, fautores aut fauentes quicumque illi. Tum ecce magna turba & cumulo homines sine numero iuuenes & senes omnium sexuum & ætatum, qui non seruando ordinem, sed distortè & ex transuerso voluerunt vnus quidem excusare, alius tutari, alius laudare eum, alius veniam quærebat ob iuuentutem & stulticiam, allegando illum amatorem pœnitentia ductum fuisse quando scripsit. Feci inquit, in iuuentute mea varia dicteria per vanitatem. Alius eum sustinebat eò quod talis fuerit & tam notabiliter eruditus, & quia in loquela Gallica non habuit similem, aliqui ob eam causam quod tam aptè veritatem dixerat de omnibus statibus non parcendo nobilibus, non ignobilibus, patrijs, nationi nec seculo nec religioni. Et quid mali est (ait vnus inter alios consultior) quid mali est precor si homo iste talium sensuum, talis studij & famæ talis, componere voluerit librum in quo introducuntur personæ magno artificio, vnaquæque secundum ius suum & proprietatem loquentes? Nonne dicit propheta in persona fatui Deum non esse? Et sapiens Salomon, nonne specialiter totum ecclesiastes tali tenore composuit. Ideoque saluatur & defenditur à centum erroribus qui eo in libro scripti reperiuntur. Si hic amator leuibus verbis vsus sit, conditio est Veneris vel Cupidinis aut fatui cuiusdam amatoris quem repræsentare volebat per verba quæ trahi possent ad malum. Verumtamen nonne leguntur quæ loquebatur Salomon in canticis suis modo amatorio per verba? Si dicat in persona rationis omnia nominari debere suis nominibus, videntur eius motiua, sed quid mali est in nòminibus qui non ibi immoratur? Nomina sunt sicut alia nomina, posteaquam ergo per vnum nomen vna res intelligitur,

tur, & per aliud illa eadem, quid obesse potest per quod nomen res detur intelligi. Certum est in natura nihil turpe esse. Turpitudo enim solum est ex peccato, de quo tamen verba fiunt quotidie per propria eius nomina, sicut de homicidio, furto fraudibus & rapinis. Demum si locutus fuerit de paradiso & de rebus deuotis, quare vilipenditur de hoc de quo laudari meritò deberet? sed esto aliquid mali in libro suo sit, non dubium est multo plus boni illic esse. Sumat vnusquisque bonum, & malum dimittat. Expressè testatur se solũ in malos viros & mulieres inuehere, & quisquis se senserit reum & culpabilem, vitam suam emendet. Nec etiam est adeò sapiens quin quandoq; erret, quinimmo & magnus errauit Homerus, & hoc potius flectere & inclinare debebit ad veniam & benignitatem sapientem hanc christianitatis curiam. Constat diuum Aurelium Augustinum, & ferè omnes alios doctores in quibusdam punctis errasse, qui tamen non sunt accusati ob id neque condemnati, verum honorati. Et profectò non habere debet in suo sertio pulchram rosam, qui rosam hanc vituperat qui se nominat Romantium de rosa.

Ad hæc verba facile videbatur amicis aut fautoribus, fatui amatoris causam suam esse iustam & obtinuisse victoriam, neque responderi posse ad dicta. Vnus arridebat alteri, & sese mutuo intuebantur, cachinumque facientes, diuersa signa ostendebant. Tum eloquentia theologica, quæ christianæ curiæ aduocata est ad petitionem tum conscientiæ, tum castitatis admodum sibi dilectæ, ob orationem etiam officij sui in pedes sese erexit pulchro quidem gestu & modo temperato, autoritate magna & veneranda grauitate. Ipsa tanquam sapiens & probè docta postquam faciem suam paulisper deorsum declinasset instar hominis aliquantulum cogitabundi, maturè & securè suspexit, vertensque intuitum suum ad iustitiam, ad omnemque eius comitatiuam, aperuit os suum & sonora voce, suaui & mediocri sic orsa est, causamque suam sic cœpit defensare. Optare si Deo libitum esset, quem tu iam repræsentas ô domina iustitia auctorem qui hic accusatur in propria persona præsentem adesse, redeundo de morte ad vitam. Nec enim tunc opus esset verba multiplicari, nec curiam prolixa accusatione occupari. Opinor enim quod velociter vltro & ęquo animo delictum suum fateretur veniamque pro delicto satisfaciendo esset petiturus. Ad id præsumendum multæ me mouent coniecturæ, præcipuè verò illa quam nonnulli allegarunt quod adhuc superstes & viuens pœnitentiam egerit, librósque interea de vera fide & sancta doctrina ediderit atque excuderit. Adsum illi testis (quantum damnum fuit) iuuentutem aut malam aliam inclinationem illum fefellisse clericum, atque induxisse inutiliter & nimis vagè ad hanc reprobam leuitatem, subtile suum ingenium, magnam scientiam, feruens studium, pulchram eloquentiam in rithmis atque fictionibus. Vtinam melius his vsus fuisset, heu bone amice & vir subtilis, heu nonne erant sufficientes in mundo fatui amatores etiam si te huic turbæ non admisceres, Nonne erant qui ducerent & docerent eos in stultitia sua absque hoc vt te eorum præberes primipilum, capitaneum ductorem, ducem & magistrum. Fatuus est qui fatuitatem facit, fatuitas non est sensus, nimis vituperari vult qui se diffamat & officium suscipit infamis. Eras profectò alio magisterio alioque officio dignus, vitia & peccata (mihi crede) facillimè dicuntur. Nec opus est quoque magistro natura humana præsertim in teneris annis & in adolescentia nimium prona & inclinata est ad cadendum præcipitandumque se & immergendum in immunditiam spurcitiamque totius carnalitatis. Non erat opus te illos attrahere & lacessere aut vi quadam compellere. Quid enim facilius capi potest & inflammari igni turpium delectationum quam cor humanum? Quare ergo subministrabas & auges tu fœtidum hunc ignem ventis omnium leuissimorum verborum & autoritate personæ tuæ & exemplo tuo? Si tunc Deum non timebas, neque vindictam eius, si te non faciebat prudentē & circumspectum pœna & supplicium quod de impudico Ouidio sumptum fuit, saltem tui status honor retrahere te debuisset. Erubuisses proculdubio si clara die palam in loco stolidarum muliercularum inuentus fuisses quæ sese pro precio prostituunt, sicque loqui quemadmodum scribis. Et tu peius agis, ad peius hortaris. Occidisti stultitia tua & incarcerasti (quantum in te est) mille & mille homines per diuersa flagitia, & id adhuc facis indies per stolidum librum tuum. Nec excusari potes propter tuum loquendi modum per personas, sicut in sequentibus clarè tibi sum probaturus. Nec tamen semel & vnico actu omnia dicere possum. O Deus optime maxime si tu stulte amator (quia sic appellari cupis) si in adolescentia tua per vanitatem aliqua scripseras, cur ea perdurare & extare sinebas? Nonne exuri debebant? Mala est prouisio venenum aut intoxicatio in mensa, aut ignis inter oleum & festucas, qui sparserit vndique ignem, & non aufert quomodo absoluetur à domibus qui comburentur? Ecquis est peior ignis, atque ardentior igne luxuriæ? quæ nam domus preciosior est humanis animabus? sicut planè continetur in supplicatione dominæ castitatis. Debent enim animæ illæ templa esse spiritus sancti, esse sacrata, sed quid plus vrit & inflammat has animas quam verba dissoluta, spurca & luxuriosæ scripturæ & picturæ? Videmus pia & sancta verba honestas scripturas & imagines incitare ad deuotionem vt dicebat Pythagoras. Ob hanc causam sermones fiunt & imagines in ecclesijs. Multo facilius è contrario mala & impura verba ad dissolutionem trahũt nec est quisquam quin in se experiatur, plurimæque historiæ illud ostendunt. Sed ô bone amice superuacaneè & frustra tibi loquor qui absens sis, cui factum hoc prorsus displicet, & vt prædixi, si adesses displiceret. Et si tũc hoc nesciuisses, didicisti interea magnis verberibus & expensis, saltem in igne purgatorio, aut per pœnitentiam in hoc mundo. Dices fortassis non potuisse te librum tuum denuo consequi aut habere posteaquam editus & diuulgatus fuerat, aut fortassis fuerat furto ablatus te nescio, aut quouis alio modo, ignoro, id scio

quod Berẽgarius Petri Abellart discipulus (cuius meministi sæpius) cum ad horam mortis deuenisset in qua veritas declarat hunc qui bene fecerit, eratque dies apparitionis Domini nostri suspirando dixerit: Deus meus inquit, Berengarius, hodie mihi apparebis ad meam saluationem vt vt spero propter pœnitentiam meam, aut ad durã meam damnationẽ sicut timeo, propter eos quos peruersa doctrina decepi, quos nequiui reducere ad veram viam tui sacramenti, sic fortassis & tu dices. Breuiter iocus non est, neque est res vlla periculosior, quam peruersam disseminare doctrinam in cordibus mortalium, quod pœna illorum præcipuè qui damnati sunt, indies magis atque magis crescit. Si in igne purgatorio fuerint: eorũ liberatio impeditur & protelatur. De Salomone qui omnium totius mundi fuit sapientissimus, dubitant plerique doctores si saluatus sit. Quare? quoniam ante mortem suam non curauit demoliri idolorum templa, quæ fieri iusserat ob fatuum amorem exterarum mulierum. Pœnitentia non sufficit cum non aufertur occasio suorum propriorum peccatorum, & aliorum pro virili sua.

Verumtamen quicquid de tua fuerit pœnitentia si acceptata fuerit à Deo, aut non desidero quod sic, loquor duntaxat de facto & opere in seipso, ac de libro tuo, quia cum non defendis more sapientis, conuertam omnem querimoniam meam in illos qui vltra proprium tuum iudicium & voluntatem in graue præiudicium honoris tui & salutis tuæ nituntur siue distortè siue ex transuerso sustinere, nec sustinere solum, sed & adiuuare & accumulare tuam vanitatem. Et in hoc te confundunt arbitrantes te defendere, displicentque tibi & nocent, volentes tibi gratificari more violenti & importuni medici, qui sanare putat & occidit, & instar inutilis aduocati qui opinatur clientulum suum adiuuare, & eius destruit causam. Ego è diuerso hoc obsequium & seruitium præstabo animæ tuæ eamque illi faciam gratificationem aut hoc alleuiamen ob causam tuæ doctrinæ & studij quod arguam in hoc, quia omnino argui desideras in omnibus. Qualis ignorantia est hæc chari amici? Sed quæ nam fatua præsumptio vestrũ quos hic loqui principio, vestrum inquã, qui excusare nitimini, prorsus omnem stultitiam aut errorem eius qui seipsum condemnat, eius qui in fronte sua titulum offert suæ condemnationis, nec me intueamini, se gerit per prædicta vestra pro fatuo quodam amatore. Profectò cum plures infamias de tali dicere velim autore, nequaquam potero quicquam ei turpius & peius imponere, quam stultum eum amatorem nominare. Nomen hoc grande nimium importat onus, & pondus nimiæ lubricitatis atque bestialis carnalitatis, omnium virtutum homicidium, incensorem ignis vbicumque quieuerit locorum, sic dicunt Plato, Archita Tarentinus, Tullius & alij complures. Quis succendit magnam Troiam crudeliter igni & flamma? stultus amator. Quis tum interire fecit plures quam centum mille nobiles. Hectorem, Achillem, Priamum & alios? fatuus amor. Quis expulit vrbe Tarquinium regem & eius sobolem? fatuus amator. Quis decipit per fraudes & periuria illegitima filias honestas & virgines Deo sacras atque

A religiosas? stultus amator. Quis obliuiscitur Dei & sanctorum & sanctarum. Demum verò ipsius paradisi? stultus amor. Quis nihilipendit parentes, omnes propinquos amicos & quaslibet virtutes? stultus amator. Vnde prodierunt conspirationes ciuiles, vnde rapinæ & latrocinia? ad stultam enutriendam prodigalitatem. Vnde spurij, vnde puerorum suffocationes, vnde spontanei aborsus, vnde odia & maritorum intoxicationes & mortes? & vt summatim dicatur, omne malum & omnis stultitia oritur ex fatuo amatore.

B Sed video quod per titulum & hoc opprobrium eum excusare vultis à stultitia sua, eò quod fatuus nil quærere debet præter fatuitatem. Sed reuera bone amice, stulto sua demonstrari stultitia debet, & multo plus sapienti cum stultum agit & amplius si hoc est in grauissimũ malum maximæ patriæ & in destructionẽ turpem bonorum morum, dominæ quoque iustitiæ & totius nobilis curiæ eius christianitatis. Videtis planè quonam pacto domina castitas conqueritur. Verecundia,

C timor & domina ratio magistra mea dolore afficiuntur, breuiter omne consilium & nobilis virtutum militia (videtis in earum gestu) indignantur vehementer. Et quare non quoniam dicetis quod autor hic nõ loquitur, sed alij qui ab eo hic introducuntur. Defensio hæc exigua nimis est pro tam grandi crimine. Quæro enim si quis regis Franciæ nominaretur aduersarius, & sub nomine tali & vti talis illi bellum inferret, nomen hoc defenderetne eũ ne proditor esset & à mor-

D te? ita esse nequaquam affirmaretis. Si in persona alicuius hæretici au Saraceni, immo verò diaboli quispiam scribit aut seminat contra christianitatem errores, excusabitur ne? Aliàs quidem illud facere tentauerunt, sed mox per quendam ecclesiæ Parisiensem Cancellarium in plena aula episcopi & auditorio reuocare & erratum suum corrigere compellabatur. Non obstante quod loqueretur coram doctis intelligentibus, quando ait, loquor vt Iudęus, reuocabis inquit, cancellarius vt christianus. Si quisquam libellos scribit

E diffamatorios aut famosos de persona aliqua siue exigui status, siue non, siue malè aut illegitimè nata & per introductas personas ius censet talem castigandum esse atque infamem. Quid ergo dicere debebunt leges, & tu domina iustitia non de vno libello solum, verum de grandi volumine omnibus infamationibus resperso atque referto, non contra homines modò, sed & contra Deum contra sanctos & sanctas qui amore prosequuntur virtutes. Dic mihi, esset ne audiendus aliquis qui diceret principi aut alicui ex magnatibus, cer-

F tè Domine dico vobis in persona vnius zelotypę aut vetulæ aut per somnium mulierem vestram esse flagitiosissimam & dirumpere ac soluere matrimonium. Cauete diligẽter, nec in vllo illi confidatis, & filiabus vestris quæ vsqueadeò pulchræ sunt & succi plenæ, consulo vt mox se prorsus operi tradant carnali, & vnicuique se viro prostituat qui gratum illis precium largiatur. Dicite amici charissimi, estis ne adeò effrõtes & imperiti vt iudicaretis huiuscemodi hominem non esse puniendum, sed sustinendum, audiendum & excusan-

cusandum? Et multo amplius si præter verba libellos etiam transmitteret aut imagines & picturas. Præterea quod est peius, aut christianum clericum in persona Sarraceni prædicare contra fidem, aut quod adduceret Saracenum loquentem vel scribentem? Nunquam tamen secundum toleraretur opprobrium, nihilominus peius est primum, factū scilicet christiani, quanto clandestinus inimicus magis est nociuus quam apertus, eò quod citius & facilius recipitur, auditur, & illi fides adhibetur. Dabo venenum in melle absconditum. Aliquis moritur, sum ne excusatus? Feriam osculando, occidam amplexādo, ero ne liber? Dicam publicè alicui deuotæ personæ, certè inuidi & qui vos oderunt, dicunt vos esse hypocritam & palliatum, latronem & homicidam. Et se offerunt ad hoc probandum, excusabor ne de infamia hac? Dissolutus aliquis & malus faciet ac dicet omnem lubricitatem quæ inueniri potest inter virum & mulierem coram puella aliqua innocente, dicendo non sic agas, quēadmodum nos cernis agere sic & sic, considera bene excusabitur ne? Certè non, quia castitas, fama, oculus & fides, non patiuntur ludum aut iocum, nimis enim facilis sūt læsionis & corruptionis. Sed intelligo quid adinuicem murmuretis quod vnus vestrum prius allegauit Salomonem scilicet & Dauidem sic fecisse. Hæc est magna temeritas nimis vt excusetur fatuus aliquis amator, accusare Deum & sanctos eius, eos in accusationem ducēdo, immo hoc fieri non potest. Vellem stultum hunc amatorem non fuisse vsum his personis nisi vt sancta vtitur scriptura reprobando scilicet malum, & taliter vt vnusquisque percepisset detestationem mali, & boni approbationē, & (quod præcipuum est) vt omnia hæc fierent sine leuitatis excessu, sed non omne videtur esse dictum in persona, omne videtur tam verum sicut euangelium, & specialiter stultis & vitiosis amatoribus ad quos loquitur. Et (quod doleo) citius inflammat ad luxuriam etiam cum eam videtur reprobare, verum casti si dignarentur ipsius libro operam dare, audire eum, aut legere, peiores hinc essent futuri. Dicuntur doctores cantica Salomonis quamuis bene in se sobria sint, olim legi non fuisse solita, nisi ab his qui triginta nati essēt annos aut supra, ne vllam inde sumerent impuram carnalitatem. Iuniores ergo homines vitiosi & instabiles quid in tali faciēt libro scilicet in tali igne magis inflammante quam ignis Græcus, aut quam vitrea fornax. Ad ignem chari homines ad ignem. Tollite omnia quæso tollite, fugite omnes, saluate vos, & conseruate vos & filios vestros sapienter. Non melius remedium, qui non vitat periculum, incidet in illud, & capietur veluti rattus aut glis lardo, & lupus in fouea lupina, aut papilio ab igne candelæ propter suam claritatem, vel fatui & pueri & amicantibus gladijs aut incensis carbonibus propter eorum pulchritudinē, si quis talia eis non aufert. Si dicatis in libro hoc multa esse bona, sunt ne quæso propterea mala in eo deleta? Ignis est periculosior. Hamus nocet pisci si coopertus sit esca. Gladius vnctus melle ferit ne minus? non. Sed præterea defecerunt ne alicubi puræ & bonæ doctrinæ absque mixtione mali seminis? Nec necessarium fuit bonum aliquod inuoluto malo seruare charè tenere & laudare? Dico quod Mahometus maxima malitia miscuit nostræ fidei christianæ veritates suis immundis erroribus. Quare? alliciendos citius christianos ad legem suam, & ad cooperiendas temeritates suas, nonne diabolus multas quandoque dicit veritates per dæmoniacos, per cantatores, per magicos, & etiam per hæreticos? sed hoc est vt latentius fallat. Doctrina enim mala eò peior est quò plus boni continet. Mihi credite, non mihi, sed apostolo sancto Paulo, Senecæ & experientiæ, quod mala colloquia & scripturæ corrumpunt bonos mores, & faciunt peccata absque verecundia perpetrari, omnemque auferunt pudorem qui est in iuuenibus præcipuus & principalis eorum custos, omnium conditionum bonarum ipsorum iuuenum contra vniuersa mala, persona iuuenis expers verecundiæ, prorsus est perdita. Cur nam Ouidius vir vtique doctus ac ingeniosissimus poëta, missus fuit in exilium perpetuum. Ipsemet testis est hoc ei accidisse propter miserabilem suam artem amandi, quam temporibus Octauiani imperatoris scripserat, quāuis edidisset ex aduerso alium de remedio amoris librum. Ouidius bene nouisset loqui per somnia aut personas si per hoc excusari potuisset. O Deus ô sancti & sanctæ, ô deuota christianæ religionis curia, ô præsentis temporis mores. Inter paganos paganus iudex & incredulus paganum condemnat, qui doctrinam scribit quæ ad fatuum alliciebat amorē & inter christianos & per christianos tale aut peius opus sustinetur, laudatur, defenditur. Reuera nequaquā satis rei huius indignitatē & horrorem exprimere possum, verba me deficiūt in eis reprobatione. Quod autem opus tale; Ouidij peius sit opere manifestè liquet, ars enim amandi quam scripsit Ouidius, non solum in dicto Romantij continetur libro, sed translati sunt, aggregati, & vi quadam tracti absque proposito vllo complures alij libri, tum Ouidij, tum aliorum qui non sunt minus honesti & periculosi, vt sunt dicta Eligij, & Petri Arbellart, Iuuenalis, & fabellæ fictæ omnino ad peruersum hunc finem de Marte & Venere, Vulcano & Pigmalione, de Adone alijsque. Ouidius expresè protestatur se non velle loqui de bonis matronis & dominabus matrimonio coniunctis, nec de illis quæ licitè amari non possent: Liber vester anne sic faciat? Reprehendit omnes, vilipendit omnes, cōtemnit omnes sine vlla exceptione, saltem postquam se christianum faciebat, & de rebus loquebatur interdum cœlestibus, quare non demebat gloriosas & sanctas puellas, aliosque innumeros, qui vsque ad durissima tormenta crudelemque mortem, castitatem in cordis eorum templo seruauerunt. Quare non exhibet eam reuerentiā sanctæ sanctarum, sed non, erat enim fatuus amator, ideo non curabat quemquam excipere, vt maiorem omnibus se prosternendi daret audaciam, nec hoc melius poterat complere quam vt per eum mulieres intelligerent omnes esse tales, nec sese seruare posse quin illud agant, necessitas non habet legem. O qualis doctrina, nō quidem doctrina, sed blasphemia & hæresis. Hoc pacto

demõstrat iuniores homines nec firmos esse nec stabiles in religionibus, quæ falsa est doctrina & contra experientiam. Sed si quis immorari vellet, omnia taxare & reprehendere quæ male in hoc libro ponuntur, potius dies deficeret quam querela, & posset etiam forsitan nimia particularitas magis bonis nocere moribus quam prodesse, incidere possem in hoc vitium quod reprehendo. Rescindam igitur verba mea, & dumtaxat dicam de articulis in supplicatione dominę castitatis per conscientiam porrecta contentis, & iamiam me liberatam sentio de facilioribus articulis. Ideo tempus est vt ad grauiores & inexcusabiliores descendam.

Res ardua est domina iustitia, consilium tuum attentum sit ad hos audiendos articulos ad festinanter prouidendum. Certe in dicto libro (si liber appellari mereatur) conuenienter & aptè locum habet commune dicterium, in cauda iacet venenum. Irrisio Horatij hic locum habet de pictore pulcherrimam fœminam in capite pingente, & desinentem in piscem. Tales dicuntur esse Harpyiæ, quæ vultum gerunt virginum, ventres vero & reliquas partes immundissimas. Heu qualis immunditia illic est posita & accumulata quæ blasphemiæ, quis se ibi seminando sparsit diabolus habere modò verba de eo? de paradiso, de dulci agno & castissimo? de pulchro fonticulo & puteo in persona autoris subitò & citissimè recẽsere dissolutissimam vitam suam, quam perpetrando nullus est tam inhonestus quin rubore suffunderetur & verecundia, hortari vt omnes fœminei sexus siue corruptę siue virgines sese dedant & tradant, vt de quolibet viro, &c. experiantur. Et (quæ est summa mali) asserit res tales sanctas, & opera sacra atque veneranda, dicere potius debuit execrabilia damnanda & detestabilia. O quid hic sum dictura? proculdubio abominatio est magna duntaxat hæc in animo voluere atque meditari. Os meum non contaminabitur ampliora dicendo, nec aures vestræ sanctę grauabuntur, nec curia hæc inficietur audiendo. Oro nihilominus vos, ne vllum causæ meæ fiat præiudicium. Et si verum est quod dicit sanctus Augustinus, & vtique verum est, quod minus malum non est spernere sanctum Dei verbum quam corpus Iesu Christi. Nec minus irreuerentiæ sic loquendo Deo fecit, res vilissimas inter diuina verba & consecrata miscendo, quam si preciosissimum corpus Domini nostri Iesu Christi ante porcos proiecisset, aut in vel supra fimum. Cogitate qualis temeritas, quam despectibile facinus, & qualis horror. Non peius egisset proijciendo euangeliorum textum aut crucifixi imaginem in lutum magnum, immundum & profundum. Dicit Aristoteles vt recitat Seneca, quod nunquam se tenendum est reuerentius & honestius, quam cum sermo de Deo habeatur. Et est hic proijcere simul ad immundum quoddam lutum & fœtidũ preciosum lapidem & sanctum, christianæ veritatis de Deo loquentis. Hic argumentari libet aut credebat id quod de paradiso dicebat, sicut opinor. Heu quare ergo non id meditabatur quod credebat, si non credebat, falsus erat hæreticus & fictus. Sic cum arguo de dissoluta vita de qua gloriatur & se iactat. Vlterius dicerem nisi esset A quod aliqualiter melius saluari potest. Dicerem quomodo in persona modò naturę, modò genij, secundum quod proposuit & verum est, hortatur & præcipit sine differentia omni vti carnalitate, & cunctos maledicit homines qui ea non vtuntur, neque de matrimonio mentio fiet, quod nihilominus per naturam est ordinatum. Nulla erit sobrietas loquendi & se seruandi, custodit & promittit paradisum omnibus his qui ita facturi sunt. Fatuus igitur esset qui illi non B crederet, qui illam non imitaretur doctrinam, qui eam non vndique decantat. Verum est hanc fictionem poëticam corruptè extractam fuisse ex Alani magni libro, quem de planctu naturæ scripsit. Quia etiam maxima pars illius quod fatuus noster amator facit est quasi solũ trãslatio dictorum aliorum autorum. Hoc probè scio, humilis erat qui mutuari dignabatur à vicinis suis, & se varijs muniuit plumis, vt de cornicula fabulæ referunt. Sed hoc parum me mouet, reuertor ad Alanum & dico, per nullam personam eum vn- C quam tali modo locutum fuisse, hoc enim immeritò fecisset, dumtaxat execratur & reprobat vitia contra naturam, & bono quidem iure, hoc idem facio ego. Maledicti sint hi qui non abstinebunt, & iustitia illos exurat, sed hoc non est vt hortetur ad peccatum quodcumque vt aliud euitetur peccatum. Stulta esset chirurgia velle vnum vulnus aut plagam per alteram curare, & ignem igni extinguere. Qui autem eius opera & temeritates excusare studet, loquatur. Pro te respondeo domina natura nunquam te consuluisse aut D persuasisse peccatum, nec voluisse vt quispiam contra decem ageret præcepta, quæ tua quidem præcepta naturæ præcepta vocamus, qui secus diceret & contrarium, erraret in fide, hoc est dicere, quod secundum ius naturale opus naturæ viri & mulieris præter matrimonium peccatum non esset. Domina iustitia diu locuta sum, & id (bene considero) diu quidem quoad tempus sed breuissimè quoad forefacti & sceleris magnitudinẽ, quamuis tu & sapientissimum consilium omnia E breui capitis sermone. Odio habeatis omnem turpem immunditiam, quæ scitis omnes leges & iura, multóque prius hac de causa (quæ sine magna curiositate dicta est) verba fieri audistis. Scio enim cui loquar coram quo & pro quo. Quod igitur dictum est, sufficere quidem posset ad condemnandum dictum librum & ad excommunicandum, sicuti factum est de alijs, quæ fidei nostræ bonisque moribus damnum & detrimentum afferre videbantur. Sicut apostoli fecerunt F nouiter conuersis. Sicut & fecerunt veteres de cuiusdam poëtæ libris, qui Archilocus nominabatur, non quin magna editi essent arte & industria, sed quoniam nocebant plus bonis iuuenum moribus, quam eorum prodessent ingenijs. Idem per omnia hic videmus.

Hic igitur finem statuerem, finemque dictis imponerem, nisi quod domina ratio sapiens, sed bona mea magistra mihi conuiuium facit vlterius dicendi quod mirandum non est. Magnus enim dependet honor, bene ipsa manifestam rem hanc tutari posset, sed quia dicere cœpi, & ita ei visum est

est me continuare sermonem, faciam libenter & satis breuiter, multóq; succinctius quam crimen ipsum expostularet. Si error hic est irrationabilis, ô vos qui hic adestis pro stulto amatore, qui rationi rabiem imponit. Nonne rabies est dicere loquendum esse nudè, apertè & sine verecundia quantumcunque inhonesta sint verba? secũdum omnium iudicium etiam illorum qui sine lege essent & sine verecundia. Si error hic inquam, non fuisset iamdudum explosus & per antiquos philosophos reprobatus, autor hic aut vos qui eum defenditis, immo verò accusatis, non essetis tantopere vituperandi. Sed veritas est Tullium ante Iesu Christi aduentum in suo de officijs libro, & alios philosophos (interea quoque sanctos doctores, vt modò legere potestis & scire) hanc reprobasse stultitiam, immo & bona consuetudo (quæ æquiualet naturæ) ipsam cõtemnit & despicit & aspernatur. Quomodo ergo sustineri potest, vt dominæ rationi talis adaptetur persona, veluti sibi qui sic non faciunt, insensati forent & absque ratione, sicut loquebatur ratio, non quidẽ sapiens, sed stulta & insulsa. Profectò hæc persona melius spectasset ad porcos aut canes quam ad rationem, nec hoc dictum meum impugnes. Nam plerique priscorum qui philosophi dicebantur, appellati sunt canes seu canini, propter infamem hanc doctrinam. Nonne Cham maledictus fuit & vilis seruus solummodo quia vidit secretas & obscœnas patris sui Noë partes, non eas tegendo? Iste error etiam error erat Thurelupinorum sustinentium quod esset status innocentiæ & sũmæ perfectionis in terra. Quomodo res magis irrationabilis rationi potuit imponi? Quomodo maior audacia omnibus irrationabilibus dari potuit, quam vt sic ratio loqueretur, præcipuè cum inter loquendum res recitet allicientes, & ad omnem inclinantes leuitatem. Cõmittite committite filias vestras & pueros tali doctori, & si non satis fuerint sapientes dirigite eos ad scholas illius rationis, docete eos in omnibus malis, si non sufficienter per seipsos inuenire queant, eos verberibus afficite, si non loquantur secundum quod ratio præcepit. Sed præterea ex eadem radice & motiuo probaretur nudè incedendum esse & omnia facere vbique & nudè sine pudore. Credo pudorem id sustinere debere secundum illius autoris positionem. Considera etiam si quis sustineat hoc per vicos. Experientia sumatur, quomodo ratio defendet eum quin acclametur, allatretur & vilipendatur. Si saltem ratio locuta fuisset docto viro, rerum naturas intelligenti aut magno theologo qui nosscit, quod si non esset peccatum originale, nihil nobis ad verecundiam imputaretur, haberet excusationem talem qualem allegare posset Euæ & Adæ nuditatem, quamuis non sit simile pro statu innocentiæ & nostro, tale enim est differentia & comparatio sicuti dicit sano ad infirmum, vinum quod non noceret sano, insensatum reddet eum qui febribus contremiscit. Sic est quod videre aut audire carnales actus & præcipuè secundum præsentem statum peccatores aspiciẽtes aut audientes ad turpissima mouent desideria, sed pro innocentiæ statu non sic accidisset. Hoc omnino apparet, quoniam ante peccatum Adam & Eua positi erant sine verecundia, postea peccauerunt, & mox se absconderunt, & magna cum verecundia operuerunt nec opus est quærere quare vnus loquendi modus potius prohibitus sit quam alter, quando dicitur vna & eadem res hic & illic, non conuenit vt quis immoretur causam naturalem reddendo, experientia satis declarat, est enim propter phantasiã quæ plus mouetur. Et phãtasia ea est, quæ totum parit desiderium. Inde est quod domina otiositas, ianitrix est fatui amoris. Non enim reperit imaginationem ac phantasiam hominis occupatam. Ideóque carnalia huiusmodi ei desideria immittit, quocirca non est remedium efficacius quam sese in bono aliquo negotio occupare. Hinc oritur quod persona aliqua melancholia, infirma & debilis complexionis interdum ardẽtius de carnalitate tentabitur quam persona incolumis, sana & sanguinea, quæ tam spurcas suggestiones facile vincit ridendo atque iocando. Et omne id ex phantasia procedit. Quid mirum si ignis cinere coopertus non tam citò comburat, quam si nudus sentiretur. Itidem est de rebus carnalibus nudè dictis aut inspectis. Sed sumo propositum meum & dico, quod si persona rationis sapienti & maturo viro locuta fuisset aliquid esset, sed non, immo loquitur stulto amatori. Et hic male seruabat autor nostræ regulas palestræ. Regula rhetoricorum est vt is qui loquitur, consideret cui loquatur, & quo tempore loquatur. Et non solum hic defectus est, sed in pluribus alijs locis attribuit personæ quæ loquitur id quod ad eum met spectat. Vt si introducat naturam de paradiso loquentem, & de fidei nostræ mysterijs, & Venerem per carnem Dei iurantem. Sed illud nihilipendo, quamuis error sit in illo quem nonnulli vsqueadeò supra omnes alios qui ferè vnquam fuerunt imitari velint. Nimium tristor propter dominam rationem & propter castitatem, de hoc quod per sapientem rationem fatuo amatori dici voluit tales ineptias quas prius Cupido (qui Deus dicitur amoris) defenderat omnia verba turpia, obscœna & immunda, omniaque mulierum vituperia, ac si Cupido castior esset & rationabilior quam domina ratio & castitas. O Deus erro, non fuit idem autor, sed fuit ille à principio cuius est autor de quo loquor. Ædificauit enim omne opus suum, dudum fundamẽta iacta fuerant per primum & propria manu sua atque materia, non mendicando hic & illic, & non aggregando talem turpitudinem luti & fimi multum fœtidi, sicut ponitur in hoc opere. Nescio si successor eum honorare opinabatur, & si id credidit, profectò deceptus est. Nam initio quod forsitan satis admitteretur secũdum factum suum, etiam inter christianos adiungit turpissimum finem & medium irrationabile contra rationem. Quem quidem finem & media infideles in republica eorum (vt prius dixi) Octauianus & philosophi nunquam pati potuerunt neque sustinere. Sancti etiam doctores correxerunt dicta sua & emendarunt, quamuis non sint falsę hic & alibi. Concludo igitur coram te domina iustitia & nobili curia tua canonica, quod prouisio poni debet per arestum nulla parte contradicẽte:

In hoc defectu nihil concludo cōtra personā autoris. Hoc enim Deo cōuenit. Sed de errore qui magnus est nimiū, loquor quomodo nimis magnum errorem, ostendit superius, & succinctim repeto valde magnum in occasionibus errorum, in blasphemijs, in veneficis doctrinis, in destructionibus & desolationibus pauperum animarum christianorum, in illicita perditione temporis, quod vsque adeò preciosum est, in præiudicium castitatis, in dissipationem fidelitatis extra matrimonium & intra, in expulsionem timoris & verecundiæ, in diffamationem rationis, in maximam in honorationem tui domina iusticia canonica, legum tuarum & iurium, totiusque huius religiosæ curiosæ totius christianitatis, immo verò omnium vestrum & malorum qui hinc peiores efficiuntur. Auferatur ergo liber talis, & extermineтur absque vllo vsu in futurum, specialiter autem in his partibus in quibus vtitur personis infamibus & prohibitis, sicut vetula damnata quæ iudicari debet ad supplicium pillorij, & Venere, hoc est luxuria, quæ est peccatum mortale, & fatuo amore qui non ad placitum suum stulticias exercere debet, permitti ei maior contrarietas fieri non posset, nec ipsum magis odio habere. Hæc ergo petitio mea Deo placens, & tibi domina iusticiæ rationabilis toti curiæ tuæ accepta & fatuis amatoribus (quantumcumque modò reclament (vtilissima & amabilis. Et postquam sanati fuerint, placidissima & & delectabilis. Et ne quisquam existimet aut cōqueratur me aliud accusare quam vitia, & non personas ipsas, facio nomine castitatis & conscientiæ talem petitionem & conclusionem contra omnes picturas aut scripturas aut dicta ad lubricitatem mouentia. Nimis enim de se nostra inclinata est fragilitas absque vlteriori inflammatione & prostratione in profundum vitiorum longè à virtutibus & Deo, qui est gloria nostra, amor noster, nostra salus, iocunditas & felicitas.

Eloquentia suam finierat orationem, cum perciperem horam in qua cor meum ad pristinum reuolabat statum, & nil audiendo sentētiæ apud meipsum, fui in Biblioteca mea vesperi Anno gratiæ Millesimo quadragintesimo secundo. 18. Maij. Ibi aliam reperi materiam ad cor meum occupādum, ne amodo vsque adeò vagum esset. Et fuit materia de benedicta Trinitate in vnitate diuina & simplici. Deinde de Sacramento sancto altaris.

O peræprecium esset quosdam acutos poëtarum interpretes huius opusculi lectione abstrahi ab elucidatione immundorum poëtarum, Ouidij, Propercij, Catullij, Iuuenalis, & reliquorum similium, sed potius ad gloriam Dei, ad honorem matris suæ, ad animarum salutem ad fidelium eruditionem, ad christianæ religionis incrementum prouocari, ad interpretandos poëtas & oratores, in quibus nihil spurcum, nihil immundum, Senecam inquam. Prudentiam, Alcimum, Baptistam Mantuanum & eorum similes in bonis moribus atque sancta doctrina.

A

QVINQVE CONCLVSIONES MAGISTRI IOANNIS GERSON *super ludo stultorum communiter fieri solito.*



Anima auertantur subscriptæ conclusiones verè atque sufficienter examinatæ ad exterminandos magnos & detestabiles abusus, qui per regnum Frāciæ in diuersis fiunt ecclesijs & abbatijs mo- B nachorum & monialium stultorum festum (vt ipsi vocant) celebrando, vbi abominabiles fiunt inordinationes & insolentiæ, quæ satis cognosci possunt absque hoc vt proprijs describantur nominibus. Hominibus enim aliquid honestatis præ se ferentibus, indecens est & magnus horror talia recitare, aut dumtaxat audire. Hæ enim insolentiæ non dicerentur cocis in eorum culina, absque dedecore aut reprehensione quæ ibi fiunt in ecclesia sancta, in loco orationis, in præ- C sentia sancti Sacramenti altaris, diuinum cantatur seruitium, toto populo christiano spectante, & interdum Iudæis. Hæc autem per eos fiunt qui ordinati sunt ad diuina honoranda. Fiunt inquam publicè & occultè, vnusquisque satis scire potest.

Prima conclusio.

Asserere aut sustinere quod per longum vsum vel sub vmbra iocorum aut aliter sit res permissibilis aut appropriata fieri huiusmodi ludos stul- D torum cum istis inordinationibus quibus fieri cernuntur in sancta ecclesia, error est in fide nostra, & in christianam religionem blasphemia. Et adhuc peius est dicere festum hoc adeò approbatum esse sicut festum Conceptionis virginis Mariæ, quod paulò ante asseruit quidam in vrbe Altissiodorensi, secundum quod dicitur & narrari solet.

Secunda Conclusio.

Possent & deberent condemnari (vt hæretici, blasphemi & dantes manifesta scandala contra E fidem nostram, & vt in sequentes errorem, idololatrarum aut Saracenorum) hi qui taliter dicere vellent & pertinaciter defendere absque reuocatione aut correctione. Et si reuocare velint aut emendari, pœnitentia aspera & dura eis imponi debet pro aliorum emendatione & animarum illorum qui talia perpetrarunt saluatione.

Tertia Conclusio.

Viso ac considerato quod multi prælati noluerunt, aut fortassis non potuerunt hactenus F talibus insolentijs & fidei nostræ irrisionibus finem imponere, aut propter capitulorū vel aliarum ecclesiarum exemptiones, aut ob malum maiorum ignauia & negligentia nimis irradicatum, aut ob aliam quamuis causam quæ eos excusat minimè. Rex in primis & alij christiani principes possunt rationabiliter, sanctè iustèque de remedio prouidere per edictum ac prohibitionem generalem atque per coactionem rebellium & inobedientium. Et apparere posset eos obligari ad illud exequendum, veluti sanctæ ecclesiæ protectores.

Quarta

Quarta conclusio.

Ponere remedium contra præfatos abusus esset opus in se maioris acceptationis & laudis coram Deo, quam nonnullas in magno numero fundare Ecclesias, aut facere largas eleemosynas argento, absq; hoc vt prouisio ad hoc adhiberetur. Honor enim Christianæ religionis melius conseruaretur & exaltaretur.

Quinta conclusio.

Scienter impedire conuenientem prouisionem supradictis malis, esset mortaliter peccare, & se suspectum reddere, se malum esse Christianum, & perfidum paganorum filium. Omne hoc probaretur per sanctam scripturam & Doctores, mala talia & abominabilia festa expressè reprehẽdentes sicut idololatrias & maledictas vanitates. Et si aliquis dicat, ibi duntaxat ludũ esse & recreationem. Audi responsum breue peruulgatum prouerbium verissimum & obseruandum. Non iocari debet quæcumque anima cum fide, oculo & bona fama, nec lædatur vllo fides, oculus aut fama ludo. Gratiæ laus & benedictio sit omnibus illis qui remedium ponere nitentur vnusquisque secundum vires suas.

EXHORTATIO FACTA AD DVCEM BITVRIÆ ANNO DOmini 1413. *vt solemnizetur festum sancti Joseph virginalis sponsi beatæ Mariæ.*



SÆPENVMERO & frequenter considerando excellentiã & dignitatem sancti Ioseph filij Dauid legitimi & virginalis sponsi pudicæ virginis sanctæ Mariæ dominæ nostræ secũdum Euangelij testimonium, & meditando quãdo & quomodo sæpius memoraretur, honoraretur & celebraretur in sancta Ecclesia sanctum hoc & sacratum matrimonium. Venit paulò ante ad dictæ considerationis meæ oculos (sic enim Deum reor voluisse) quod tu nobilissime, potens & Christianissime princeps regis filius & regis auunculus Bituricensis dominus, is esses inter cæteros dominos (absque adulatione loquor) qui posses & velles promouere, exaltare & exequi negotium hoc vsque adeò dignum, honorabile, preciosum, sanctum & religiosum. Causę & rationes ad id me mouentes, satis cognitæ sunt tibi, propter deuotionem quam habes ornãdi tam copiosè auro & preciosis lapidibus sanctorum reliquias, & eas donandi ad multas & diuersas Ecclesias cum vestimentis & ornamentis preciosissimis magníque valoris. Quid fundationes & dotationes tuas varijs in locis factas memorabimus ad diuinum augmentandum seruitium tum in bona ciuitate sua Bituricensi excellentius quam alijs in locis. Et pręsertim videmus in solẽnissima Ecclesia nostræ dominæ Parisiensi te caput sancti Philippi dedisse, adeò preciosè vndequaque contextum, vt me lateat vbinam gentium simile posset reperiri. Et interea paulò antè aliud reliquiarum dedisti receptaculum dignissimũ & preciosissimum, in quo multæ continẽtur reliquiæ. Conspiciuntur oculis in illa Ecclesia pulchra organa quæ ex tuo sunt dono. Conspiciuntur cappæ casulæ, dalmaticæ & tales Ecclesiæ habitus, ferè omnes aureo filo formati. Conspicitur maxima pars veræ crucis preA ciosissimè circonsepta. Conspicitur osculũ quoddam pacis aureum & alia talia ornamẽta plurima, quę omnia tua donauit liberalitas. Ad cognoscendam autem religiosam tuam magnificentiam, humiles tui capellani & oratores, decanus & canonici Ecclesiæ illius Parisiensis, instituerunt perpetuò, anno quodlibet, quatuor solemnia seruitia in quatuor temporibus. Cum ergo sic sit ô nobilissime & christianissime princeps, secundum quod in illis locis declaraui, vt cõmemoratio & memoria B matrimonij sancti & sacrati dominæ nostræ, & Ioseph conuenientissimè fieri possit. Die Iouis quatuor temporum ante Natiuitatem Domini cantando Euangeliũ hoc: Exurgens autem Ioseph à summo, &c. Aut die Mercurij valde solemniter Euangelium illud: Missus est Angelus, &c. In memoriam mihi venit (sic Deus voluit vt religiosè credo) hanc rem deuotæ tuæ magnificentiæ denunciare, vt sublime considerares mysterium supradictum, quod fuit de virginali coniugio sancti Ioseph & dominæ nostræ. Et quod seruitium C tibi illo die fieri concessum in Ecclesia eius Parisiensi, in qua annuli sunt coniugij dominæ nostræ & eius tinctura, fieret solenniter in dignam commemorationem sancti matrimonij iusti Ioseph & dominæ nostræ, secundum modum cuiusdam seruitij quod modo cõpositum est, quod fieri posset non impediendo seruitium principale Ecclesiæ sine vana superstitione & fatua præsumptione. Significo igitur tibi fiducialiter nobilissime & deuote princeps secundum exiguum sensum meum D te hortando per magnam illam gratiã quam Deus tibi contulit post regenerationem & sanctum baptismatis fontem, vsque in hodiernum diem humilissimè supplicando qui adeò abundantissima dona acceperis naturæ & fortunæ. Aliąquoque bona tum corporalia tum spiritualia, & in primis in mutatione talium & tam grandium aduersitatum, in talem exaltationem & prosperitatem, in qua Dei gratia modò es constitutus. Te etiam adhortor per virginem illam matrem puellam dominam nostram quam sæpenumero vt fama est, in E tuis inuocasti necessitatibus, periculis & infirmitatibus non certè frustra, nec eius non percipiendo auxilium & iuuamen. Ecquid mirũ? Ipsa enim ea est vt verum fateatur, quæ nunquam humanæ defuit creaturæ, ipsam bono corde imploranti. Præterea te hortor per ducem illum & benignum puerum Iesum, qui in hoc sacrato matrimonio dominæ nostræ & sancti Ioseph nasci voluit & nutriri, & per ipsum iustum & sanctum Ioseph, nobilissimumq; sancti Ioannis Baptistæ consanF guineum. Qui quidem Ioannes valde à te colitur. Per Ioseph inquam, qui virgo fuit, sponsus & custos fidissimus virginum virginis, & gubernator præfati pueri Iesu, quẽ sæpius hincinde deferebat, sæpius osculabatur, & tractabat sæpius familiarius quam quicumque alius homo. Et sic te iuuent & succurrant in omnibus necessitatibus tuis, & in extremo negotio iudicij tui sæpius inuocata ac petita regina misericordiæ, mater gratiæ, aduocata peccatorum, atque honoratissimus & amantissimus sponsus suus Ioseph erga benignissimũ Iesum Saluatorem nostrum & iudicem qui dignabatur eorum appellari filius, eisque subijci & illis seruire.

Velis nobilissime & deuote princeps, velis rei huic tibi quidem facillimæ superintendere religiosè. Hoc enim magni meriti erga Deum erit, magni honoris sanctæ Ecclesiæ, magnæ deuotionis & pulchri exempli omnibus deuotis personis, & gloriosæ memoriæ, ac famæ tuæ magnificentiæ. Gratius ferè sepulchrum vt mihi videtur, aut obitum magis placentem Deo facere non posses aut fundare. Sume igitur Domine, & consilia tibi tandem hoc faciens, peculiarem tuum protectorem, amicum, bonum, intercessorem potentem sanctum Ioseph erga dominam nostram & filium suum Iesum, vt peruenias de mortali hac & breui peregrinatione ad perennis gloriæ ciuitatem. Amen.

Scriptum Anno gratiæ 1413. die sancti Clementis Papæ, cui successit magnus tuus & bonus amicus sanctæ memoriæ Papa Clemens septimus, qui vt digna fide & reuelatione cognoui, in veneratione & deuotione singulari habebat sanctum Ioseph, sicut etiam nostri temporis multi magnæ scientiæ & probitatis habent & habuerunt, quemadmodũ cardinalis Cameracẽsis præceptor meus, & bonæ memoriæ frater Petrus Burgundio Celestinus. Cui vt dicere solitus erat, singularis erat patronus & refugium, cuius sæpius expertus fuerat auxilium in suis & aliorũ necessitatibus tanquam per miraculum. Et postremò magister Henricus Chicquot, plurimum famatus & antiquus Vniuersitate Parisiẽsi clericus, Theologiæ Doctor, paulò antè in obitu suo, & suprema voluntate redditus, misit in Ecclesia Carnotensi, vt loco obitus sui dicta fiat commemoratio sancti Ioseph in tali vt dicebam die. Eo enim viuente sæpius fueramus locuti, & omnes hi super hac re scripserunt, scripta quidem plena scientiæ & deuotionis.

Humilis tuus capellanus & orator Ioannes Gerson, Cancellarius Parisiensis indignus.

QVÆDAM DEVOTÆ MEDITATIONES ANIMÆ CIRCA *Ascensionem Domini.*

QVIS pennas mihi donabit & alas ad columbæ similitudinẽ & volabo atq; requiescam. Videte hic Deus meus, magister meus & sponsus meus quomodo volat in altum altius quam venti supra omnes nubes, immo verò vltra omnes cœlos. Et ego misera anima desolata in infimo moror infimè hic in terra, quomodo sequar eum, relicta sum orphana, vidua sum sine cõfirmatione, quis mihi tutor erit? Quis mihi consulet? Para te ad volandum, ad amicum tuum sequendum, tristis corde resume animum, renitere. Sed heu quo sanctarum cogitationum pennæ meæ deuenerunt, & duæ alæ meæ? vna quidẽ boni desiderij, altera verò deuotæ spei? Sparsæ sunt hic & illic in diuersas partes per euagationẽ cordis in terrenis curis in hoc paruo quod superest quod omnino eradicatum non est. Heu quid mihi prodest corruptę carnalitatis fœtor, qui omnia deuorauit? Corporis mei onustas & graue iniquitatis meæ pondus me in terram & imum detrahunt adeò vt meipsam iuuare non possum nec resurgere quo pacto volarem? Maledicti sint proditores, aucupes, mundus, caro & inimicus, qui

A tetenderunt laqueos, gluten, retia & muscipulas quocumque ibam, siue esset in pratis, siue in campis, siue in vrbe, siue bibendo, siue comedendo, siue in lecto, siue extra lectũ, male autẽ mihi caui, ideo in laqueos eorũ cecidi. Et eo modo pessimè ducor. O qualis miseria, nullum horum sentiebam impedimentorum, opinabar liberè surgere, tunc valde nimis percepi meam miseriam qualiter eram irretita. Postulo itaque nunc alas nouas, pennas quoque puras, mundanas & integras ad columbæ

B similitudinem. Nolo cicadæ pẽnas quibus à terra eleuari nõ possem, & sunt pennæ hypocrisis. Non curo falconis pennas, quibus inuenire nõ possem requiẽ, sunt pennæ auaritiæ & rapinæ. Sed pennas peto columbæ, pẽnas simplicitatis & deuotæ meditationis, tunc volabo & quiescam. Ah non possum Deus meus pater meus, totius benignitatis succurre mihi, aut descende consolari & releuare miseram filiam tuam, aut mihi pennas concede & alas meditantibus quibus ad te volare queam in sublime ad locum vsq. secretum habitationis tuæ

C in sanctis cœlis superius, vbi omnium deuotarum animarum esse debet conseruatio quo tu ascẽdisti, tu inquam qui fidus amicus es earum, totus pulcher, totus dulcis, totus bonus, gloriosissimus sponsus. Quid dico misera? quid desidero? quid opto? Sum ne digna statu illo, loco illo, illo honore? non profectò, & hoc confiteor quidem. Sed Domine & totius consolationis pater misericors, pia mater tua mihi facultatem dat sic loquendi & desiderandi. Necessitas amarissima ad

D tuum me compellit amorem, amor præsentiæ tuæ ad te me gemere cogit ad pulchritudinem tuam, ad tuam societatem me impellit suspirare, cõqueri & plorare, cum me solam desolatam video in præsenti hoc exilio, in valle hac obscura & tenebrosa, in horribili hoc deserto omnis aduersitatis, omnis miseriæ & infœlicitatis pleno. Quid mirum si meipsam fugiendo elongare velim? si extra mundum morari petam? & illic te expectare, qui me saluare potes & liberare à timore, & spiritus mei paupertate, à mundi tempestate in quo est ini-

E quitas atque contradictio, labor, iniustitia, vsura & dolositas vbique. Tu verò corpus quod amicus meus esse solebas per tempus aliquod non me impediendo quo minus Deum adirem sed eiusdem mecum eras consensus in via & Dei seruitio. Mecum edebas dulces cibos deuotorum fletuum ac Deum gemituum. Mortem his opto qui tibi hoc intulerunt, falsis videlicet inimicis qui te incitant vt aduersum me arma sumas, ac prælieris, desoleris & rebelle sis. In hoc quod modò carnales tuas

F petis voluptates contra voluntatem meam, & vagaris vndique per occupationes vanas & inuisibiles, cõtradictionem meam nequaquam audiendo. Confœderemur denuo, multo melius nobis in ea erat pace, quam in hac diuisione verecunda, quam in iurgio hoc & rixa magnopere affligente. Tu sursum euolare non potes, saltem ad præsentiam vsque amici mei: Sed quæso non me turbes, patere vt pennas recolligam sanctarum cogitationum, & alas meas desiderij & bonæ spei, patere vt eas mundem & expediam aut rursum acquiram alas. Tunc accedam amicum meum, volabo, & secum requiescam. Deus meus & sponsus meus ascendit

ad

ad cœlos valde sublimiter, læte & gloriosissimè, cum quo assumpti sunt omnes antiqui prophetæ, A Patriarchæ & alij iusti. Haud dubium est quin Angelorum ibi adesset societas & videretur omnes ignis purgatorij captiuos tunc fuisse redemptos, vt ad nouum gaudium festi illius congruè admodum spectabat, quemadmodum legitur plures apparuisse in corporibus glorificatis, & præsertim hos qui post passionem resurrexerunt. Et tu virgo dignissima, quid in ea dicebas hora cum eũ aspiceres ascendentem? Quid omnes dicebant Apostoli & discipuli? Facile credi potest complura dulcia B fuisse suspiria, multos complanctus, multa in eis similia solatia, immo multo maiora ad sursum secum volandum etiam corporaliter, si eius fuisset voluntas, faciebatis tamen quod vobis possibile erat facere & concedere, vnusquisque vestrum spiritum misit per velocissimas contemplationis pennas, posteaquam corpus in immo permanere necesse erat. Angeli sancti & Archãgeli quale festum celebrarunt? qualem cecinerunt melodiam, aspiciendo hos omnes quos Iesus Christus ducebat sibi similes, hoc est, de humano genere, neque dici C potest, neq; vt decet excogitari. Tunc aperta fuit paradisi porta, quæ omni humano generi tanto clauso fuerat tempore. Cœlum prorsus nouo hoc aduentu resplenduit, quemadmodum aër lucidus fit solis præsentia absque nubibus. In isto sursum volatu nullum impedimentum fecerunt humani generis inimici. O quam fœlix futura est ea anima, quæ sic eos euadet. Dura nimis, horrenda nimis, & nimis expauescenda est eorum obuiatio. Recitatur quod persona quædam deuota, posteaquam D sancta visitasset loca, vbi Saluator noster Iesus Christus fuerat corporaliter. Demum deuenit ad montem oliuarum, & illic locum adorauit in quo benedicti pedes Iesu Christi fuerãt & apparebant vestigia. Vbi amplius (ait deuota illa persona) Domine te quæram nescio, quò amplius eam nisi ad te volem. Tunc adeò mouit sancti desiderij alas quod anima corpus deserens volauit. Quis mihi dabit pennas tales & alas, & volabo atque requiescam? Sed heu posteaquam misera ego anima, orphana & vidua non habeo hanc gratiam, hanc E fortitudinem, & facultatem istam volandi extra corpus meum cum dulci sponso meo, & vero cordis mei amico, faciam saltem ad exemplum Dominæ nostræ & Apostolorum. Posteaquam enim per obedientiam montẽ ascendero Oliueti, montem compassionis meæ & aliorum, quẽ præcepit Iesus adire, posteaquam secum bibero & comedero in sancti Sacramenti altaris tabula, postquam exprobrauerit & arguerit incredulitatem meam, & me prohibuerit ne per curiositatem de F tempore inquiram futuro, sed semper meipsam custodiam. Insuper postquam conspexero eum ascendentem in altum per claram nubem veræ fidei, videro & audiero similitudine hominum Angelos albis vestitos, qui me facient certiorem de aduentu suo. Quid faciam? reuertar cum gaudio ad conscientiam, quæ debet esse ciuilitas Hierusalem, vbi pax videri debet & inueniri, in monte fidei, monte contemplationis. Illic me includam in cœnaculo charitatis lato & extento. Quinque sensuum meorum occludam portas ob metum Iudæorum, hoc est, omnium aduersariorum, sedendo illic & orando. Expectabo donec induar virtute ex alto Spiritus sancti. Expectabo donec tam magnus fiat sonus, quod ego ipse per sanctum timorem & surda auris mea aperiatur magno illo & ingenti sonitu. Expectabo donec ignem mittat adeò clarum viuum & ardentem, vt prorsus illuminer, animer, inflãmer & cõfirmer contra omnia mala, & in diuinis laudibus euadam optime præditus sermone & lingua. Quanto sancta anima ascendit in sublimitatem cordis sui per contemplationem tanto Deus eleuat secundum propheticum dictum. Quanto enim plus anima conatur ad Deum accedere, tanto ei maior apparet altior & incomprehensibilior, sed non conqueritur anima, verum potius incitatur ad ipsum honorandum, timendum, & illi gratias agendum. Tanto Deus magis comprehenditur & plus cognoscitur, quanto experimentum maius sumitur ipsum comprehendendi, aut omnino cognosci non posse. Sicut abyssus sine termino mirabilem spectantibus præbet cognitionem, & quanto magis inspicitur, tanto minus eius videri potest finis aut terminus. In hac eleuatione animæ de terra in altum per contemplationem, anima omnia trahit ad seipsã. Nihil enim tunc est quod anima videat, audiat, sentiat, gustet, tanget, odoret aut cogitet, quin omnia ad suam illa reperiat vtilitatem, ad suam in altum eleuationem, ad Deum magis gustandum sentiendum & desiderandum. Per contrarium est de anima quæ scienter labitur ad terram, quia de omnibus suum facit damnum, omnia supra seipsam accumulantur & coaceruantur, quo magis ipsa confundatur, & à reuelatione impediatur. Humana creatura paruus est mundus, qui tot repletus est hominibus, quot in ea sunt cogitationes, affectiones, considerationes, & velle diuersa. Iesus Christus igitur ascẽdit intra animam in altum ad supremum vsque ipsius spiritus cœlum quæ est superior rationis pars. Ipsa enim sine interstitio Deum tangit. Anima missa est ad prædicandum & annunciandum euangelicam legem omnibus gentibus seu hominibus, ad bene eos regulandos ac ordinandos, eósq; baptizandos aqua sanctarum lachrymarum. In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Tunc anima talem recipit potentiam, potestatem, aut signa quia eijciet denia per orationum exorcismos. Loquitur idioma nouum idioma cæleste, serpentes tollit veneficarum cogitationum. Curat omnes ægritudines intra se existentes per manus bonæ operationis. Et si quod venenum biberit mortiferum per malam suggestionem aut tentationem nihil ei ad mortem afferet nocumenti, quoniam venenum non ad cor vsque penetrat per iniquum consensum, nec per perfectam deliberationem.

MODVS QVIDAM QVO CERTIS EX CAVSIS ROMAM IRE NON *valentes in anno Iubileo, spiritualiter peregrinationem eandem perficere possint.*

CIENDVM est iter aut peregrinationem ad Romam vsque proficiscẽdi, in memoriam fieri remissionis atq; plenariæ veniæ quæ in veteri lege quinquagemo fiebat anno, &

quod Spiritus sanctus quinquagesimo post Resurrectionem die missus fuit, die videlicet Pentecostes. Quia etiam à Francia Romam eundo, sunt circa trecenta quinquaginta leucæ quæ in quinquaginta perficiuntur diebus, die quolibet decem perambulando miliaria. Sunt autem dicti quinquaginta dies septimanæ septem, grandia significantes mysteria, secundum quod varia reperiuntur septenarium numerum seruantia. Vt in speciali septem sunt virtutes, tres diuinæ & quatuor cardinales. Septem sunt etiam dona Spiritus sancti, septem sacramenta, septem beatitudines, septem denique ipsius Pater noster petitiones. Et omne hoc contra septem mortalia prodest peccata, quia etiam Deus in septem diebus omne opus suum compleuit. Primum ponere quis se in talem debet statum in quo mori auderet, aut dominicū corpus sumere. Estque enitendum vt status hic bene conseruetur. Item dicendum est vnoquoque die pro leuca qualibet Pater noster in bona deuotione, & diuersis quidem horis quo melius attendatur, & frequētior peregrinationis susceptæ habeatur memoria, præcipuè mane & vesperi. Valet etiam hoc ad decem præceptorum legis significantiam. Item post quinquaginta dies veluti si quis iam Romæ esset, assumendus est status supradictus, & fient per dies septem veluti septem visitationes & peregrinationes, secundum septem Romæ principales Ecclesias, sancti Petri, scilicet sancti Pauli, sancti Ioannis, sancti Sebastiani, sancti Laurentij, sanctæ Crucis, dominæ nostræ. Et hæc faciendo orare debet persona, ac si præsens esset se reconciliare Deo & sanctis, & veniam petere ab vnaquaque persona secundum quod Deus eam docebit. Item redeundo fieri potest vt eundo Pater noster videlicet sua dicendo. Item si persona hoc modo peregrinationem faciens diues fuerit bona quoque illi sint sufficientia, facere potest die quolibet eleemosynas loco expensarum quas inter ambulandum faceret. Item ipsa etiam potest singulis diebus aliquam visitare Ecclesiam, secundum eam quam habet oportunitatem, & ibi Missam audire, aut suam facere deuotionem. Item facere ieiunia aliqua aut abstinentia etiam secūdum quod fuerit ipsa deuotio. Hoc modo peregrinatio hæc in quindecim complebitur septimanis, & esse potest in memoriam quindecim gaudiorum Dominæ nostræ. Et credo in bona fide quod hoc facere magnopere proderit & amplius, quam corporaliter eundo vt pleriq; vadunt, vlterius nil affirmo. Item sciēdum est quamlibet personam cuiuscumque status fuerit posse qualibet hora magnum indulgentiarum acquirere numerum domi manendo, precando & orando pro cæteris quibusdam rebus & personis. Vt qui pro certis orat dominis, vt pro rege & regina centum habet dies, aut plures. Pro pace regni Franciæ centum dies, & sic de compluribus viuis & mortuis pro quibus datæ sunt indulgentiæ oranti pro eis. Qui autem alio modo orare non nouit pro supradictis rebus & hominibus dicat Pater noster pro omnibus simul, ea intentione vt velit omnibus illud bonum propter quod indulgentiæ illæ ac viæ concessæ fuere & elargitæ.

A QVÆDAM MORALIA VT LINGVA A NIMIA *loquela refrenetur.*


SI quis se religiosum existimat (vt ait sanctus Iacobus) & propriam suam non refrenat linguam, religio eius vana est. Quare vana? quia non tendit ad finem qui est mori mundi, vt Deo viuatur & in paradiso. Laxare linguam, & præsertim de altero loquendo fieri potest ob vnum sex finium, secun- B dum quos iudicium fieri debet quando loquela illa bona est aut mala. Possunt verba fieri de altero aut propter instructionem dandam aut deceptionem vitandam, aut propter correctionem, aut propter compassionem, aut ob solam garrulationem, aut propter odium, inuidia & detractionem. Secundum hoc dici potest primò, quod loqui de altero tempore & loco, & veritatem dicendo principaliter ob vnum quatuor priorum finium licitum est & meritoriū, modò sobriè fiat C & discretè. Nota quod dicitur tempore & loco, eò quod omnis veritas aut bona doctrina non semper locum habet & tempus vt exprimatur vt tempore diuini seruitij & in loco silentij. Oportet etiam vt quod dicicitur verum sit, mendacium namque de alijs dici nō debet propter quamcumque vtilitatem aut commodum. Requiritur etiam quod hoc sit principaliter propter quatuor finiū vnum. Qui quidem fines supradicti sunt, aut propter similes bonos fines, quia permisceri posset ta- D lis intentio quod omnino esset corruptio, vt postmodum dicetur. Verbum etiam hoc debet fieri sobriè & discretè, hoc est, ne plus nocumēti bonæ famæ illi de quo dicitur inferatur, quam quod dicitur prosit sibi aut alijs. Etiam ne affirmetur id quod non scitur vel sciri non potest, nec sæpius nec diutius quam opus sit aut commodum, nec tempus, perdatur, aut instructio proficiens magis. Omnibus his (quod difficile est) conditionibus obseruatis verba fieri possunt interdum quidem ad fraternalem instructionem aut ob correctio- E nem superioris, aut obedientiam, cum quis postulatur & compellitur ad veritatem dicendam. Dicamus præterea quod loqui de alio propter solam garrulationem, hoc est, vt satisfaciat desiderio suo loquendi & loquacitati, aut sciendi curiositati vel noua audiendi, aut etiam ad tempus transigēdum & se oblectandum, difficulter à peccato excusari poterit, & sæpius sic loquens vel locutio illa cadit ac labitur in peccatum mortale. Ratio est, quia talis locutio non modò est otiosa (de qua tamen F oportebit reddere rationem) sed plerumque alteri nocet in fama & absque vtilitate vlla, quoniam de absentibus verba fiunt, quemadmodum rana coaxat in palude sua, quæ mox vt quis ad eam aduenerit, tacet. Aliud inconueniens est quia & loquens & audiens facile cadunt in falsa ac temeraria de alijs iudicia, & indignationem contra eos sumunt, ac eorum vitia & statum, tunc autem labitur garrulatio in detractionem. Si quis petat quo pacto noscere poterit, quando ex bona loquatur intentione aut mala, nonnulla possunt dari signa, quando enim sermo habetur propter bonum finem, tunc homo quandam

in

in se sentire debet dulcedinem & cõpassionem de illo de quo mali dicuntur sermones, & quod taliter quicquam dicatur ac si malum hoc de seipso quisquã diceret, atque multo potius nil fari velle eligere quam loqui, nisi proficiendi adesset necessitas, aut non loquaris tamdiu de materia illa, quia displicet vt chirurgicus non delectatur restringere aut alterius immutare plagam, nisi quantum necesse est & opus. Sed signa sunt in contrarium, cum quis per loquacitatem fatur quia non potest poni modus verbis, sed est quemadmodum aqua molendinæ cum ventilabrum apertum est non prospicit quo labatur, vel an ventilabrum deprimere debeat aut non, & sine mensura. Cum hoc sæpe obloquens indignationem habet contra hos de quibus verba fiunt, crudelem lætitiam, malignum risum, & modum quendam mordentem, & veluti discerpentem absque audientium ædificatione more canum se mutuo impugnantium aut cadauer rodentium. Insuper valde cauendum est ne quicquam dicatur veluti certum quod incertissimum est aut falsum, & omnia plerumque in peiorem vertuntur partem. Nam vnusquisque plerumque aliquid addit de suo & suam dat expositionem secundum suum iudicium.

Hæc materia prolixius deduci posset, sed pro signo breui, sufficienti & certo quando intentio bona sit aut mala, regulam tenete beati Gregorij de Pharisæis dicentis, qui contra Iesum Christum loquebantur eò quod reciperet peccatores. Ibi dicit sanctus Gregorius veram iustitiam habere compassionem, fictam verò & falsam indignationem, hoc est dictum, quod cum aliquis cogitat aut loquitur de alio malum, & ipse compassionem habet, hoc bonum est signũ, cum aut nihilipendit, aut gaudet, aut indignatur, malum est signum. Vel quod sit superbia vel inuidia aut alia mala causa, quæ cogat cogitare sic de alio aut loqui. Alia sunt mala innumera ex garrulatione emanantia, præcipuè in hominibus religiosis & solitarijs, qui mortui esse debent mundo, & mundus ipsis. Sequitur temporis perditio, meliorũ & sanctorum operum impedimentum, non modò pro tempore quo huiusmodi fiunt colloquia, sed postquam ad ruminandum deuentum est & immorandum. Sequitur sæpius mala audientiũ ædificatio. Esse enim potest quod loquens bonam habeat intentionem & audientes pessimè vtantur, tunc & postmodum sibi Dei vsurpãdo proprietatem, quod est alterum iudicare. Aut cadunt vel labuntur sæpius in præsumptionem de seipsis dicendo aut cogitando exẽplo Pharisæi: Gratias tibi ago Deus, non sum talis & talis. O quam fœlix est vita mea aut status meus respectu talium & talium secularium sermonum. Sic persona quæ vilis esse debet & abiecta in sui reputatione & magis quam quæcumque alia, efficitur bona, sapiens, obediens, consulta & fœlix secundũ suum iudicium. Sed alios quos honorare deberet, contemnit & despicit, ac veluti sub pedibus calcat tanquam malos, fœtidos & indignos vita terrena. Ecquis dubitat quin hic sit peccatum mortale enorme admodum, simile peccato Luciferi? Quis non videt hoc impedimentum esse omnis perfectionis & ad bonam perueniendi mortificationem? Quis non pepercit illos magis mundo esse

A implicatos, quantumcumque corporaliter mundum reliquerint, quam hos qui seculariter in eo versantur? Heu hi perforato & pertuoso sacco committũt diuitias omnes quas ieiunando, orando & vigilando conquirunt. Et cum ad mortis necessitatem aut senectutem deuentum fuerit, verendum est ne inueniant omnia esse vacua. Dicamus finaliter quod loqui malũ de alio ob sextum finem est sæpe peccatum mortale, & sæpius est peccatum grauius & magis Deo displicens, quam carnes comedere die Veneris. Et difficillimum de

B quo vera & recta agatur pœnitentia, eò quod difficile est bonam alterius restituere famam quæ læsa est, & reparare in bono auditorum conscientiam quæ malè fuerat ædificata. Et quoniam hoc certum est & vitari debet ab omni homine religioso potius interdum quam dimittere habitum suum, aut die Veneris in refectorio carnes comedere.

Dimittatur huius peccati detestatio, & loquamur de breuibus quibusdam remedijs ad garrulationem vitandam & ne garrulatio labatur in

C detractionem in supra enumeratis & nominatis malis. Magis autem contra malum hoc prodest religioso aut solitario tria præsertim meditari, suam professionem, suam quietem, suam perfectionem. Professio & finis religiosi est mori mundo, hoc est, quod nec loqui debet, nec cogitare de rebus mundanis ad eas iudicandas aut emendandas, non secus quam si mundo mortuus esset, orare potest licitè & compati. Hæc est magna gratia & exoneratio quam Deus illi tribuit.

D Talis ergo est abusus & tale monstrum, religiosum aliquem aut solitarium loqui audire de rebus mundanis & secularibus & de circumuolantibus nouis ac rumoribus, ac si mortuus talia exerceret officia. Religiosus ergo quotiescumque per seipsum aut alium de tali tentatur miseria, dicere debet: Nihil est mihi istorum, nihil ad me spectat illorum, quare denuò iacerem me à portu ad quem me posuit Deus, ad profundissimos magni maris fluctus. Loquamur de his quæ ad nos spectant. Nihil ad nos de his quæ sunt foris, dicit

E Apostolus. Summe autem hos vita qui assueti sunt & nimium inclinati ad tales sermones, siue sit inter prandendum, siue aliàs, exemplo sancti Augustini. Tranquillitas insuper & pax quam petere debet aut habere religiosus, maximoperè eum mouere debet, non curare iterum se talibus immiscere mundanis iurgijs, qui sunt rumores nociui & turpes in domo animæ, & expellunt hanc. De quo dicitur, quod in pace est locus eius. De hoc dicitur in prouerbio: Magnum

F dolorem colligit, qui aurem suum rete facit. Talia verba muscæ sunt aculeos dantes & pungentes, aut per amaram tristitiam & inanem, vel per vanum gaudium, dicere autem hoc fieri ad compassionem habendam ardentius orandum, timendum profectò est, ne sic dicens sibijpsi mendax efficiatur. Oratio enim melius fit tranquillè finéque huiusmodi phantasijs hincinde volitantibus per garrulationes has adimitur & aufertur omnis deuotio quemadmodum mortuæ apes (vt vult sapiens) dulcedinem auferunt mellis. Demum religiosus sibi cauere debet ab istiusmodi garrulatio-

nibus ratione suæ perfectionis, quoniam ponatur (quod admodum difficile est) in verbis talibus nil esse præter bonum. Aliæ tamen occupationes perfectiores sunt magísque accommodatæ, & ori, auribus aut cordi religiosi cuiuspiam magis cõgruæ, ne sit vt miluus qui quãdoque altè volat, sed confestim ad cadauer relabitur. Et reuera omne quod est in hoc mundo respectu rerum cœlestium, cadauer est quoddam, & est veluti nubes, tenebræ, gluten aut lutum, animæ claritatem, agilitatem & puritatem obscurans, impediens & defendens. Nonne igitur conducibilius est altis eleuari occupationibus vel meditando, vel legendo, vel res deuotas ac diuinas audiendo: vt sunt historiæ & vitæ doctorum, & in dies bene mori addiscendo? Cùm enim de nullo interrogabatur in morte sua religiosus, quod ad res spectat humanas, immo potius de proprijs factis qualis est iustitia, immo verò qualis furor sese in illis occupare & semetipsum derelinquere, & de tam nobili libertate cadere in seruitutem extraneaque debita? Non satis describi posset huius rei indignitas & admiratio. Verum est (quod & fateor) quis adijcere posset sanctorum Patrum historias, aliáque complura documenta atque profundiora. Sed modò sufficiat quod matutino hoc tempore conceptum fuit & scriptum festinanter, ante hoc quod hesterno vesperi tibi scripsi fiducialiter honorabilis Domine mi & Pater in Iesu Christo amantissime. In quo & per quem nobilis tua viuat persona in gratia, hic perseueranter, & in gloria perenniter.

De hac detractionis materia prius quæstio Latinè à Cancellario scripta inuenitur in secunda parte: hunc vero tractaculum quoniam Gallicè ad Gallicos scripsit hic adiecimus, quippe qui non prorsus idem est cum priori quæstione, sed vtilia quædam continet prius omissa.

QVOMODO PVER IESVS IN MENTE DEVOTA CONCIPITVR, *nascitur, balneatur, nutritur, &c.*

IESV qui concipi vis in profunda humanitate. Sapiens cor est quod in hoc se fundat. Veritas te debet concipere. Et eo pacto ministrare. Tunc es in corde, cum veritas venit extrinsecè, sicut est de fonte illo, cuius clara & sana est origo, plerumque clarus est in riuo. Sic quoque est & de te agno, cor quod se tibi iungit & tangit. Illi veritas in ore accidit. Tunc nasceris in mundo, & moraris in nascendo. Cor meum intrare non spernas, quoniam vera tu es veritas. Dulcis ergo Iesu tu es natus, esse debes inuolutus. Verum requiruntur panni, qui sint albi, pulchri, mundi. Panni sunt virtutes ipsæ quæ esse debent puræ. Panni si forent immundi aut mixti non requiesceres ibi. Opus est ancillis duabus, vna quidem est gemitus. Altera appellatur contritio, pannos vt hæ lauent, est ratio. Qua ipsi lauantur aqua, est animæ lachryma pura. Contritio pannos fricat, cum lachryma ad cor vsque intrat. Gemitus pannos lauant, cum oculi lachrymæ se manifestant. Oportet autem vt dilatentur, extendantur & siccantur. Duabus opus est ancillis, non infestis, nec superbis. Vna dicitur confessio, altera satisfactio. Confessio viam intrat, pannos capit & explicat. Confessio sine celatione, vult pannos prorsus explicare. Ipsos coram sole ponit, quos & satisfactio capit. Et ait quod ipsa non recedet, donec pannos omnes siccet. Me pœnitentiam finite complere, hoc facit virtus explere. Tunc erunt ipsi panni sicci, oportet te in cunis sisti. Cuna conscientia est, puritatis ligamen prope est. Vt puerum ligamen ligat, sic puritas te in corde seruat. Iustitia & pax in cunis ponere te debent, duæ hæ Domine hoc officium habent. Modum talem habet iustitia, vt ad cunas esse debeat prima. Iustitia pannos explicat, cum Deo reuerentia dat. Et cum ius facit proximo suo, tunc dicit, bene se habet cuna. Tunc iustitia pacem aggreditur, & ei dicit decore. Veni domina cum vis, cuna est assimulata. Tunc pax dicit iustitiæ, me ergo osculare, lætor quod fecisti de cuna. Bene actum est, gaudeo valde, sine te non possem dormire. Cor enim in quo non es tu iustitia, pax sum ego, quam necesse est abire. Tunc pax te capit Iesu, & dormitum ponit, & alias duas spectat. Te seruare earum est officium. Vna tremor est altera verecundia. Verecundia cunam accedit, cum cor se opprobrio dignum sentit. Sed cum se iudicat deficiens. Verecundia pacat puerum. Tunc dicit tremor, tenere me volo deinceps prope cunabulum. Obseruare debeo ne veniat lis, non recedam donec fuerit finita. Dicor tremor qui sine mora, destruet Iesu quod tibi nocet in hora. Caput ergo tuum tegendum est, & mihi peplum ponendum est. Dicit charitas, quod est opus meum. Vestire pauperes & eos recuperare. Vado ad dulce caput eius cooperiendum, cum pauperes vado ad vestiendum. Dulcis Iesu nunc ergo recubas in miserijs es inuolutus. Cognitio domicella venit ad amorem, & eam vocat. Dicítque, puerum discooperiamus, tu & ego eum releuare debemus. Respondet amor, nihil scirem si viam mihi non demonstrares & nobilis virtus summa cognitio quæ ducit amorem Christe Iesu regis Dei filij, pone in me cognitionem mihi. Ipsa assimilatur soli cum accedit oculum aperit. Et res circunstantes ostendit, cognitio sic est dies quædam. Ostendit res coopertas, secreta cordis facit aperta. Tunc discooperitis puerum & amor præsaltat. Tunc amor te capit & reuelat, osculatur & in ore basiat. Deinde amor pietati te tribuit, & dicit amor Deũ tibi do. Pietas fac tuum seruitium & eum lacta, hoc enim tuum est officium. Tunc pietas te capit dulcem infantulum, & te lactat in sinum suum. Duæ mammæ propriæ vna vetus est testamentum. Altera lex est noua, & de hac dextra mammilla. Nutriri vis Iesu, nam ibi dulce lac continetur. Dulce lac est misericordia, cum cor pietati concordat. Cum quod contra ipsum fit, parcit, tunc pietas de dulci lacte tibi tribuit. Sed cum cor pro lacte aquã reddat, tum tibi lac dulce apparet. Discretio ad pietatem venit, & dicit puer lac sumpsit, parare sibi zelo cibum, ieiunare enim posset nimium. Tunc vt vis præparat, cum cor ad orandum incitat. Inde discretio orationem petit, dicitq;, hunc sume cibum. Socia cura hunc puerũ, cum enim tãdiu ieiunare est malum.

Tunc

Tunc respondet oratio, libenter ô discretio. Tūc te pascit oratio, cum corde orat & operatur. Et A dicit, ede puer fidissime, edulium hoc bonum est & pulchrum, discretio amica tua ipsum præparauit, ne refutes. Tunc oratio te pascit, cum deprecatio ex corde nascitur. Iesu ergo comedisti, opus est vt laueris. Deuotio balneum hoc debet quærere, desiderium verò in balneo te tenere. Tunc balneum parat deuotio, cum tuam plorat passionem. Et dicit, factum & balneum, fac quoque quod tuum est desiderium. Balnea quæso puerum hunc & cum eo iocare, ne sumat tædium. Tunc B te capit desiderium & balneat, cum magnam verecundiam cogitat, quam habuisti cum symbolū persoluisti Adæ, de quo nunquam gustasti. Tunc cor te tenere desiderat, & tu venire desideras. Ecce desiderium suam ostendit, sinum te tenere intra hoc balneum. Te balneando incipit canticū, & dicit Deus, gloriose infantule. Angelorū creator qui homines formasti, qui humana corda amas. Rex diuinæ nobilitatis peccatum me occidit & offendit. A corde meo dele, ne amplius in eo C appareant maculæ. Retracta mihi sententiam per tuam benignam vigilantiam. Et a me balneaberis. O Iesu digna potestas cœlos composuisti. Bestias, aues cecasti, soli lumen dedisti. In hoc mortali carcere. In quo res tales nobis ostendis certè bene nos doces. In palatiô tuo gloriæ, illis qui habebant victoriam. Nobilis nobilem rem ei seruas. O Iesu sapientia vera, amor te deriuauit. Cor nostrum inebrias de dulci hac caupona. Quam diuinitas gubernat, tale poculum vt detur est inceptum. Fac cogitationem meam inclinatam ad D illam dulcedinem diuinam. Vt ea sim potatus. Hic est cantus desiderij, duæ dominæ volunt venire. Conuersatione honesta debet respondere hoc canticum. Est cum cor bene desiderata, ad extra respondere debet. Cum proprium suum alteri tribuit, tunc canticum suum debitum canit. Quanto enim plures tales sunt cantantes, tanto concinior est cantus. Socia eius dulcis cogitatio accepit puerum & recessit. Tūc apparuit domus suæ ostium dum surgit à deuotione. Et dicit: Eamus hic inde, semper enim nō possumus balneare. E Sed cogitatio pergit tam lentè, quod puerum ipsum perdit. Tunc propriè dicit voluntati per te amisi puerum. Cogitatio cum voluntate litigat, inter eas se spes locat, & dicit Domine suffer te, filius enim reuertetur. Si possum puerum iterum inueniemus, ego & tolerantia eum quæremus. Cum cor sentit aduersitatem, tunc te quærit quādo hoc suscepit nō inuitè. Per viam iuisti, & ideo deuiasti. Tolerantia in via ire debet, & te non loquendo quære, tolerantia tacens est & taciturna, F hic est Iesus dulcis infans. Post hunc it & sequitur te, cum spes ipsam conducit. Iesu Christe da mihi tolerantiam, & in patiendo veram spem. Tolerantia seu patientia te non haberet si ipsa quoq; spes non iret. Tunc te quærunt rex diuinæ dominæ duæ, quæ te inueniunt in itinere. Vna est fides famata, altera gratia est promulgata. Fides seruit ad iter docendum, & gratia seruit ad te inueniendum. Tunc venit fides & spes & dicit. Ite vos & tolerantia. Vos non oro dominas duas speciosas, per viam hanc quæ duodecim habet semitas. Quę sunt duodecim articuli, dicit fides. In fine regem inuenietis. Sequamini charitatem propius, nunquam à vobis perdetur puerulus. Charitas est cū puero, secum ludens in pulchro eius prato. Iesu cum in corde scis, patientia citò tu venis. Patientia lusum te portat, patientia te delectat. Patientia animam absoluit. Ecce patientiæ officium. Tunc socia eius obedientia vt tecum ludat accedit. Cum cor omnibus obedit. Et in prato colligit flores, cum propriam compellit voluntatem. Cum cor est obediens, tunc flores sunt tibi odoriferi. Ad tales flores extendas gremium, In prato tribulationis. Sine me huiusmodi flores colligere ad dulce cor tuum increandum: Duæ hæ virtutes magnum habent valorem, dominabus earum debetis mercedem. Nemo habebit lucrū, si defuerit perseuerantia. Tunc diligentia te associat. Viam illi ostendit & demonstrat. Domicella patientia, recipiendi in potentia. Pro omnibus simul dominabus mercedem recipit vt mihi videtur. Da mihi eum in his virtutibus te oro, Iesu dulcissime. Ecce qualiter virtutes administrant puerum Iesum.

Dicebat sapiens Domino nostro. Quid faciam vt saluus fiam? Respondetur. Fac præcepta mea, hoc est, quod quis saluatur adimplendo præcepta. Quemadmodum si rex aliquis diceret alicui pauperi homini: Vade vsque ad finem vici, & habebis quinque libras pecuniæ, ob id non lucratus esset pecunias, sed ob eam causam, quoniam rex ita dixisset. Si nos impleamus præcepta, non propterea paradisum fuerimus lucrati, sed quia De9 sic dixit. Exemplum. Apostoli interrogauerunt dominum nostrum. Cum omnia fecerimus meliori modo quo potuerimus, quid tandem fecerimus, Dixi Deus dicere potestis: Serui inutiles sumus.

Cum ergo Apostoli id dicebant: Possumus ne nos dicere esse maioris vtilitatis, &c.

FINIS.

SPECVLVM BONÆ VITÆ, IN QVO CONTINETVR EXHORTAtio humani generis ab benefaciendum & mundum despiciendum.



Pecvlamini vos speculamini,
Venite vos huc & medimini,
Inspicite huc vos quæso
Speculamini hic & dicetis,
Cum hic abibitis,
Ibi speculum esse pulchrè paratum.
Breues sunt dies vitæ nostræ.
Mori oportet sine dilatione.
Nonne verum est? immò profectò.

Contra Papas & Cardinales.

Intuemini vos hic in speculo Papæ & Cardinales,
Qui supra sedes cathedrales
Sedetis in altis sedibus.
Archiepiscopi & officiales,
Qui facere potestis bona & mala,
Potius quam alij multis modis.
Mors accedet sine mora.
Quæ vos vertet in nihilum,
Nonne verum est? sic reuera.

Contra Imperatores.

Intuemini vos hic in speculo sublimes Imperatores,
Nobiles, reges, principes & domini,
Delphini, duces, comites & barones.
Vbi sunt omnes vestri prædecessores?
Omnes suos finierunt dies.
Eos amplius reperire non possemus.
Post alteram persolutionem habebimus.
Mors nostra erit persolutio.
Est ne verum? ita est certè.

Contra Reginas. (∴)

Speculamini vos ô nobiles reginæ,
Nobiles dominæ, comptæ & paratæ,
Quid vobis prosunt ingentes delitiæ?
Vestri apparatus, vestra longa pompa?
Pelles virides, griseæ, & similes aliæ,
Pallia vestra subducta preciosè:
Mors vobis seruiet aromate.
Et quia tempus quo hic manebitis erit breue
Est ne verum? sic est.

Contra Astronomos. ∴

Speculamini hic & vos astrologi,
Legistæ, rhetores,
Sublimes magistri in diuinitate,
Grammatici, logici,
Decretistæ, musici.
Considerate vestras fragilitates.
Verè citò moriemini.
Nil proficiunt argumenta. ∴
Nonne verum est? ita est.

Contra Curatos Ecclesiæ.

In speculo hic vos intuemini Ecclesiæ curati,
Qui seruitium debetis exequi
Diuinum, & seruare oues vestras.
Cauete ne vos attingat
Simonia & cupiditas
Quoniam admodum grande est periculum.
Mors nec oculos habet, nec aures,
Nec preces prosunt, nec pecunia?
Est ne verum? ita est. ∴

Contra ciues.

Speculamini vos hic ciues
Gratiosi & habiles.
Si bene speculati fueritis, plorabitis.
Relinquite delitias vestras & vos delectantia,
Malas voluptates omnes.
Nam scitote vos morituros,
Nec vnquam vos euasuros. ∴
Mors enim nulli parcit.
Verum ne est? Ita est.

Contra aduocatos.

Speculamini hic falsi aduocati,
Qui magnos acquisistis status
Ob pecuniam quam adepti estis
Per fraudes vestras & deceptiones.
Mors vobis erit cara.
Cum feceritis omnem vestram aduocationem,
Restituite quod fraudulenter accepistis.
Mors proximè veniet.
Est ne verum? Ita est.

Contra superbos. ∴

Speculamini vos hic omnes luxuriosi.
Qui estis hic admodum curiosi,
Præparate vestrum cadauer,
Quod vestimenta postulat preciosa,
Magnosque status delitiosos.
Et necesse est decoremini & balneemini.
A *Mors veniet sine mora,*
Vobis frigidum miscere balneum.
Est ne verum? Ita est.

Contra auaros.

Speculamini hic vos auari. ∴
Dicite quæso quid meditamini?
Quid vobis prodest malitia vestra ingens?
Nihil vobiscum deferetis,
Immò circundabimini
Solo lintheo sine alia veste.
Parum vobis vestra proderit auaritia,
B *Cum sursum dentem erexeritis.*
Nonne verum est? ita est. ∴

Contra luxuriosos.

Speculamini hic stolidi homines,
Qui vos destruitis & tollitis
Per vestram luxuriam perditis.
Volare videmini, cum voluptatem quam vultis sumitis,
Quotidie in illa immunditia,
Mors vos sequitur turpis & obscura,
Quæ vos secabit turpiter.
C *Est ne verum? ita est.*

Contra inuidos.

Speculamini vos hic ô falsi inuidi,
Qui semper crudeles estis
De alterius bono ob veritatem,
Et estis tam infortunati,
Quod lætamini & gaudetis de alterius malo & aduersitate.
Omittite talem iniquitatem.
Vel malè peribitis.
Est ne verum? ita est.

D Contra gulosos.

Speculamini vos hic gulosi perfidi, ∴
Qui pingues frequentatis morsus,
Prandia magna condimenta & species,
Immundas cogitationes, & ventriculos
Impletos habetis sicut porci.
Et sumitis omnes vestras delitias
Spursi, gulosi, ebriosi & ebrij
Mors vobis accidet subitò.
Est ne verum? ita est.

E Contra iratos. ∴

Speculamini vos hic felliti, pleni ira,
Quibus nullus quicquam audet dicere,
Quin vti vultis vindicta,
Et vultis semper exterminare
Eos, qui vobis volunt contradicere,
Per vim vestrarum potestatum.
Vecors vobis propè est quæ properat.
Quæ de vobis vindictam sumet.
Est ne verum? ita est.

F Contra acediosos.

Speculamini hic stolidi pigri.
Qui die noctúque estis otiosi
Benefaciendi & laborandi.
Nimis dormitis, exurgite ∴
A peccato quod est tam turpe.
Stultum est tamdiu in eo perseuerare.
Mors vos veniet infestare,
Quæ vos interim & breuiter.
Est ne verum? ita est.

Actor.

Heu, heu cum ita sit
Quod vita hæc durare non possit.

Et

Et necesse sit quod vnusquisque paratus sit
Ad strictam mortem sustinendam.
Nullus se fatere debet securum
In hoc mundo profectò.
Est ne verum? ita est.

Actor.

Heu cum tumulauerimus
Incessanter thesauros diebus & noctibus,
Cor habebimus nimis clausum.
Cum eos relinquere fuerit necessarium,
Cum nos opinamur confiteri,
Nostrum mutabunt intellectum.
Est ne verum? ita est.

Cum conabantur alij procurare
Quod nostram faciamus ordinationem.
Non faciemus nisi exercere rabiem,
Et nostram meditari cumulationem.
Inimicus per suam procurationem
Tunc nobis ponet impedimentum.
Est ne verum? ita est.

Tunc magna erunt pericula,
Cum anima corpus est desertura.
Cum videbimus malignos spiritus,
Quos videre non desideramus.
Amici current ad thesauros,
Et nos ligabunt ad postes.
Est ne verum? ita est.

Cum anima corpus dimittit,
Duo Angeli assistunt ad portam.
Inter se diuident.
Qui ius habebit, animam obtinebit,
Cadauer remanet mortuum.
Anima seruata est vel sustinet tormentum.
Est ne verum? ita est.

Conclusio.

Cum ergo sit necessitas
Ut omnes hanc chorizemus choream,
Princeps qui regnas in Trinitate,
Velis per tuam potentiam
Nobis concedere talem pœnitentiam.
Cum ventum fuerit ad exitum.
Ut te nos saluantem cernamus propitium.

Amen.

IN COMMENDATIONEM DOMVS DEI SEV HOSPITALIS PArisiensis. Sermo coram rege Carolo.

THEMA.

Miserere nostri Domine miserere nostri. Psal.

INGENS profectò miseria nos ita clamare compellit. Miserere miserere. Grauis afflictio, paupertas & desolatio nos cogit, nos inquam humiles vestros capellanos, oratores, decanum capituli Ecclesiæ sanctæ Mariæ Parisiensis, cogit dico venire & cõparere coram throno, magnificentiæ tuæ & legalis maiestatis, coram sublimi & sapientissimo tuo consilio, vt dicamus & petamus: Miserere nostri Domine, &c. Et pro quibus misericordiam peti-
A mus? Misericordiam postulamus pro his qui sunt repleti despectione, qui sunt tanquam in improperium & obliuionem dati opulentis diuitibus & superbis, qui dicunt per nos, & à te postulant misericordiam, quia non possunt nec audent hic comparere, inquiunt multum repleti sumus despectione, quia multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Et qui sunt illi hoc modo afflictione, paupertate & desolatione repleti? Sunt illi pauperes
B verè sine fictione pauperes hospitalis Dei dominæ nostræ Parisiensis hospitalis, quod tu & antecessores tui reges ac reginæ Franciæ pro magna parte fundastis, modò potius quàm alias necessitas eos compellit, omnes simul fratres & sorores pauperes impotentes, senes & orphanos, infirmos & languidos vsque ad numerum quadringentorum vel quingentorum vel sexingentorũ, absque illis qui sunt extra, & qui indies superueniunt. Necessitas profectò eos compellit & astringit mediante voce mea conqueri in languo-
C re, clamore & vocare misericordiam, Domine nostri miserere, &c. Petimus hic misericordiam, quam meritò inuenire debemus ob multas causas vel considerationes magnificentiæ & indigentiæ. Primò ob considerationem sublimis nobilitatis dignæ & regalis personæ tuæ. Non est pax nobilitas ad exemplum summi regis nobilitati huic, quæ est benefacere & succurrere afflictis & indigentibus, quia est magnificentia & liberalitas, est proprium Dei facere misericordiam
D cuius proprium est misereri, &c. Nos inuenire debemus misericordiam, quia non es quicunque rex, sed rex Christianissimus, ideo insequi debes exemplum & præceptum Iesu Christi, qui in patentibus litteris Euangelij per sanctum Matthæũ secretarium suum signatis dicit & præcipit: Estote misericordes sicut pater vester spiritualis & cœlestis misericors est. Matth. 6. Sed non modò rex es, ô rex Christianissime sed rex sacerdotalis vel pontificalis per miraculum consecratus, per sanctam vnctionem quæ venit de cœlis, in signifi-
E cantiam, quod esse debes pius & misericors sicut ille qui vnctionem gratiæ habet & pietatis. Insuper regni tui titulus firmam nobis spem præbet misericordiam inueniendi tam eo quod in figura & materia es rex Israël, & reges Israël sunt clementes, dulces & misericordes, quia etiam nobilis Deus domus Franciæ semper fuit sicut templũ misericordiæ & refugij omnibus qui subuentione eguerunt. Secundũ quod recitat Statius poëta 12. Thebaide, Athenis fuisse huiusmodi tem-
F plum in quo adorabatur misericordia sine figura & sine idolo. Et dicere volunt quidam doctores Christiani, quod erat templum cuius inscriptio & titulus erat, ignoto Deo, cuius occasione sanctus Paulus conuertit diuum Dionysium Franciæ patronum. Finaliter quoad hoc recurramus fiducialiter ad thronum maiestatis tuæ regalis, quæ custodia est sustentata misericordia & veritate, sicut dicit sapiens. Misericordia & veritas custodiunt regem, &c. Illæ sunt in figura duæ manus sustentantes thronum pacifici Salomonis. Vna quidem à dextris, alia à sinistris 3. Reg. 7. Petamus igitur modo, postulemus misericordiam.

Miserere nostri Domine, &c. Sed videamus si si miseria illorum & illarum pro quibus loquimur talis sit vt misericordiam mereatur. Certè sic, quia multum inquiunt, repleti sumus despectione, id est miseria & desolatione. Solet haberi misericordia de pauperibus impregnatis mulieribus, quæ non habent vbi se recipiant & hospitentur, hæ hic sunt in magno numero. Solet misericordia haberi de miseris pueris orphanis, & specialiter de his qui nondum ambulare neque loqui sciunt. Tales hic multi. Solet haberi misericordia de miseris laboratoribus & lucrantibus in potentia laboris & lucri ob eorum senectutem, debilitatem, infirmitatem, aut ob aliud, panem eorum lucrari non potentibus, tales hic sunt & veniunt sæpè. Solet haberi misericordia de pauperibus incarceratis, languidis, angustiatis, & doloribus affectis, qui non habent vnde lucrentur: nec quo victum habeant. Tales hic sunt in multitudine. Solebat haberi misericordia de miseris virginibus & mulieribus viduis honestis, & magis de illis quæ seruauerunt castitatem suam sine matrimonio vsque ad finem, & magis adhuc cum ipsæ diligenter laborent vt faciant debitum suum erga Deum, & acquirant pauperem & tenuem victũ. Cogitemus si in hospitali Dei Parisiensi sit magna copia talium, quæ tota futura hieme erunt in aqua Sequanæ prorsus congelatæ ad genua vsque ad lauandos panniculos pauperum. Consideremus quot duras pœnas nocte & die habere eas oporteat vigilando, ægrotos in lectum ponendo, reuelando, vestiendo, pascendo, consolando tot pauperes diuersarum ægritudinum, & tam extranearum conditionum. Nullus nouit nisi qui periculum & experientiam fecit. Si sit tantus labor gubernare vnum ægrotum, qualis pœna erit & labor bene gubernare tantam multitudinem quasi innumeram tot infirmorum qui in dies superueniunt? Omitto loqui de fratribus, presbyteris & alijs, qui tam diligenter faciunt diuinum seruitium, non vacando principaliter alteri rei. Sorores hic vacant, & sunt deditæ post vitam actiuam vitæ contemplatiuæ, hoc est orationi & deuotioni, &c. Considera Domine prouidentiæ tuæ oculos, quod in hospitali tuo Dei Parisijs sũt tales personæ & aliæ multo plures, quas sufficienter dicere aut recitare non possum, quæ egeant misericordia tua, quæ ad te clamant altis vocibus & eleuatis in fletibus, in suspirijs miserere nostri Domine miserere nostri. Verum est quod possent aliqui hic dicere miseriam esse magnam, & misericordiam bene in hospitali adimpleri. Sed inueniuntur sufficientes alij & copiosi qui succurrunt inhabitantibus ipsum. Sufficientes insuper habent redditus vt omnia rectè perficiantur. Heu Domine vtinam potestas populi tui & bonorum ciuium tuorũ talis esset, vt charitas & misericordia possent adimplere necessitates supradictas & similes, sicut visum est in elapso tempore, sed multo aliter refriguit charitas. Quis enim dabit qui & ipse caret? paupertas Domine boni populi tui & obedientis talis est, vt vix habeant quo viuant arctissimè ipsi & miseri pueri eorum ac familiæ. Et quare? Ob duras impositiones & taxationes armigerorum quæ tam graues sunt, vt eas duntaxat cogitare horror sit. Sed hospitale Dei Parisiense habet reditus, verum est, hoc est quod principaliter nos huc ducit. Hospitale Dei habet reditus ex thesauro & recepta Parisiensi per bonam & magnam emptionem. Ideo non solum misericordia est satisfacere inhabitantibus, sed & iustitia & veritas. Tantus autem est defectus & talis, quod modò debentur eis duo milia francorum & amplius. Ipsi debent & obligantur vsque ad duo millia librarum & quingentas, opus est eis duobus millibus librarum annuo, & mille alijs vltra omnes reditus. Hoc parum est respectu magnificentiæ tuæ regalis & magnarum diuitiarum, quas habes à populo tuo. Sed est res maxima respectu hospitalis Dei pauperum. Est vita eorum, est omne quod habent. Si interroges. Vnde contingit ille defectus solutionis? Contingit Domine ex re quadam extranea & monstrosa, quam nominare possum abundantem vanitatem, quæ se iungit & in matrimonium ducit statum exprobrantem & superbum. Abundans illa vanitas est tanquam abyssus maris aut lupus rapax, quia omnia deglutit, omnia arripit, omnia deuorat, tam sua quam aliena, tam quæ Dei sunt quam quæ sunt hominum. Hinc est quod hospitale Dei vel pauperes sunt veluti in contemptu & exprobratione per obliuionem, opprobrium abundantibus & despectio superbis. O Deux vere iudex qualis horror est hic qualis crudelitas, qualis iniquitas? Pone Domine ante oculos tuos omnes pauperes domus Dei, præsentes & futuros. Cogita vlterius, quod aliqui diuites & locupletes conarentur eorum auferre simul omnia bona, & omne hoc quod comedere deberent & bibere. Ligna etiam, tunicas & culinas ingenuum tuum & nobile cor posset ne hoc sufferre & sustinere? Sic tamen est, nam propter magnos status, ingentia dona & indecentia quæ fiunt vna sola persona simul tantum vel plus auferet, quam totum hospitale Dei habere debeat pro sua gubernatione, quod debent iusto titulo eleemosynæ ad satisfaciendum tali abundanti vanitati. Et hic est punctus negotij, nunquam hospitale Dei sufficiéter solutum erit, nisi assignationes excessiuæ quæ fiunt supra thesaurum fuerint imminutæ. Digneris igitur ponere remedium & prouisionem. Si enim res aliquo tempore sic perseueret, opus erit desistere ab officio misericordiæ in tuo hospitali Dei, & claudere portas, quantumcunque inuocent & clamant pauperes regni tui, in fine & in morte quãtumcunque etiam mortui debeant sepeliri. Propter Deum domine considera, quale damnum, quis pudor, quale scandalum hoc esset? Vos Domini mei magni huius & sapientissimi cõsilij, cogitate ad hoc negotium. Legimus de Nabuchodonosor, cum punitus fuisset propter peccatum suum taliter quod crederet se esse bestiam, & nutriebatur herbis tanquam brutum. Daniel sanctus propheta dixit ei: Audi consilium, &c. Dan. 4. Peccata tua eleemosynis redime. Domine si placare debes Deum faciendo eleemosynas, quid erit si non persoluas illas quæ iam factæ sunt & ordinatæ? Supremus Iudex noster Iesus Christus loquitur in Euangelio & dicit, quod in die iudicij sit improperaturus principaliter damnatis, quod opera misericordiæ non adimpleuerunt, dicturus: Esuriui & non dedistis mihi mandu-

ducare. Sitiui & non dedisti mihi bibere, &c. Quæ Christi Iesu verba fixa sint in cordibus nostris, & alta principum mente reposta, ne pro immoderato affectu ad opes perituras, atque pro obliuione & negligentia pauperrimorum hominum (pro quibus & Christus suum preciosum sanguinem effudit) sempiterna bona tandem amittant, & ne ab eius palatio excludantur, de quo scriptum est: Gloria & diuitiæ in domo eius, &c.

AD LAVDEM ET GLORIAM OMNIPOTENTIS DEI ET OMNIVM sanctorum eius, humanæque salutis communem vtilitatem subscriptæ notentur considerationes.

Prima consideratio.

Peccatũ blasphemiæ est, quando non rectè dicitur de Deo contra veram eius religionem Christianam, aut quando quicquam dicitur in diffamiam nominis sui sancti, vt maledicendo ei vel despiciendo eum, aut inhonestè aut turpiter loquendo de eo vel iurando per eum, sanctósque eius & sanctas benedictas.

Secunda consideratio.

Peccatum blasphemiæ ex se peius est ac horribilius quam furari alteri, aut comedere carnes die veneris vel in quadragesima. Et est propriè peccatum idioma infernalis inimici & damnatorum.

Tertia consideratio.

Peccatum blasphemiæ magis à iustitia puniendum est quam supradicta peccata. Et ad hoc est sancta scriptura, leges quoque atque decreta, & constitutiones factæ in Gallia atque alibi. Aliquę blasphemiæ sub pœna mortis sunt prohibitæ, quia aliquæ blasphemiæ alijs sunt grauiores, & bonũ esset eas iterum videre & ostendere.

Quarta consideratio.

Peccatum blasphemiæ est magna causa pestilẽtiarum, bellorum famis, & aliarum tribulationum in Christianitate, & specialiter in nobili regno Galliæ, quod nomen & titulum habet quod sit Christianissimum, peccatum tamen hoc (vnde dolendum est) detestabile, est consuetum magis quam in alijs locis in magnam suam diffamiam atque euidens damnum ac desolationem.

Quinta consideratio.

Peccatum blasphemiæ non est excusandum per hoc quod versum est in malam, peruersam & dãnabilissimam consuetudinem, tam in generali quam in speciali, nec per quod blasphemiæ se abstinere non posse dicunt, etiam cum ira inuadit eos & superat, quia si mox punirentur bene cauerent blasphemare.

Sexta consideratio.

Peccatum blasphemiæ cadit omnino super eos qui ipsum audiunt libenter, vel qui irrident, vel quando non ponunt impedimentum, vnaquæque persona secundum posse suum & scire suum
A officium.

Ideo notentur aliæ tres considerationes.

Prima consideratio.

Expediens est ad euadendum iram & punitionem Dei præsentem & futuram, vt prælati Franciæ & viri Ecclesiastici vnusquisque in iurisdictione sua (ita tamen vt non expectet vnus alterum) prouisionem ponant contra dictas viles blasphemias, secundum posse eorum, in tantũ aut plusquam si qui temporales eorum sibi vsurpare
B vellent possessiones.

Secunda consideratio.

Expediens est dominos capitaneos armigeros & temporales officiarios diligenter laborare ad hoc quod dictum est vnumquemque secundum quod ad eum spectat ad exequendas pœnas iam institutas vel nouas instituendas & de facto eas exequendas nullis parcendo, alioquin irrisio est
C condere leges si non obseruentur.

Tertia consideratio.

Expediens est ciues & alios qui habent domesticos & familiam facere diligentiam, vt liberi eorum & serui sibi caueant ab huiusmodi blasphemijs, & quod ad hoc faciendum Domini Ecclesiastici & temporales eos hortentur & authoritatem concedant. Ad quod magnopere conduceret pueros & iuuenes personas ducere in consue-
D tudinem non iurandi per Deum nec sanctos eius per doctrinam & bonum exemplum maiorum, nam per bonam consuetudinem tam facile esset & æquè crederentur res non iurando sicut iurando, per quod euitarentur innumera periuria, quę sunt peccata mortalia.

Quarta consideratio.

Expedit (vt videtur) viso quod diabolicũ hoc peccatum est tam generale & adeò irradicatum in compluribus locis, vt in principio ordinaren-
E tur aliquæ pœnæ leues vt possent exequi, nullis parcendo cuiuscunque conditionis hominibus, siue magnæ vel paruæ, seni vel iuueni, diuiti vel pauperi, nobili aut ignobili, Ecclesiasticæ aut singulari personæ.

Quinta consideratio.

Expedit quod super rebus prædictis homines Ecclesiasticæ iustitiæ aut iurisdictionis habeant consilia eorum & prouisiones seu decreta, & pa-
F riformiter etiam homines iustitiæ vel iurisdictionis secularis, & deinde quod communi assẽsu & concordia diligenter procedatur ad negotium sine fictione, intantum vel plusquam si esset ob magnum aliquod temporale commodum acquirendum vel conseruandum in republica vel particulari.

Sexta Consideratio.

Expedit fieri exhortationes publicas non modò per prædicationes & verbo, sed litteris & scedulis diebus dominicis & festis & processionibus ad monstrandum & declarandum omne quod

visum fuerit conueniens & conducibile ad complementum huius sancti negotij, concedat Deus A vt ita fiat.

QVERELA DEFVNCTORVM IN IGNE PVRGATORIO DETENTORUM *ad superstites in terram amicos.*



RATE pro nobis ô vos super terram viuentes, orate pro nobis miseris & B afflictis animabus quæ sumus in aspero & duro purgatorij ignis carcere, nec nosipsas iuuare possumus. Orate pro nobis, & nos respicite in misericordia & compassione. Iuuate nos vt liberemur & exeamus pœnas grauiáque quæ sustinemus tormenta in hoc purgatorij carcere per iustam summi iudicis nostri sententiam. Orate pro nobis quæ in statu sumus in quo nosipsas iuuare nequimus propria nostra prece aut meritorio opere, sed vos qui filij estis & filiæ Ecclesiæ sanctæ super terram viuentes hoc facere C potestis. Vos estis in statu nobis auxiliandi, similiter si volueritis & vobis. Orate pro nobis nos deuotè inspiciendo in veræ fidei lumine per pietatem & compassionem. Videte quomodo nos relictæ & afflictæ purgatorij animæ omnes traditæ sumus diuersis afflictionibus, & quamuis àliquæ magis quam aliæ, nulla tamen in loco hoc parua est pœna, nulla est placens vel dulcis captiuitas. Omne nobis oneri est & grauamini quod nos impedit & retardat ad gloriam perueniendi, D &c. Orate pro nobis deuotè & sanctè, hoc enim agendo, propriam vtilitatem & spirituale lucrum vestrum diuersimodè operamini, magisque interdum quam si vnusquisque vestrum pro seipso rogaret solummodo. Charitas communicari vult & diuidi. Orate pro nobis, & nos iuuate in hac magna necessitate. Post enim liberationem nostram, cum vna quæque nostrum fuerit superius in paradiso cum Deo æternaliter & cum animabus sanctis, vobis parem vicem referemus, hoc E est, nos pariter pro vobis preces offeremus & intercessiones, pro illis scilicet qui nos iuuerint orationibus & operibus bonis factis pro nobis. Bonitas vna alteram expostulat, & qui dat, dabitur ei: Qui fecerit misericordiam, misericordiam consequetur. Orate pro nobis saltem vos qui vidistis & cognouistis nos super terram, vos qui amatis nos, & ostendistis diuersimodè vestram beneuolentiam, modò in postrema hac necessitate ostendat vnusquisque se verè & legaliter amasse. Dictum est commune, & quidem verum quod in F necessitate probatur amicus. Heu & quæ est necessitas par nostræ, aut nostra maior, nisi apud inferos, vbi nulla respiratio vel redemptio? Orate pro nobis, nec recusare velitis petitionem nostram, orationem & precem. Non præbeatis aurem surdam pio nostro clamori, non obliuiscamini nostri, quoniam die noctúque incessanter in magno dolore & lamentatione vestrum petimus auxilium. Certè cor est durum nimium & parum pium quod compassionem non habet. Et qui durus est (dicit scriptura) duritiam experietur. Quia cor durum malè habebit in nouissimo. Orate pro nobis saltem vos qui viuitis ex bonis terrenis, quæ vobis reliquimus siue sub titulo eleemosynæ, vel fundationis vt Ecclesiasticis, siue per testamenta vel alia dona per amorem & charitatem facta, vt pro nobis oraretur, & nostræ succurreretur necessitati. Facite debitum vestrum, alioquin certè nos fallitis & decipitis, in tormentis quoque grauibus & dolorosis relinquitis ad iustam vestram & crudelissimam damnationem nisi emendationem feceritis. Necesse est enim vt vnusquisque iuxta posse suum satisfaciat & persoluat, aut iustè damnationem sustineat. Orate pro nobis & persoluite, nam ad hoc faciendum estis obligati tanquam hæredes bonorum nostrorum, aut vltimæ nostræ voluntatis executores, quibus cõfisi sumus in fine vitæ nostræ super terram. Quamquam enim misericordia suscepit vltimam nostram pœnitentiam & ordinationem, hoc tamen non est quin persoluamus in pœnis & tormentis iustitiæ suæ taxatione, si in vobis defectus fuerit, quo minus faciatis eam quam ius requirit satisfactionem, & hoc relabitur in onus vestrum & condemnationem, heu vtinam per nosmetipsos, & pro nobis fecissemus omne illud, & compleuissemus cum super terram essemus quod à vobis petimus. Malum etiam est tandiu expectare, hoc cognoscimus & asperrimè sentimus, & multo plus hi qui sine vlla respiratione lapsi sunt in infernum. Orate pro nobis præsertim vos qui eius generis estis cuius eramus, cum super terram essemus. Cogitate & aspicite qualiter simus in graui hoc purgatorij carcere. Habete hãc pietatem & compassionem quam filij & filiæ ad matrem & patrem habere debent, aut fratres & sorores adinuicem, aut cognati vel cognatæ, aut vxor ad maritum suum, vel maritus ad suam vxorem, vel parentes ad eorum filios, vnusquisque & vnaquæque secundum quod videt & cognoscit se facere debere. Cogitate cum essemus super terram, quod subsidium & subleuamen vnus fecisset alteri, si mater vidisset filiam suam, vel pater suum filium in igne comburi & flamma, nec eum liberare potuisset, cogitate quod diligenter admodum & citò omnem suum exercuisset conatum. Orate pro nobis defunctis qui viuitis, & nos iuuate in virtute charitatis, quæ præcipit proximum suum amari sicut seipsum. Auxiliamini nobis & succurrite, vt exire possimus dolorosum hoc purgatorij tormentum. Vnusquisque vestrũ secundum statum suum & possibilitatem, siue per orationes, siue per ieiunia, siue per eleemosynas, & summopere offerendo sanctum altaris sacramentum, in quo is est qui persoluit debita nostra, qui tollit peccata mundi, qui factus est nobis (secundum apostolum) sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Et hæc oblatio fit quotidie in missa. Potest etiam & debet fieri per vnam quamque personam Christianam in templo cordis sui per veram fidem & sanctam religionem, memorando passionem saluatoris nostri Iesu Christi, supplicando deuotè quod velit extendere virtutem benedictæ passionis suæ, nos consolando, alleuiando, & festinanter de omnibus malis purgãdo, illuminando & liberando, vt digni simus ad perueniendum ad gloriam suam paradisi cũ omnibus sanctis, vt eũ laudemus & honoremus sine fine.

fine. Si oretis vel orationem fieri curetis pro nobis, posthac in gloria pro vobis orabimus, quam quidem gloriam certissimè expectamus, ad quam tandem perueniemus. Facite aut curate vt fiat quodcunque bonum opus pro nobis, siue sit oratio, siue ieiunium, siue eleemosyna, siue missa, aut talis quæcũque satisfactio. Et in primis ignoscite ac parcite omnes malas iniurias & offensas quæ vobis factæ fuerint, non desiderando aut postulando vindictam per viam facti præliorum vel persecutionum. Nihil est tantopere conducens ad liberationem nostram sicut virtus charitatis, pietatis & veniæ. Orate pro nobis, & supplicate sæpius & deuote bonis angelis vestris vt nomine vestro nos dignentur visitare, salutare atq; consolari. Et tantum efficite, vt nobis significare possint ad magnum gaudium nostrum & cõfortationem, quod oretis Deum & sanctos eius ac sanctas pro nobis, quod facitis eleemosynas & oblationes, restitutionésque & satisfactiones pro nobis, quod facitis aliqua ieiunia vel abstinentias & pœnitentiam pro nobis, quod cauetis & vitatis facere peccata & offensas contra Deum, nec vindictam petitis pro nobis, quod docetis & hortamini inuicem, & præsertim pueros innocentes, vt dicant orationem Dominicam, & salutationem angelicam, aliáque bona verba pro nobis, quod procuratis vt dicantur missæ & alia Ecclesiæ suffragia pro nobis. Et breuiter quod omnem adhibetis diligentiam bene operandi pro nobis, vt simus consolatæ & purgatæ, absolutæque ab omnibus pœnis amarisque tormentis carceris purgatorij, & citius etiam perueniamus ad gloriam paradisi, quam tantopere amamus, & non immeritò desideramus. Sic vobis Deus sit in auxilium in omnibus operibus & necessitatibus vestris. Sic vobis gratiam concedat taliter super terram viuere, vt tandem vos videamus in æterna gloria. Vbi regnat vnus solus Deus in Trinitate, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Amen.

Viui ad mortuos.

PATER noster qui es in cœlis. Quamquam ego misera creatura tua non digna sum nec sufficiens pro meipsa orare, charitas tamen similiter & compassio & præceptum tuum me constringunt ad orationes fundendas pro animabus defunctorum, quæ sunt in duro ignis purgatorij carcere, vt pietas tua & misericordia illis alleuiamen præstet & consolationem, aut plenariam liberationem. Dicam igitur in persona totius sanctæ Ecclesiæ aliquas orationes per eam ordinatas. Non enim fiduciam habeo in propriam meam dignitatem, meritum vel bonitatem. Dicam etiã eas tanquam requisitus & missus & cui commissum est ad hoc faciendum ab ipsis animabus purgatorij quæ sunt in gratia, vt bonus earum angelus eis precem hanc significare velit pro eis ad earum consolationem. Orabo singulariter in cõscientia & virtute sancti mysterij benedictæ incarnationis & passionis tuæ, Redemptor noster & Saluator vniuersi mundi, rex gloriose Iesu Christe, pater misericordię & totius consolationis Deus. Dicam ergo pro omnibus defunctis: Fidelium Deus omnium conditor & redemptor

A &c. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Fiant pariformiter & aliæ orationes, vt pro parentibus dicendo. Deus qui nos patrem & matrem, &c.

Pro benefactoribus & nobis specialiter cõmissis: Inclina Domine aurem tuam, &c. cum Pater noster, Aue Maria. Credo in Deum. De profundis secundũ deuotionem & vniuscuiusque scientiam, fiat, fiat. Requiescant in pace. Amen.

B

Mortui ad quemquam viuorum.

Siste, nos aspice & plora, talis eris quantumcunque diu illa tardauerit hora.

Ora pro nobis Deum, vt nobis dignetur succurrere. Nouissimam mortis horam in corde tuo semper debes figere.

Distichon.

C

Quisquis ades, qui morte cades, sta, respice, plora,
Sum quid eris, modicum cineris, pro me precor ora.

MORALIS ADMONITIO PRO SANCTIMONIALIBVS.



SANCTIMONIALIS secũ cogitare debet, si iam mori deberes, & occumbere an ne istud faceres, & an auderes mori in eo in quo te sentis statu. Cum D cantatur in vigilijs vel horis alijs, teneat semper cor suum ad sensum psalmi, si non altius eleuetur, hoc est quod cogitet de Deo secundum aliquod mysterium Redemptionis nostræ vel saluationis vel ad paradisum vel infernum vel ad mortuos, præsertim si non intelligat Latinum sermonem, sciat certitudinaliter se esse obligatam ad dicendum in sua parte chori, vel audiendum ex altera parte chori omne id quod dicitur in seruitio Ecclesiæ vsque ad postremam litteram. Quod intelligendum est sic quod scienter & sine causa non E debet cogitationem suam alibi tenere, sed si per fragilitatem & inaduertentiam vel ob aliquam necessitatem ipsa alibi vanè cogitet, non peccat mortaliter, nec tenetur rursum incipere: In regularibus interuallis Sanctimonialis ad partem se debet retrahere vel prouidere necessitati corporis, sic tamen quod eundo & redeundo noscat sibi dici sursum corda, cor in altum videlicet tempore quo nihil faciendum est determinatè in Ecclesia vel alibi. Tempore quo legitur orandum est, vel si Sanctimonialis ad legendum ac- F cedat, quærere debet dulcedinem, hoc est deuotionem, & non scientiam. Sciat sanctam scripturam esse tanquam puteum Iacob, ex quo hauriũtur aquæ viuæ, hoc est lachrymæ ad expendendas eas in oratione, nec semper decet eam quæ orare vult oratorium adire ad lectionem, hoc est studendo & audiendo lectionem, ipsa cõtemplari poterit & leuare cor suum ad Deum aut orare, tempore laboris cum alijs adeat laborem, in quo considerare debet non tam quid operetur quam ad quid venerit, videlicet vt pœnitentiam agat, non vt laboret, hoc est, potius cogitare de-

bet laborem illum datum esse ob pœnitentiam
& satisfactionem quam ob aliud commodum.
Et sic deprecari debet Deum cum manus cassat,
hoc est, cum non amplius operaretur, spiritus la-
borare debet meditando vel operando, licet in la-
bore suo illud idem facere teneatur, scilicet roga-
re & orare, & debet cogitare in labore laboris sui
causam, vt pœna quam patitur repræsentet ei cul-
pam ob quam patitur, videlicet laborem aut fati-
gationem. Deinde accedat mensam in qua non
modò os suam sumat refectionem & cibum, verũ-
etiam aures habeant desiderium verbi Dei. Nam
certè ipsa solum manducare non debet, nec debet
esse prorsus intenta ad manducandum, sed taliter
occupare debet cor suum ad verbum Dei, vt solũ
os corporalem sumat escam. Demum nonne vel
monialis admodum lætari debet, cum cibi præ-
ciosi & delicati minus ponuntur ante eam quam
ante alias. Nam moniales illæ sunt fortunatiores,
quæ ad sobrietatem sustinendam sunt fortiores.
Post prandium in gratijs reddendis sciatis quod
supplicare debet pro duabus rebus, videlicet pro
peccatis illorum quorum eleemosynis sustenta-
tur. Et ideo cauere debet magnopere & timere
ne scienter potius habeat abundantiam quam ne-
cessitatem. Deinde si fuerit vocata ad collocuto-
rium, hoc est ad locum in quo secundum regulã
colloqui licet, loqui debet mãsuetè sine risu, pau-
ca verba & rationabilia quæ priusquam pronun-
ciet, bis ad limam veniant, meditando finem ver-
borum & causam priusquã ad linguam perueniãt.
Si verò oporteat alloqui personam secularem, tũc
specialissimè ori suo adhibeat custodiam, ne om-
nino quicquã dicat quod audientem nõ edificet.
Si ergo taliter in omnibus habeat, ne vllus qui eã
viderit vel audierit, ipsam sanctam monialem non
reputet. Cum post completorium peruenerit ad
lectum suũ, teneat quotidie in silentio, id est, in se-
creto capitulum sibi ipsi, & cum vndequaq; con-
uocarit cogitationes suas, quod intelligẽdum est
de principalibus, quæ sunt alicuius notabilis mali
vel boni, ponat eas diligenter cum ratione, consi-
derãdo quod peccauerit die illo cogitatione, ver-
bo & opere, publicè & secretè, lauando singulis
noctibus lectum suum lachrymis proprijs, id est,
purificando conscientiam suam per lachrymas
cum dolore pro quolibet peccato ipsa diligenter
computum facere debet, vt mane vel ad minus
semel in septimana secretam faciat confessionem
de peccatis secretis. Et ad hoc quod confessio sit
pura, tres habere debet conditiones, quod sit vo-
luntaria, nuda & munda. Voluntaria per pro-
priam deliberationem & propositum. Nuda, hoc
est in particulari, & taliter quod presbyter bene
percipiat peccati magnitudinem, alioquin con-
fessio sæpè valet priusquam melius, cum quis non
se nudè accusat, sicut cognoscit faciendum esse vt
confiteatur peccatum suum eo quo fecit modo.
Munda, vt non prædicet peccatum suum sicut
Sodoma, hoc est, quod non dicat peccatum sine
verecundia per modum iactantiæ vel incuriæ, sed
per puram & simplicem confessionem se accuset.
In capitulo verò manifestè reuelare debet res in
quibus publicè offendit, & omnino in illum mo-
dum ac si esset coram Deo iudice, taliter se om-
nino habeat, loquatur & respondeat, & si vocet,
hoc est, accuset, clamor ei⁹ sit prorsus temperatus
A intus & extra oleo charitatis, hoc est, quod per
dolorem, & non rancorem, vindictam, iniuriam
vel per inuidiam accuset aliam vel puniat, nec ca-
piat, id est, ipsa non debet capere quicquam ab vl-
la persona, nec donum quodcunque, nec habere
debet personam aliquam familiarem, id est, per ni-
miam frequentiam. In omnibus rebus fugere de-
bet singularitatis vt admirationis notam, hoc est,
non debet facere aliter quam aliæ, vt vanã habeat
gloriã, nec debet loqui quicquam ob quod possit
iudicari, aut multum sapiẽs aut multum religiosa,
B nisi fortassis vt habeat consilium alicuius sapientis
personæ vel confessoris sui. Nam in hoc casu ad
finem prædictũ laudes propriæ explicari possunt
vel ad ædificationẽ alterius, modò sufficiens ha-
beretur humilitas ad hoc securè faciendum. Ipsa
respõdere debet de his de quibus interrogabitur,
si sunt digna responsione, simpliciter & paucis
verbis. Sed si habeatur verbum de scripturis vel
bonis moribus, arrigat aurem & non linguam,
hoc est, audiat & non loquatur. Cum loquitur, nõ
C ponat studium suum ad eloquentiam, sed verbum
suum sit vulgare potius quam ornatum. In omni-
bus factis suis sanctimonialis non apponatur ope-
rã vt appareat subtilis & agilis sine honestate atq;
temperantia. Vitare debet omnes personas in po-
testate constitutas, hoc est, in alto statu. Et in pri-
mis seculares. Vna causa est, ob tentationes quæ
contingunt religiosæ, cum videt huiusmodi sta-
tum, & incitatur ad similem appetendum. Alia
causa est, quoniam huiusmodi homines plerunq;
paruipendũt religionis humilitatẽ, & loquũtur de
D religione leuiter per irrisionem, faciuntque eorũ
risus & stultas recreationes. Sãctimonialis imitari
debet res communes, vt labores, aliásque obser-
uantias, in quibus nõ debet esse tanquam effrenis.
Et hic similitudo quædam recepta ex biblia, quæ
cõparat populum effrenẽ bruto, quod potius ex
consuetudine suum operatur laborem quam ob
delectationem quam habeat, & non per delibera-
tionem operatur. Et est tritura modus quidam
excutiendi frumenta per iumentorum pedes vel
E boum, quemadmodum fit circa Auinionem, vt
vaccæ vel tauri ad laborem amandum edocti,
hoc est, quod ad obseruantias suas trahatur, non
quidem per consuetudinem, sed per deuotio-
nem, vt in omnibus rebus singularis sit puritas,
& non vulgaris deuotio. Ipsa non debet præ-
ponere & præferre speciales quasdam & peculia-
res orationes suas orationibus communibus Ec-
clesiæ, siue impositæ sint in confessione siue alibi.
Debet in primis habere communes orationes &
F procurare eas, ponendo diligentiam suam & stu-
dium suum siue curam, nec sibi ipsi aduletur,
hoc est, det gloriam vel voluptatem pro oratio-
nibus suis particularibus, quæ in sancto loco esse
debent, si negligens fuerit & pigra in primis. Si
ergo familiaritas mulierum prohibita est multo
magis virorum, facies, id est gestus, debet esse tã-
quam cum alijs, sed interius omnes res diuersæ
sint. Ipsa non debet incutere alicui iram, nec ip-
sa irasci per nimiam grauitatem, nec dissolu-
ta esse debet per magnam leuitatem, sed serua-
re bonam quandam mediocritatem id est men-
suram vel temperantiam, sicut dicitur de sancto
Martino,

Martino, quod tristitia nō turbabat vultum eius, nec risus vultui leuitatem vel inordinatam iniecit A hilaritatem, hoc est dictum, quod monialis ridere potest interdum magis ne videatur nimis deuota ad intra, quam ob aliam rem. Et hic datur exemplum de Moyse, qui quoniam allocutus fuerat Deum, facies sua taliter fulgebat vt videretur cornuta, & necesse erat quod ipsam cooperiret cum alios alloquebatur. Sic persona quæ allocuta est Deum per deuotionem, habet faciem suam multo maioris grauitatis & claritatis quam aliæ, ideo interdum ipsam celare debet, vt euitet B ventum superbiæ, qui omnia indisponit & destruit si fuerit receptus. Interdum etiam spectabit ad sapientem animam, quæ diligenter custodit thesaurum suum, vt cooperiat faciem suam cornutám exemplo Moysi, & celet per risum quendam, qui tamen non imminuat gloriam interius latentem & cogitationis grauitatem. Comparãdus est dies præsens diei præterito, hoc est, considerare debet si non sit melior hodie quam heri. Nam si quis non semper progreditur in via virtutum, reuertitur in peius, non est medium sta- C tionis, non amplius quam in naui currente velociter aqua sine retinaculo, quæ si non ascenderit, descendit, vt per comparationem vnius ad alterum, sanctimonialis percipere possit progressum suum vel defectum, cum senserit se victam fastidio vel languore cordis, ascendat supra petram in qua lauantur mortui, sicut solebant lauari ante sepulturam & cogitet diutius secum, quemadmodum illæ quæ sunt sepeliendæ hinc inde mouentur, qualiter vertuntur, modò in faciem modò in D dorsum, qualiter caput tremit, qualiter brachia cadunt, coxæ factæ sunt rigidæ, tibiæ iacent, qualiter vestiuntur, qualiter reclinantur, qualiter ad sepulchrum deferuntur, qualiter ad feretrum ponuntur, qualiter terra cooperiuntur, id est esse debet sanctimonialis tanquam Melchisedech, quod intelligendum est, ne sanctimonialis habeat vllã carnalem affectionem, nec ad patrem nec ad matrem, nec ad alium sui generis, quemadmodum ipsum Melchisedech fecisse scriptura commemorat, non nominando quis fuerit pater suus, mater E sua vel eius progenies. Non enim commemorat scriptura ipsum habuisse patrem nec matrem vel progeniem, nec vocet patrem, id est, non debet appellare quicquam ad se super terram, immò talem se reputare tanquam esset sola & Deus. Et si interdum infirmitas aliqualiter hominem constringit id est corpus vel sensualitatem de extraneo rigore vel seruitio, animus tamen esse debet inuictus, id est, stabilis & firmus, nec debet relaxare intrinsecum rigorem & eius exercitatio- F nem.

SEQVVNTVR QVINDECIM PERFECTIONES necessariæ volenti Deo seruire, & eum perfectè amare cum quibusdam alijs moralitatibus.

Prima ipsa debet adhibere diligentiam & explere omne posse suum, vt integram cognitionem & notitiam habeat de defectibus & peccatis suis.

Secunda ipsa debet fortiter multúmque irasci & repugnare naturalibus suis inclinationibus.

Tertia, ipsa debet habere maximum dolorem, timorem & displicentiam de offensis, peccatis & defectibus quos commisit contra sanctam Dei voluntatem, quia ipsa non est certa si iustè satisfecerit, nec si Deus sit placatus.

Quarta, ipsa debet valde timere & maximopere cauere ne recidiuet, & ne reuertatur ad peccata similia & defectus.

Quinta, ipsa habere debet fortem asperámque disciplinam & correctionem, vt securè regat & seruet quinque sensus suos naturales.

Sexta ipsa habere debet virtutem fortitudinis ad tolerandas, portandas & sustinendas omnes aduersitates, omnes insultus & tentationes diaboli, mundi & carnis.

Septima, debet dimittere & vitare societatem omnium creaturarum tanquam infernalem inimicum, quæ esset vel esse posset occasio nō modò faciendi ipsam peccare, sed etiam deducendi eum ad aliquam imperfectionem.

Octaua, ipsa portare debet in ea & super eam humilem crucē dulcis Iesu Christi, quæ in se quatuor habet brachia, sicuti hic apparet. Primum huius crucis brachium, est omnium peccatorum & vitiorum mortificatio. Secundum est renunciare & relinquere omnia terrena bona & temporalia. Tertium est fugere & tollere à se omnem carnalem affectionem omnium amicorum suorum carnalium. Quartum est se omnino humiliare & nihilipendere & integrè, propriè renunciare voluntati.

Nona, est continua rememoratio, commendatio & memoria beneficiorum, quæ à dulci Iesu Christo recepit & semper recipit.

Decima, est esse diebus & noctibus continuè in deuotione & deuotis orationibus.

Vndecima est facere totum posse suum, vt sentiantur indesinenter diuinę consolationes & dulcedines.

Duodecima, est habere magnum & feruens desiderium, & facere totum posse suum secundum statum suũ exaltandi fidem videlicet quod dulcis Iesus Christus ab omnibus sit cum timore cultus, amatus, cognitus & honoratus.

Decima tertia, est habere pietatem & compassionem de proximo suo, quemadmodum vellet quod haberet de se.

Decima quarta, est Deum glorificare & ei gratias agere, & re, & eum laudare de omnibus rebus eius & operibus omnibus.

Decima quinta est, quod postquam fecerit omnia, senserit & gustauerit, quod dicat humillimè & deuotè alloquendo creatorem suum. Dulcissime mi & reuerende Creator, nihil fui & per te factus sum, nihil scio nec possum & pauperrimè & ineptè tibi seruio & seruiui, & ideo humiliter veniam precor & peto pro me & vniuerso mundo.

HIC INCIPIVNT SEX MAGISTRI DE TRIBVLATIONE *loquentes.*

ADunati erant sex præceptores, & quæsierũt ab inuicem quidnam de Deo dicerent quibus de tribulatione sermo incidit.

Primus præceptor dixit, quod si quicquam esset nobilius & conducibilius humanæ creaturæ in hac vita viuenti quam tribulatio, Deus hoc ipsum filio suo dedisset, ideo plus dedit ei patiendū in hac vita quam vnquam dedit creaturæ nec dabit vnquam.

Secundus præceptor dixit, quod si aliquis homo esset sine peccati macula vt Deus erat, & posset viuere annis triginta sine corporali cibo, Deus quoque concederet eum loqui cum angelis in aëre, sicut concessit Mariæ Magdalenæ, non posset in hac vita mereri tātum meritum sicut aliqua persona mereretur in parua aduersitate, ipsam patiēter ob Dei amorem tolerando.

Tertius præceptor ait, quod si anima Christi & omnes sancti paradisi, simul orarent pro persona aliqua, non acquirerent tantū ei vtilitatis & meriti, sicut ipsa sibi acquireret per vnicam in aduersitate patientiam.

Quartus præceptor dicebat. Adoramus crucē, eò quod Saluator noster Iesus Christus pependit in ea per dimidium diem. Sed dico quod maiori iure adorare deberemus tribulationem, quoniam Dominus noster Iesus Christus eam plusquam triginta annis pertulit.

Quintus præceptor dicebat. Sancti minus eligerent dimittere minimam mercedem quam acquisierunt in tribulatione quam sustinuerunt in patientia, quam renunciare Dei visioni vsque ad diem iudicij. Sanctus Petrus, inquit, neminem esse tribulatione dignum, nisi eos qui ipsam puro corde & sine errore desiderant. Tribulatio extinguit peccatum, & docet agnoscere Dei secreta. Tribulatio cognoscere se facit & alia, & in creatura virtutes multiplicat probátque, & purgat sicut aurum purgatur in fornace. Creatura si est in tribulatione, Deus in ea est, quia portat suum onus. Tribulatio tempus perditum redimit, & creaturam propè ignorantiam tenet, & stat super sui custodiam, & efficit ipsas creaturas dignas omnibus donis quæ Deus suis confert amicis. Estque thesaurus cui nihil comparabile est. Tribulatio animam hominis ad Deum perducit, & est certior & securior via Deum adeundi.

Sextus magister interrogat, ob quas causas tam inuitè tribulationes toleremus? Cui respondetur quod tribus de causis. Prima est, quoniam parum amoris habemus erga dominum nostrum Iesum Christum. Secunda, quoniam parum cogitamus ad mercedem quam Deus conferre vult, nec magna commoda inde emergentia. Tertia, quoniā parum cogitamus & sentimus tolerantiam & passionem quam Dominus noster Iesus Christus sustinuit pro nobis.

Sanctus Bernardus, recitat aliquas gratias quas Deus fecerat ei. Inter alias nominat septem, & in qualibet sunt tres modi. Prima gratia quemadmodum recitat ipse, & sunt verba eius, quod præseruauit me à multis peccatis, quemadmodum enim sum inclinatus ad aliqua, sic cecidissem in plura sed ipse me tribus modis iuuit. Primus, subtraxit mihi occasiones quibus potuissem habere peccata. Secundus dedit mihi fortitudinem me præseruandi. Reuera non sum fortior alijs, quorū aliqui lapsi sunt. Tertius, præseruauit me à tali affectione & tam corrupta, qualem habēt plerique. Sanctus Bernardus aliqua peccata habebat in abominatione. Secunda gratia est, quod licet peccauerim, tamen expectauit non me puniendo. Sic nosco eius patientiam quoad primum modum. Tertius est, maxima amoris sui teneritas, nā erat amicus meus, cum ego suus essem inimicus. Tertia gratia est quod parum fuissem lucratus nisi expectasset, nec volui me ad eum conuertere cum conferebat mihi pœnitendi gratiam, illuminauit meam ignorantiam. Secundò timerè me fecit infernales pœnas. Tertiò confortauit me spiritualiter, conferendo mihi veniam de peccatis meis. Quarta gratia est, quod parū mihi prodesset pœnitentia mea, nisi scirem ipsam esse Deo acceptabilem, sed cognosco quod non me punit, sed permittit & fert quod ego ipse me puniam, & cū hoc cognosco quod oblitus sit peccatorum meorum. Secundus est, quod nō mihi ea improperat. Tertius est, quod non minus me amat. In testes cito sanctum Petrum & Magdalenam. Quinta gratia est, quod parum mihi conduceret, nisi me ab inimicis meis protegeret. f. à carne mea, quæ tam cōtraria mihi est, & tamen me eam nutrire oportet vt viuam. Alius est mūdus qui me tentat, & insultando affligit quotidie, nec tum id experior, nec ei assentior. Alius est inimicus quem non video, qui me tentat, nec tamen me vicit, quoniam ei credo. Sexta gratia est quod si non mihi daret meritum (quod tamen mihi pollicitus est) adhuc ipsum meritum non mererer, sed dedit mihi gratiam vt quod solebam amare nō amem, & quod mihi placere solebat, displiceat, & desiderem esse cum eo. Septima est, quod adhuc parum lucratus essem, nisi daret mihi hanc gratiā, vt haberem hoc quod mihi promisit & ostēdit. In primis scio quod dedit mihi absolutionē, licet peruersus essem. Deinde dedit mihi spem redemptionis, & per hoc se facit debitorem meū. Cum considero promittentis potentiam, ipse legitimus est promissor & potens retributor. Habeo fidem & in legitimo amore eius facere volo voluntatem.

DOCTRINA CONTRA NIMIS STRICTAM ET SCRVPVLOSAM

conscientiam, per magistrum Joannem Gerson theologiæ composita.

DEVS vult quod rationabile sit seruitiū nostrum quoad animā & quoad corpus secundū enim vulgatū prouerbium, quod nimis est bonū non est. Ideo debet persona taliter regere corpus suū ne sit nimiū rebelle animę ex vna parte & ex altera ne deficiat ei in necessitate per amissionem boni sensus sui & iudicij boni, si caput vel cerebrum nimiū turbaretur vel per nimiū ieiuniū aut fletū aut cogitationē, timorē & melancholiā. Et esset minus malū excedere nimis nutriēdo corpus suū quā nō satis, quia difficilius potest poni remediū, cū corpus est læsum per nimiā & indiscretā abstinētiā feruorē aut timorē.

Primò obliuioni detur tempus præteritum nisi in generali ad petendum à Deo veniā per generalem contritionē vt dicendo hactenus Domine tēpus meum perdidi per vitam malā & dissolutam, tibi aliud reddere nequeo nisi cor contritum & hu-

& humiliatum. Hoc ergò recipias Domine, & ipsum non despicias: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Secundò si elapsum tempus nimis sæpè redit per timorem de hoc quod non fecerit integram confessionem, humiliet se persona & dicat. Scio Domine quod toto nisi & conatu me nunquam facere possem confessionem sicut mea postularent peccata, nouisti tamen voluntatem meam & desiderium meum quod mihi inspirasti, nihil me celare vellet. Sed cum confessor meus sufficienter se existimet de vita mea informatū hactenus, sufficiat tibi Domine, vt enim obedirem cōsilio tuo, oblitus sum temporis elapsi ad melius ambulandum in tuo deinceps seruitio.

Tertiò, persona actiua quæ quotidie operatur, non debet conari habere talem pacem & tranquillitatem cordis atque cogitationis sicut solitaria persona. In hoc enim esse posset vel nimia superbia, vel vanus conatus, aut grauis melācholia, vel odiosa tristitia & displicens illis quibus illa persona placere debet. Sufficiat ei recurrere ad Deum horis certis ad hoc magis conuenientibus & liberis, & se celare quantum fieri possit, ne appareat deuotior quam aliæ personæ quibus conuiuendum est, sic tamen ne fiat vel dicatur malū & peccatum.

Quartò quælibet persona quæ dedere vult cor suum & amorem suum Deo, debet seipsam diligentius custodire, non cogitando res particulares paruas vel magnas, nigras vel albas, sed eleuare cor suum in sapientia Dei, in sua potentia, dulcedine, bonitate & misericordia, & sic de talib⁹ generalibus considerationibus quæ cōtingunt personæ, veluti dicendo: O Deus optime, dulcissime, misericordissime, ô pater, &c. Per hoc enim nunquam laberetur quis in phantasias & phreneses, sicut fieri posset fingendo in se res corporeas nimis permanenter & fixè. Et ideo prohibetur interdum nimia cogitatio & continua de peccatis propriis & de alijs factis, vel de igne infernali, vel de morte propria. Quintò, quoad tempus futurum debet persona proponere sibi cauere velle à peccatis, & præsertim inquantū peccatū noceret alteri. Est enim multo minus malū aliquem solum esse in manu Dei & misericordiæ suæ, quam cum hoc quoque alijs obligari. Et si persona se debilem sentiat, & ad peccandum inclinatam sæpius, ipsa etiam sæpius resurgere debet, postulando humiliter & benignè veniā à Deo & eius auxiliū, sicut filius qui cecidit, manum matri suæ porrigit. Nam contra seipsum irasci solummodo nocet, tristitia generat & tædiū malum, & interdū desperationē & displicentiam de vita propia, nec caret superbia velle facere aliquam rem per seipsum & sua vi aut confidētia, quæ nec potest nec fieri debet. Et si millies in die cecideris, millies resurge conuertendo cordis tui oculos ad Deum & dicendo. Dñe iuua me, parce mihi, conforta me, miserere mei.

Sextò quæcunque veniāt cogitationes siue carnalitatis siue inuidiæ siue iræ fuerint persona cauere debet ne opere eas compleat, nec quod ad intra consentiat. Et tunc sciat cogitationes non esse peccata mortalia, sed esse magnam virtutum materiam. Contingit enim sæpissimè, quod quis sentit in se & cognoscit tales esse cogitationes diu permanentes, sed non consentit. Quare? quia displicent, & eis resistitur, desideratúrque quod cessent. Et supposito quod non possint expelli quin citò ipsæ vel aliæ redeant, non tamen voluntariè acceptantur, nec opus est illas confiteri nisi in generali & conditionaliter, dicendo: Habui varias cogitationes & motus carnalitatis vel vanæ gloriæ vel vindictæ vel odij. Et timeo ne tantopere restiterim & tam citò sicut debuissem hoc ego cōfiteor. Si tamen quisquam de consensu expresso certus fuerit, dicendus est ille consensus, & magis factum ipsum.

Item sæpenumero prodest vertere in incuriam & contemptum omnes tales cogitationes, & interdum de earum ridere importunitate, & de inimico qui eas mittit vt terreat personam, vel reddat eam hebetem, vel facit ei distortum vultum, vt personam labi faciant in lutum peccati. Item interdum per huiusmodi cogitationes ad extra, cōtingere possunt aliquæ operationes quæ essent peccata grandia & fœda, si consensus perfectus esset. Sed cum talis non adsit consensus, operationes illæ non habent plus peccati quam cogitationes. Neque confitendum est de illis operationibus, præsertim nisi discreto presbytero, vel ad semel declarandum omnia, vt postea confessor tribus verbis totum factum possit intelligere. Et potest dici sic. Habui cogitationes tales me inuito tam violentas, vt talis euenerit effectus. Et contingit quod quanto plus vellet persona resistere, tanto plus caderet. Quanto enim magis quis cogitet, tanto magis fortificatur imaginatio, à qua talis emanat effectus.

Demum adhibenda est diligentia sua corrigendi alterum, modò id fiat per discretionem, & opinetur quod correctus bene vtetur correctione illa, meliórque efficietur. Alias quispiam debet vel potest tacere & reprobare malum per solam displicentiæ ostensionem.

SEQVVNTVR DVODECIM CONSIDERATIONES, QVAS HABERE *potest homo erga Deum, vt sua exaudiatur oratio.*



Hic ad te venit saluator Iesu subiecta tua creatura, nihil valēs, quæ reuertens ad seipsum de paupertatis religione, vult modò in præsentia tremendæ maiestatis tuæ & totius curiæ paradisi inclinare preces suas, non quidem in confidentia iustitiarum suarum quæ nullæ sunt nisi abominabiles immunditiæ. Sed in primis misericordiæ tuæ maximæ (quam quæso superare) facias rigorosum tuum iudicium, & superabundare gratiam, vbi tantum abundat iniquitas, cum hic tempus sit misericordiam habēdi cum suam tenet curiam, & sedet in iudicio. Etiam in virtute redemptionis nostræ, per quam ordinatus fuisti à Deo propria tua voluntate, noster Saluator, Aduocatus, Mediator, Rex, Prælatus, Papa, Pastor, defensor, protector, Redemptor. Non ergo omittas tua peragere officia, quæ à Deo tibi sunt commissa ob miserias

nostras & magnas iniquitates. Insuper in virtute nominis tui & fidelium promissionum tuarum in patentibus litteris euangeliorum tuorum datarum atque cōcessarum, vbi inter alias dicis promissiones, quod si in nomine tuo quicquam petierimus à patre tuo ipse nobis illud conferet, & quod si petamus, accipiemus, si quæramus inueniemus, si pulsemus, aperietur nobis. Et quod bonus pater non vacuos remittet filios suos, quodque si voluerim⁹ parcere, & nobis venia dabitur, & sic de alijs. Præterea in spe intercessionis omnium sanctorū & sanctarum, præsertim talium & talium, quos ordinasti pijssimos eleemosynarios, vt diuidant nobis mendicantibus gratiæ & bonitatis tuæ diuitias, & ponant in saccum paupertatis vestræ ad quos per inspirationem tuam modò me mittis. Ideo eos capio intercessores, adiutores & conductores. Insuper in fide & constitutione sponsæ tuæ Ecclesiæ sanctæ, sicut minister tuus & seruus ad hoc indignus, vel sicut vnum membrorum eius, quamuis mortuum vel languidum. Item in virtute præcepti tui, quo præcipis vt pro me & alijs orem, spero in te, tuus sum. Iuua me ergo domine ad faciendum quod præcipis. Item in virtute sacramentorum tuorum & orationū tuarum sanctarum & sacratarum vel operum tuorū quæ mihi ordinasti, docuisti vel præcepisti, per te ipsum aut ministros tuos dicere vel facere, vt missæ vel pater noster, horarum aut ieiuniorum præceptorum. Item in consideratione officij, in quo ordinatus sum petere spirituales eleemosynas tanquam quæstionarius pro omnibus infirmis iacentibus in magno hospitali vniuersi mundi inferioris vel purgatorij. Ad quod significandum portantur vestimenta mea vel alia specialia signa. Item propter compassionem tantarum necessitatum & miseriarum spiritualium, quas esse cognoscis in dicto hospitali ipsius mundi, cum conditio tua sit iuuare in tribulatione & magna misericordia & respectu miseriarum magnarum. Item propter merita & benefacta viuorum & mortuorum in hoc confidunt & meruerunt adiuuari orationibus meis. Ideo propero eas facere tanquā missus & commissarius per eos, vel tanquam obligatus atque astrictus ad rem illā. Tales enim sunt parentes mei, quos tu præcipis honorari. Tales sunt benefactores mei in spiritualitate vel temporalitate, quibus iubes reddere bonum pro bono, immò verò & inimicis meis reddi vis bonum pro malo. Et tu pater misericordię si tanta sit mea miseria vt non possim vel non debeam pro me paupere mendicante spirituales impetrare eleemosynas, nec dignus sum referre ex hac postulatione, nisi irrisiones & tormenta (quoniam indignè & indebitè meas quæro eleemosynas) da mihi pro alijs pauperibus, pro quibus sic sum astrictus tanquam quæstionarius quidam & cursor spiritualis te quæso & deprecor. Non velis miseriam meam, negligentiam & culpam meam ad impedimentū addere super eorum miseriam etiam forsitan interdum impetraturi sunt pro me erga misericordiam tuam, quod ex me ipso indignus sum adipisci modò duntaxat prius eorum miserearis. Itē respice Domine in solenni hoc & magno die ad te accedo. Vnde dies non est in quo non possint rememorari singularia magnificentiæ tuæ beneficia. Item prosequi velis & confirmare quod in me operaris per inspirationem tuam me præueniendo & viuificando ad taliter te deprecandum, alioquin habere non possem cor te orandi. Habetur enim medium hoc solum per speciale tuæ benedictionis attractum. Et si non sum sufficiens attractione vel appellatione tua, hoc est quod me grauat, hoc enim desidero, hoc peto vt te insequi possim, imitari & orare inquantum tibi placet. Sed Domine, quomodo id sine te agam? qui sum admodum debilis, læsus, infirmus & languidus? Tu ergo pater misericordiæ & totius pietatis fons sana me perficiendo quod in me incœpisti. Nam certè quò fugiam aut cui confidam alium inuenio neminem.

Oratio breuiter in effectu continens præcedentes duodecim considerationes.

CERNE Domine quod non in iustitijs meis offerre volo orationem meam ante te & ante curiam tuam paradisi, sed in confidentia tuæ misericordiæ, in officij redemptionis nostræ consideratione quod tibi commissum est, & quod ad te refertur, quoniam tu aduocatus noster es, & etiam in spe intercessionis eorum omnium qui vnquam tibi placuerunt, qui sunt eleemosynarij tui respectu nostrum mendicantium, & in fide atque institutione Ecclesiæ tuæ sanctæ in valore sacramentorum eius, in virtute mandatorum tuorum, monitionum & promissorum legitimorum ob seruitutis & obligationis meæ erga viuos & mortuos debitum, qui adiuuari per me meruerunt, hocque postulant, & me mittunt in benedictionis tuæ præuentionem, quæ ad hoc faciendum incitat, & prosequendo perficiet quod incœpisti.

Demum ob hanc solennem diem qui est misericordiæ tempus, & quoniam certè ad neminem fugere possum alium, nec sperare quam in te Deū Redemptorem & Saluatorem meum.

TRACTATVS FOEDÆ TENTATIONIS A IOANNE CANCELLARIO *Parisiensi editus.*

TENTATIO fœda quæ nomine alio blasphemia appellatur, solet esse admodū grauis, admodū periculosa & damnū minans personis quæ nouiter cor suū apponunt vt seruiant Deo & sibi peccatis caueant, perueniántque ad bonam deuotionem. Homo enim se cruciat & turbat opinatúrque se perditum iri, cum huiusmodi fœdæ cogitationes contra honorem Dei aut contra sanctos vel sanctas aliquas aut contra fidem vel castitatem contingunt tam impudenter vt sit horrendum, nec sciunt vel non audent quærere remedium, quemadmodum habemus de quodam eremita, qui viginti annis taliter fuit afflictus, quod tandem se in desperationem cogitabat proijcere, donec venisset ad sanctum quendam patrē plorans, & tam verecundus vt nō auderet eū intueri, nec dicere potuit fœdam suā tentationem, immò eā scripto dedit. Non fecit sanctus pater iste vt nōnulli & sine expe-

experientia confessores, qui non sanant talem tentationem, cum ab eis petitur sanatio, immo eam augmentant exprobrando, blasphemando & condemnando personam quæ eam sustinet. Immo dictus sanctus pater confestim eremitam hunc confortauit, deinde veluti per iocum ridens dixit, suppone manum tuam capiti meo. Tunc adiungens ait: Accipio super caput hoc omne peccatum quod habes in illa tentatione. Non amplius dubites, nec tibi facias conscientiam. Ego omne onus illud sumo. Eremita iste vertit responsum hoc in admirationem cum lætitia admixtam. Et interrogauit vnde hoc esset? Responde mihi (ait Pater sanctus) an vnquam tentatio illa fœda tibi placuerit. Heu Domine inquit, non, sed summopere mihi displicet. Patet ergo dicebat sanctus pater illam cogitationem non esse tuam per rationis consensum, sed prouenit ex inimici tentatione, qui vult te hoc modo fatigare & in deuium ponere. Dic igitur deinceps cum talis venerit tentatio, inimice blasphemia tua tibi sit & super te, nihil eius meum est. Ego Deum adoro, honoro & credo. Postea eremita ille non habuit tentationem vllam. Et reuera pro regula generali quæcumque tentationes cogitationum diuersarum quæ sentiuntur non sunt peccata mortalia si non affuerit consensus. Debet ergo persona vilipendere huiusmodi cogitationes quoad conscientiam peccati. Et si dicas tales cogitationes inclinare ad peccatum malorum consensuum & inordinatam delectationem ac cordis pacem turbare. Respondeo hic quod certè tentatio quæ prodest magnum habet meritum quando ei resistitur, & de ipsa habetur displicentia, & nos magis assuescimus vt vigilemus super nos & custodiamus nosipsos, recurramusque ad Dei auxilium.

Sed ad melius intelligendum hanc materiam & remedia expediens est aliquantulum declarare causas, ob quas fœdæ tentationes contingunt. Interdum contingunt per solam tentationem vel suggestionem inimici sic phantasiam & imaginationem simplicis hominis & innocentis turbantis, quemadmodum in præfato eremita, & quemadmodum satis iudicare possumus in compluribus iuuenilibus hominibus puris, simplicibus & castis qui nunquam audirent dici similes blasphemias, quin adeò clarè meditentur ipsas tanquam si intra eas huiusmodi de facto dicerentur tentationes, vt dicendo, nega Deum, maledic Deo, & alias multo peiores fœdioresque loquelas. Sed quid? Deus permittit huiusmodi tentationem vel ad humiliandam personam illam, sicut fuit datus stimulus talis Apostolo secundum multos doctores, aut ad ipsam exercitandam in bello contra inimicum & cognoscendo eius malitiam, & vincendum eum & monstrandum ac declarandum alijs, vel propter aliquam similem rationem. Et remedium (vt datum fuit dicto eremitæ) est quod solum quis eas irrideat tanquam cogitando vel dicendo inimico profectò admodum turpis es, immundus & valde horribilis cum adducis huiusmodi fœdas immunditias, sed est omne hoc quod mihi inferre poteris vel grauare me quamdiu anima clausa fuerit sera bonæ refutationis contra tentationem, hoc est quod mihi non placeat. Nec ego me tibi dedam vt sumam delectationem in ea. Et est hic bonum remedium, & cognoscit persona quam facillimè se expedit per talem huiusmodi responsionem irrisionis vel vilipensionis. Et ecce percipimus simile in aliquibus pueris benè educatis quos cum quis credit reddere pauidos & attonitos per vultus deformitatem, aut per laruas vel magnum clamorem, vt se ab itinere auertant in quo ambulant nil curant nisi quod ridendo aspectant. Alij minus benè educati cadunt præ pudore, vel clamant, vel reuertuntur. Aliud exemplum est de canibus allatrantibus vel de anseribus sibilantibus, quæ melius vinci non possunt vt à clamore cessent, quam iter suum peragendo & illa nihilipendendo. Quanto enim quis magis sistit, tanto magis vociferantur, quemadmodum de illo dicitur qui voluit retinere ventum pallio suo, quo minus ventus esset, quo magis id efficere conabatur eo magis ventum sentiebat. Sed interdum tales tentationes fœdæ causas habent naturales secundum corporis dispositionem. Vel quia cerebrum nimis vacuum est ob ieiunium vel per aliam fatigationem. Vel quia nimis plenum est & graue fumis spissis & corruptis ob nimiam potationem vel comestionem. Vel est quia persona est otiosa. Vel est ob malam consuetudinem audiendi & respiciendi ad extra curiosè tales fœdas & pudendas immunditias. Vel est propter nimium delinquendi timorem erga Deum & ipsum offendendi, quemadmodum videmus aliquem rectè ambulare super lignum aliquod si ad terram positum sit absque hoc quod cadat, quod facere nequiret, si timeret periculũ, vel si sub eo foueam aspiceret profundam. Pari modo videmus quod in loco obscuro & tenebroso naturaliter timorem habemus, velimus nolimus, adeò vt interdum propter illum timorem quis videatur sibi videre res nigras & turpes vel audire voces aliquas pauorem incutientes. Dicamus itaque quod quoad primas duas causas tales homines magis opus habent medicina & bono regimine corporali quam doctrina. Tertia est otiositas stulta tanquam peruersa magistra, profectò ipsa complura docet mala, personam destruit eam recipit per ardentem flammam & pudentissimam, vel per curiosam & stultam iudiciorum Dei iniquitatem, aliorsum ergo vertenda est mens & cogitatio, quod est principale remedium. Et hoc per diuersam fit occupationem & placentem talem, ne admittatur alio dirigi cogitatus. Exemplum ad hoc de sancto Antonio, qui in deserto semel conquerebatur, dicens: Domine, saluari volo, sed cogitationes meæ non me sinunt. Tunc apparuit ei Angelus in forma laboratoris, qui pro aliquo tempore laborabat, deinde orabat, postea refectionem suam sumebat, quam cum sumpsisset rursum laborabat. Et dixit ei: Antoni sic fac, & poteris saluari. Certè non est tam fœda cogitatio, quin eam stulta otiositas inueniat, in animamque inducat, quæ eam recipit, & est anima talis tanquam molaris in mola, qui semper vertitur, seque destruit & inflammat si aliud non habeat quod molat. Ideo expediens non est iuuenilis ætatis homines se omnino contemplationi dedere velint, hoc est solummodo cogitare de Deo vel ad sanctos eius. Non enim satis virtutis habent vt id faciant. Et valet hæc doctrina in nouissima causa quæ est de excess-

ſuo timore, ad quam prodeſt etiam cogitare ad Dei miſericordiam, & ſe omnino proſternere in in illam non ſemper cogitando rigoroſam eius iuſtitiam tanquam de Deo diffidendo, vel volendo de ſe facere quod ſine diuina gratia quis facere non poteſt. Quarta cauſa eſt, mala conſuetudo & curioſitas, ſemper curioſitas aſſociabilis eſt & litigioſa. Et illa cauſa difficulter ſanari poteſt & tolli. Cuius tamen remedium eſt omnino & diligenter imaginationem ſuam aduertere. Et ſuppoſito quod millies veniat illa tentatio, millies retrudatur tanquam per vilipenſionem vel per ſignum crucis & ſuſpirium ad Deum, vel ad dominam noſtram. Vel ſibi aſſligendo aliquem dolorem. Vel vt taliter agas vt vnuſquiſque vellet te ducere & oſtendere aliquam rem contra voluntatem tuam vertendo alio faciem tuam, vel claudendo aures animæ vel corporis contra huiuſmodi muſcas infernales admodum pungentes & immundas, accipe patientiam, quæ te vindicabit, & eas ad ſuum conuertet commodum.

Sumamus ſuper hoc quod dictum eſt & ad ipſum melius intelligendum & ſeruandum aliquas doctrinas. Prima eſt, periculoſiſſima res eſt cum perſona (præſertim illiterata) deuotionem habet, ſi bono careat conſiliario, ſapienti & experto, & cui omnino confidat in omnibus ſecretis ſuis & bonis confortationibus. Aliàs accidit perſonam illam horribilius errare quam aliam quę communem aliorum ſequitur viam. Ideo dicebat ſanctus quidam pater: Si videris iuuenem paradiſum ingredi volentem & ex ſeipſo, hoc eſt ſine ductore, & iam pedem vnum habeat in paradiſo, retrahe eum per alterum inferius, nunquam enim intraret. Secunda doctrina cũ perſona reuelauerit tentationem ſuã fœdam patri ſuo ſpirituali per terminos generales, non expedit quod dicat eam in ſpeciali, niſi eſſet ad melius cognoſcendum ex qua cauſa blaſphemia illa procedit, nec hoc fiat ſæpius. Quanto enim plus quis tentationem illam tollere vellet confitendo, vel eam reuelando, peius illi ſæpius contingeret, cum non ſit neceſſitas vt quis confiteatur quando non eſt peccatum, vt dictum eſt. Niſi fortaſſis quando perſona eſt in cauſa per vnam prædictarum quinque cauſarum naturalium, tunc opus eſt petere conſilium & veniam de talibus cauſis, vt ſi perſona ſit otioſa vel curioſa, vel ſi nimium ieiunet. Sed hic poteſt bene quis confiteri & petere conſilium ob cauſam, non exponendo apertè tales blaſphemias, & cæt. Tertia doctrina, diligentiſſimè cauendum eſt ne quicquam dicatur fiat vel præſentetur coram pueris & iuuenilis ætatis hominibus, quod eos poſſit tunc vel poſtmodum incitare ad tales fœdas tentationes. Quemadmodum ſunt hi qui audacter contra fidem loquuntur in forma ioci vel aliter, ſicut ſunt illi qui loquuntur de ſacramento matrimonij, aut oſtendunt de facto ipſum in præſentia puerorum ſuorum. Vel alij præſentantes turpes imagines, aut picturas diſſolutionum, vel qui nutriunt canes aut ſimiles res, quas videndo, audiendo vel tangendo interdum habent cogitationes admodum immũdas & fœdas, vel interdum horribiliſſimum opus explent, non obſtante pœna ignis per leges ordinata & inſtituta, non dico amplius. Quarta doctrina: Tentatio fœda vel blaſphemia & ferè vnaquæque alia

A quæ venit inter cogitandum, melius vincitur fugiendo quam aggrediendo, volendo ipſam vincere per cogitationem: Cauſa bona eſt, quanto enim perſona magis vult extinguere ignem magnum flando, tanto magis ipſum inflammat. Pariformiter virtutes imaginatiuæ in phantaſia fortificantur ſemper cogitando & in eis perſiſtendo. Et melius valet celare cogitationem & leuiter cogitare, quàm ſinere talem cogitationem manere in eo qui eam habet, & nunquam permittere vt

B augeatur & radices ſumat. Sic videmus in cogitatione iræ & vindictæ in auaritia, in inuidia, ſed ſingulariter in hac tentatione fœda ac turpi. Et breuiter aqua pœnitentiæ in lachrymis & dolore cordis pro peccatis ſuis melius extinguit illam cogitationem, lauat animam, tergit & mundat, quam quicquam aliud: Modò hoc ſit per menſuram taliter vt caput non lædatur, & bona ſpes de miſericordia Dei ſemper maneat abſq; caſu in magnam deſperationem, ſemper opinando ſe defecturum

C contra Dei præceptum, timere oportet in omnibus, ſed non vſque ad amiſſionem gratiæ Dei, qui noſtram cognoſcit fragilitatem, eam ſupportat de ſua benignitate magis quam pater & mater carnales. Laus ſit illi. Gratias quoque agimus ei. Amen.

EX SERMONE QVARTÆ DOMINICÆ ADVENTVS DOMINI

D ſupra poſito in quo de his diſcipulus facit mentionem, conijcitur ſequentem tractatulum à Gerſone eſſe compoſitum.

Doctor monitu Dei ratione ſex diſcipulos inſtruens ſcilicet, cor & quinque ſenſus exteriores.

Doctor loquitur.



Viuſcumque humanæ creaturæ
Videri hic poteſt doctrina
E *Vt in libro & pictura*
Ad gaudium habendum non deſiturum.

Deus dicit rationi.

Sex tibi do diſcipulos,
Cor, tactum, linguam, adoratum, oculum, auditum.
Vt bona mea doctrina
Per te rationem ab eis audiatur.

Ratio reſpondet ei.

F *Domine iuua ad regimen,*
Nam aliter id efficere non poſſem.
Mecum ſumam conſcientiam,
Quæ de omnibus factis habet ſcientiam.

Ratio loquitur diſcipulis.

Lectiones veſtras omnes diligenter retinete,
Sic enim bonum recipietis gloriæ.

Lectio cordis.

Deus, mors, cœlum, rabies inferni.
Tuo ſemper inſideant cordi.

Lectio

Lectio auditus.

Malas loquelas ne audias,
Ne mores bonos à te expellas.

Lectio oculorum.

Caue vultum tuum aliquò vertas,
Quò respicere est non fas.

Lectio oris.

Non gulosus sis, nec litigabis,
Sed verbum tuum ad bonum ordinabis.

Lectio tactus.

Tangere turpe immundum quod facit perire,
Tibi prohibeo & sine iure percutere.

Lectio odoratus.

Caueas quicquam odore percipere,
Unde male contingat desiderare.

Ratio loquitur omnibus simul.

Interdico vobis omnibus simul
Malam iniquitatis scholam.
Nam perdit qui eam ingreditur,
Tempus, sensus puritatem, laudem, veritatem.
Non est quicquam tam deforme,
Quin dudum ibidem velit habitare.
Ibi est superbia & stulta inuidia,
Acris ira & ardens auaritia,
Pigritia, luxuria & gula.
Si ipsa non sint, sunt tamen vitia alia multa,
Contemptus, fictio & arrogantia,
Furor, odium, aspera vindicta,
Tædium boni, alterius obliuio,
Et ne obliuiscar,
Paruum vobis legam librum.
Cuius scientia à talibus liberat malis,
Ludite sine mala inceptione,
Si bene prius vestram didicistis lectionem.
Cancellarius vos magistros faciet,
Qui Deus est qui vobis gloriam tribuet.
Vel refutabimini cum verecundia.
Malum quoque habebitis quod semper ascendet.
Decem præcepta quæ lex dat
Seruate, qualitercumque contingat.
Deum honora, nec iures in vanum.
Festa serua, parentes ama,
Fuge homicidium, furtum, mendacium, luxuriam.
Alterius bona habere non cures.
Ego parum recreabor.
Diligenter studete sine lite.

Cor.

Socij mei audiuistis
Domina huius magnum sermonem?

Auditus.

Cor versatile certe sic,
Sed quid de hoc erit hic.

Oculi.

Frustra vadit,
Cum primum abierit.
A *Unusquisque scholam suam effugiet & euitabit.*

Os.

In scholis alteris multo plus est solatij
Quicquid dicant quod sint fatui.

Odoratus.

Ipsamet à nobis attrahetur.
Quantumcumque malum vitare conetur.

B Tactus.

Ad ipsam clamabimus, deinde ei ridebimus,
Hac illac tamdiu ibimus,
Tanta inferemus ei mala
Ut ei oculos claudamus capitis,
Ne videri possit,
Quale ipsum negotium sit.

Conscientia.

C *Sic sic agere vultis ô latrunculi,*
Vos tenebo ne sic contingat.
Unusquisque vestrum certè accusabitur.
Per me, quantumcumque excusati esse credatis.
Deus bonum vestrum & delictum
Ut matri meæ dicam facit,
Cum matrimonio coniuncta fuistis
Per rationem quæ Deum habet pro marito.
Cor desponsauit diuinum amorem.
Auditus prudentem recepit doctrinam,
Oculus bonam simplicitatem,
D *Et lingua accepit sobrietatem,*
Tactus pulchram temperantiam,
In odoribus habuit odoratus continentiam,
Non esse vultis tales,
Quales sunt illegitimi vel degeneres.

Ratio peruersa loquitur.

Scholastici mei necesse est audiam
Vestrum duos saltem quotidie,
Et qui studuerint bene reparare
E *Mane & vesperi hoc videtur melius.*

Conscientia.

Si rem verè scires domina
Et bene audiuisses
Contra te eorum inceptum,
Caue ne ab ipsis arguaris.

Ratio.

Scio heu qualem pœnam
F *Habere me oportet cum non sum sana.*
Parum sum videns & prorsus inclusa,
Corrupta caro me confirmat in malo.

Conscientia.

Mater vide quid est hoc?
Qualis infantia facta est hic?

Ratio.

Psy qualis fœtor maculauit
Nostram scholã? & quis immũditiam illam aggregauit?
Quis hoc fecit? dic conscientia.

Conſcientia.

Cor domina in hoc culpabile redditur.

Ratio.

Cor fictiſſimum & mutabiliſſimum
Ad omnia mala cogitanda & omnem immunditiam,
In ſcholis tu rabiem concitaſti.
Ideo te his afficiam verberibus.

Cor.

Heu magiſtra conqueror
De alijs quinque meis ſocijs.

Ratio.

Quamobrem?

Cor.

Quoniam ad hoc plenè
Me compellunt quaſi coactè.

Quinque ſenſus.

Certe domina nos negamus,
Sed eſt cor ipſum quod ſequimur.

Ratio.

Video optimè quod ſine caſtigatione
Eſſetis, ſine ſubiectione,
Mox malum mihi contingeret.
Ideo vobis correctionem dabo.

Quinque ſenſus.

Heu ob Deum, ob Deum ô magiſtra,
Non nos tali afficias pœna.

Ratio.

Ob Deum facio reuera,
Et omnia pro emendatione veſtra,
Pœnitentiæ habebit partem
Vnuſquiſque ſecundum ſuam tranſgreſſionem.
Sed prius eijciatur
Immundus cumulus turpis peccati,
O lingua in ſecreto ipſum porta.
Per os tuum nam & ipſum eſt porta.

Os.

Pſy domina, & quis auderet.
Talem putredinem eijcere?

Ratio.

Tu facies vel non eſſet
Aliquis noſtrum in requie bona,
Semel abſolutum eſſe conuenit.
Quanto tardius fit, tanto peius contingit.
Viliſſimus eſt defœdator.
Qui per peccatum id effecit,
Caueat ſibi culpabilis,
Ne verberibus fatigetur duriſſimis.

Conſcientia.

Bene ſe habet cor, gemit & plorat.
Et lingua hac hora
Eijcit abominationem
A *Per integram confeſſionem.*
Sic certe oportet mundare.
Sæpe ſcholam, & purgare
Aqua contritionis,
Venire ad reparationem
Per ferulam & diſciplinam.
Et ſic omne finietur malum.

Ratio.

Tempus eſt vt in pace mea morer,
B *Quod de Deo cogitem & paradiſo.*
Scholaſtici mei bona hac hora
Non rebelles ſunt vt prius.
Prius fecerunt multa mala,
Frequentem ſtultitiam & vanitatem,
Vnde eram omnino debilitata.
Deus manens in æternitate.
Omnia mala velit parcere.
Et in fine cœlum concedere.

C Conſcientia accuſat cor & quinque ſenſus tanquam ſex ſcholaſticos.

Domina ratio mater mea bona,
Nunciare volo noua amare,
Quæ de tuis audiui diſcipulis,
Corde, lingua, oculo, tactu, odoratu, auditu.
Filia tua ſum conſcientia
Quæ in hoc eos accuſare debeo,
Omnes certe fuerunt
In ſchola iniquitatis,
D *Et primus eſt cor verſatile,*
Quod alios ducit & rabiem incitat,
Iungit ſe gloria vana,
Vt altè ſcandat omnem ponit operam.
Auaritia certè prorſus ardet,
Acquirere omnia vult, & vndique
Ad malum nimis eſt ingenioſum,
Et maiores dedignatur
Præceptores, cognatos, ſocios & patrem.
Praſbyteros, ſorores, fratres & ſuam matrem.
Omnes contemnit, tam ipſum eſt inutile.
E *Confitendo ſuum celat vitium,*
Hypocriſim retinet & malam ſuſpicionem,
Fellitum deſpectum & inuidiam.
Sortilegium interdum ponit
Contra Deum & contra fidem.
De Dei murmurat prouidentia,
Quando ad ſuam non facit ordinationem.
Stultam proſequitur lætitiam.
Prorſus repellit pœnitentiam.
De peccato ſuo gloriatur.
F *Et in ſenſu ſuo omnino confidit.*
In iuuentute ſua & in amicis eius.
Spem Dei extra ſe poſuit.
Et de morte vel damnatione
Non curat amplius quam leo.
Deſperatio & præſumptio
Ipſum tenent & nulla deuotio.

Hic loquitur de oculo.

Et oculum chara mea mater
Facere credit viſionem ſuam charam,
Cum videt bene operatur, ſed malitiam
Libenter videt & vanitatem,

Vt

Vt pulchritudinem malè inflammantem.
Vel rem quæ corpus ponit in flammam
Per vanam carnalitatem,
Vel per ardentem lubricitatem.

Hic loquitur de auditu.

Auditus omnino est apertus
Ad fabulas audiendas, ad bonum coopertus,
Libenter audit detractionem.
Et fugit prædicationem.
Et quia de se facit rem inhonestam,
In scholis iniquitatem cumulat magnam.

Hic loquitur de lingua.

De lingua quid possum dicere?
Sæpe litigat per malam iram.
Maledicit, iurat mentitur & negat,
Et omnia replet subsannatione.
Templum, scholam, & omnia impedit,
Nisi quis sapienter se expedierit.
Promittit, & postea de voto
Nil curat, tanquam nihil esset.
Horas suas omittit, & suum relinquit seruitium.
Malum suum desiderat, & vitium proprium,
Omniumque hominum, & est gulosa.
Delicatis cibis ardet tota.
Per ebrietatem nostis domina
Qualiter nos dedit omni infamiæ.
Ieiunare non vult, & tamen attrahit,
Ad peccata immunda omnes allicit.


Hic loquitur de odoratu.

Odoratum prætereo satis facile.
Parum potest, quamuis suum officium
A *Sit interdum velle attrahere*
Socios eius vt velint malefacere.

Hic loquitur contra tactum.

Sed tactus ipse fœdus.
Talis est, vt de ipso os mentiatur.
Quandoque ob verecundiam & timorem
De delectatione, quam de sua capit putredine.
Oportet tamen quicquid fiat
Omnia facta eius præsbytero ostendat,
Siue factum fuerit per abusionem
Alterius, vel sui pollutionem.
B *Vel nullus nostrum euadet*
Ignem, qui omnia mala arripiet.
Tactus nobis dat perditionem,
Et omnium honorum obliuionem,
Plus quam alius quicumque sensus, si satis ratio magistra
Sensum hunc non rexerit.
Non tenet fidem matrimonij,
Naturæ vel progeniei.
Furiosus est, horror ei placet.
Fides, lex, honor, ordo, displicet.
Odio habet vitam alteram,
Per hoc quod nimis amat istam.
C *Quid dicam de hoc quod percutit?*
Et capit alibi vbi non decet.
Ad mala festinanter properat,
Ad bene operandum parum laborat.
Defectus tales sunt alij innumeri,
Qui nos tradunt graui oneri.
Tempus est vt meus finiatur planctus.
Ideo te rogo mater mitis.
Hos scholasticos ad talem ordinem
Ponas, quod supremo regi
Taliter rationem possis reddere.
Vt cælos nos faciat ascendere.

FINIS QVARTÆ PARTIS.





INDEX COPIOSISSIMVS RERVM MEMORABILIVM, VERBORVM ET NOMINVM, QVÆ IN QVATVOR TOMIS IOANNIS Gersonis Cancellarij Parisiensis continentur, Primus numerus Tomum significat, secundus columnam.

A.

A

Index.

in Aduer-

C

Cœlum

Concilij au-

Curtiſani,

Dispensationis

E

D.

Ter fine.
33.c

Entis

H.

Hæresis non

Honestatis

I.

Ietro Moysen

Ignorantia affe-

K

L

Lex

M

Motiua vis

Noua

O.

P.

Pantheon

Patientia

Pigritia

Pontifex

Prouerb.

Q.

R.

Rapacitas

K

Superbia

T

V.

Vitæ

X.

Z.

FINIS.